Digitized by Google

37
9 D
11

- 917

Digitized by Google

ANNALES MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

Digitized by Google

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS XI.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.MI P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S.T.Lect. Jub. S.& U.Inquiſit. Conſultoris, S.C.Conſiſtor.Vot. Epiſcop. Examinat. Ord.Min.in Ciſmont.Fam.tam Obſerv.quam Refor.& Diſcalc.Cōmiſs.Gen.&c.



ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXIV.)(*Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Digitized by Google

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM



OGITANTI *mihi ſæpenumero, ac memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe Principes illi videri ſolent, qui, cum laudem imperii optime geſti conſequi vellent, in id maxime induſtriam contulerunt, ut populo-*

Digitized by Google

rum non modo ſaluti otioque conſulerent, ſed etiam opes atque fortunas amplificarent. Ut enim beneficentia & liberalitate nihil eſt naturæ hominis accommodatius, ita nihil eorum, qui cum imperio ceteris præſunt, tam eſt dignum vel majeſtate, vel nomine, quam reipublicæ commoda cum privatorum utilitate in omni vita conjungere: ex quo nimirum illud efficitur, ut, qui ſuſceperit eam curam optimus Princeps, ad immortalem beatamque naturam proxime accedat, publicæque felicitatis multo majorem partem ipſe percipiat. Non hic ego commemorabo, Beatissime Pater, *quæ in urbe Roma pro Tuis civibus agere ac meditari numquam deſiſtis, quæque ſola jucundam reddant ad poſteros Tui Pontificatus memoriam ſempiternam. Major eſt illa, utpote digna genere Tuo, & hoc celſiſſimo honoris gradu, benefica vis, quam ut poſſit his mœnibus contineri. Eam Tu longe lateque diffundi, & ad omnes omnino Eccleſiaſticæ ditionis populos pertinere*

nere voluiſti, cum ad portum Anconæ celeberrimum, firmiſſimis mercaturæ legibus conſtitutis, exterarum gentium navigiis faciles aditus præbuiſti. Cujus rei cauſa illud etiam abs Te ſapienter proviſum eſt, ut convenarum hoſpitium ingenti ſumptu excitaretur: quo quid opportunius ad invitandos peregrinarum mercium inſtitores, emporiumque frequentandum, a prudentiſſimo Principe poſſit excogitari, ſane non video. Dicam enim, quod ſentio, PATER BEATISSIME. *Rem perfeciſti infinitis propemodum difficultatibus impeditam; quas proinde qui explicare aliquando conati ſunt, quamquam ſummo conſilio præditi, Deceſſores Tui, vel præpropera morte ſublati; vel, ut fere contingit, adverſa fortuna; vel ipſa rei magnitudine ac ſumptu ab incœpto deterriti, opus plane imperfectum atque inchoatum reliquerunt. Atqui nullum eſt facinus tantum, tamque difficile, quod* CLEMENTIS XII. *aut conſilium fallere poſſit, aut certe conatus*

retar-

retardare. Jam enim opus egregium grandi pecunia, & incredibili agendi vi pene abſolviſti: nec modo patent Anconæ exterarum gentium mercibus tuta receptacula, ſed etiam magnæ opportunitates propoſitæ Picenis Tuis, Umbris, Latinis, omnibus denique Tuæ ditionis hominibus ad ſuas cujuſque convehendas, & permutandas. Quo factum eſt, ut, quod olim de Principe ſuo C. Plinius aſſeveravit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddideris, diverſaſque gentes ita commercio miſcueris, ut quod genitum eſſet uſquam, id apud omnes natum eſſe videretur. Nec vero tantas utilitates, & inſtitutæ negotiationis fructum ſola ſpe metientes longe proſpicimus; ſed, reſpondente cogitatis eventu, jam percipimus gaudia noſtræ præſentis, ac Tuæ felicitatis: quam profecto ut urbi Romæ, & Eccleſiæ Romanæ imperio perpetuam fore ſperemus, conſilio Tuo prope divino, & ſalutaribus inſtitutis ac legibus perfectum eſt.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

QUAE de præſtantium pietatis laude virorum ac feminarum officiis ſunt a nobis tot voluminibus prodita, cum Chriſtianæ demiſſionis exempla fermè contineant, videbuntur fortaſſe frivola iis, quorum videlicet aures magnificis de republica, de moribus, de natura diſputationibus, vel ſumptuoſis bellorum apparatibus, terreſtribuſque ac navalibus præliis, & inclytarum urbium expugnationibus adſuevere. Sed habet hoc utique philoſophia Chriſti. Nihil primo adſpectu contemptius; nihil in receſſu divinius: quippe animos, non ad ſitim cædis ac ſanguinis, vel ad inanis gloriæ cupiditatem, ſed ad humanitatem ac manſuetudinem, atque ad amorem ſolidæ ac veræ virtutis inflammat: quæque ab aliis de officio, vel oſtentationis, vel etiam animi ſæpe cauſa quæruntur, ea rebus ipſis ac vita, quam verbis multo libentius explicat. Ergo Chriſtianæ documenta virtutis tanto & ad bene vivendum aptiora, & ad narrandum graviora cenſenda ſunt, quanto facta dictis, & pacis munera bellicis artibus antecellunt. Quamquam, in his etiam Annalibus, ubi temporum ratio poſtulat, illuſtrium quandoque rerum argumenta non deſunt, quæ ſapientium virorum, qui de Fide Catholica recte ſentiant, incredibili voluptate oculos animoſque permulceant. Lætabuntur haud dubie,

tanta

Digitized by Google

tanta jam ex parte veſanis gentium ritibus, ac deteſtabili deorum inanium cultu ſublato; tum renovata per Minorum alumnos, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, Eccleſiaſtica diſciplina, quæ pleriſque in regionibus ita jam obſoleverat, vix ut ejus imaginem in veterum ſcriptis agnoſceremus. Iſta vero cum aliquot locis priorum Voluminum deſcripta ſunt, tum hoc præſertim, quod Joannis a Capiſtrano, ac Bernardini Senenſis, illuſtrium doctrinæ, ac ſanctitatis laude virorum, egregia facta complectitur: ut propterea ex ejus lectione Catholici viri non modo maximam voluptatem, verum etiam utilitatem ſint percepturi.

REIM-

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

ANNALES MINORUM.

Anno Christi 1437.	Eugenii IV. anno 7.	Sigismundi Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 230.

ARGUMENTUM.

Eugenius Pontifex Imperatorem, & Prælatos Græcorum Ferrariam advocat pro ſtabilienda unione cum Latinis. Id ægre ferentes Baſileenſes, nihil non audent contra Eugenium. Suam fidem & effectum probant Pontifici Guillelmus Generalis Miniſter, & alii Minoritæ, maxime Jacobus Picenus, Sigiſmundo etiam Imperatori ſolerter adlaborans, & inter Ruſſianos & Boſnenſes in hæreticos inquirens. Ejus conſocius Joannes Capiſtranus multa peragit præclare. Celebrantur Comitia generalia. Inſtituuntur Inquiſitores. Creantur Epiſcopi. Florent viri ſanctiſſimi. Moritur Sigiſmundus Imperator: ſuccedit Albertus Auſtriacus. Conduntur Cænobia.

I. EUGENIUS Pontifex anno proxime elapſo a Nicolao Ateſtino Regulo Ferrarienſi præmonitus, Flaminiam in fide & obedientia Sedis Apoſtolicæ nutare, variis artibus & armis conante Philippo Duce Mediolanenſi totam in ſuas partes attrahere, XIV. Kalendas Maii Florentia movit, & quarto poſt die Bononiam applicuit, ubi defectionis pericula multa ſubmovit, & præcipuas arces in fide continuit. Hic de unione Eccleſiarum Latinæ & Græcæ impenſe cogitare cœpit, ſcienſque Baſileenſes multa pollicitos Joanni Imperatori Palæologo, utque ad ſe veniret, ſæpiſſime invitaſſe, hoc anno Legatos miſit Conſtantinopolim Marcum Archiepiſcopum Tarantaſienſem, Chriſtophorum Garetonium ſcribam Pontificium, mox Coronenſem Epiſcopum, qui a Baſileenſibus averterent, & perſuaderent, ut ad Concilium alterum a ſe indicendum ea in urbe, quæ magis Græcis placeret, accederent. Conſentientibus Imperatore & Patriarcha Conſtantinopolitano, delecta eſt civitas Ferrarienſis, ditioni ſubjecta Principis Ateſtini, Pontifici obſequentiſſimi, Palæologo conſanguinitatis vinculo conjunctiſſimi, & indicta eſt ampliſſimo Diplomate Synodus Oecumenica XIV. Kalendas Octobris, quæ poſtea propter peſtem translata Florentiam, nuncupata eſt Florentina. Frendebant & fremebant ad hæc Baſileenſes, nihilque non fecerunt indignum & ſacrilegum contra Eugenium, eouſque inſaniæ pro-

Eugenius invitat Græcos ad Cōcilium a ſe indicendum.

Concilio habendo deligitur urbs Ferrarien.

Male hoc habēt Baſileenſes.

greſſi, ut alium ſibi Papam Amadeum Sabaudum, magno orbis ſcandalo impie poſtea confinxerint. Eugenio ad has anguſtias redacto, a multis Principibus derelicto, a Baſileenſibus male habito, hoſtium armis circumdato, ſtrenue inter alios adlaboravit Guillelmus Caſalenſis Generalis Miniſter, aliique Religioſi ex Ordine Minorum, quos tum ad Orientis, tum ad Europæ Principes pro conciliandis animis, & pro variis arduiſque Eccleſiæ negotiis, ut in litteris ad prædictum Guillelmum datis ipſe teſtatur, & ſequentibus annis amplius enarrabimus, delegavit. Do hic ex Regeſto Vaticano litteras, quibus eumdem Guillelmum cum duodecim Ordinis Magiſtris ad Concilium convocavit.

Dilecto filio Guillelmo de Caſali Ordinis Minorum Miniſtro Generali, ſacræ Theologiæ Magiſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex autographo. Generalis Miniſter vocatur ad Concilium Ferrarien.

II. *Cum Baſileenſe Concilium ad civitatem Ferrarienſem pro Oecumenico Concilio inibi celebrando, tam propter Occidentalis & Orientalis Eccleſiarum unitatem, quam reformationem Eccleſiæ, & pacem Chriſtiani populi, & aliis rationabilibus cauſis totis viribus, auctore Domino, procurandas, duximus transferendum, prout veſtra devotio videre poterit per copiam litterarum præſentibus incluſam, eidem devotioni veſtræ, in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus & mandamus, quatenus cum per Dei gratiam ſperemus, imo certi reddamur, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Græcorum Imperator Illuſtris, ac venerabilis frater noſter Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum eorum Prælatis & Clericis, pro quibus jam dudum cum galeis, & aliis neceſſariis, & conventis miſimus, circa Kalendas Novembris proxime futuras accedent, ad Concilium commemoratum, quantocyus poteris, te conferas, atque una tecum duodecim Magiſtros tui Ordinis perducat, de quibus devotioni tuæ per alias noſtras litteras intimavimus, ut in ipſo Concilio, Altiſſimi cooperante miſericordia, per tuam, illorum, & aliorum prudentiam & virtutem tractentur & agantur ea, quæ cedant ad laudem Dei, pacem Chriſtianorum, ac ſtatum & exaltationem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Bononiæ anno &c. IX. Kalendas Octobris Pontificatus noſtri anno VII.*

Venit ille cum viris doctis Ferrariam.

III. Prompte obſequutus Guillelmus, Ferrariam, inde a Pontifice vocatus, Bononiam abiit, ubi uſque ad anni hujus finem hæſiſſe, & multa ad Eugenii præſcriptum feciſſe ex Ordinis Regiſtro, & actis Guillelmi, quæ penes me habeo, ſeriatim comperio. Ferrariam ab ipſo delecti Magiſtri convenerunt, ex quibus in primis Concilii congreſſibus, præter Epiſcopos ex Ordine aſſumptos, adfuiſſe præcipuos dicam ſub anni ſequentis exordium. Die octavo Novembris Bononiæ convocavit Guillelmus viros doctos ad aulam capitularem, eiſque propoſuit quatenus ſua Sanctitas, diſtributis gravioribus controverſiis, quæ erant in Concilio agitandæ, Patribus noſtri Inſtituti commendaverit diſputandas materias duas, de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & de attributis Divinis, quæ manuducebant ad præcipuam cum Græcis controverſiam circa proceſſionem Spiritus ſancti a Filio. Atque ut hæc exactius diſcuterentur, inſtituti ſunt peculiares inter Ordinis Magiſtros congreſſus, ter in hebdomada habendi, in quibus reſpondentis Magiſter Angelus a Peruſio, aſſiſtentium Magiſtri Lucas Senenſis, & Franciſcus Ariminenſis, reliqui arguentium vices ſuſtinerent. Reliqua dabimus ſuis locis per annos ſequentes.

Diſputant peculiariter de duabus materiis.

IV. Di-

Digitized by Google

IV. Diximus alias, Sigiſmundum Imperatorem Latinorum in pacificandis & reducendis ad unionem Eccleſiæ Boemis, multarum hæreſum colluvie inter ſe diviſis, operam & doctrinam adhibuiſſe beati Jacobi de Marchia. Hoc anno eumdem advocat, & rogat ut ſe contra Turcas profecturum comitari velit, adhibitis etiam aliis ex ſuo Sodalitio. Diploma ipſius Sigiſmundi manu ſcriptum hic tranſcribo. *Tomo 10. anno 1435. n. 8. Sigiſmundus Imperator invitat B. Jacobum ut ſecum procedat contra Turcas.*

Venerabili & Religioſo fratri Jacobo de Marchia Vicario Boſnæ, Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, fideli, devoto nobis, & ſincere dilecto.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.

V. *Venerabilis & religioſe, Deoque devote, nobis ſincere dilecte. Veſtræ Paternitati duximus præſentibus notificandum, quod nos, gratia divina nobis ſuffragante, ad feſtum ſancti Georgii Martyris proxime affuturum & æſtatem inſtantem, contra ſæviſſimos Turcas, Cruci Chriſti perſecutores, confiniorumque regnorum noſtrorum duriſſimos invaſores, validum exercitum tam Boemorum, quam Hungarorum, aliarum etiam diverſarum nationum ex immutabili propoſito intendimus inſtaurare, immo utique jam diſpoſuimus & aptavimus in effectum. Unde nos veſtræ Paternitatis perſonam, cum certis Fratribus veſtris hujuſmodi exercitui, ad confortandum inibi rore ſpirituali populum Chriſtianum, & verbum Dei prædicandum, aliaque circa ſalutem populi exercenda, deſiderantes intereſſe, Paternitatem veſtram attente requirimus & rogamus, quatenus aſſociatis ſex, vel octo veſtris, ſeu Ordinis veſtri Fratribus, tali modo exercitus noſtro velitis intereſſe, inibi pariter cum noſtra Majeſtate proceſſuri. Nos etenim volumus modis omnibus in eodem exercitu conſtitui propria in perſona. Datum Pragæ feria* VI. *proxima poſt feſtum Epiphaniæ Domini, anno ejuſdem* MCCCCXXXVII. *Regnorum noſtrorum anno, Hungariæ, &c. quinquageſimo, Romanorum* XXVII. *Boemiæ* XVIII. *Imperii vero* IV. *Ex autographo.*

VI. Plurimum laboraverat Jacobus non ſolum in Principatu Boſnæ, verumetiam per univerſam Hungariam, ut ſerpentes hæreſes profligaret, vitia extirparet, & mores reformaret, maxime gentis Eccleſiaſticæ, quæ adeo Clericalis continentiæ laxarat habenas, ut publice Sacerdotes concubinas alerent, nec ab eis poſſent abſterreri. Dum grave hoc ſcandalum tollere molitur, multa patitur ab incontinentiæ patronis, & libidinis fautoribus, maxime in diœceſi Quinque-eccleſienſi, a qua oportuit exulare. De his monitus Eugenius, Bononia ſcribit ad Sigiſmundum Imperatorem Hungariæ Regem, ut opportunum tanto malo adhiberet remedium. De epiſtolæ ad illum pro invitandis Græcis ad Concilium ſcriptæ particulam poſtremam, quæ rem hanc attingit. *Impeditur ejus prædicatio. Diſplicet Pontifici.*

Cariſſimo in Chriſto filio Sigiſmundo Romanorum Imperatori, & Hungariæ, ac Boemiæ Regi Illuſtri &c.

VII. *Cum proximis diebus veniſſent Bononiam ad nos dilecti filii Joannes Baſſipatus, & Emanuel Tracagnoti Vulotis Oratores cariſſimi in Chriſto filii Imperatoris Græcorum, & venerabilis fratris Patriarchæ Con-* *Ex Reg. Vatic.*

Conſtantinopolitani &c. Et infra: *Ceterum ſumma cum diſplicentia audivimus, quoſdam hæreticos in regno tuo Hungariæ per hæc tempora pullulaſſe, & Sacerdotes regni ipſius nullo modo abſterreri aut induci poſſe a dilectis filiis Fratribus Ordinis beati Franciſci, in Obſervantia regulari degentibus, qui in illo verbum Dei prædicant, ut concubinas, quas publice tenent, dimittant, & aliter honeſte vivant, quæ res maxime facit populos regni illius a bene vivendo ſe retrahere, & a Fratrum prædictorum monitionibus retrogrados eſſe, neceſſariumque judicatur fore, ut aliquis Prælatus in eo regno deputetur, cum noſtra auctoritate, & favoribus tuis, qui & hæreſes extirpet, & Clericos Sacerdoteſque honeſte curet vivere, quod ut conſentire velit tua Celſitudo, hortamur, ſuademus, ac etiam ſtricte requirimus. Datum Nonis Junii &c. Pontificatus noſtri anno* VII.

Et Imperatori. VIII. Diploma hoc Pontificis, & quæ Jacobus ipſe ſcripſerat, adeo Sigiſmundum commoverunt, ut Epiſcopum Quinque-eccleſienſem, ejuſque Capitulares graviter increpaverit, eiſque præceperit, ut quem expulerant, ſtatim revocarent, & Dei opus proſequentem patienter audirent & benigne pertractarent. Deinde per alias litteras Apoſtolicum præconem invitat, ut in regnis ſuis, quod ſancte incepit, alacriter proſequatur, rogatque ut ad ſe propius agentem velit accedere. Epiſtolas has & alteram Quinque-eccleſienſis Antiſtitis, qua Jacobo digne a ſe commendato, ut obaudiant & faveant, omnibus ſuis ſubditis ſevere præſcribit.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino fratri Henrico Epiſcopo Eccleſiæ Quinque-Eccleſienſis, ac honorabilibus Dominis de Capitulo ejuſdem, fidelibus noſtris nobis dilectis.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.

Ex autographo. IX. R*Everende in Chriſto Pater, ac honorabiles viri fideles, nobis dilecti. Ad noſtram deductum eſt audientiam ſupra modum diſplicenter, quomodo vos timore Dei poſtpoſito, propriæque ſalutis immemores, normam & profeſſionem orthodoxæ fidei excreſcere, ac ejus ſalutiferas fimbras extendi minime cupientes, ſed ejus quodammodo bono & utilitati pro viribus derogare ſatagentes, venerabilem fratrem Jacobum de Marchia, Vicarium Boſnæ, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, vobis & toti regno noſtro Hungariæ, de mandato & auctoritate Domini Apoſtolici & noſtro, viam veritatis demonſtrantem, veſtroſque exceſſus & ſcelera, ſtatui Eccleſiaſtico detrahentes & detrahentia, ſecundum doctrinam & documenta ſanctiorum Patrum caritative, uti opus eſt, reprehendentem, veſtri e medio & de veſtris confinibus procul fugaſſetis, ipſumque a ſua prædicatione & Inquiſitione dictæ hæreticæ pravitatis & corrupti ſtatus, modis omnibus prohibuiſſetis, quod manifeſte in ipſius Domini Apoſtolici, & noſtrum cedit præjudicium & jacturam. Et quia nos eumdem fratrem Jacobum in dictis ſuis laudabilibus Deoque devotis operibus tam veſtri in medio, quam alias ubicumque per climata totius dicti regni noſtri Hungariæ moditi omnibus, & abſque renitentia aliquali roboratum habere volumus & fulcitum, fidelitati veſtræ firmiter & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus mox agnitis præſentium continentiis, alio quocumque noſtro mandato ad id minime expectato, dictum fratrem Jacobum rurſus veſtri in medium honorifice recipere debeatis, ſuumque officium*

cium hactenus laudabiliter modo, ut præfertur, de dicti Domini Apoſtolici & noſtro mandato ac auctoritate continuatum exercere & practicare permittatis, difficultate & recuſa, necnon cautela quibuslibet procul ſemotis. Et aliud in his, ſi noſtra rigida gravamina indignationemque noſtram graviſſimam incurrere formidatis, nullatenus facere præſumatis. Præſentes quoque, ſi ſecus feceritis, quod tamen non credimus, poſt ipſarum litterarum oſtenſionem, in exhibentis manibus volumus remanere. Datum Pragæ in vigilia feſti beati Bartholomæi Apoſtoli, anno Domini MCCCCXXXVII. *Regnorum noſtrorum Hungariæ &c. anno quinquageſimo, Romanorum* XXVII. *Boemiæ* XVIII. *Imperii vero* V.

Religioſo & Deo devoto fratri Jacobo de Marchia, Vicario Boſnæ &c. fideli, grato nobis, & ſincere dilecto.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.

X. *Religioſe vir, fidelis noſter, & ſincere dilecte: juxta tuam nobis factam petitionem, ecce per alias litteras noſtras cum præſentibus tibi aſſignandis committendas mandavimus Reverendiſſimo in Christo Patri Domino Georgio Archiepiſcopo Strigonien. cunctiſque aliis Prælatis & Epiſcopis, ubilibet in regno noſtro Hungariæ conſtitutis & exiſtentibus, ut tibi ubique in noſtro ipſo regno Hungariæ, illa auctoritate, quam te a Sede Apoſtolica habere aſſeris, Chriſti Evangelium populo prædicare, & eoſdem ad mores divinos informare, omneſque hæreticos & hæretica pravitate infectos inquirere, & ad viam ac agnitionem veritatis reducere permittant, & permitti facere teneantur. Item te affectuoſe adhortamur, ut tu in tua prædicatione populos tam nobiles, quam ignobiles inducas, ut ipſi in reſiſtentiam Paganorum aſſurgant, & totis viribus intendant. Ceterum tuam fidelitatem requirimus, ut dum Majeſtatem noſtram in partibus noſtris inferioribus, quo in brevi, Deo duce, accedemus, ſenſeris conſtitutam, incontinenti cum ſex aut octo Fratribus tui Ordinis illuc ad noſtram venias Majeſtatem. Datum Pragæ in feſto Decollationis beati Joannis Baptiſtæ, anno Domini* MCCCCXXXVII. *regnorum noſtrorum Hungariæ &c. anno quinquageſimo, Romanorum* XXVII. *Boemiæ* XVIII. *Imperii* V. Ex autographo

Henricus divina providentia Epiſcopus Eccleſiæ Quinque-eccleſien. Univerſis & ſingulis Dominis Archidiaconis & Vice-archidiaconis, necnon Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, in & ſub noſtra diœceſi ubivis conſtitutis & exiſtentibus, ad quem, vel ad quos præſentes pervenerint, nobis in Chriſto dilectis, ſalutem in Domino paterna cum benedictione.

XI. *Quod quia Religioſus ac Deo devotus vir frater Jacobus de Marchia Vicarius Boſnen. frater noſter in Chriſto ſincere dilectus, tum favorabili ſua diligentia ad extirpanda vitia, tum bona prædicationis informatione, Deo volente, veſtri in medium ſit profecturus. Propterea veſtras devotiones & veſtrum quemlibet, præſentium ſerie petimus diligenter, quibus etiam necnon decumatoribus noſtris quibuſvis firmiſſime committimus & mandamus, quatenus habita præſentium notitia, dum & quando præfatus frater Jacobus ad vos ſeu veſtrum quemlibet pervenerit, ex tunc eidem cum ſuis victualia & alia neceſſaria ad noſtram rationem detis & admini-* Jubentur Quinque-ecclesien. ut prædicate permittant.

re-

ſtretis, immo ſecus facere in hoc uon præſumatis, uec ſitis auſi modo aliquali, quam ad præmiſſa excerpenda; obnixius petimus etiam eumdem, ut puta, fratrem Jacobum, juxta tenorem Bullæ, cujus copiam oidem tranſmiſimus, in confeſſorem eligendo idoneum, ipſe quos voluerit idoneos habeat locandi facultatem, præſentium teſtimonio mediante: præſentes poſt lecturam, quas apud ipſum Fratrem volumus permanere, reddi jubemus præſentanti. Datum Quinque-eccleſiæ primo die ante feſtum Converſionis ſancti Pauli Apoſtoli. Anno MCCCCXXXVII.

XII. Multa etiam erga eumdem Dei famulum Eugenius Pontifex ſuæ oſtendit benevolentiæ argumenta, quippe honorifica ad eum direxit hoc anno Diplomata, aliiſque ad ſe venientem & coram tractantem hujus miſſionis negotia, decoravit privilegiis. Cuncta percipiet Lector ex ipſis litteris, quas ex Bullis originariis, in patria beati Jacobi ad Minores aſſervatis exſcripſimus, videbitque multa ex iis, quæ ſupra diximus, de hujus viri laboribus, Apoſtolico teſtimonio roborari, eamdemque cum ſancto Bernardino ſortem ſubiiſſe in perferendis, & feliciter abſtergendis calumniis æmulorum & hæreticorum.

Dilecto filio Jacobo de Marchia Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, in regno Hungariæ, & in Auſtriæ & Sclavoniæ, aliiſque partibus ſecundum morem dicti Ordinis Inquiſitori hæreticæ pravitaiis por Sedem Apoſtolicam deputato.

Ex Bulla originali.

XIII. *Perſonam tuam, Nobis & Apoſtolicæ Sedi devotam, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quibus in his, quæ ad verum Catholicæ fidei cultum & incrementum ſpectant, te utilem & fructuoſum aliis exhibere valeas. Cum itaque per alias noſtras certi tenoris litteras, te in regno Hungariæ & Auſtriæ partibus hæreticæ pravitatis Inquiſitorem conſtituerimus, atque deputaverimus, parteſque regni & provinciarum prædictorum ita latæ & amplæ ſint, ut aliquando cum neceſſitas poſtulaverit, in locis, ubi venenum hæreticæ pravitatis pullulat, adeſſe, & remedia juxta Sanctorum Patrum inſtituta adhibere non poſſis: Nos, ad quos præcipue ſpectat, ut tam nefarii & peſtiferi errores & vepres a vinea Domini evellantur & penitus extirpentur, ne defectu virorum Catholicorum circa extirpationem hujuſmodi hæreſis facultatem habentium, venenum hujuſmodi convaleſcat, tibi, de cujus integritate & ardore erga fidem Catholicam plene in Domino confidimus, in illis regni & Auſtriæ partibus, in quibus, & quando tibi expediens eſſe videbitur, unum, aut plures hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & dicti Ordinis viros, ſiquidem honeſtos, & verbo & exemplo potentes, pro tempore, quod tibi videbitur opportunum, cum omnimoda poteſtate & juriſdictione, tibi a nobis & Sede Apoſtolieu conceſſa deputandi, conſtituendi & ordinandi; & inſuper, ſi te a Vicariatu Boſnæ abſolutum & liberum eſſe contigerit, ne defectu vocationis hujuſmodi Vicariatus negotia ad religionem & fidem Catholicam ſpectantia retardari, ſive quovis modo impediri poſſint, tibi Fratres tam interpretes, quam Confeſſores, quos neceſſarios eſſe putaveris vocandi, ad fidei prædictæ uſum habendi & exercendi, ac ſi in Vicariatu prædicto extiteris, concedimus facultatem. Et inſuper cum novi erroris abuſus apud aliquos illarum partium invaluerit, ut ad pulſum ſalutationis Angelicæ, quaſi beatam Virginem deſpicientes, prætermiſſa Ave Maria, aliud quid dicant, volentes errorem hujuſmodi extirpare, & ad laudabilem conſuetudinem, & honorem genitricis Dei & Domini noſtri.*

B. Jacobus Inquiſitor in Hungaria & Auſtria.

Poteſt alios deputare Inquiſitores.

Fratres quoſcúmque ad ſe vocare.

Monetur ut errorem circa ſalutationem Angelicã elliminet.

ſtri Jeſu Chriſti donis ſpiritualibus provocare, omnibus utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, infra limites tuæ juriſdictionis exiſtentibus, ad pulſum campanarum Ave Maria, ſive in ſero ſive in aurora, ſeipſos devote genuflectentibus, & orationem Angelicam devote dicentibus, ſingulis vicibus, quoties hunc devotum actum eos efficere contigerit, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis concedendi & relaxandi: necnon quemdam Andream de Hungaria dudum ſecularem Sacerdotem a te, ut accepimus, tamquam pertinacem hæreticum, degradatum, & Judici ſeculari dimiſſum, cum ut pro parte tua aſſeritur, ſatis contritus appareat, & paratus ſit hæreſim illam peſtiferam, & omnes articulos contra Catholicam fidem ſentientes deponere, & ceteras alias perſonas ſimili errore pollutas ad gremium Eccleſiæ recipere & humaniter confovere, ſi id humiliter & devote petierint, & omnes ſuos errores abjuraverint, ac ſacramento ſe etiam adſtrinxerint, in ſimiles errores de cetero non incurrere, nec incurrentibus auxilium, conſilium, vel favorem exhibere, dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus, in ſtatum, in quo antequam in hujuſmodi errores peſtiferos incidiſſet, præterquam ad officia & beneficia, ac Ordinum executionem reſtituendi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVII. III. *Idus Julii, Pontificatus noſtri anno* VII.

Ab hæreſi reſipiſcentes admittat.

Eidem.

XIV. *Inter ceteras curas & cogitationes noſtras, quibus ex debito Paſtoralis officii continue agitamur, illa præcipue cor noſtrum ſollicitat, ut animarum ſaluti paterno ſtudio & diligentia conſulamus. Cum itaque Vicariatus Boſnæ, cujus cura tam a Sede Apoſtolica, quam a dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Minorum tibi commiſſa eſt, valde a Curia Romana remotus ſit, & perſonæ in partibus illis & aliis convicinis locis non ſine magnis difficultatibus & periculis, pro obtinendo debitæ abſolutionis beneficio pro delictis & criminibus commiſſis, ad Ordinarium accedere poſſint, nos volentes devotioni tuæ ea concedere, per quæ animarum ſaluti providere valeas, tibi, ac in Vicariatu hujuſmodi ſucceſſoribus tuis per vos, & cum neceſſitas poſtulaverit, per ſocium veſtrum idoneum, quem ad id duxeritis tu & ſucceſſores præfati deputandum, confeſſiones perſonarum in partibus illis exiſtentium audiendi, & confeſſionibus ipſis auditis, pro commiſſis debitam abſolutionem, toties quoties oportunum fuerit, impendendi, injunctis perſonis eiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, ac aliis, quæ de jure fuerint injungenda, plenam, tenore præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXVII. VII. *Idus Decembris, anno* VII.

Ex originali.

Confertur illi & ſucceſſoribus, eorumque ſocio auctoritas abſolvendi a reſervatis.

Eidem.

XV. *Etſi antiquus hoſtis humano invidens generi, non ceſſans quærere quos devoret, quamplures inducat ſæpe ad laqueum peccatorum, Redemptor noſter tamen Jeſus Chriſtus nonnullos fide deceptos quotidie de ipſius faucibus eripit, & ad ſe revocat pœnitentes. Sane nobis pro parte dilecti filii Andreæ Michaelis, diœceſis Bacien. nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipſe olim, maligni ſpiritus inſtigante verſutia, nonnullos articulos erroneos & a vera fide diſcrepantes, ac alias per ſanctam Matrem Eccleſiam prohibitos, cum nonnullis aliis regni Boemiæ perſonis firmiter credide-*

Ex originali.

Ut reſtituat ad priſtinum ſtatum Sacerdotem ex hæreſi reſipiſcentem.

diderit, illoſque, quantum in eo fuit defenſare conatus fuerit, ac propterea omnibus ordinibus actualiter degradatus extiterit, licet ex manibus Curiæ ſecularis, cui traditus fuerat, ad preces nonnullorum Religioſorum miſericorditer liberatus: quæ omnia conſiderans cum ab intimis doleat, paratuſque ſit omnes hujuſmodi errores abjurare, prout etiam abjuravit, & ipſos errores ad confuſionem aliorum hæreticorum, quos antea ſecutus fuerat, publice deteſtari, ac in illorum faciem exprobrare, juxta conſilium tuum, & alia facere, quæ pro fidei augmento ſibi mandaveris, nobis humiliter ſupplicavit, ut ipſum ad Eccleſiæ gremium miſericorditer ſuſcipientes, ipſum ad executionem Ordinum, quibus, ut præmittitur, degradatus fuerat, reſtituere miſericorditer dignaremur. Nos, qui humiliter petentibus poſt exceſſum libenter nos benignos exhibemus, ac de præmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita & moribus, aliiſque circumſtantiis dicti Andreæ te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ipſum Andream inveneris laudabilis vitæ, ac a ritu ſanctæ Matris Eccleſiæ non diſcrepare, aliaſque de per eum commiſſis erroribus hujuſmodi ab intimis dolere, & ad ea, de quibus ſupra præmittitur, paratum, & alias pro fidei defenſione utilem eſſe conſpexeris, aliudque canonicum non obſiſtere impedimentum, & alias tibi videatur, ipſum, ſi hoc humiliter petierit, ad omnes etiam ſacros Ordines & eorum executionem reſtituas, abolens omnem inhabilitatis & infamiæ maculam per eum, præmiſſorum occaſione contractam, injuncta ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari. Et nihilominus, ſi hujuſmodi reſtitutionem per te fieri contigerit, ipſi Andreæ, ut in hujuſmodi Ordinibus miniſtrare libere & licite valeat, licentiam largiaris: qui ſic taliter reſtitutus, ſi dicta reſtitutio fieri contingat, ad dictam vel aliam hæreſim, quod abſit, relabatur, in omnes pœnas, & inhabilitates priſtinas ipſo facto volumus reincidere. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVII. XI. *Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno* VII.

EIDEM.

Ex originali.

XVI. R*Omani Pontificis providentia circumſpecta, conceſſa per eum quandoque interpretatur, extendit, aut declarat, prout negotiorum, aut temporum qualitate penſata, id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem tibi ad partem regni & provinciarum prædictarum pro extirpatione hæreſum, ac fundatione fidei orthodoxæ, ob bonorum plantationem morum ituro, inter cetera pro tui officii commodiori expeditione, ut quorumcumque peccata ſua confiteri volentium per te, ſeu per Sacerdotes Fratres tui Ordinis, ad id idoneos, audire poſſes, atque abſolutionis beneficium impendere, dummodo non talia forent, de quibus Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, plenam conceſſimus facultatem, prout in litteris ſuperinde confectis plenius continetur. Ceterum cum, prout fide digna relatione percepimus, meſſis plurima ibidem eſſet, de Ordine vero tuo operarii admodum pauci invenirentur, tu ſaluti animarum perſonarum illarum partium conſulere intendens, tam Sacerdotibus aliis, quam de Ordine tuo hujuſmodi Confeſſionis officium commiſiſti, quod utrum recte & rationabiliter factum fuerit cum a nonnullis in dubium revocetur, poſtulaſti a nobis, ut ſuper his quid mentis & intentionis noſtræ extiterit, declarare vellemus. Ad quod tibi breviter reſpondemus, quod fuit intentionis noſtræ, ut ſi tibi ad tam ſalutare opus Fratres tui Ordinis ſufficere non valerent, poſſes per quoſcumque alias Sacerdotes idoneos, Religioſos, aut ſeculares hujuſmodi officium adimplere, volentes, ac tenore præſentium auctoritate Apoſtolica decernentes hujuſ-*

Ut poſſit communicare ſuam auctoritatẽ aliis extra ordinem.

Digitized by Google

juſmodi per te commiſſiones factas de audiendis conf eſſionibus per alios, quam per tui Ordinis Fratres, perinde valere, ac robur obtinere firmitatis, ac ſi plene & ſpecifice illud in tuis litteris fuiſſet expreſſum; conſtitutionibus Apoſtolicis, ac aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reſponſionis, voluntatis & conſtitutionis infringere &c. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVII. V. *Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno* VII.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis.

XVII. *AD regimen univerſalis Eccleſiæ, licet inſufficientibus meritis, ſuprema diſpoſitione vocati, cum non valeamus ſingula incumbentia nobis onera per nos ipſos, rerum repugnante natura, particulariter expedire, viros nonnumquam ſcientia claros, vita & morum probitate inſignes, zelo fidei orthodoxæ fervidos, & in quibus timor Dei ſanctus permanet, in parte oneris Dominici gregis aſſumimus, ut ipſorum cooperatione ſalubri miniſterium nobis injunctum facilius & efficacius exequi valeamus. Dudum ſiquidem cum ad notitiam noſtram, non ſine gravi cordis amaritudine perveniſſet, quod in partibus regnorum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Siriniæ, aliiſque nonnullis provinciis, terris & locis dictis regnis adjacentibus, aliqua peſtifera hæreſum, & gravium in fide Catholica errorum germina pullularent: nos cupientes tantis animarum perſonarum illarum partium periculis, quantum cum Deo poſſumus, ſalubrem medelam afferre, dilectum filium Jacobum de Marchia, Fratrem Ordinis Minorum, exhibitorem præſentium, cum plena facultate, poteſtate & mandato noſtris ad ipſam rem neceſſariis & opportunis ad illas partes tranſmiſimus, eidem injungentes, ut ipſa nefanda germina hæreſum extirparet, ac bonorum fructuum ſemina plantare curaret, per omnia ad normam orthodoxæ fidei Chriſtianæ perſonas ipſas reducendo, prout in litteris noſtris ſuperinde confectis plenius continetur. Sed dum memoratus frater Jacobus miniſterium ſibi a nobis injunctum fideliter, devote & efficaciter exequitur, nonnulli veritatis æmuli, & tam piis operibus adverſantes, in ipſum inſurrexerunt, diverſis illum conviciis, jurgiis, opprobriis & infamatoriis ſermonibus afficientes, in grave ſcandalum perſonæ ipſius, ac perturbationem ſancti operis, & injuncti eidem miniſterii, ac periculum illarum partium animarum. Cum autem, prout familiari de eodem fratre Jacobo notitia, etiam dum eſſemus in minoribus conſtituti, necnon aliorum fide dignorum, & præſertim cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi, Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac nonnullorum præfatorum ex majoribus regni Hungariæ relatione percepimus, dictus frater Jacobus habetur, reputatur & eſt homo honeſtæ converſationis, vitæ laudabilis & religioſæ, ac optimæ famæ, ne dum Catholicus & Chriſtianus fideliſſimus, ſed etiam acerrimus & vigoroſus hæreſum extirpator, & ob ejus integritatem vitæ, laudabiles verbi Dei prædicationes, & ſalutares bonorum operum fructus, præclariſſimus fidei Catholicæ prædicator, & inſtructor rectiſſimus, in omni fere Italia & extra inter ceteros famoſos evangelizatores verbi Dei præſentis ætatis probatus & notus communiter referatur, nec unquam fuerit de hæreſis crimine apud bonos & graves, ut præponitur, diffamatus, quinimo repertus traditionibus & mandatis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ejuſque ſummorum Pontificum, Doctorum & Sanctorum Patrum totis viribus inhærere, ac profiteri & prædicare quidquid eadem ſancta Mater Eccleſia jubet & docet, nec ab eis in aliquo deviare, propona-*

Ex originali.

Graviter Jacobum aliqui calumniantur.

Pontifex egregie laudat.

natque noſtris, & dictæ Eccleſiæ, ſicut ſemper aſſolet, humiliter & devote præceptis & juſſionibus protinus obedire. Nos igitur cupientes eamdem Jacobum ſalutiferis prædicationibus & aliis divinis obſequiis eo liberius intendere, quo fuerit ab antedictis odioſis impugnationibus abſolutus, ut ex ejus virtuoſis operibus incrementa fidei Chriſtianæ, & ſalutaria proveniant documenta, ipſum fratrem Jacobum, quem pro ſancto, & neceſſario propoſito, aliiſque nonnullis piis operibus adimplendis, iterum ad partes regnorum & Provinciarum prædictorum duximus deſtinandum, ut commodius & perfectius tam ſalutare opus valeat adimplere, pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia, univerſitati veſtræ & veſtrum ſingulis per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ſpecialiter facimus recommendatum, ut recipientes eumdem in viſceribus caritatis, eidem impendatis auxilium, conſilium & favorem, ut poſt æterna præmia, coram nobis & dicta Sede dignis laudibus merito commendari poſſitis. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVII. V. *Kalendas Januarii. Pontificatus noſtri anno* VII.

Egregia de B. Jacobo teſtimonia.

XVIII. Quæ & qualia præſtiterit ſanctæ Eccleſiæ obſequia beatus Jacobus, & quam indefeſſe laboraverit pro extirpandis erroribus, & reducendis hæreticis ad fidei veritatem in illis partibus Hungariæ, amplum perhibuit teſtimonium Jacobus Epiſcopus Sirinienſis & Eccleſiæ Capitulum, ſcripta hac Epiſtola ad Eugenium, qua confirmantur, quæ pridem ſcripſerant alii Hungariæ Antiſtites.

XIX. *Sanctiſſime Pater, & Domine noſter glorioſiſſime, poſt devota oſcula beatorum pedum V. S. harum ſerie eidem veſtræ duximus declarandum Sanctitati, quomodo venerabilis & religioſus Pater, Dominus frater Jacobus de Marchia, Vicarius Boſneu. Ordinis Fratrum Minorum, per ipſam V. S. in hoc regno Hungariæ Inquiſitor & eradicator hereticæ pravitatis ſpecialiter deputatus, multis locis & partibus regni prædicti, non ſine magnis & maximis ſui corporis & vitæ periculis perluſtratis, nuper ad noſtram Eccleſiam & diœceſim ſatis exiguam, in confinibus ipſius regni circa Raſcianos ſchiſmaticos & Catholicæ fidei æmulos ſitam, cum quibuſdam ſuis dicti Ordinis Fratribus advenit, & inibi, altiſſimo Creatore auxiliante, pro augmento & conſervatione fidei orthodoxæ commoda multa, ſalubriaque dona reportavit, eo quod P. V. in circumvicinis partibus antedictæ Eccleſiæ noſtræ plurimos hereticos, tam clericos, quam laicos hereticæ pravitatis maledictorum Huſſitarum, Catholicæ fidei & ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ æmulorum, defœdatos & depravatos, ac damnabili excommunicatione irretitos, diligenti inquiſitione reperit. Qui ſcilicet heretici ipſi, ſanctæ Matris Eccleſiæ æmuli verſuti, eamdem ſanctam Eccleſiam, ſynagogam appellabant Satanæ, demptis aliis eorum nequiſſimis doloſitatibus & operibus nefandiſſimis, ſicut etiam ipſi heretici deprehenſi per dictum Dominum fratrem Jacobum reperti, palam, publice & manifeſte coram omni populo, ore proprio confitebantur, ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti benedicti, tam in cellariis ſubterraneis, quam in aliis locis viliſſimis, ac tuguriis, noctis in ſilentio inebriati, conficiebant, & ſic populum Dei utriuſque ſexus, ut puta viros ac mulieres per ipſos ſeductos, & ab ipſa ſancta fide Catholica ſegregatos, ſub utraque ſpecie communicabant ſeparatim; ipſum pretioſiſſimum & glorioſiſſimum ſanguinem noſtri Salvatoris in burſis de corio factis, & ab intus pice ordinatis, noctis in crepuſculo, in eorum collis de domo ad domum, & de loco ad locum, imo de una villa ad aliam ſuis diſcipulis eorum prava doctrina ſeductis deferebant, & aliquando propter eorum*

Digitized by Google

rum incautam cuſtodiam, ipſum ſanguinem Domini noſtri ſuper ſe & eorum veſtimenta uſque ad calciamenta diffundebant, unde niſi magna Dei miſericordia ſubveniſſet, totus mundus puniri debuiſſet; quos tamdem prudentia ipſius Domini fratris Jacobi, qua ipſe ab alto exiſtit inſignitus & redimitus, matura ſuper his habita deliberatione, eorum exigentibus meritis, condignò tradi fecit & permiſit ſupplicio; & in omnibus partibus regni per eum peragratis, ſanctæ prædicationis verbum affluenter miniſtravit, & ſic populum Chriſtianum in fide confortavit, pleroſque etiam ipſa hæretica pravitate infectos, imo a ſancta Matre Eccleſia alienatos, ad gremium ipſius Matris totis ſuis viribus, laboribus, induſtria & ſcientia reduxit: unde ſciat V. P. quod ſi idem venerabilis frater Jacobus ad regnum iſtud venire tardaſſet, ipſi nequiſſimi hæretici clam armati vexilla ſublevantes, contra fidem Catholicam inſurrexiſſent, omneſque Epiſcopos, ac totum Clerum, ſanctam fidem Catholicam ſervantes, ac ipſam Matrem Eccleſiam venerantes, potentialiter interficere voluiſſent. Qua de re P. V. nos humiles V. S. filii humo tenus provoluti, humiliter & devote pro eodem fratre Jacobo eidem veſtræ ſupplicamus Sanctitati quatenus eumdem pro tam magnis & maximis ſuis meritis laude dignis, laboribuſque indefeſſis, in ſuis ſupplicationibus, ſi quas fortaſſe habet, vel habiturus eſt V. S. porrigendas, pie & benigne eximia V. S. clementia exaudire dignemini. Altiſſimus ipſam perſonam V. S. conſervet ſanam & incolumem per tempora longæva, pro regimine & commodo ſanctæ Matris Eccleſiæ, quam feliciter V. S. gubernat. Datum in Monaſterio Bani, in domo ſcilicet habitationis noſtræ, XV. die menſis Martii, an. Dom. MCCCCXXXVII.

XX. Tanta hominis pietate & mirandis operibus allecti Eccleſiarum Prælati, omnes accerſere, cuncti rogare, univerſi ſanctiſſimum Chriſti Apoſtolum prædicare. Joſephi Epiſcopi Boſnenſis, Georgii Vicarii Generalis Bachienſis, Capituli Strigonienſis, aliorumque habeo ad ipſum litteras, quibus ſummis precibus flagitant, ut vel ſua præſentia & conſpectu ſemel dignaretur. In Provincia tamen Sirinienſi inter fluvios Zavan & Danubium Boſnæ & Raſciæ contermina, invenit qui ſe ejus adventui & auctoritati opponerent, non quod reliquis minus revererentur, ſed quod ſuo viderentur cavere honori, & opprobrio ducerent, Apoſtolica auctoritate ad ſe mitti, qui in hæreticos inquireret, cum Chriſtiano & orthodoxo nomine ſe ubique audire contenderent. Noluit ille propter frivolas has cauſas in Provinciam non penetrare, & latentes vulpeculas ab antris extrahere, loliumque a tritico ſeparare. Juvenit hæreticos Raſcianos & Boſnenſes, plurimoſque Huſſitas gentem ſimplicem dementaſſe, & in plurimos errores abduxiſſe, quos dignis affecit ſuppliciis. Hujus rei teſtimonia ampla dederunt, præter Prælatos ſupradictos, viri Principes Nicolaus Banus de Vylak, Ladislaus de Maroth, Ladislaus de Gara Banus Mathonienſis, & Ladislaus Comes de Poſega in hunc modum.

XXI. *Nos Ladislaus filius quondam Joannis Wayvode de Thamaſi, Comes Comitatus de Poſega, memoriæ commendantes tenore præſentium ſignificamus quibus expedit univerſis, quomodo Reverendus in Chriſto Pater, frater Jacobus de Marchia Ordinis Minorum, Vicarius Boſnen. ac in regno Hungarorum, & partibus Auſtriæ Papalis Inquiſitor hæreticæ pravitatis, necnon in prædicto regno Boſnæ & partibus Raſſiæ, ac in locis circumvicinis, ab unitate ſanctæ Matris Eccleſiæ ſeparatis, Legatus ſacri Concilii Baſileen. inſtitutus, in noſtri veniens præſentiam propoſuit coram nobis in hunc modum, ut quidam æmuli invidiæ livore inflati, ipſum fratrem Jacobum in ſuæ*

ſuæ legationis officio in partibus Sirinia inter fluvios Zawan & Danubium conſtituti, timore Dei poſtpoſito, impediverint, aſſerentes, quod dictus Jacobus in præfatis partibus officium legationis minime exercere valeret, licet, inquiunt, circumvicinæ propinquæ partes Boſnæ & Raſſiæ exiſtant, tamen in eiſdem partibus Siriniæ quædam civitates & villæ fidei Chriſtianæ obedientes forent: nos vero, qui per amœntiam Dominorum Regum, & per conſequens Domini Regis & Imperatoris in tam dictis partibus Siriniæ ſatis incompetenti parte dominio temporali fungimur perpetuo, mediante noſtra conſcientia teſtamur, & pollicemur, majorem partem prædictarum partium Siriniæ Raſcianos inhabitare, licet tamen quædam civitates & villæ Chriſtiano nomine fungantur; tamen in quampluribus Raſciani & etiam Boſnenſium Chriſtianis mixtim commorantur. Quædam civitates & villæ ſectis hæreticorum Boſnenſium ac Huſſitarum infectæ per plurimos annos extiterunt, quos ſcilicet hæreticos antefatus frater Jacobus, divina mediante gratia, ex mandato Domini ſummi Pontificis extirpavit, & ad fidem Romanæ Eccleſiæ, tamquam pius Pater aggregavit; immo ex altera parte Danubii, quaſi per ſpatium unius milliaris vel citra, mixtim Raſciani & Boſnen. hæretici cum Chriſtianis moram faciunt perſonalem. Datum in Diako, feria ſecunda proxima poſt feſtum ſancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, anno Domini MCCCCXXXVII. Ceteri viri Principes ſimiliter atteſtantur.

Nicol. Tragurien. B. Jacobi coadjutor.

XXII. Videns Eugenius Pontifex, præcipuos harum partium corruptores ex Boſna prodiiſſe, ibique late venenum iſtud Boemicum Huſſitarum diffundi, miſit illuc fratrem Nicolaum Tragurienſem, virum doctum & religioſum Regularis Obſervantiæ, qui Jacobo adlaboraret, & ſub ejus obedientia negotium fidei contra hæreticos proſequeretur. Miſſionis profero inſtrumentum.

Dilecto filio Nicolao de Tragurio, Ordinis Minorum profeſſori, ſalutem &c.

Ex lib. 1. de Regul. fol. 315.

XXIII. *AD audientiam noſtram pervenit, non ſine magna mentis noſtræ diſplicentia, in partibus inferioribus Boſnæ deteſtandam quamdam hæreſim pullulare, cui niſi celeriter opportunis remediis occurratur, periculum imminere videmus, ne ſe morbi contagio ita late effundat, ut ſinceræ partes circumvicinarum regionum eadem labe contaminentur. Quare cum de aliquibus ad hoc opportunis remediis duxerimus providendum, ad quæ executioni mandanda ſollicitudinem, operam & diligentiam tuam multum utilia & neceſſaria fore exiſtimamus, propterea devotioni tuæ, de qua ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, committimus & mandamus ut tenore præſentium, quatenus circa ea, quæ ad extirpationem hæreſis hujuſmodi ordinanda & diſponenda curavimus, aliaque omnia quæ ad id neceſſaria videris, ſeu etiam opportuna, ſollicitanda, promovenda, atque effectui mancipanda, dicas, facias, intendas quidquid tibi pro tam ſalubri & neceſſario opere effectui mancipando neceſſarium vel expediens viſum fuerit, ſeu etiam opportunum; nos enim tibi circa præmiſſa omnia & ſingula dicendi, agendi, inſtandi, ſollicitandi, & operandi cum omnibus, & apud omnes quidquid in præfatis & circa præfata utile, expediens & neceſſarium tibi viſum fuerit, vel etiam opportunum, plenam, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica damus & concedimus facultatem, volentes ut ſine noſtro ſpeciali mandato, vel Vicarii de Vicaria Boſnæ, & obedientia Vicarii ejuſdem, necnon a ſol-*

a ſollicitatione dictorum negotiorum nullatenus recedas. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVII. *Kalendis Septembris, an.* VII.

XXIV. Non impar ſuo conſodali Jacobo Joannes Capiſtranus, ſanctimonia & doctrina illuſtris, cujus ope etiam hoc anno in morum reformatione, & errorum inquiſitione uſi ſunt Eugenius Pontifex & Caſalenſis Generalis Miniſter. Abſolverat ille ſuperiori anno ad Guillelmi votum, Commiſſarii munus ſibi injunctum in Provincia Mediolanenſi. Ineunte hoc anno aliud difficilius & moleſtius onus impoſitum viſitandi & reformandi Provinciam Orientis, maxime autem Conventum Caphenſem in ponto Euxino & Genuenſium colonia, accepta pleniſſima in omnibus facultate, & Vicarii a latere poteſtate. Litteras dedit Miniſter Venetiis die XX. Januarii. Non licuit hoc anno neque ſequenti ab Italia deſcendere, jubente Eugenio Pontifice, ut Concilio intereſſet, & præter alia pleraque Monaſterium ſancti Guillelmi extra muros Ferrarienſes Ordinis ſanctæ Claræ, in moribus diſſolutum, ad priſtinam revocaret diſciplinam, maxime tunc, ne tanta relaxatio ſub oculos pateret Concilii. Bullas duas hujus commiſſionis damus in Regeſto: *Ad Monaſteriorum*, VI. Kalendas Junii. *Dudum de providentia*, VI. Idus Julii. Feliciter etiam hoc munus, etſi tædioſum & muliebris impatientiæ verſutiis implexum abſolvit, poteſtate adjutus Joannis Rivellenſis, Ferrariæ Antiſtitis ſanctiſſimi, ſibi addictiſſimi, cui curam conſervandæ jam reſtitutæ diſciplinæ recedens commendavit, inſtitutis piis Monaſterii internis miniſtris. Oblatis tamen novis difficultatibus iterum oportuit Guillelmum Generalem Miniſtrum hanc Provinciam ſubire.

Joan. Capiſtran. fit Commiſſarius Orientis.

Detinetur propter res graviores.

Reformat Monaſterium Ferrarien.

XXV. Hinc miſſus eſt Venetias ſimul cum beato Laurentio Juſtiniano, tunc Caſtellano Epiſcopo, examinaturus ſcandala & errores, quæ malignorum invidia fingebat in Jeſuatorum Sodalitate graſſari, & libellum quemdam ab iiſdem inſcriptum: *Speculum ſimplicium animarum*. Diploma hujus commiſſionis Joanni ſumme honorificum hic exhibeo.

Simul cum beato Laurentio Juſtiniano viſitat Ordinem Jeſuatorum.

Venerabili Epiſcopo Caſtellano, ac dilecto filio Joanni de Capiſtrano &c.

XXVI. *AD ea, quæ pacem & quietem populorum, conſervationem quoque famæ & æſtimationis bonorum reſpiciant, libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem, cum, non ſine magna animi noſtri diſplicentia, ad noſtram audientiam perveniſſet, aliqua Venetiis, ac in tua Caſtellana diœceſi contigiſſe, ex quibus nonnullarum perſonarum utriuſque ſexus tam Eccleſiaſticarum, quam ſecularium fama & opinio graviter denigratur, pro quorum quidem pleniori informatione veritatis, tu Frater Epiſcope, ut accepimus, diligentibus ſuper his habitis proceſſibus, ſollicite intendiſti, neque tamen, ut nobis delatum eſt, præter plebanum quemdam, ea, quæ objiciebatur, hæreſis labe aliquos alios infectos reperire potuiſti; nihilominus tamen non parva perſonas hujuſmodi, licet inſontes & innoxias, ut aſſeritur, famæ ac æſtimationis earumdem jactura proſequitur, quæ etiam in dies, ut dicitur, vehementius invaleſcit. Nos igitur, qui ex debito Paſtoralis officii & ſcandalis obviare, & ne boni & innocentes famæ ipſorum detrimento mulctentur, quantum cum Deo poſſumus, procurare debemus, horum conſideratione inducti, dilectum filium Joannem de Capiſtrano ſupra memoratum ad Fraternitatem tuam duximus cum præſentibus dirigendum, eique commiſimus & mandavimus, quatenus eodem*

Ex lib. 12. Bullarum Eugen. in Arch. Superior. fol. 20.

eodem tibi aſſiſtente, vos ſimul de hujuſmodi exceſſibus & perſonis diligenter inquirere & inveſtigare curetis; perutile enim fore, & negotio hujuſmodi conveniens eſſe putamus, virum vitæ ſanctimonia, famæ integritate, ſcientia litterarum, & doctrina præſtantem tibi in hac re aſſociare, cujus conſilio & auctoritate, veritate comperta, *& exceſſus hujuſmodi corrigere, bonos atque innoxios, ſi qui ob hanc cauſam notati ſunt, eorum famæ & æſtimationi reddere & reſtituere poſſitis. Nos enim vobis de hujuſmodi exceſſibus inquirendi, atque eorum occaſione incarcerandi, puniendi, corrigendi & emendandi, innoxios autem, atque indebite infamia notatos, ad famam & honores reſtituendi, & in ſtatum priſtinum reponendi, excommunicatos, ſeu irregularitatis vinculo hujuſmodi ex cauſis irretitos abſolvendi & liberandi, omniaque alia & ſingula faciendi & exequendi, quæ in prædictis & circa prædicta neceſſaria fuerint ſeu etiam opportuna; contradictores &c. invocato &c. plenam & liberam damus & concedimus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem. Vos igitur negotium hujuſmodi ſic ſollicite & diligenter amplectimini, ut ex veſtris bonis & proficuis operibus, poſt æterna præmia, apud nos & Sedem Apoſtolicam non immerito commendari poſſitis. Datum Bononiæ, anno &c.* MCCCCXXXVII. V. *Idus Auguſti &c. an.* VII.

Commendatur Capiſtranus.

Epiſcopus Ferrarien. commendat Jeſuatos.

XXVII. Amicus prædictus, Epiſcopus Ferrarienſis multis premebat litteris & precibus, quippe ex Jeſuatis aſſumptus, ut bonorum virorum conſuleretur honori, nec ita impune liceret Religioſæ ſodalitatis famæ detrahere. Unius epiſtolæ fragmentum do, ſimplici & familiari ſtylo exaratum. *De libro miror valde, quod ſi in illo ſunt errores, de quibus dicitur, quod per plures ſervos Dei legatur, nec percipiant tam manifeſtos errores. Nam de pauperibus Jeſuatis, cum quibus meam duxi vitam fere per viginti quinque annos, teſtificor vobis coram Deo, quod ipſi judicio meo ſunt boni viri, & recte ambulant in via Dei juxta doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam, & traditiones Patrum. Numquam aliquid ſenſi inter eos erroris; ſed fideliſſimi ſunt, tenentes pure & ſimpliciter totum, quod tenet ſancta Mater Eccleſia, ſubjecti & obedientes Prælatis Eccleſiarum, & maxime Romano Pontifici, & conſtitutionibus Eccleſiæ, communicantes perſæpe Sacramentis, ſicut ceteri fideles. Mores ſuos habent honeſtiſſimos, nec aliter aliis dogmatizant niſi honeſtatem & illibatiſſimam caſtitatem. Fortaſſe aliquæ mortificationes fuerunt alias factæ in ſocietate illa, quæ videbantur habere inhoneſtatem, & familiaritas habita fuit ſub obtentu religionis & ſpiritualitatis cum nonnullis religioſis & devotis mulieribus, ex qua converſatione auditu audivi exorta fuiſſe exinde ſcandala, ſed, dante Deo, a multo tempore citra, res eſt optime reformata. Tantum eſt, quod nihil tale numquam factum fuit tempore meo, ſed omnia per Dei gratiam directa ſub religioſis moribus bene compoſita; ſi quid ſcrupuli de ſocietate illa habuit P. V. de materia* c. I. de Relig. dom. lib. 6. &c. ne nimiam ex *&c. cum in ſimilibus, aut de quovis alio confido, dante Deo, vobis ad plenum ſatisfacere, ſi quando dabitur, me eamdem Paternitatem poſſe ore ad os alloqui. Committo eos caritati veſtræ, orans eamdem, ut vitam innocentium a latrantium & calumniantium faucibus eripiat. Valeat P. V. R. feliciter in Chriſto Domino, cui me ex corde committo. Ex Ferraria* III. *Septembris* MCCCCXXXVII. *filius ac ſervus P. V. Joannes Epiſcopus Ferrarienſis.*

Juſtinian. & Capiſtran. ferunt innocentiæ teſtimonium.

XXVIII. Indagarunt duo ſanctiſſimi Viri vitam & mores virorum injuſte traductorum, compereruntque cuncta recte apud illos habere, juxta Ferrarienſis Antiſtitis teſtimonium; amplumque, quod ſequitur, illi etiam perhibuerunt probatæ innocentiæ & compertæ veritatis.

Lau-

Laurentius Juſtinianus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Caſtellan.

XXIX. *Condignam arbitramur veritati teſtimonium dare, pro his maxime, quorum vita & religio perfecta ſunt, & continui in domo Dei labores, eos commendatos facere. Sane cum honeſti & religioſi Viri, Fratres vulgari vocabulo* Jeſuati *nominati, quorumdam fuerint detractionibus infamati, quod videlicet in converſatione eorum ſuſpicioſis moribus & reprehenſibilibus uterentur, ad nos & ad venerabilem Dominum fratrem Joannem de Capiſtrano Ordinis Minorum, hæreticæ pravitatis Inquiſitorem, hujuſmodi rumore delato, voluimus nos ambo de veritate informationem luculentam ſuſcipere, & optimorum Religioſorum apud nos converſantium, & quamplurium aliorum informatione & teſtimonio fide digno comperimus, ipſos, videlicet Jeſuatos, nulla ſuſpicionis labe reſperſos, quinimo perfectos in ſua ſocietate mores retinere, & in omnibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ moribus conſentaneos & concordes eſſe, ac ipſius Inſtituta devote ſervare, & in omnibus ſectari. Quare ne facile in poſterum detractionibus hujuſmodi facultas liberæ tribuatur, volentes præfatorum Religioſorum famæ & honeſtati conſulere, decernimus eorum laudabiles mores, & vitam præſentium tenore declarare, ut & ipſi quietius Domino noſtro Jeſu Chriſto in poſterum valeant famulari, & eorum religioſa converſatio noſtro teſtimonio facilius eluceſcat. In quorum fidem præſentes noſtras litteras fieri juſſimus, & ſecreti ſigilli munimine roborari mandavimus. Actum Venetiis in Epiſcopali Palatio Caſtellan. anno* MCCCCXXXVII. *Indictione* XV. *die* II. *menſis Octobris, Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri Eugenii divina providentia Papæ IV. anno* VII.

XXX. Aliquot invenio hoc anno epiſtolas ab amicis viris Principibus & Prælatis ad Joannem ſcriptas, præſertim Antonii Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis Bononienſis, haſque familiariſſimas Veronæ datas, in quibus vehementer explicat & ſæpe repetit ſummum ſuum deſiderium Joannem ſemel videndi, antequam ex hoc mundo in ultima jam ſenectute conſtitutus diſcederet. Andreæ Epiſcopi Auximani, in quibus conqueritur Cœnobiolum & Eccleſiam extra urbem a ſe & civibus conceſſa fratri Gabrieli Vicario Fratrum Obſervantiæ, a Miniſtro & Patribus Conventualibus provinciæ Marchiæ in ſolitudinem redacta, etſi Gabrieli ſuffragaretur auctoritas Apoſtolica tria Cœnobia recipiendi, quod tamen poſt biennium, uti
dicemus, obtinuerunt. Nicolai Principis Ateſtini, & Leonelli filii pro *Ann. 1439.*
impetrando fratre Franciſco Trevienſi egregio concionatore, ut verbum haberet ad populum in Adventu. Epiſcopi prædicti Ferrarienſis, ut pro ſecutura Quadrageſima prædicatorem mitti curaret ad ſuam Eccleſiam Cathedralem fratrem Franciſcum de Eremo, & reformare vellet tria Monaſteria Monialium ſibi ſubjectarum, regimenque in ſe ſuſciperet. Daliſmani Miniſtri provinciæ ſancti Antonii, ut juxta votum & deſiderium Cardinalis Oſtienſis, ipſe Joannes Veronæ in Adventu prædicaret.

Capitulum Generale 20. Toloſæ.

XXXI. Toloſæ *die* XVIII. *Maii* habentur Comitia ſuprema, in quibus confirmato in Miniſteriatu generali Primicerio, multa ſtatuuntur circa divinum officium: videlicet, preces horariæ recitentur ex Breviario antiquo Religionis, ab Haymone Miniſtro Generali recognito, neque ulli liceat pro ſuo arbitrio variare. Commemorationes Sanctorum ſuis locis inſerantur.

Statuta hujus Capituli.

tur. Octava Corporis Chriſti celebretur ſolemniter, iiſque diebus beatæ Virginis Mariæ officium omittatur. Infra alias Octavas, in quibus licet agere de aliis feſtis, celebrentur dumtaxat feſtivitates, quæ occurrunt illis diebus, non quæ ſunt præterlapſæ aut translatæ. Circa officia Dominicalia ſervetur rubrica Pariſienſis. Eæ dumtaxat feſtivitates celebrentur, quæ Calendario Romano inſcriptæ ſunt, non quæ ad libitum ſeliguntur ex Martyrologio. Feſta peculiaria provinciarum & Conventuum Miniſter Generalis, juxta ſuam prudentiam, pro qualitate Sanctorum, rerum & locorum circumſtantiis dignificet, duplicia faciat majora, vel minora. Inſuper curet diligenter ſummam concordiam & fraternam caritatem conſervari cum Patribus Ordinis Prædicatorum, & diſſenſionum auctores ſevero afficiat ſupplicio. Cathedræ, vel ſcholæ generales ſexdecim, in quibus conferri poſſit gradus Magiſterii, in univerſo Ordine inſtituantur. In Italia, Romæ, Bononiæ, Patavii, Peruſii, Florentiæ, Neapolis, Genuæ, & alio in loco a Miniſtro Generali aſſignando. Ultra montes, Pariſiis, Oxonii, Cantabrigiæ, Toloſæ, Salmanticæ, Ilerdæ, Montiſpeſſulani, Coloniæ. Quæ ad divinum officium ſpectant, voluit confirmata Pontifex, & vim Apoſtolicæ Conſtitutionis obtinere, modo ea probarentur in aliis duobus ſequentibus Comitiis. Litteras hujus conceſſionis, aliaſque, quibus fideles ad ſubveniendum Capitularibus hortatur, hic exhibemus, per quas corrigendi erunt Marcus Ulyſſiponenſis & Marianus Florentinus, qui in annum præcedentem iſta rejiciunt Comitia.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex lib. 11. bullarum in Arch. ſuperiori.

XXXII. *ROmani Pontificis, quem Princeps ille cæleſtis, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiæ prætulit militanti, plena vigiliis ſollicitudo requirit, ut circa ipſius Eccleſiæ partes ſingulas, præſertim illas, quæ divini cultus cæremonias concernunt, vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejas diligentiam circumſpectam, illa, quæ dudum in Eccleſia laudabiliter ordinata ſunt, ab omnibus obſerventur, & quæ per negligentiam, aut errorem a debito ordine defluxerunt, in melius reformentur. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii* Guillelmi de Caſale *Ordinis Minorum Generalis Miniſtri petitio continebat, quod in Ordine ſuo circa divinum officium & uſum Breviarii Romani quandoque innovationes fiunt, ex quibus Breviarii ipſius vetuſta ordinatio perturbatur, unde minuitur populorum frequentia, qui pro dandis Deo laudibus, impetrandiſque vivorum & mortuorum ſuffragiis conſueverint dictis officiis intereſſe. Plura inſuper ad ceremonias & Inſtituta Ordinis præfati pertinentia, pro locorum & temporum conditione, debitis reformatione & proviſione expoſuit indigere. Quare ſupplicat humiliter, ut ſuper prædictis de opportuno remedio providere, de benignitate Apoſtolica dignemur. Nos igitur hujuſmodi juſtis & honeſtis ſupplicationibus inclinati, univerſis & ſingulis præfati Ordinis Minorum Generali & Provincialibus Miniſtris, ceteriſque Fratribus in proximo futuro generali Capitulo congregandis, omnia & ſingula, quæ in prædictis & circa præfata, pro honore Dei, & debita officiorum, cæremoniarumque & Regulæ ipſius Ordinis obſervantia, videbuntur quomodolibet neceſſaria & utilia, inſtituendi & ordinandi, & alias male inſtituta & ordinata deſtituendi, ac in melius reformandi, non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis & dicti Ordinis Conſtitutionibut, aut aliis proviſionibus, ſub quavis verborum forma conceptis &c. auctoritatem plenariam, auctoritate* Apo-

Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Volumus autem, & præſenti perpetua & irrefragabili conſtitutione, auctoritate prædicta ſtatuimus & etiam ordinamus, omnia & ſingula, quæ per prædictum Capitulum generale in prædictis facta fuerint, & poſtmodum duo alia immediate ſubſequentia Capitula generalia, approbata & confirmata fuerint, vim Apoſtolicæ Conſtitutionis, perpetuam & irrevocabilem obtinere. Nulli ergo &c. Datum &c. XXVIII. *Martii, anno* MCCCCXXXVII. *Pontificatus noſtri anno* VII.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

XXXIII. *Splendor &c. Cum itaque, ſicut accepimus, in civitate Toloſana, in domo, ſeu Eccleſia ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum in feſto Pentecoſtes proxime futuro, Fratres dicti Ordinis generale Capitulum celebraturi ſint, nos Ordinem prædictum, qui in Dei Eccleſia fructus ſalutares continuo parit, paterna caritate complectentes, ac volentes, ut eo devotius ad Dei laudem & Religionis incrementum, juxta ipſius Ordinis inſtituta, Capitulum hujuſmodi celebretur, & fidelium mentes tanto ferventius ad opem pietatis & devotionis incitentur, & ad conſervationem Eccleſiæ & domus prædictarum manus prompte porrigant adjutrices, & caritatum ſubſidia Fratribus in dicto Capitulo moraturis erogare ſtudeant, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui a primis Veſperis in vigilia Pentecoſtes proxime futura inchoandis, uſque ad alias Veſperas immediate ſequentes, Eccleſiam præfatam devote viſitaverint, & ad conſervationem Eccleſiæ & domus prædictarum manus porrexerint adjutrices, ac dictis Fratribus eleemoſynas, ac caritatum ſubſidia erogaverint, necnon Fratribus in præfato Capitulo moraturis vere etiam pœnitentibus & confeſſis, qui in dicto Pentecoſtes feſto Eccleſiam prædictam devote viſitaverint, illam indulgentiam & remiſſionem peccatorum hac vice dumtaxat concedimus, quam viſitantes Eccleſiam beatæ Mariæ de Portiuncula, dictam de* Angelis, *extra muros Aſſiſinen. primo & ſecundo die menſis Auguſti, conſequuntur. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXVII. *Idibus Januarii anno* VII.

Concedit Indulgentias pro Capitulo celebrando.

Indulgentia Portiunculæ.

XXXIV. In his Comitiis Guillelmus Generalis Miniſter, juxta auctoritatem, quam alias ſupremis Ordinis Rectoribus diximus a Pontifice conceſſam, inſtituit hoc anno, quos referam Inquiſitores. In provincia Romana erant Inquiſitores Scolarius de Monte-Ilcino, Paulus de Pantaleis Romanus, & Marcus Ferentinas: his ſubſtituit Andream Veliternum, & Lucam de Capranica. In Romandiola Chriſtophoro Bononienſi Damianum Placentinum. In partibus Senarum die XVIII. Maii inſtituit Inquiſitorem Antonium Martini de Monte Barchio, & illo ſub menſem Octobrem defuncto, ſuffecit die X. Novembris Laurentium Juſti de Senis; huic etiam ſucceſſit poſt biennium Jacobus Stephani Senenſis. In urbe Florentina & partibus adjacentibus deputavit Bartholomæum Aretinum, cui ſucceſſit Jacobus Bleda eadem urbe Florentiæ oriundus.

Inſtituuntur Inquiſitores. Tom. 10. anno 1432. n. 10.

XXXV. Creati hoc anno, qui ſequuntur Epiſcopi. Dolenſis in Gallia, ſub Turonenſi Archiepiſcopo, frater Alanus *de Leſpervier*, quem Claudius Roberti *de Coetivy* cognominat, ſed cum alio Alano, qui fuit tempore po-

Fr. Alan. Epiſc. Dolan.

ſterior & Cardinalis, confundit reticetque Inſtitutum, in ſacra Theologia Baccalaureus, per obitum Joannis: *Apoſtolatus officium*, III. Idus De-
Fr. Joannuc. Nuſcan. cembris. Nuſcanus in regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano, frater Joannuccius Paſcaſius, per obitum Carlutii: *Eccleſiarum utilitati*,
Fr. Michael Angelus Lavellen. III. Idus Januarii. Lavellenſis in eodem regno, ſub Archiepiſcopo Barenſi, frater Michael Angelus de Nerulis ex civitate Caſtelli, per obitum
Fr. Joannes Lauſanen. Franciſci: *Apoſtolatus officium*, VI. Idus Januarii. Lauſanenſis in Gallia ad ripam Lemani Lacus, ſub Archiepiſcopo Veſuntionenſi, frater Joannes Fabri, per obitum Willelmi: *Divina diſponente clementia*, Idibus Septembris. Neutrius meminit Claudius Roberti. Dimitrienſis, ſub Patriarcha
Fr. Roderic. Dimitrien. Conſtantinopolitano, frater Rodericus Regamia, per obitum fratris Georgii: *Divina diſponente clementia*, Pridie Nonas Februarii. Forolivien. in
Fr. Ludov. Forolivien. Æmilia, ſub Archiepiſcopo Ravennate, frater Ludovicus, ſeu Aloyſius de Pirramo, translatus ab Eccleſia Signenſi, per translationem Joannis ad Eccleſiam Anconitanam, XII. Kalend. Martii. Ejus memoria frequenter
Fra. Guillelmus Abellonen. occurrit in Concilio Florentino. Abellonen. ſub Archiepiſcopo Athenien. frater Guillelmus Aucupis, per translationem Joannis ad Eccleſiam Silva-
Fr. Joannes Gebelden. nectenſem, III. Idus Maii. Gebelden. frater Joannes de Bonſiis, per obitum Joannis, III. Kalend. Maii. Inſulan. in regno Neapolitano, ſub Ar-
Fr. Cruſet. Inſulan. chiepiſcopo ſanctæ Severinæ, frater Cruſettus de Monte ſancti Petri, per obitum Nicolai, VII. Kalend. Septembris. Lariſſen. in Syria, ſub Patriar-
Fr. Joann. Lariſſen. cha Antiocheno, frater Joannes Faber lector Geyſmaren. Maguntin. diœce-
Fr. Gundiſalvus Granaten. ſis, Idibus Septembris. Granaten. etſi urbs Mauris ſubjacebat, frater Gundiſalvus de Vallebona, per obitum N. *eodem die*. Hic etiam interfuit Concilio Florentino. Sareptan. ſub Patriarcha Hieroſolymitano, frater
Fr. Nicolaus Sareptan. Nicolaus Thomæ, per obitum fratris Jacobi de Varenis, VII. Kalend. Au-
Fr. Elias Petragoricen. guſti. Petragoricen. in Gallia, ſub Archiepiſcopo Burdegalen. frater Elias ex Vicecomitibus de Bourdeille, invitus & reluctans, cum annum vix attigiſſet vigeſimum quintum, per obitum Berengarii de Arpayone, XV. Kalendas Octobris. Poſtea translatus eſt ad Archiepiſcopatum Turonenſem,
Fr. Bernard. Cariaten. & evectus ad Cardinalatum. Interfuit Concilio Florentino. Cariaten. in Calabria, ſub Archiepiſcopo Sanſeverinate, frater Bernardus Fajardus,
Fr. Jacobus Tarquien. v. Kalend. Decembris. Hoc anno obiiſſe invenio fratrem Jacobum Epiſcopum Tarquienſem in provincia Tarſenſi.

Marian. cap. 14. Chron. antiqua Ord. XXXVI. Circa hæc tempora pietate plurima & virtute hos, qui ſequuntur, floruiſſe narrat ex Chronicis antiquis Marianus, Jacobum Mediolanenſem, illius Principatus Duci ſumme carum & a conſiliis, per ſan-
Floret Jacobus Mediolanen. Duci Mediolanenſis carus. ctum Bernardinum a ſeculo converſum. Tantæ fuit apud Principem opinionis & auctoritatis, ut in rebus arduis ejus judicium reliquorum adſiſtentium ſententiæ præferret. Legati Florentini primum precibus, mox rationibus & juris prætextu, aliquid ab eo extorquere volebant: lateri adhærens Jacobus rationes & jura refellebat, cumque plura objicerent, & vel nolentem in ſuam ſententiam adducturos jactarent, reſpondit: *Jacobo pro me agente floccipendo veſtras rationes*. In Religione & provincia Marchiæ, cui adſcriptus eſt, ad eam pervenit perfectionem, brevi licet tempore ſupervixerit, ut ſpiritu prophetico & miraculis claruerit. Decumbenti ex periculoſa infirmitate in Conventu ſancti Donati extra Urbinum, apparuit ſanctus Joannes Baptiſta, quem impenſius colebat, dixitque
Apparet languenti S. Joann. Baptiſta. non eo morbo, ſed alio proxime ſecuturo ad cœlos migraturum, quod ille Donato Urbinati conſodali revelavit; & res ipſa probavit. Conſuluit in Caſtro Durantis mulieri devotæ & erga pauperes miſericordi, ut in magna

gna annonæ caritate frumentum a marito domeſticis alendis, & agris ferendis diligenter repoſitum, in egenos diſtribueret, certo promittens deſtinatis mariti uſibus non defuturum. Fecit illa ſecreto; ſed dum ſeminandi tempus appropinquaret, timens pium deprehenſum iri furtum, prior ipſa factum edixit. Objurgantem conjugem patienter ſuſtinuit, verbiſque mollibus fracta ira dixit, ſe firmiter ſperare, accepta a Jacobo viro Dei ſponſione, granum creturum atque arvis ſeminandis ſuperfuturum. Nugas & pias has mulierum credulitates miſſas ut faceret, jubente marito, rogavit, ut ſibi donaret in pauperum alimoniam, quæ ſupereſſent. Indignanter ridens, ſe daturum promiſit, & jacto abunde ſemine ſupererat quantum illa decem vendidit florenis, quos in pauperes diſtribuit. Sepultus eſt in Eccleſia ſancti Donati prope Urbinum in capſa lignea; poſt annos ſeptuaginta exhumatum corpus inventum eſt ita recens & incorruptum, ac ſi paulo ante conderetur.

Frumentum pauperibus diſtributum multiplicat.

XXXVII. Jacobum Camertem ejuſdem Provinciæ laicum, ſanctæ orationi addictiſſimum, qui conſodales ſemper in Eccleſia præveniebat, antequam ad Matutinum convenirent, & longa prece ſanctæ Eccleſiæ, proximorumque neceſſitates Deo ferventer commendabat. Humani generis hoſtis, ejus invidens virtuti, multas inferebat moleſtias, & ſæpe in altum elevatum gravi ictu collidebat in terram. Virtute divina ſemper protectus, irridebat malum genium, eoque ferventius orabat, quo ægrius dæmon ferebat. In bona ſenectute poſt longam in virtute exercitationem obiit in ſupra dicto Conventu ſancti Donati, apparueruntque univerſo populo & Religioſis multa lumina cœleſtia ſuper templum, dum funus curaretur. Joannem de Mercatello in eadem Provincia virum piiſſimum, cui advolare & applaudere viſæ ſunt volucres, præſertim in Maſſæ Conventu.

Jacobus Camers

XXXVIII. Georgium laicum, natione Albanum, qui diu non ſine laude meruit ſub Franciſco Sfortia, dum partes tueretur Eugenii Pontificis, contra Philippum Ducem Mediolanenſem. Mira fuit ejus ad Religionem vocatio. In Marchia Anconitana Franciſcus obtinuit caſtrum, quod ab Eccleſiæ dominio ad hoſtes defecerat. Severe animadverſum eſt in rebelles, facta militibus licentia omnia depredandi. Hærebant apud quamdam matronam conſanguineam duæ adoleſcentulæ ſpecioſæ ex oppido propinquo Ripæ-Tranſonæ, in quas dum caſu incideret Georgius, eo certius videns imminere periculum, quo majus erat formæ incentivum, pio quodam impulſu decrevit in ſe ſuſcipere pudicitiæ tutelam. Conſtitutis cuſtodibus, qui domum a militum furore defenderent, direptione facta, & ſpoliis diſtributis, decrevit in domum paternam deducere. Vocatus a Sfortia ut ſibi traderet puellas, rogavit & impetravit, ut ex univerſa præda, nobile hoc ſibi permitteret ornamentum, duarum virginum patrocinium, quorum tuendo pudori etiam vitam ipſam objiceret. Dum in patriam reduceret, in itinere non ſemel confligendum fuit cum obviis militibus, qui pulchritudine adoleſcentum allecti prædæ inhiabant. Solus cum ſocio Chriſtophoro Lucenſi pugnavit adverſus ſeptem, non tamen abſque vulnere, illæſis ſemper virginibus, quas patri intactas conſignavit. Accidit poſt hæc, Georgium cum aliis ſuæ cohortis, uti eſt belli viciſſitudo, incidiſſe in manus inimicorum, & ad Ripam-Tranſonam, adverſæ partis ſtudioſam, ductum fuiſſe ad ſupplicium. Occurrerunt fortuito adoleſcentulæ ſuo liberatori, dum ad mortem raperetur, iiſque oraverunt lacrymis, precibus, parentum & amicorum interceſſionibus, ut exorarint, & illi vitam dederint, qui pudicitiam cuſtodivit.

Georgius Albanus.

Pudicitiam tuetur duarum Virginum.

Illæ liberant a mortis ſupplicio.

Ordinis ingreſſum impedit dæmon, ſed fruſtra.

XXXIX. Hoc omnium maximo liberatus periculo, decrevit alia non experiri, ſed in tuto verſari, & quantocius extra mundum inſidum pedem efferre. Audiverat apud Camertes beatum Jacobum Picenum Evangelicæ veritatis præconem inſignem, verba habuiſſe ad populum, abiitque ſimul cum ſupradicto ſocio Lucenſi, ut ad ſuum admitteret contubernium. Dum prope Camerinum eſſet, ſemitam clauſit dæmon lapidibus quadris, muro magno ſuper extructo. Divinitus admonitus Georgius technas & malas artes eſſe Diaboli, ſignum Crucis muro impreſſit, & ſtatim illuſoria fabrica diſparuit. Religioſis connumeratus, ſolerter in humilitatis officiis ſerviebat, & in ſenectute vitam activam contemplativa commutans, aſſiduo orabat cum lacrymis. Annis ferme quinquaginta a ſuſcepto habitu numquam poſt Matutinas preces cubiculum repetiit, ſed uſque ad auroram perſeverans in oratione Dei, ſæpiſſime a Fratribus inveniebatur a ſenſibus abſtractus. Poſt multorum annorum gemitus & fletum aſſecutus eſt a Deo cœleſte jubilum & ſanctam cordis lætitiam. Concinentibus Fratribus in choro, exultabat ſpiritu, vel tunc maxime, quando audiebat illos verſiculos Cantici beatæ Mariæ Virginis: ***Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo***, ad quæ verba ſtatim rapiebatur mentis exceſſu, hærebatque immobilis etiam per longum tempus poſt Veſperas abſolutas.

Ejus virtutes.

XL. Paulo poſtquam initiatus eſt, habitabat in Eremitorio ſancti Sabini ſupra Aſculum, ſolitario & devoto, ſex dumtaxat Fratrum habitaculo, ſubjecto regimini Guardiani veteris Cœnobii prope civitatem, ante aliquot annos ad Obſervantes tranſlati. Hic, uti humana fert imbecillitas & neophytarum mentium imperfectio, rixatus eſt cum uno ex Conſodalibus. Per biduum duravit animi offenſi commotio, ac a mutuo abſtinebant colloquio. Se victurus acceſſit Georgius, dixitque ***magnum hoc eſſe delictum, ſub uno tecto & habitu contrarias militare voluntates***: Satius proinde fore, ut ad præfatæ ædis urbanæ præfectum, vere optimum & prudentem, notiſſimæ ſanctitatis Virum, Petrum Sanſeverinatem ſimul accederent, & commiſſæ noxæ ſupplicium, aut veniam reportarent. Abierunt, ſed ſuggerente rixæ auctore, & verecundiam incutiente propalandi criminis coram integro Monaſticæ diſciplinæ moderatore, licet humaniſſime excepti tacuerunt. Conſilium inierunt ad Patrum Conventualium Superiorem proficiſcendi, ab eoque judicium expoſcendi. Dum pergerent: ***ſtulte & pueriliter agimus***, inquit Georgius, ***apud alios quærimus, quod in noſtra eſt poteſtate: & ſi in cauſa propria haud facile æquum feratur judicium, in iſta utrique noſtrum non erit operoſum juſte judicare. Peccavimus in Deum, fraternam violavimus caritatem: ipſa noſtra accuſatio, criminis eſt abſolutio; dum veniam utrinque petimus, obtinemus***. His dictis in genua provoluti, fuſis lacrymis uterque culpam ingeminat, & gravius ſe peccaſſe proclamat, confeſſionis humilitate delicti gravitatem compenſans. Petita venia & accepta, in mutuos amplexus irruentes, ecce horribilis aper ex vicina ſepe proſiliens invadit, reconciliati animi unitatem, & Fratrum amplexus vinculum ſoluturus. Monitus a Deo Georgius ſub apri ſpecie diabolum latuiſſe, ſigno Crucis in nihilum redegit.

Humiliter reconciliat fratrem offenſum.

XLI. E cœnobio Maſſæ Recinetum miſſus, tempore hyemali, ut adoleſcentem ſacris Ordinibus initiandum duceret, flumen Chientinum exundans dum nullus poſſet tranſvadare, Dei adjutorium devote imploravit. Apparuit ſtatim pulcher adoleſcens, qui ad ripam pauliſper ductis pontem oſtendit. Læti abeunt, & in adverſa margine conſtituti, neque pontem, ne-

Mirabiliter flumen tranſit.

Digitized by Google

neque ductorem conſpiciunt. Alio ſocio, Petro e ſancto Angelo in vado, ad Caſtrum Durantis proficiſcens, ſuis precibus obtinuit, ne ſub totius diei copioſo imbre vel minimo madefierent. Contemplationis gratiam perfecte aſſequutus videbatur ſingula Chriſti & beatæ Mariæ Virginis geſta præ oculis habere; ad pœnoſa incredibili dolore mœrebat, ad læta & glorioſa æque geſtiebat: pro varietate myſteriorum, varias paſſus animi affectiones. Annis multis oravit, ut ſecurus redderetur aſſequendæ ſalutis æternæ, & tamdem a Chriſto meruit ſibi oſtendi nomen ſuum libro vitæ inſcriptum. Deceſſit virtutibus plenus & Sacramentis munitus in Cœnobio Muri in Piceno.

Sub copioſo imbre non humectat.

XLII. Obiit hoc anno in Conventu Carnotenſi in Luſitania vir religioſiſſimus frater Alphonſus Sacco Gallæcus, de quo beatus Joannes de Pavoa inter alia, quæ ſcripſit ſui temporis memorabilia, in ejuſdem Conventus archivo aſſervata, ita recenſet. *Anno Domini* MCCCCXXXVII. *evocavit ad ſe Deus ſanctum Patrem fratrem Alphonſum Sacco, magnum Regis Confeſſarium, in hoc oratorio ſanctæ Caturinæ a Carnota. Et jacet ſepultus in Eccleſia infra portam periſtylii, qui frater Alphonſus, cum eſſet natione Gallæcus, unice diligebat hanc Portugalliæ provinciam Obſervantiæ ſancti Franciſci, in qua voluit manere, & habitare in hoc ſacro oratorio, in quo multa ædificavit, ſcilicet valetudinarium, cellas & alias res quamplurimas. Fuit ſemper magnæ Obſervantiæ, multæque orationis & pœnitentiæ. Semper nudis pedibus incedebat, unicoque contentus habitu, ut reliqui ſui ſocii, & ſic Obſervantiam plantaverunt & ædificaverunt illius primas domos in hoc Portugalliæ regno. Et Eduardus hoc nomine unicus Rex Portugalliæ, cum magna proſequebatur devotione, magnam illi fidem habens in quacumque re, illique ſæpiſſime confitebatur; & omnes hujus terræ incolæ eum ſumme obſervabant ob magnam illius ſanctitatem, cui ſe, ut ſancto, in ſuis neceſſitatibus commendabant.*

Monum. MSS. Provin. S. Antonii in Luſitan. Fr. Alphonſus Sacco.

XLIII. Sigiſmundus Imperator, magno Reipublicæ Chriſtianæ incommodo & bonorum omnium luctu hoc anno ætatis ſeptuageſimo. v. Idus Decembris Znoimæ deceſſit, præmiſſis omnibus boni Principis officiis, tam quæ ad Imperii, quam quæ ad animæ curam ſpectabant. Vir fuit probitate ingenita, fauſto aſpectu, ſtatura magna, pulchro corpore, promiſſa barba, quæ auguſtæ multum referebat majeſtatis; animo perquam grandi & excelſo, profuſæ liberalitatis & magnificentiæ Princeps; comitatis, affabilitatis & clementiæ tantæ, ut regnorum omnium moderatores ea tempeſtate anteiret. Eccleſiam Romanam plus omnium opinione dilexit. Ejus opere potiſſime diuturnum & omnium pernicioſiſſimum ſchiſma ſublatum eſt, indicto Concilio Conſtantienſi. Nulli pepercit labori aut ſumptui, ut fidem propagaret, Eccleſiam pacificaret, hæreticorum rabiem coerceret, & Turcarum, quos viginti præliis fudit, feritatem comprimeret. Dignus profecto æterna memoria, perenni laude, & quem in regendis populis, Eccleſiaque Catholica tuenda Principes Chriſtiani Magiſtrum ſequantur. Corpus Varadinum devectum, ingenti populorum Procerumque frequentia conditum eſt in Baſilica ſancti Ladislai, quem impenſe colebat.

Moritur Sigiſmundus Imperator.

XLIV. Succeſſorem habuit pro voto Albertum, Auſtriæ Ducem, filiæ Eliſabethæ conjugem, virtute, ſapientia, pietate, longa rerum experientia, religione, æquitate uſque adeo præſtantem, ut beatum putari poſſet Imperium, quod illius ductu auſpiciiſque regeretur. Hunc ipſe Sigiſmundus paulo ante obitum propoſuit potioribus Hungariæ, Boemiæque Proceribus, & per ſua in eos officia rogavit, ut antequam e vita decederet,

Succedit Albertus Auſtriacus.

com-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

communibus ſuffragiis Regem declararent. Annuere Proceres ad unum omnes, & in manus ejus id ipſum re ſemper præſtituros eſſe jurarunt, ſtatimque Regem & Imperatorem conſalutarunt. Exactis porro Sigiſmundi exequiis, Albæ in comitiis regiis, in frequentiſſimo Pannorum Conventu omnium ordinum, populorumque ſuffragiis, ſummo conſenſu Kalendis Januarii anni inſequentis, Rex & Regina ex auſpicato pro more coronantur.

Multa indulget Pontifex Fratribus Vicariæ Boſnæ.

XLV. Eugenius Pontifex hoc anno compaſſus innumeris laboribus, & tribulationibus, quas Fratres Vicariæ Boſnæ, pro fide propaganda, & contra hæreticorum dolos, Turcarumque feritatem tuenda patiebantur, multa indulſit privilegia. Combuſtis a Turcis infra biennium eorumdem Cœnobiis ſexdecim, rogante beato Jacobo Piceno, facultatem conceſſit ſeptem condendi: *Sacræ Religionis*. VII. Idus Decembris. Quibuſdam volentibus ſeparare domos quaſdam a prædicta Vicaria, & provinciæ Dalmatiæ adnectere, noluit aſſentiri. Fratribus ejuſdem Vicariæ a ſuis Superioribus deputatis auctoritatem tribuit infirmitate, aut ſenio impeditos, quin poſſint ad ſuos Ordinarios accedere pro abſolutione quorumdam delictorum eiſdem reſervatorum, ab omnibus peccatis abſolvendi. Inſuper & calices, corporalia & veſtimenta ſacerdotalia conſecrandi, ſeu benedicendi, ubi non licuerit Epiſcopos adire: *Piis ſupplicum votis*. III. Idus Junii. Nobili viro Georgio Vaivodæ Marchioni partium inferiorum Boſnæ conceſſit, ut in loco idoneo pro Fratribus Regularis Obſervantiæ domum conſtrueret, ſub titulo beatæ Virginis Mariæ: *Apoſtolicæ nobis*. XII. Kalendas Septembris.

Conv. Babuci.

XLVI. Invenio hoc anno mentionem domus Fratrum Minorum Caſtri de Babuco, diœceſis Verulanæ, in Bulla, qua bona a fratre Landulpho Cavilla relicta, domui prædictæ adjudicantur, & alterius dictæ ſancti Joannis Baptiſtæ Campi ſancti Petri, de qua alias diximus, quæ ſub Martino V. ad Obſervantes translata, ſub hoc tempus reædificabatur. Manus porrigentibus adjutrices Pontifex indulgentias largitur: *Licet is de cujus munere*. Nonis Novembris.

Tom. 10. ann. 1414. n. 10.

Conv. Paſtranæ.

Gonz. in Prov. Caſt. Conv. 12. Salaz. in eadem Prov. lib. 4. c. 12.

XLVII. Circa hunc annum religioſiſſimus vir frater Joannes Penalverius ædificavit in valle Mororum, Hiſpanice *val de Morales*, ſeſquimilliari ab oppido Paternianæ, vulgo *Paſtrana*, quod in Caſtella recentiori tunc parebat ſacræ militiæ Calatravæ, Conventum pro Fratribus Regularis Obſervantiæ ſanctæ Mariæ de Gratia nuncupatum, univitque poſtea aliis domibus ejuſdem Inſtituti ſibi ſubjectis beatus Pater Alphonſus a Boroxio in provincia Caſtellæ Vicarius. Hujus tamen diſcipuli ad ſitum ſalubriorem prope oppidi mœnia tranſtulerunt anno MCCCCLX. annuente Pio II., ad preces Petri Gironii Calatravenſis militiæ Magiſtri. Patruum hic habuit Alphonſum Carillium Archiepiſcopum Toletanum, cui Penalverius a ſacris aderat confeſſionibus, quorum uterque ſuadebat, ut Petrus faveret huic translationi. Novam ille inchoavit domum, ſed perficere non potuit morte præventus, abſolvit tamen ejus cognatus Rodericus Gironius, in Magiſtratu ſucceſſor, ſuadente etiam Archiepiſcopo conſanguineo, qui pretium ſolvit fundi neceſſarii. Ædi præfectus eſt ipſe Penalverius, ætate grandævus, ejuſque intuitu beneficia multa contulit in Fratres Archiepiſcopus. Emerunt poſtea oppidum iſtud Didacus a Mendoça, & Anna de la Cerda, præcipuumque ſacellum ſibi & poſteris egregio opere fabricarunt, Fratres inſuper frequenti beneficio proſecuti. Tanſivit demum oppidum ad Principes Ebulitanos Rodericum Gomezium de Silva, & Annam Mendoziam de la Cerda, qui Fratres frequenti ſubſidio, & domum varia fabrica reſtau-

ſtaurarunt . Horum filius Rodericus Mendozius Silvius, Dux Paternianus Præfectus Equitum in Belgio, immature vita functus hic voluit ſepeliri, etſi parentes ſibi ſuiſque ſepulcrum poſuerint in prædicti oppidi Eccleſia collegiata. Princeps Anna hic honorifice collocavit unum ex capitibus ſociarum ſanctæ Urſulæ, gravi probatum teſtimonio. Moderantur hic Fratres publicas cathedras Grammatices & eloquentiæ, magno commodo hujus oppidi & vicinorum populorum.

Conv. Pinti.
Gonz. ibid. Con. 14. Salaz. cit. c. 15.

XLVIII. Ut in eadem provincia Caſtellæ, ad Vicum Pinti, Toletanæ diœceſis Conventum Fratrum Minorum, qui *in Obſervantia & conventualiter* viverent, ædificaret Nobilis vir Fernandus Alvari de Toleto, Miles Toletanus, in loco nuncupato *los Sanctos*, indulſit hoc anno Eugenius: *Piis fidelium votis*. VII. Kalend. Junii. Hinc conſtructæ ædis tempus & auctor comperta habentur, quæ ſe fruſtra indagaſſe fatetur Gonzaga, Eccleſiam tamen aſſerit ab Henrico IV. Caſtellæ Rege fabricatam, & loci nuncupationem *los Sanctos*, ſive Sanctorum a duobus ibidem conſtructis ſacellis ſanctorum Michaelis & Chriſtophori prodiiſſe, idque probabilius reputo, quam quod a Fratrum incolatu originem habuerit, ut alii judicant. Verba Diplomatis *obſervantia & conventualiter* ita intelligenda ſunt, ut ſecundum Inſtituta Obſervantum in Conventum ſub obedientia Guardiani & Miniſtri, non vero in Oratorium ſub Vicariis conſtrueretur. Magnum Templi ſacellum ædificavit Gomeſius Carrillius, in quo ejus poſteri, Pinti Domini, Caracenæ Marchiones ſepeliuntur. Horum unus ædem decoravit magna cruce argentea, multis reliquiis, & fragmento Crucis Dominicæ diſtincta, quam ejus Socer Franciſcus Mendocius, primus Almazani Marchio, dono accepit a Cæſare Maximiliano ſecundo Auſtriaco, dum apud eum legatione fungeretur pro Philippo II. Rege Hiſpano. Cujuſdam ſtatuti hic conditi in Comitiis anno MCCCCXLIV. celebratis meminit Antonius Cordubenſis.

Cordub. in Reg. Minor. c. 4. q. 9

Conv. S. Geneſii.

XLIX. In regiſtro Ordinis lego Miniſtrum Generalem hoc anno die XVIII. *Maii*, facultatem dediſſe fratribus Alphonſo Rubeo Conchenſi & Franciſco de Molina, provinciæ Caſtellæ alumnis, ut ad eremitorium ſancti Geneſii, diœceſis Carthaginenſis tranſirent, & ſub obedientia Guardiani illius Conventus morarentur. Quare cenſendum eſt ædem non tam factam quam refectam, vel ampliatam ab illuſtri heroe, a quo primitus conſtructam anno MCCCCXCI. ſub Innocentio VIII. videtur ſentire Gonzaga. Ad hunc etiam refert originem hujus Cœnobii Melchior Huelamus, peculiari libro, quem de vita & miraculis ſancti Geneſii ſcripſit, inconcinne congeſtis multis, quæ ad deſtinatum ſibi hiſtoriæ argumentum minime conducunt. Tres legi, qui de hoc ſancto Viro ſcripſerunt, duos prædictos, Gonzagam & Huelamum, tertium Joannem Marquez, ſed omnes circa parentes diſcordant, poſtremus Adelardum Geneſium, neſcio quo fundamento appellat, & cum Adelardo Abbate Corbejenſi ex aliorum conjecturis confundit. Ego nihil certum circa parentes, mortis tempus, aut conſtantem vitæ ſtatum deprehendi. Confeſſorem omnes dicunt, unde corrigendus eſt locus, ubi alias ex vita N. beati Joannis Cetinæ martyrem appellavi, & ædem prope Murciam, leucis decem diſtantem conſtitui: unde ita legendum eſt, *eremumque petiit ſancti Geneſii, non procul a Civitate Carthaginen.* * Multis referunt Divum florere miraculis, conſanguineum fuiſſe Gallorum Regum & Caroli magni nepotem, ibique jacere ſepultum. Plurimi eo confluunt veneraturi & beneficia impetraturi, eaque ille frequenter exhibet, præſertim in mari periclitantibus. Cathaginem veterem

Gonz. in Prov. Carth. Con. 16. Huelam. in proœmio §. 4. Marq. de orig. eremit. c. 11. §. 7.

Tom. 9. ann. 1397. n. 2.

** Vide in loc. cit. mendum correctum.*

Virg. lib. 1. Æneid.

rem *Italiam contra* dixit Maro, Carthago nova (in cujus ditione non longe a mari hæc ædes poſita eſt) Africam contra ſubſiſtit, unde & paſſim Mauri campos Cœnobio vicinos excurrunt prædaturi. Reducta eſt itaque domus ad fortalitii modum, muris & propugnaculis undique cincta, armis munita; Caſtrenſi more perſæpe Fratres hoſtium injurias repellunt. Amœnos, fructiferos, arboribus conſitos habent hortos & ſpatioſos colles, amplamque terræ portionem a Magiſtratu Carthaginenſi conceſſam, in qua ſexdecim devota oratoria ornatum augent & pietatem. Templum conſecratum voluit prædictus Heros Annunciationi Virginis Mariæ, & indulto, quod diximus, Innocentii VIII. colendum a Fratribus Congregationis beati Amadei, Generali Miniſtro immediate ſubjectis, idque confirmatum voluit Alexander VI. Pontificatus anno primo. Sed dum experientia probaret non expedire, ut omnia penderent ex Generalis, per longinquas regiones diſcurrentis arbitrio, in Congregatione generali celebrata Barcinonæ anno MCCCCXCIII. ex conſenſu ipſius Herois, Emanuelis a ſancto Martino provinciæ Caſtellæ Miniſtri, Petri de Molina Murcianæ Cuſtodiæ Præfecto, & Garcia de Padilla Guardiano ædis ſancti Geneſii reductum eſt regimen ad normam in Ordine conſuetam. Antequam primum Cœnobiolum noſtris ſub incerto mihi tempore traderetur, aliqui volunt ad Templarios ſpectaſſe, alii, præſertim præfatus Marquez ad Eremitas Auguſtinianos, in eoque vixiſſe a prima ſua fundatione ſub annum DCCCLXVII. uſque ad MCCLX. quo Toletum tranſierunt ad Cœnobium *Solanillæ*, ſub auſpiciis Alphonſi Regis cognomento *ſapientis*, idque certum eſſe affirmat. Quam autem id certum ſit, ex infirmo quod affert teſtimonio, meum non eſt nunc experiri. Id expendant alii, qui circa Religionum origines, aut domorum antiquitates ſtudioſe contendunt.

Huelam. cit. Marq. cit. §. 8.

Herrer. in reſponſ. pacif. num. 681. Vide Fenot. hiſt. tripar. lib. 1. c. 57. Conv. S. Chriſtinæ. *Gonz. in Prov. Port. Con. 9.*

L. Hoc anno prope villam *Populæ* vulgo Luſitanico *Pavoa*, diœceſis Conimbricenſis, non longe a frequenti villa Tentugalenſi, hoc anno vir pius frater Joannes laicus, auſpiciis & ſumptibus Sereniſſimi Infantis Petri, Edmardi Regis Portugalliæ fratris, pium Oratorium Fratribus Obſervantibus extruxit, ſub invocatione ſanctæ Chriſtinæ. In ampliorem formam reductum frater Joannes Utinenſis Generalis Miniſter anno MCCCCLXXIV. Conventus titulo inſignivit. Hic aliquando feriatus ſum a ſtudiis Conimbricenſibus, arriſitque valde locus ſolitarius & aeris temperies. Frequens hic habetur ſtudii Philoſophici ſeminarium.

Conv. Moilleroni.

LI. Arthuro, viro nobili, Comiti Richemondiæ indulſit Pontifex, ut in Burgo *de Moilleron*, Lucionenſis diœceſis in Gallia, domum ædificaret pro Fratribus Regularis Obſervantiæ: *Eximiæ tuæ devotionis ſinceritas*. V. Nonas Martii. Ampliorem non invenio hujus domus, aut ſi aliquando conſtructæ notitiam.

Monaſt. Heſdiol.

LII. Iſabellæ, Duciſſæ Burgundiæ facultatem conceſſit vel novum Monaſterium Clariſſarum conſtruendi, vel jam incboatum a Guidone Guilbaut, Philippi Ducis Burgundiæ Theſaurario perficiendi in oppido Heſdini, diœceſis Morinenſis: *Eximiæ devotionis affectus*. V. Kalend. Julii. Nudum nomen & titulum ſanctæ Catarinæ dumtaxat invenio in monumentis Belgicis ad me tranſmiſſis.

Variorum Monaſteriorum memoriæ. Meſſanen. de Baſico.

LIII. Ante annos quinque cœpit reformari Monaſterium Clariſſarum beatæ Mariæ de Baſico, urbis Meſſanenſis, & dum multiplicarentur Sorores ſub arcta reformatæ vitæ paupertate, voluit Pontifex, ut per decennium nihil ſolverent loci Ordinario, qui partem quartam legatorum Monaſterio, vel aliunde acquiſitorum ſibi deberi prætendebat: *Sacræ Religionis zelus*.

pri-

pridie Nonas Maii. Sororibus religioſiſſimi Monaſterii Methymnæ Pomerii, de quo alias ſcripſimus, concepti ſpiritus ſervore tepeſcentibus, indulſit, ut calceamentis, melioribus veſtimentis, & *raupis* (ita habet Diploma) in lecto uterentur, & carnibus veſcerentur: *Regulari caſtimoniæ deditis*. XIII. Kalend. Decembris. Sorores Monaſterii ſanctorum Ludovici Epiſcopi & Alexii confeſſoris, civitatis Bononienſis immunes voluit ab omnibus impoſitionibus & exactionibus, Innoc. IV. de hac re confirmato diplomate, quod ſuo loco repoſuimus. Monialibus Monaſterii *ſanctæ*, inquit, *Roſæ*, urbis Viterbienſis, reddi voluit beneficium ſancti Eugenii, ejuſdem diœceſis pridem huic Monaſterio unitum, cujus poſſeſſiones erant in territorio civitatis *vetulæ*, ita habet diploma, & occupabantur primum ab Urbis Præfecto Vico, & poſtea a Caſtellano Arcis prædictæ civitatis. Sororibus ſancti Silveſtri de capite in Urbe facultatem fecit conferendi in emphyteoſim Ceccho Cecchi Guidonis, civi Romano, caſale ſeu poſſeſſionem dictam vulgariter *Vagnolo* prope Caſtrum Galleſii. Ampliſſimam dedit poteſtatem Guillelmo Generali Miniſtro reformandi Monaſteria omnia Clariſſarum diſſolutæ diſciplinæ, & vectes ac ſeras adhibendi a parte exteriori Monaſteriorum pro ſecuriori clauſura, aliaque inſtituendi, quibus reluctabantur aliqua Monaſteria in Aquitania & Provincia, præſertim Maſſilienſe, Avenionenſe & Montiſpeſſulanum: juſſitque ut omiſſis variis nominibus, *Minoriſſarum*, *Damianitarum*, aliiſque, ſub ſolo *Clariſſarum* ſeu *ſanctæ Claræ Sororum* omnes audirent: *Ad ſtatum ſingulorum*. Kalendis Decembris: *Ad ea quæ felicem*. VII. Idus Decembris. Et vere reformaſſe Monaſterium Avenionen. habetur in ejus regiſtro hoc anno, & in Monaſterio de Aſſiliano inſtituiſſe Abbatiſſam religioſam fœminam Ludovicam Ponce, & in Monaſterio Corporis Chriſti Thaddæam Immolenſem.

Methymnen. Pomerii. Tom. 6. anno 1118. n. 47.

Bononien. ſancti Ludovici.

An. 1252. in reg. tom. 2. bullar. 11. Viterbien. ſanctæ Roſæ.

S. Sylveſtri de capite in Urbe.

LIV. Contendentibus Eccleſiarum parochialium urbis Reatinæ rectoribus, quartam partem ſibi deberi earum rerum, quæ ex illius gentis conſuetudine inſerebantur mortuorum ſepulcris in Eccleſiis Ordinum Mendicantium, commiſit Pontifex cauſam examinandam Abbati Monaſterii ſancti Angeli in Maſſa, extra muros Narnien. *Ad ea per quæ*. V. Nonas Martii. Multa præmiſſa commendatione domus ſanctæ Mariæ *de la Rabida*, diœceſis Hiſpalenſis, magnas concedit indulgentias Eccleſiam viſitantibus, vel fabricam adjuvantibus: *Licet is, de cujus munere*. XIII. Kalend. Martii. Similiter hortatus eſt fideles ad ſubveniendum ruinis locorum ſacrorum noſtræ redemptionis urbis Hieroſolymitanæ: *Licet is, de cujus munere*. VI. Nonas Martii. Decrevit ne libri a Fratribus acquiſiti, poſt eorumdem mortem diſtraherentur, ſed Conventibus, in quibus vivebant, applicarentur: *Sedis Apoſtolicæ*. IV. Nonas Auguſti. Fratres Conventus ſancti Spiritus, Muri veteris, diœceſis Valentinæ & provinciæ Aragoniæ, neſcio quo titulo ſe ſubtrahentes ab imperio Miniſtri Generalis, necnon aliquos Conventus magni Pariſienſis, prætextu privilegiorum univerſitati conceſſorum, & ſe de corpore ſtudii jactantes, in omnibus & per omnia decrevit Miniſtro Generali eſſe ſubjectos: *Ad ea quæ Religionis augmentum*. V. Idus Januarii.

Varia indulta Minoribus.

LV. Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis urbis Venetæ indulſit ut ſecundum ſuæ Regulæ Inſtituta libere ſibi eligerent viſitatorem, nec tenerentur ſubjici Minoritis: *Ad ſacram Petri Sedem*. VI. Idus Octobris. Paulo poſt eoſdem ſubjecit Minoritis, uti ſuo loco dicemus. Accepta informatione privilegiorum, quibus gaudebant, a Jordano Epiſcopo Sabinenſi

Tertiariis.

Anno 1444.

Ordinis Protectore, cui cauſam commiſit examinandam, declaravit Fratres & Sorores Tertii Ordinis poſſe ad inſtar aliorum fidelium, matrimonii jura ſubire, & ad ſecundas aliaſque nuptias tranſire: *Ex injuncto nobis*. x. Kalendas Septembris. Sententiam in hac re tulit auctoritate Pontificia prædictus Cardinalis Jordanus in Conventu Minorum Bononienſi die xiv. Octobris, ſedens pro tribunali, & præſentibus Dominico Geminiano de Prato, Palatii Apoſtolici cauſarum auditore, beato Joanne Capiſtranen. Carloto Cubiculario, & multis Fratribus Minoribus & Tertii Ordinis Pœnitentum. Joanni de Paradines, ejuſdem Ordinis profeſſori, conceſſit facultatem Eremitorium beatæ Mariæ de Sanzellis, diœceſis Abulen. ſibique & ſuæ vitæ viris retinendi: *Ad ea ex Apoſtolicæ*. xvii. Kalendas Septembris. Antonio de Scattaretica, Presbytero Tertii Ordinis, Eccleſiam ſanctæ Birgittæ, extra muros Meſſanenſes, & Hoſpitale pauperum ſancti Martini prope dictam Eccleſiam, a Bartholomæo Archiepiſcopo Meſſanen. conceſſa, eidem aliiſque ejuſdem Inſtituti Fratribus confirmavit: *Ad ea ex Apoſtolicæ*. vii. Idus Auguſti. Confirmavit erectionem ſeu translationem Oratorii ſanctæ Eulaliæ de Trevio, Aſtoricen. diœceſis in domum Fratrum Tertii Ordinis, a Joanne Ovetenſi ſive de Oviedo factam: *Exigit dilecti filii*. xi. Kalend. Julii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Etſi tempus temeritatis angat Eugenii præcordia, mentem nihilo-
„ minus acuit, & ad ſtrenue agendum invitat: & probe norunt
„ hiſtoriarum Lectores, quam vigil & prudens ad Clavum Reipublicæ
„ Chriſtianæ in tanta tempeſtate ſederit: late his deſuper noſter Annaliſta
„ ſcripſit, ad quem poteſt eſſe recurſus: Nos interim lipomena collige-
„ mus. fratri Ludovico officium Executoris Teſtamentarii vi. Idus Januarii
„ indulſit per Breve: *Illius, qui Rex &c.* Intelligens Pontifex nonnullos
„ eſſe in Ordine, qui ab obedientia Miniſtri Generalis vario prætextu ſe
„ ſubtrahebant, Conſtitutionem edidit, qua eidem auctoritatem reducen-
„ di Fratres ſtudentes ad ſuam & aliorum Prælatorum Ordinis obedien-
„ tiam, & communem Fratrum vivendi modum, concedit ſub tenore, qui
„ ſequitur.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio fratri Guillelmo de Caſali ſacræ paginæ profeſſori, Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ I. *Ad ea, quæ Religionis augmentum, Religioſorum Ordinum con-*
„ *ſervationem concernunt, intendentes, illa libenter favore proſe-*
„ *quimur opportuno. Sane cum ex inſtitutione Regulæ beati Franciſci,*
„ *univerſi ejuſdem Ordinis Fratres unum ex Fratribus ipſius Ordinis te-*
„ *neantur habere Generalem Miniſtrum, & illi firmiter obedire: ex fide*
„ *digna relatione intelleximus quoſdam dicti Ordinis Conventus, prætenſis*
„ *quibuſdam privilegiis aliiſque excuſationibus, præſertim Conventus*
„ *Sancti Spiritus, in termino Muri veteris, in Valle, quæ dicitur de Tul-*
„ *lio, diœceſis Valentinenſis, & juxta dicti Ordinis morem provinciæ*
Ara-

Digitized by Google

„ *Aragoniæ, a tua obedientia ſubtrahere, prout idem Conventus certo tempore ſubtraxit; atque de Conventu Pariſienſi intellexerimus, quod nonnulli in eo degentes, prætextu Privilegiorum Apoſtolicorum Univerſitati Pariſienſi conceſſorum, ſe de corpore ſtudii eſſe dicentes, ab Miniſtrorum & aliorum Officialium ipſius Ordinis obedientia ſe ſubtrahere conentur, decenſque & rationabile exiſtimemus, nullum fore, qui a Regula tam ſalubriter inſtituta, & quam omnes tenentur obſervare, ſe ſubtrahat.*

„ 2. *Idcirco omnes & ſingulos dicti Ordinis Fratres, cujuſcumque gradus & conditionis exiſtant, & quibuſcumque nominibus cenſeantur, eorumque Conventus, domus & loca ubicumque inſtituta, necnon perſonas ipſorum, ubicumque reperiantur, vel in ſuis Conventibus, vel locis, vel extra, & præſertim Conventus prædictos ſancti Spiritus, & Pariſienſis, Obedientiæ, ſubjectioni & juriſdictioni tuæ, ſecundum formam Regulæ & profeſſionis ipſorum, Statutorumque ejuſdem Ordinis, tam a Pontificibus Romanis, quam a Generalibus emanatorum ſubmittentes, plenariam tibi, & per te deputandis, obedientiam, injunctis, juxta prædictam Regulæ formam, exhibere volumus, & præſentium tenore mandamus.*

„ 3. *Conſuetudinibus quibuſcumque & privilegiis Apoſtolicis, cuicumque Univerſitati, Collegio, vel perſonis particularibus, ſub quacumque verborum forma conceſſis, & de quibus etiam de verbo ad verbum facienda eſſet mentio ſpecialis, indultis etiam, præſertim Benedicti XIII. in ſua obedientia nominati, quæ, quantum ad hoc tantum, ceteris immunitatibus prædicto Conventui ſancti Spiritus reſervatis, caſſamus & revocamus, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.*

„ 4. *Tibi nihilominus & per te deputandis, omnes prædictos obedire recuſantes, & contradictores quoſcumque, per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, auctoritate præſentium ſimilibus licentiam poteſtatemque plenariam concedentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.*

„ 5. *Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXVII. V. *Idus Januarii Pontificatus noſtri anno* VII.

„ II. Subinde vero nono Kal. Martii indulto tranſitu ad Benedictinos cuidam fratri Joanni: *Humilibus &c.* nonis ejuſdem menſis ad Abbatem ſancti Angeli circa quartam funeralem in civitate Reatina ſcripſit: *Ad ea, per quæ Monaſteriorum &c.* & nonis Aprilis pro Eccleſia ſancti Franciſci Albæ Regalis Indulgentiam conceſsit: *Licet is &c.* ac XIII. Kalendas Maii ſcriptis litteris pro Conventu Verulano & bonis fratris Landulphi: *Sacræ Religionis &c.* X. Kal. ejuſdem, fratri Petro Metinen. poſſe recipere unam domum in Cuſtodia Segobiæ indulſit: *Piis fidelium &c.* ſed XV. Kalendas Junii Toloſæ fuerunt Comitia Generalia, in quibus, confirmato in officio Miniſtro Generali, nonnulla decreta fuere, ab Annaliſta relata: VIII. autem Kalendas ejuſdem, Sanciæ Clariſſæ tranſmeare ad Ciſtercienſes condeſcendit: *Votis Domino*, & Kalendis ipſius ſimilem gratiam tranſeundi ad Benedictinos fratri Michaeli conceſſit: *Sedes Apoſtolica &c.* Tertio vero Monaſterii Clariſſas Bononienſes a quacumque contributione Gabellarum exemit: *Decens reputamus &c.* IV. Idus Junii expedito diplomate pro eleemoſynis Terræ ſanctæ: *Exultantes &c.* III. Idus ejuſdem voluit, ne ullo modo loca Vica- Alia Brevia Pontificia pro diverſis.

In reg. ad hunc ann.

„ riæ Boſnæ ſeparentur, vel uniantur provinciæ Dalmatiæ: *Ad ea ex*
„ *debito &c.* Sed v. Kal. Julii expedivit Breve: *Eximiæ devotionis &c.*
„ ab Annaliſta relatum, quo Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ facultatem con-
„ cedit, vel novum Monaſterium conſtruendi, vel jam inchoatum a Gui-
„ done Guilbaut Philippi Ducis Burgundiæ Theſaurario, perficiendi in
„ oppido Heſdinii; circa quod ait, ſe nudum nomen & Titulum ſan-
„ ctæ Catarinæ dumtaxat in Monumentis Belgicis ad ſe tranſmiſſis inve-
„ nire: quamobrem nos merito ex recentioribus Monumentis ſupplebimus
„ ad hujuſmodi rei notitiam.

Monum. MSS. Prov. S. Antonii in Arteſia.

„ III. Heſdinium, vulgo *Heſdin*, oppidum eſt ad Cantiam, ſeu
„ Quantiam fluvium, vulgo *Canche*, in Comitatu Arteſiæ & Diœceſi ſan-
„ cti Pauli, ſive Paulopoli, bellorum injuria & ruinis maxime famoſum:
„ iis temporibus ſub Philippo Burgundiæ Duce, in quo nobiliſſima Domina
„ Ægidia de *Baux* relicta perilluſtris ac generoſi Domini Equitis de
„ Ponte Cauliero, Gallis de *Poncaulier*, ſaluti animæ ſuæ ſancte conſulens,
„ ex devotione ſpeciali, qua in divam Claram ferebatur, Palatii ſui par-
„ tem pro conſtruenda Clariſſis Eccleſia ſufficientem, plena liberalitate
„ donavit, ut publicum inſtrumentum Heſdinii datum die XXIV. Junii
„ anno MCCCCXXXVII. fidem indubiam facit. Spatioſam autem aream
„ præfatæ portioni Palatii ad ædes pro iiſdem Monialibus excitandas addi-
„ dit Guido Guilleboud, ut nominatur in diplomate Apoſtolico, quem
„ nihilominus Monumenta Philibertum dicunt: poteſt autem eſſe, quod
„ fuerit Binominis, cum utrobique Philippi Ducis Burgundiæ Theſaurarius
„ perhibeatur. Inter hæc autem, ut Iſabella Burgundici Ducis, Arteſiæ-
„ que Comitis uxor novit, quæ fiebant, vel requiſita a Theſaurario, qui
„ ejus favore apud ſanctam Sedem egeret, vel ultro & ſolo deſiderio par-
„ tem habendi in opere pio, vel utraque ſimul cauſa perſuaſa, his deſu-
„ per Sanctiſſimo ſupplicavit, præſatumque Breve ſub XXVII. Junii
„ MCCCCXXXVII. obtinuit: comparando autem Breve Pontificium ad
„ inſtrumentum donationis Ægidiæ, iſtud illo prius tantum tribus diebus
„ reperitur, unde fatendum eſt, ante legitimam fundationem præparatoria
„ præceſſiſſe, vel etiam fabricam inchoatam fuiſſe, cum ſpe licentiam obti-
„ nendi ab Apoſtolica Sede: Officialis autem diœceſis Morinenſis, cui per
„ Breve commiſſum erat licentiam impertiri: *Viſis videndis &c.* litteras
„ conceſſionis, juxta ſuam commiſſionem, in favorem præfatæ Iſabellæ
„ Ducissæ expedivit anno ſequenti MCCCCXXXVIII. in quibus pariter nu-
„ merum quindecim Monialium tantum notavit, licet lapſu temporis ad
„ triginta & amplius excreverit: porro hujuſmodi litterarum originalia in
„ novo Monaſterio Heſdinii aſſervantur.

Iſabella Duciſſa impetrat Breve fundationis Monaſterii Clariſſ.

„ IV. Quarto Idus Julii plura Pontifex conceſſit privilegia, gratiaſ-
„ que elargitus eſt noſtris, qui inter infideles operarii Evangelici habi-
„ tant: *Paſtor bonus &c.* III. Nonas Auguſti pro Monialibus ſancti Sylve-
„ ſtri de Urbe, circa quoddam Caſale apud Galleſium Breve expedivit: *Ad*
„ *ea ex Apoſtolica &c.* VI. Idus ejuſdem menſis, Eccleſiæ Fratrum Mino-
„ rum Paduæ Indulgentiam conceſſit: *Dum præcelſa &c.* ſed VIII. Ka-
„ lendas Septembris dato Brevi: *Apoſtolicæ Sedis &c.* litteras Minoritis
„ Montis granarii conceſſas pro receptione domus Eremitarum ſancti Au-
„ guſtini Firmanæ revocavit: pridie Idus Septembris, vigente differentia
„ inter Fratres noſtros & Præceptorem ſanctæ Eulaliæ, Vicario Epiſcopi
„ Magolonenſis direxit Breve: *Humilibus ſupplicum &c.* VI. nonas Octo-
„ bris Monialibus Clariſſis de Petra Alba vetuit, ne in poſterum diſpone-

Ex Quareſm. fol. 415.

rent

„ rent de bonis ſibi collatis: *Ex injuncto nobis &c.* VIII. Idus ejuſdem, di-
„ miſſo fratre Petro ad Benedictinos: *Religionis zelus &c.* Kalendis No-
„ vembris Epiſcopo Morturarenſi ſcripſit circa electionem Rittæ in Abba-
„ tiſſam Monaſterii Cuſentini: *Sollicite conſiderantes &c.* Idibus ejuſdem
„ Epiſcopo Lamacenſi circa quamdam litem Abbatiſſæ ſanctæ Claræ Villæ
„ de *Conde* Bracharen. *Humilibus ſupplicum &c.* Et XIV. Kalendas De-
„ cembris voluit Moniales ſanctæ Roſæ Viterbii manuteneri in poſſeſſione
„ cujuſdam beneficii: *Ad ea, quæ felicem &c.*
„ V. Tamdem v. Idus Decembris Sigiſmundus Imperator magno — *Sigiſmundus Imperator moritur.*
„ chriſtianæ Reipublicæ incommodo, & bonorum omnium luctu anno æta- — *Wadd. ad hunc ann. num. 42.*
„ tis ſeptuageſimo Znoimæ deceſſit: corpus Varadinum devectum, in-
„ genti populorum procerumque frequentia conditum eſt in Baſilica ſan-
„ cti Ladislai, quem impenſe colebat. Ejus encomia qui deſiderat, legat
„ Waddingum.

ARGUMENTUM.

Inchoatur Concilium Ferrarienſe, præſentibus Eugenio Pontifice, & Græcorum Imperatore. Multi interſunt viri graviſſimi ex Ordine Minorum. Sanctus Bernardinus Senenſis inſtituitur Vicarius Generalis Fratrum Obſervantium. Joannes Capiſtranus, & Jacobus Picenus magnam meſſem in Chriſti congregant horreum. Controvertitur circa Hieroſolymorum Rectorem. Inſtituuntur Epiſcopi, Inquiſitores, & provinciarum Superiores. Multiplicantur Domicilia.

I. INDICTO, uti diximus, Concilio in urbe Ferrariæ, ineunte hoc anno cœperunt haberi aliquot Seſſiones præparatoriæ ante adventum Pontificis & Græcorum, uti ex litteris Joannis Epiſcopi Ferrarienſis, de quo ſupra locuti ſumus, conſtabit. Pontifex x. Kalendas Februarii Bononia Ferrariam proceſſit, Palæologus IV. Nonas Martii in eam urbem pervenit, ſequutuſque eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum Prælatis Græcorum magno cum apparatu exceptis, & poſt aliquam diſceptatiunculam, diſpoſitis ſedibus in Epiſcopio eo ordine qui in reliquis Œcumenicis Conciliis ſervatus eſt, denuo promulgata eſt Synodus, & celebrandæ, omnium conſenſu delecta civitas Ferrarienſis. Ab VIII. menſis Octobris uſque ad finem Decembris, præmiſſis in Templo ſancti Franciſci collationibus multis inter utriuſque partis deputatos viros, ſexdecim Latinos & totidem Græcos, quas duo Notarii excipiebant, habitæ ſunt pleræque Seſſiones publicæ de præcipuis controverſiis, quæ agitantur inter Latinos & Græcos. Graſſante vero peſte, ſedem mutare oportuit, & Synodum transferre Florentiam, ubi tamdem felici exitu, Latinorum & Græcorum unio concluſa eſt, quod anno dicemus ſequenti.

Ann. præc. n. 1.

Ann. 1437. n. 24. & ſeqq. Vide hic n. 9.

Inchoatur concilium Ferrariæ.

Transfertur Florentiam.

II. Interfuerunt huic Synodo ex Minoritis viri doctiſſimi, Ludovicus ſeu Aloyſius de Pyrramo Epiſcopus Forolivienſis, quem per errorem Seſſ. 1. & 10. vocat Secretarius græcus Joannem, fortaſſis quia paulo ante, anno præcedenti Joannes de Caffarellis Ludovicum præceſſit in Epiſcopatu Forolivienſi, Gondiſalvus de Vallebona Epiſcopus Granatenſis, Elias de Vicecomitibus de Bourdeille Epiſcopus Petragoricenſis, Guillelmus de Caſali Miniſter Generalis, Angelus de Peruſio provinciæ ſancti Franciſci Miniſter, Jacobus de Tolentino Ordinis Procurator generalis, Ja-

Multi interfuerunt viri docti ex Minoritis.

Jacobus Textorius ſive Textoris, Auguſtinus Ferrarienſis, Petrus Perquerius, Lucas Senenſis, & Franciſcus Ariminenſis, ſacræ Theologiæ inſignes Profeſſores. Bernardinus Senenſis, Joannes Capiſtranus, Jacobus Picenus, Albertus Sartianenſis, ex Oriente cum Græcis ſub finem anni proxime elapſi reverſus, doctrina & ſanctitate illuſtres. Albertus Græce & Latine doctus, interpretem egit. Inter ſex diſputatores, quos Latini pro ſua parte deputaverunt, duo fuerunt Minoritæ, Aloyſius Epiſcopus Forolivienſis, & Petrus Perquerius.

Aloyſius Epiſc. Forolivienſis qualis?

III. Et quidem Aloyſius magnæ opinionis in Concilio graviora munia ſubivit. Ille indutus Pontificalibus die x. Januarii ex ambone legit decretum translationis Concilii ad urbem Ferrarienſem, & die XXVII. Januarii, quando in urbem pervenit Eugenius Pontifex, ſolemnique ſtipatus comitatu ad Eccleſiam Cathedralem perrexit, gravem habuit Aloyſius ſermonem ad populum. In conſeſſu die 11. Februarii habito circa modum quo agendum eſſet cum Baſileenſibus, doctum tulit ſuffragium. Die xv. Februarii pro inchoatione Concilii, Miſſa de Spiritu ſancto ſolemniter decantata, ex ſuggeſto Pontificis legit decretum, quo omnia Baſileenſium irritabat acta, eoſque in graves pœnas & cenſuras incidiſſe declarabat. Die VIII. Novembris in publica Seſſione, graviſſimo & doctiſſimo diſcurſu probavit, appoſitionem verbi: *Filioque* in Symbolo, quod præcipuum erat inter Latinos & Græcos diſſidium, non eſſe proprie additionem, ſed majorem proceſſionis Verbi declarationem: & poſtquam orationem abſolvit, atque ſemel & iterum reſpondit, ait Andreas a ſancta Cruce, Patritius Romanus, Apoſtolici Conſiſtorii Advocatus, qui Concilio interfuit, & acta omnia præſens excepit: quod, *his expoſitis unuſquiſque intuebatur alterum ex his, quæ facundiſſime gravi ſermone a viro antiquo verbis convenientiſſimis lætiſque audierant*. Et die XI. ejuſdem menſis, cum in altera Seſſione prædictam proſequeretur materiam, & magno argumentorum pondere Græcos premeret, inquit auctor: *Tam læte jucundeque, verbiſque convenientibus dicta fuerant, ut quiſque Patrum dicta collaudaret*; imo & ipſi adverſarii diſputatores Epheſinus & Nicænus Archiepiſcopi hominem commendarent. Hiſtoriam hanc Andreæ in Bibliotheca Vaticana MSS. delitiſcentem, ego ante annos ſex diligenter perlegi. Eam nunc laudabili conatu, doctis & neceſſariis notis illuſtratam Horatius Juſtinianus, prædictæ Bibliothecæ primarius cuſtos, vir undequaque commendabilis, & multiplici eruditione inſignis paratam habet, ut in omnium prodeat conſpectum. Et hæc quidem hoc anno perpetrata ſunt: quæ poſt translationem Concilii in urbem Florentinam, & pro aliarum gentium reductione ad Eccleſiæ Romanæ unionem & obedientiam præſtiterunt Minoritæ, ſuis quæque annis referemus.

Marian. lib. 5. cap. 15. Marc. 3. p. l. 1. c. 54. An hoc anno celebrata comitia.

IV. Hoc anno generale Capitulum celebratum fuiſſe Florentiæ, ſcribunt Marianus & Marcus, quod tamen ego non facile crediderim. Quid enim urgeret, ut habitis Toloſæ anno proxime elapſo generalibus Comitiis, denuo hoc anno alia indicerentur contra conſtantem Ordinis conſuetudinem intermittendi triennium, juxta regulæ præſcriptum? Adde, neque ulla extare hujus Capituli acta, neque Rodulphum aut alium quempiam ejuſdem meminiſſe.

Generalis Miniſter ægrotat.

V. Generalis Miniſter quædam negotia ſibi a Pontifice commiſſa in Etruria peracturus, incidit Senis in gravem morbum, ubi propter tot, quæ occurrebant expeditiones familiæ novæ Regularis Obſervantiæ, multiplici incremento per omnes provincias ſe diffundentis, & propter frequentes Fratrum querelas, quod res ſuæ negligebantur, neque ſufficienter occurreba-

batur exorientibus incommodis, Miniſtro Generali occupato & diſtracto circa majora tum Ordinis, tum Eccleſiæ negotia, ſtatuit eis alium præficere, qui ſuas vices ſumma obiret poteſtate. Novit rem gratam Pontifici ſe facturum, cui cogitationem hanc inſtillaverat Joannes Capiſtranenſis, dicens nullo modo Obſervantiam regularem in recenti hac familia ſtabiliendam, niſi inciperet a capite, & haberent hujus vitæ ſectatores, qui præiret exemplo. Sub menſem itaque Julium vocatum ad ſe Bernardinum Senenſem Religioſis gratum, univerſis venerandum, Vicarium & Commiſſarium inſtituit ſuper omnes Regularis Obſervantiæ profeſſores in provinciis Italiæ. Electionem commendarunt cuncti, probavitque Eugenius Pontifex, confirmatis in hunc modum litteris Guillelmi.

Inſtituit Vicarium generalem Obſervantiæ Bernardinum Senenſem.

Ad futuram rei memoriam.

Ex ipſo autographo.

Confirmat Pontifex inſtitutionem.

VI. *Fratrum Ordinis Minorum in vinea Domini Sabaoth Altiſſimo jugiter famulantium merita promerentur, ut eis in his, quæ divini cultus & Religionis, ac Regularis Obſervantiæ augmentum reſpiciunt, præcipuos favores & ſpecialia præſidia, quantum cum Deo poſſumus, impendamus. Sane ad notitiam noſtram nuper deducto, quod dilectus filius Guillelmus de Caſali, ſacræ Theologiæ profeſſor, & Generalis Miniſter ipſius Ordinis, ex certis rationabilibus cauſis animum ejus moventibus, dilectum filium Bernardinum de Senis, ejuſdem Ordinis profeſſorem, omnium & ſingularum domorum & Conventuum Italiæ dicti Ordinis, ſub ſacro* Obſervantiæ *nomine conſtitutarum, ipſius Vicarium fecit, conſtituit & deputavit, prout in litteris præfati Generalis Miniſtri plenius continetur, quarum tenor ſequitur de verbo ad verbum, ac talis eſt:*

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Bernardino de Senis provinciæ Tuſciæ, frater Guillelmus de Caſali, ſacræ Theologiæ Magiſter, ac ejuſdem Ordinis Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. Cum ita ſit, quod ad ſacram Indulgentiam Portiunculæ, ad quam ſummopere deſiderabam accedere, propter detentionem ægritudinis ire non poſſim, ubi quamplurima providere cogitabam ad augmentum divini cultus, & amplioris Obſervantiæ Regularis, ac deſideriorum ſpiritualium quietationem omnium familiarum Italiæ, ſub ſacro nomine *Obſervantiæ* nominatarum, quarum magna pars Fratrum ad eamdem ſacratiſſimam Indulgentiam convenire ſolet: Et præterea cum ex hac mea debilitate ægritudinis, non poſſim pro meo deſiderio plurimis negotiis occurrere in eorumdem Fratrum familiis, quibus eſſet ſalubriter providendum, ne propter hanc perſonalem invaletudinem, ipſi familiæ & Fratres ſub eiſdem degentes, opportunis proviſionibus careant, te, de cujus vita laudabili, Ordinis & juſtitiæ zelo, converſatione honeſta, providentia circumſpecta, diſcretione præcipua, experientia magna, & multiplici probitate virtutum, quibus, ut informatus exiſto, te inſigniter decoravit Altiſſimus, & nihilominus de multorum Miniſtrorum & ſacræ Theologiæ Doctorum, aliorumque proborum noſtri Ordinis Fratrum concordi conſilio pariter & aſſenſu, te meum Vicarium & Commiſſarium quoad Fratres omnes & ſingulos in eiſdem familiis degentes, & qui degent etiam in futurum, inſtituo & inſtitutum denuntio per præſentes, plenam tibi conferens poteſtatem, ac auctoritatem pro ipſarum & Fratrum in eiſdem exiſtentium reformatione, viſitandi, vocandi, citandi, admonendi, corrigendi, puniendi, Prælatos & officiales quoslibet privandi & ſuſpendendi, alioſque ipſorum loco ſubrogandi, ac ipſos Prælatos & Fratres,

Laudatur Bernardinus.

Digitized by Google

tres, ut ſupra, viſitandi publice & privatim, tam in capitibus, quam in membris, etiam in his, in quibus mandatum ſpeciale requireretur; ſubſtituendi quoque Commiſſarios in provinciis & familiis ſupradictis, ac deſtituendi, quoties tibi videbitur opportunum, omniaque alia & ſingula faciendi & exercendi, quoad Fratres præfatos, quæ ego facere & exercere poſſem ex officio mihi injuncto, ſi ibi perſonaliter intereſſem. Contradictores vero per cenſuram Eccleſiaſticam, & alias pœnas in noſtro Ordine infligi conſuetas, compellendi & compeſcendi. Quocirca diſcretioni tuæ ad meritum obedientiæ ſalutaris diſtricte præcipio & injungo, quatenus dictum Vicariatus & Commiſſariatus officium, per me tuis humeris impoſitum, ſic provide, ſic ſollicite, ſic vigilanter quoad præmiſſa ſtudeas exercere, quod nequaquam de negligentia argui, ſed de diligentia merito valeas commendari: & per eamdem obedientiam diſtricte præcipio & injungo omnibus & ſingulis Fratribus in dictis familiis & provinciis commorantibus & commoraturis, & ſub pœna carceris & excommunicationis, quam, trina monitione canonica præmiſſa, ex tunc, prout ex nunc profero in ſcriptis, quod tibi tamquam mihi in omnibus, quæ ad dictum tuum officium Vicariatus & Commiſſariatus ſpectare noſcuntur, toto tui Vicariatus & Commiſſariatus tempore, ſine contradictione quacumque, firmiter obediant: quos tibi, teque illis carius in Domino commendo. Vale in Chriſto Jeſu, & ora pro me. Datum Senis die XXII. Julii MCCCCXXXVIII.

Nos hujuſmodi ſalubrem, neceſſariam, & plurimum fructuoſam ipſi Ordini & obſervantiæ diſpoſitionem a præfato Generali Miniſtro de dicto Bernardino factam attendentes, ac ipſum Apoſtolicis favoribus & præſidiis ſtabilire cupientes, Vicariatus hujuſmodi conſtitutionem & deputationem de dicto Bernardino, ut præmittitur, factam, motu proprio, non ad ipſius Bernardini, vel alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex ſcientia, ſupplendo omnes & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eadem, auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Ferrariæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVIII. *Kalendis Septembris, Pontificatus noſtri anno* VIII.

VII. Excuſavit ſe quantum potuit Bernardinus, ne tantum ſubiret onus, ſed fruſtra; omnium enim vota concurrebant, ut vel invitus cogeretur admittere. Expectationem, quam de felici futuro regimine conceperant, ſtatim probavit, & miro Ordinis incremento, virtutiſque profectu longe ſuperavit. Aſſiſium, quo maxima Fratrum multitudo quotannis confluit, Indulgentias magnas ſub Kalendas Auguſti lucratura profectum, inito cum ſenioribus conſilio, ſalutares edidiſſe conſtitutiones die XV. Auguſti hujus anni, & per univerſas miſiſſe provincias Marcus recenſet, non tamen hoc anno, ſed biennio poſt id feciſſe Bernardinum ad annum MCCCCXL. narrabo. Injunctum porro officium executurus, per provincias cœpit diſcurrere, & in Pennenſi fratrem Julianum Nutii de fonte, nobilis civis Aquilani, Cœnobii Obſervantum, uti alias diximus, ſtructoris filium, ſed nothum, Fratrum devotorum Vicarium, e gradu per Fratres dejectum, propter turbas quas excitabat, ab univerſa expulit provincia. Etenim ſui patris, & Antonii de Camponeſchis, viri nobilis, aliorumque conſanguineorum, necnon & Patrum Conventualium favoribus valde ambitioſe, reclamantibus Fratribus,

Bernardinus ſollicite curat Religionis profectum.

Marc. 3. p. l. 1. c. 57.

Julianus Nutius de fonte. *Tom 9. an. 1415. n. 36.*

Digitized by Google

tribus, per ſeptennium violenter & imperioſe nimis retinuit officium. Impatienter itaque tulit aliis ſubeſſe, qui diuturno præfuit imperio, & jugum alias ſuave obedientiæ adeo grave reputavit, ut procul fecerit atque irreverenter excuſſerit, habitu dejecto. Paulo poſt datus in reprobum ſenſum, miſero exitu vitam finivit. Ea eſt ambientium inſania, ut quo altius aſcendere cupiant, impedito curſu, graviori præcipitio ſe collidant. Monaſterium deinde Sororum Tertii Ordinis, a ſancta Eliſabetha nuncupatum in urbe Aquila, ad quod frequenter Julianus divertebat, in moribus relaxatum Fratres poſtea ſuppreſſerunt, translatis potioribus Monialibus cum illarum primiceria beata Antonia Florentina, de qua alias dicemus, ad Monaſterium Corporis Chriſti in eadem urbe ſub arctiori vivendi norma & prima regula ſanctæ Claræ conſtructum. *An. 1472.*

VIII. In ipſa urbe in foro ſanctæ Mariæ de Colle Madii, ubi eſt venerabile Monaſterium ſancti Petri Cœleſtini, prædicaſſe doctiſſime Bernardinum coram Principibus, Ducibus & Dynaſtis, ingentique populi multitudine de beatæ Mariæ Virginis excellentia, & apparuiſſe ſuper caput ejus ſtellam fulgentiſſimam, ipſam ſcilicet Dei Genitricem SS. alias narravimus. Molanus refert ex aliis, etiam Romæ ſupra caput ejuſdem ſancti Viri concionantis, nomen Jesu in Sole poſitum conſpectum fuiſſe, ut ritus ille comprobaretur, quo ſolebat a concione nomen Jesu in tabula pictum adorandum oſtendere, quod nonnulli, uti alias dixi, calumniati ſunt immerentem. *Sur. in legenda Capiſt. in ejus vita.* *Tomo 10. anno 1433. n. 6.* *Molan. lib. 3. de imag. c. 13.* Alia ſimiliter apparuit Romæ. *Tomo 10. anno 1420. num. 2. & ſeqq.*

IX. Prædicaverat Veronæ dilabente anno præterito Joannes Capiſtranenſis, ut voto ſatisfaceret Cardinalis Oſtienſis optimi amici, uti diximus ſuperius. Morbo correptus injunctum iter Hieroſolymitanum proſequi non potuit, neque Ferrariam, quo vocabatur, ſtatim abire, neque Concilii primordiis adeſſe. Joannes urbis Epiſcopus per litteras, quas exſcribo, ita eſt conſolatus. *An 1437. n. 30.* Ægrotat Veronæ Capiſtranus.

Reverendo in Chriſto Patri ac religioſo viro, fratri Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum, uti meo Patri colendiſſimo, Veronæ.

X. *Reverende in Chriſto Pater & Domine mi, poſt commendationes &c. Hodie redditæ ſunt mihi duæ litteræ veſtræ, & ſuper eadem materia ſuperioribus diebus aliæ litteræ Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini mei, Domini Cardinalis Bononien.* quibus tum quia non multum neceſſarium videbatur, tum quia adeo eram occupatus in præparatione multorum pro ſuſceptione duorum Prælatorum, qui repentino irruerunt adventu, nullum temporis ſpatium otio dabatur aut quieti: nunc itaque, ut cor noſtrum liberum & quietum reddam ab eo, quem ſuſtinet, agone, caritati veſtræ mentem meam aperio, & quod ſentio patiendo, compatiens primum ac dolens de ægritudine veſtra & moleſtiis quibuſcumque, ſuadeo vobis ut quieſcatis, & carnis curam agatis diligenter in neceſſitate,* quam nemo unquam, *teſte Apoſtolo*, odio habuit: *quoad ſufficienter reparatis deperditas vires, ſitis potentes & validi ad tolerandos labores in Chriſti miniſterio & cultu Religionis, nobis nequaquam moleſtum erit patienter expectare convaleſcentiam veſtram. Interim, dante Deo, per alium ſupplebitur ſatis commode in miniſterio verbi, imo moleſtiſſimum mihi foret, quod Paternitas veſtra ſe periculo exponeret. Excuſatum vos ſufficienter reddam apud Illuſtriſſimum Dominum Leonellum,* & pro humanitate ſua, non dubito, ſuſcipiet excuſationem veſtram. Cum fueritis valetudini reſtituti, venietis ad agendum utiliter cum aliis Patribus negotium univerſalis Eccleſiæ, & docendum plebem iſtam.* *Ex autographo.* * *Scil. Ant. Card. Oſtien.* *Epheſ. 5. 29.* * *Scil. Principis Ferrarien. filium.*

Concilium, Dei gratia, hic Ferrariæ ſuæ continuationis die octavo præſentis initium ſuſcepit: die vero decima feliciter, eadem gratia, celebrata eſt prima Seſſio. Orate, precor, ut proſperos ſucceſſus & lætum exitum ſortiatur. Adventus Græcorum in dies, ac ſanctiſſimi Domini noſtri celeriter expectatur: oro caritatem veſtram, ut me commendatum habeatis Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino meo præcipuo, quem ſincere colo & ex corde veneror ac diligo, Domino Cardinali digniſſimo. In Chriſto Domino feliciter valeat P. V. & læta gaudeat ſoſpitate. Ex Ferraria XI. *Januarii* MCCCCXXXVIII.

XI. Ferraria, quo poſtea tranſierat, Tridentum avocatus per Alexandrum Epiſcopum Mazoviæ Ducem, magno animarum fructu, hoc anno prædicavit, uti ex his litteris apparebit.

Honorabili ac religioſo Patri, fratri Joanni de Capiſtrano, ſincere nobis in Chriſto dilecto &c.

Ex autographo. Vocatur Tridentum prædicaturus.

V*Enerabilis ac religioſe Pater, in Chriſto ſincere dilecte. Relatu veridico percepimus, vos ad veniendum huc ad noſtram civitatem, & verbum Dei populo proponendum & prædicandum fore inclinatum, quod tanto magis grate audivimus, quanto veſtram boneſtatem ad id faciendum magis idoneam, fide dignorum veſtri notitiam habentium teſtimonio non ignoramus, & huic noſtro populo id magis videmus expedire: venite igitur confidenter & proſpere, & ſitientes agros hujus agreſtis ſoli principali rore cœleſtis verbi, ſpe mercedis æternæ, curetis irrigare; in quo illum (qui diſcipulos ſuos in mundum univerſum ire & omni creaturæ Evangelium prædicare juſſit, qui non ſolum uni civitati verbum ſalutis, ſed pluribus hinc inde diſcurrens, & ovem deperditam reperire ſalvareque quærens, evangelizare curavit) imitabimini, & ſui vaſis electionis Apoſtoli Pauli (cujus ſollicitudo quotidiana non unius, ſed omnium Eccleſiarum erat) veſtigia ſequamini commendanda. Nos vero ad hoc, quod veſtra ſancta intentio finem conſequi commodius valeat præoptatum, favores vobis dare, dante Domino, volumus opportunos. Datum Tridenti in Caſtro noſtro boni Conſilii, die* III. *Junii, anno Domini* MCCCCXXXVIII.

Marci. 16. 15. *2. Cor. 11. 28.*

Venerabili & religioſo, tamquam Patri dilecto, Domino Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum, ſacræ Theologiæ profeſſori &c.

Ex autographo. Laudatur a fructuoſa concione.

XII. V*Enerabilis & religioſe, tamquam Pater dilecte. Relatibus fide dignorum intelligentes vos, tamquam virum vita & ſcientia perfectum, verbo ſanæ doctrinæ & exemplo bonæ vitæ, populum civitatis noſtræ ad pacem (ſine qua pacis auctor minime coli poteſt) & caritatem mutuam (ſine qua Deo placere impoſſibile eſt) obedientiamque (quæ cunctis holocauſtis præfertur, & ſine qua Deo placere nullus valet) humilitatemque (præter quam aliæ virtutes non ſubſiſtunt) & ceteras virtutes & mores optimos, aſſidue, fervide & prudenter inducere, & in via ſalutis conari collocare, lætati ſumus in bis, quæ dicta ſunt nobis, Deoque decorum & Domino dominantium grates & laudum præconia de dono nobis & populo nobis ſubjecto divinitus conceſſo, in humilitate ſpiritus perſolvimus copioſe, in ſua clementia confidentes, quod ea, quæ per te cœpit, perficere dignabitur gratioſe, vepribus & ſpinis diſcordiarum & odiorum, ac ſuperbiæ, & exinde pro-*

provenientibus rebellionis & inobedientiæ, aliiſque vitiorum ſeminibus, quæ inimicus homo in agro Dominico ſuperſeminavit, evulſis, triticum, præfatis vitiis eradicatis, oppoſitarum virtutum & probitatum creſcere multiplicarique faciet in immenſum. Quod ut eveniat, perſuadere populo ipſi ſæpe placeat, ut ſe non reddant verbo Dei indignos, nec velut porci conculcent margaritas, nec ſine ſemine verbi Dei, ſicut Sodoma exiſtant, & Gomorræ ſimiles efficiantur, ſed magis ſtudeant eſſe ex Deo & non ex ſuo adverſario Satana, attento quod veritas ipſa per ſe ipſam teſtetur, quod qui ex Deo eſt, verba Dei audit, *& propterea hi qui verba Dei audire dedignantur, non ex Deo, ſed ex Diabolo ſunt. Nec vos, vir bone, a publicationibus verbi divini retrahat, aut tabeſcere faciat audientium aut pravitas, aut cervicis durities*; nam, *ut noſtis, ſacra tradunt eloquia, hominem nonaginta novem in deſerto oves dimiſiſſe, & unicam duntaxat ovem deperditam quæſiſſe; lapidem etiam ſua duritie non obſtante, parva licet ſtilla, non vi ſed aſſiduitate ſtillandi, cavari cernitur ab experto, ſicque veriſimile eſt, ſaltem vos in aliquibus fructum facere, licet duris. Ignita enim ſunt verbi Dei, quæ per vos propalantur, eloquia, & quantumcumque ferrea hominum corda ſufficiunt emollire*, neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia, *& ſi fructus non ſequeretur in materia ſubjecta audientium, non tamen meritum deficiet in efficiente & verbum divinum propinante. Quinimo quemadmodum oratio in ſinum orantis, eo pro quo oratur inhabili exiſtente, convertitur, ſic prædicationis meritum, auditorum ineptitudine in prædicantem revertitur quoad fructum, ita ei retributore omnium bonorum concedente, qui præmiis exuberantibus ipſum prædicantem faciet gratulari, quibus vos ille, in cujus vinea laboratis, in domo Patris ſui, in qua manſiones multæ ſunt, abundare faciet gaudioſe, a nobiſque & cunctis, ad quorum labores veſtri, quos in vinea Domini Sabaoth facitis, notitiam pervenerint, laudes immortales reportabitis & gratias, ac Altiſſimum in his veſtris operibus per cunctorum ora glorificari facietis, apud cujus clementiam, ut nos & populus nobis ſubjectus per orationes veſtras commendemur, affectuoſis ſuſpiriis deprecamur, parati ad vobis Ordinique & Monaſterio veſtris quæque grata & accepta exhibere. Datum in Caſtro noſtro novo, die* XIII. *Octobris anno Domini* MCCCCXXXVIII.

Joan. 8. 47.

Luca 15. 4.

Pſal. 118.

Ambr. lib. 2. in Lucam.

XIII. Beatus Jacobus Picenus non ſegnius laboravit in nationibus Hungariæ, ad quas miſſus eſt ab Eugenio Sedis Apoſtolicæ Nuncius & Inquiſitor. Ea undique perſonabat fama rerum ab eo præclare geſtarum, ut ſui muneris eſſe judicaverit Pontifex his litteris congratulari, & ad tanti operis proſecutionem exhortari.

Jacobus Picenus egregie fructificat.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum Nuncio Apoſtolico.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lætanter audivimus, quod nuperrime nobis fuit renunciatum, tuam devotionem multa, dirigente Domino Deo noſtro, laudabiliter pro noſtro & Romanæ Eccleſiæ honore operatam fuiſſe, præſertim in prædicationibus apud nationes Hungariæ & circumſtantium partium habitis, in quibus, concedente bonorum omnium datore, & in os tuum verba ponente, magnam diceris utilitatem feciſſe. Benedicentes itaque Dominum, tuam virtutem laudamus, eamdem hortantes, ut, quod tamen te libenter facere credimus, conſtanter perſeveres, & cœptum opus bonum indeſinenter perficere coneris. Datum Ferrariæ, ſub annulo noſtro ſecreto, die XIV. *Aprilis* MCCCCXXXVIII. *Pontificatus noſtri, anno* VIII.

Ex Autographo. Laudatur a Pontifice.

Adverſantur aliqui

XIV. Quantumvis tanta polleret auctoritate & fulgeret poteſtate Jacobus, nihilominus non deerant maleſani & infidi Eccleſiarum Miniſtri, qui ſe opponerent, vel quod dolerent externi obtrudi dignitatem, vel quod impie faverent ſubdolis hæreticis, quos ille ubique inſectabatur, vel quod frequentius eſt, invidia premerentur. Cum multis confligendum fuit, præſertim cum Simone Bachienſi, Archidiacono Eccleſiæ Quinque-eccleſienſis, qui ſumma temeritate, vel Epiſcopi vel aliunde prætenſa auctoritate, ſententiam excommunicationis dixit in beatum Virum in oppido Vilack & ejus diſtrictu. Excitavit hoc magnas turbas, quibuſdam factum tuentibus, bonis omnibus ex adverſo condemnantibus. Albertus Imperator & Eliſabetha conſors, datis litteris ad Archiepiſcopum Strigonienſem, juſſerunt animadverti in hominis inſolentiam. Vocatum, erroriſque convictum, ſed veniam depoſcentem miſericorditer dimiſit Antiſtes Jacobo reconciliatum, in cujus gratiam ſequens promulgavit edictum.

Georgius, miſeratione divina, Archiepiſcopus Eccleſiæ Strigonienſis, locique ejuſdem Comes perpetuus, Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus natus, Aulæque Regiæ Majeſtatis Hungariæ ſupremus Cancellarius, Honorabilibus & diſcretis viris, Dominis Archidiaconis, Vicearchidiaconis, Plebanis & Eccleſiarum parochialium Rectoribus, in & per totam Diœceſim Quinque-eccleſien. & alias ubilibet conſtitutis; univerſis, ad quos præſentes noſtræ pervenerint litteræ, ſalutem in Domino.

Ex autographo. XV. *Quamvis dudum contra religioſum Deoque devotum virum fratrem Jacobum de Marchia, Ordinis Minorum, Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, per honorabilem virum Simonem de Bachia Archidiaconum & Canonicum in Eccleſia Quinque-eccleſien. quædam diffamationes & ſcandaloſæ injuriæ exortæ fuerint, quarum prætextu ipſum Dominum Simonem Archidiaconum ad præfati Jacobi inſtantiam, auctoritate noſtræ Legationis in noſtri præſentiam citaverimus, tamen partibus ipſis in termino ſtatuto & deputato coram nobis in judicio comparentibus, & cauſam ipſam inter ipſos, ut præfertur, dudum motam & ventilatam deducentibus, quia tamdem idem Simon Archidiaconus per expreſſe deducta in re hujuſmodi, vidit & maniſeſte recognovit ſe contra eumdem fratrem Jacobum enormiter exceſſiſſe, & in eo male, injuſte & perperam egiſſe & erraſſe, quod ipſum excommunicatum per proprias ſuas litteras denunciari feciſſet per ſuum commiſſarium: quare dictus Archidiaconus ob id ſuum hujuſmodi commiſſum errorem coram nobis recognoſcendo, ab eodem fratre Jacobo veniam humiliter & devote poſtulavit de omnibus contra perſonam ſuam & officium & famam ſuam attentatis; quod quidem frater Jacobus propter glorioſum Deum omnia hæc eidem coram nobis indulſit & remiſit, in filiumque atque Fratrem caritativum ſub amplexibus & per oſculum pacis recepit, & in caritate Spiritus ſancti conjuncti, ſimul ambo magna benevolentia ſe amplexati ſunt in omni concordia & fraternitate. Quocirca vobis univerſis & ſingulis Dominis ſupra dictis, & cuilibet veſtrum in ſolidum, at qui præſentibus fueritis, ſeu fuerint requiſiti, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in vos & quemlibet veſtrum, auctoritate præfatæ noſtræ legationis, niſi feceritis quæ mandamus, ferimus in his ſcriptis, diſtricte præcipimus & ſub eadem pœna excommunicationis mandamus, quatenus mox receptis præſentibus, vos Domini Archidiaconi per omnes veſtros Archidiaconatus, vos quoque Plebani & Eccleſiarum parochialium Rectores in veſtris*

Ec-

Eccleſiis coram plebe veſtra publice & in ambone publicetis, publicarique & promulgari faciatis memoratum fratrem Jacobum, tamquam virum Catholicum, juſtum & conſtantem in officio Inquiſitionis ſibi commiſſo, ubique in regno Hungariæ & ſignanter in diœceſi Quinque-eccleſien. præfata, rite proceſſiſſe rationabiliterque, juſte ac bene in omnibus egiſſe, tam in abſolutionibus hæreticorum, quam aliorum quorumcumque, ſacri Concilii & ſanctiſſimi D. N. Papæ auctoritatibus, ſibi in hac parte attributis, mediantibus. Datum Budæ Dominica proxima poſt feſtum apparitionis ſancti Michaelis Archangeli, anno Domini MCCCCXXXVIII.

XVI. Acceſſit poſt hæc Jacobus ad Concilium Ferrarienſe, ubi per aliquotum tempus hærentem, ad neceſſarium & laudabile opus Pontifex remiſit, ne abſente cuſtode, ſævientes hæreticorum lupi Dominicum gregem invaderent, aut deliteſcentes vulpeculæ vineas demolirentur Eccleſiæ. Ne vero auderet quiſpiam Dei opus retardare, aut bene facientem impedire, privilegium conceſſit Eugenius, ut a nullo ſibi inferiori cenſuris Eccleſiaſticis poſſet innodari, abſolvendi a multis, etſi gravioribus criminibus amplam fecit poteſtatem,& honorarias inſuper dedit litteras ad Albertum Imperatorem.

Jacobus ex Cōcilio Ferrariē remittitur in Hungariam.

Multipliciter a Pontifice commendatus.

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum, in partibus regnorum Hungariæ, Boſnæ & locis confinibus, hæreticæ pravitatis Inquiſitori &c.

XVII. *Cum te ad partes dictorum regnorum pro extirpandis hæreſibus, quæ, proh dolor! temporibus iſtis in illis partibus pullulare cœperunt, plantandaque Catholicæ fidei veritate duxerimus deſtinandum, ac prout accepimus, quandoque contingat, nonnullos livoris zelo accenſos, ut officii executionem impediant, excommunicationis in te fulminare ſententias, ac propterea te ab ipſius officii tui exercitio retardari, propterea Nos, qui de tua integritate & ſinceritate ſingularem in Domino fiduciam obtinemus, cupientes te, quominus libere in officio tuo valeas verſari, nullatenus impediri, devotioni tuæ, ut nullus, cujuſcumque dignitatis, Ordinis, vel conditionis exiſtat, etiamſi Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel alia quavis præfulgeat dignitate, in te ſententiam excommunicationis, aut alterius cujuſvis cenſuræ, vel pœnæ ferre, vel fulminare; aut te excommunicatum denuntiare, aut locum, in quo te eſſe vel morari contingat, ratione tui vel ſociorum tuorum Eccleſiaſticæ ſubjicere interdicto, abſque ſpeciali commiſſione & mandato noſtris & Apoſtolicæ Sedis, te nominatim expreſſo, audeat vel præſumat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus; quod ſi quis facere præſumpſerit, hujuſmodi ſententiam excommunicationis, ſeu interdicti, aut alterius cenſuræ vel pœnæ decernimus irritam & inanem eſſe, nulliuſque prorſus roboris vel momenti, ac te & ſocios tuos ad obſervationem interdicti hujuſmodi penitus non teneri; præſentibus durante tempore officii tui hujuſmodi Inquiſitionis penitus valituris: ſed & tales, ut graviter delinquentes, decernimus puniendos. Datum Ferrariæ, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXVIII. *Kalend. Decembris. Pontificatus noſtri, anno* VIII.

Ex autographo. Prohibetur ne quiſpiam in eum ferat cenſuras.

EIDEM.

XVIII. *Cum te ad partes regnorum Hungariæ, Boſnæ & loca confinia, pro extirpandis hæreſibus, quæ, proh dolor! temporibus iſtis in illis partibus pullulare cœperunt, plantandaque Catholicæ fidei veritate duxe-*

Ex autographo. Ut abſolvat a quibuſcumque exceſſibus, exceptis &c.

duxerimus deſtinandum: Nos volentes ea tibi concedere, per quæ animarum illarum partium ſaluti poſſit ſalubriter provideri, devotioni tuæ, ac aliis tui Ordinis per te eligendis Fratribus in Sacerdotio conſtitutis, perſonas dictorum regnorum, quæ propter ſenium ſeu infirmitatem vel paupertatem, aut alia legitima impedimenta ad Apoſtolicam Sedem pro abſolutione obtinenda venire non poſſunt, ab homicidiis, quæ non tamen in Presbyteros commiſerunt, & aliis peccatis & exceſſibus ſuis, etiam ſi talia forent, de quibus Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, ſemel dumtaxat, ſi hoc humiliter petierint, auctoritate noſtra abſolvendi, ac pœnitentiam ſalutarem injungendi, addito quod de cetero ſimilia non committant, nec committere volentibus præſtent auxilium, conſilium, vel favorem, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus facultatem. Datum ut ſupra.

EIDEM.

Ex Autographo. Ut liceat nobiles Hũgaros abſolvere.

XIX. *CUm te ad partes regnorum Hungariæ, Boſnæ &c. ut in præcedenti uſque ad* provideri, *devotioni tuæ, ac aliis tui Ordinis per te eligendis Fratribus in Sacerdotio conſtitutis, nobiles ſingulos regni Hungariæ, qui hoc humiliter petierint, ab omnibus & ſingulis peccatis, criminibus & exceſſibus ſuis, quæ tibi aut Fratribus prædictis confitebuntur, etiam ſi talia forent, propter quæ Sedes prædicta foret merito conſulenda, ſemel dumtaxat, auctoritate noſtra abſolvendi, ac pœnitentiam pro commiſſis ſalutarem injungendi, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus facultatem. Datum ut ſupra.*

Cariſſimo in Chriſto filio Alberto Romanorum, ac Hungariæ Regi illuſtri &c.

Ex lib. 2. bullarum fol 59. Commendatur Alberto Imperatori.

XX. *DUdum dilectum filium Jacobum de Marchia, Ordinis Minorum, latorem præſentium, Inquiſitorem ad præfatum regnum Hungariæ deſtinavimus, qui, diſponente Domino, injunctum ſibi officium hujuſmodi pro exaltatione fidei Catholicæ ad Dei gloriam & animarum ſalutem diligenti ſtudio & puritate executus eſt, ita ut multa mala ſemina & venenoſas radices ſuſtulerit & extinxerit, multaſque novas plantationes ex divini verbi ſemine in domo Domini ſuccreſcere fecerit, ſicut & Serenitati tuæ etiam innoteſcit. Hic tamen ob nonnullas moleſtias ab aliquibus impiis hominibus, qui ſe etiam Catholicos profitentur, ſibi illatas, pene conſtringi videtur ab hoc opere ſancto dudum incœpto deſiſtere. Nos autem conſiderantes quid ſpei ex prædictis hujus ſervi Dei operibus in futurum concipere debeamus, compatientes illi regno, quod antequam illam fidei noſtræ puritatem inibi maculare videamus, decrevimus ipſum ad prædictum regnum omnino remittere ad illud opus Dei, prout optime incœperat, proſequendum, ea præcipue ſpe ducti, ut ſub protectione tua in hac Chriſti militia ſe valeat exercere. Cum nempe regnum illud in veritate & juſtitia a te regendum ab omnipotente Deo tibi creditum ſit, nihilque tibi juſtius ſit, quam Catholicam fidem defendere, ad Sublimitatem tuam hujuſmodi pertinet, ut in hujuſmodi fidei negotio militantibus, qualis vir iſte eſt, opem feras. Quare Serenitatem tuam hortamur in Domino, ut ipſum Jacobum ad prædictum Regnum revertentem ſolita humanitate ſuſcipias, & ab aliis, prout opus fuerit, ſuſcipi jubeas, illique auxiliis & favoribus opportunis aſſiſtas. Quod ſi facies, ut de te plene confidimus, ſperamus profecto magnum fidei & Religionis Chriſtianæ au-*

augmentum illi patriæ futurum, multa etiam tibi felicia ſucceſſura, dum per ipſius doctrinam extirpatis hæreſibus, ſubditi tui in rectitudine fidei & timore Domini eruditiores effecti, ad debitam tibi obedientiam & reverentiam, exhibendam promptiores reddentur. Neque Sublimitati tuæ difficile erit hac veritatis ſpe opportune ſuccurrere. Nam ſi paucos ex iis, qui illi moleſtias ingerunt, tua virtute repreſſeris, timentibus ceteris, nihil obſtabit, quoad evangelizandam Chriſti doctrinam latiſſimus ſibi ſe campus aperiat, ex quo pro Dei gloria omni illi patriæ fructus uberes afferantur, qui etiam nomen & meritum tuum apud Deum & homines majorem in modum efferant; & quidem hæc, fili cariſſime, pro tua Religione & fide, animo iſta amplectere, & quantum conſideranti tibi Chriſtus illuxerit, illa proſequi ſtudeas, ſicut de tua Serenitate, ut ſupra diximus, plene ſperamus. Nos etiam, ſi quid pro implendis hujuſmodi rebus ex parte noſtra faciendum fuerit, id libenti animo ſemper impendemus. Datum Ferrariæ. XVII. *Kalend. Decembris &c. anno* VIII.

Tom. 10. anno 1434. n. 8. Ann. 1436. n. 15.

XXI. Commiſſæ ſibi ante triennium præfecturæ Hieroſolymitanæ tempus abſolvebat Jacobus Delfinus, de quo alias dixeram, primus familiæ Obſervantum ſacrorum locorum Primicerius, cum Albertus Sartianenſis illac, uti ſcripſeram, tranſiens ſuffragia potioris partis ibidem commorantium, ut Superiorem acciperent Nicolaum Auximanum, vulgo Oſmenſem, ad Pontificem anno proxime elapſo deferret. Ut Venetias una cum Græcis appulerat, ſtatim Bononiam profectus, Eugenio Fratrum vota expoſuit, Nicolaum a pietate, a prudentia, a bono regimine & longa rerum experientia commendavit. Obtinuit ut poſtulantibus ſatisfieret, modo id probaret Miniſter Generalis. Atque hic libenter annuit, indicata Pontificis voluntate, & ex condicto Nicolaum huic muneri deſignavit, abſoluto ab officio Procuratoris Hieroſolymorum fratre Antonio de Tarviſio. Albertus poſthæc Venetias mittitur, a Pontifice ſibi injunctam legationem ad Æthiopes curaturus, & Nicolaus a deſtinato, non poſſeſſo, revocatur honore, continuato in officio ſupradicto Delfino, donec Miniſter Generalis de ſucceſſore provideret. Male hoc habuit præcipuum promotorem Albertum, qui & ſanctorum noſtræ redemptionis locorum bono cavebat regimini, & virum optimum ludibrio potius ſe expoſuiſſe, quam honori adſciviſſe dolebat. Duo hominum genera huic proviſioni adverſabantur, & Delfini amici, & qui Nicolaum diligebant; illi ne propitium amitterent præfectum, iſti ne ſanctiſſimi Viri ſolatio privarentur. Utrique cauſam ſuam agebant, non ſanctorum locorum commoda quærebant, etſi hæc curaſſe videbantur, dicentes Nicolaum magis pium, quam providum; magis debilem, quam robuſtum; otio potius, quam labori deditum, & alienæ omnino conditionis, quam munus illud moleſtiis & curis grave expoſtularet. Objecta hæc diluturus Albertus, cauſamque dicturus Nicolai, doctiſſimas & graviſſimas certe ſcripſit litteras ad Chriſtophorum Epiſcopum Ariminenſem, Pontifici familiarem, & ad Guillelmum Generalem Miniſtrum, quas lectore dignas, ſententiarum ubertate plenas, gravi ſtylo conſcriptas non abs re hic tranſcribo, omiſſis aliquot fragmentis, quæ rem iſtam non omnino concernunt.

Nicolaus Auximanus deſtinatur Guardianus Hieroſolymitanus. *Regiſtrum Ordinis.*

Sed deſtituitur. Ægre id fert Albert. Sartianenſis.

Do-

Domino venerabili, & præſtantiſſimo Patri, Chriſtoforo Epiſcopo Ariminenſi.

XXII. *Solet a veteribus, Vir eximie, nullius maculæ loco poni, ſed virtuti magis adſcribi, ſi illa ab amicis libere poſtulentur, quibus mos eſt, ut eſſe debet, ea etiam inimicis non poſtulata tribuere, tum maxime, cum neque petentis ſinceritas, neque dantis bonitas poteſt in alicujus delicti crimen, aut dando aut poſtulando vocari* (quibuſdam intermiſſis) *Qua de re ita velim non inaniter exorare, ut omnem curam, ſtudium & diligentiam tuam perficiendo honeſtiſſimo negotio adhibere non dubites; quod ut aperte perſpicias, quædam mihi ſunt paulo altius repetenda. Sanctæ Hieroſolymæ noſtræ ſalutis & redemptionis humanæ celeberrima loca, cum valde gubernatore aliquo & probo homine indigerent, illumque, me auctore, Fratrum pars major a ſancta Beatitudine Eugenii Papæ inſtantius poſtularet, factum eſt, cum adhuc eſſem Bononiæ, ut vir bonus & doctus, ac ſancta opinione ſuavis, noſtri Ordinis, Nicolaus Oſmenſis eiſdem regendis locis, ac Fratribus gubernandis ab ipſo ſanctæ Eccleſiæ ſummo Paſtore præficeretur. Hunc poſt diſceſſum meum quidam ab iſto honore non niſi turpiter ſunt conati depellere. Quod ipſum eſſet aliqua ex parte ferendum, niſi hujus privationem damna communia illius terræ ſanctæ, & proficiſcentium peregrinorum incommoda majora conſequerentur, quæ profecto tam multa ſunt, ut eis ſublevandis laborem tuum magno cum merito impartiare. Eſt enim hæc cauſa hujuſmodi, quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere debeat, quin ea quoad fieri poteſt, apud Paſtorem ſummum, & diligenter agatur, & agenda atque inſtauranda ardentius procuretur. Nam quis non iniquo animo ferat, ut in eum hominem, qui præcipua virtutum fama & meritorum laude claret, falſis accuſationibus erigantur injuſti? invidiam conflent? honore privent? Quæ res, præter communem jacturam ſanctorum locorum, videtur mihi maxima hujus deformandi hominis cauſa, atque illius famæ plurimum detrahendæ, & ad extremum magna cum contumelia ſpoliandæ ſine juſta ratione dignitatis. Ad quam proculdubio deponendam, ſi juſſus venit, vim injuriæ perpeſſus eſt; ſi provocatus, errorem; ſi ſpontaneus, timiditatem, atque puſilli animi levem inconſtantemque metum, quem, ut ab adverſariis taceam, ab amicis criminis loco haberi ſolere exploratum habemus. Verumtamen quis ferat, ſi non peccanti auferatur is honos, qui non petenti delatus eſt? Illos vero quis non abjiciendos cenſeat, qui ad ea quamvis onera, tamen perquam ſalutaria, turpiter deponenda probum hominem provocarunt, unde damna incredibilis jacturæ ſuboriantur? Hujus accuſationes a quibus fontibus profluxerint, quis auctor & caput earum extiterit, haud equidem neſcio. Quam autem ob cauſam, nunc dicere omitto. Sed ſunt qui nolint eum, qui modo in regendis gubernaculis (quam inepte taceo) eſt Hieroſolymæ, ante triennium conſtitutus, ad Italiam ab Oriente redire. Sunt item qui Nicolaum iſtum, quem nuper Eugenius Papa Majorem Hieroſolymis gravitate ſanctiſſima inſtituerat, ab Italia ægre patiantur ullo modo diſcedere, abire, propelli. Hæc duo hominum genera negotium totum evertunt: nam ſanctæ Beatitudini Papæ velut ineptum Nicolaum abſolvendum proponunt, Nicolaum vero laborum metu, ne proficiſcatur, deterrent. Et fit profecto, ut alii amore præſentis, alii abſentis moleſtia, ne dicam odio, in unam ſententiam abjiciendi ab officio Nicolai pariter coeuntes, & pium ſanctiſſimi Papæ animum mendacio circumveniant, dum*

ve-

veras rationes, vel potius paſſiones occultant, & metum inanem Nicolao incutiunt, quem falſis rationibus terrere conantur. Quas omnes profecto facile hic modo diluerem, ſi contra eas vel modice dicendum cenſerem. Verum ne multa dictare compellar, mitto ad te litteras cum iſta Epiſtola noſtra, quas ad Patrem communem noſtræ totius Religionis, ante paucos dies pro Nicolao tuendo. edidimus, in quibus videbis rationes adverſariorum nos apertiſſime refelliſſe. Quibus tamen Nicolaus noſter territus eſt, non quia veras, qui contra ſentiunt, eas attulerint; ſed quia Nicolaus, qui per humilitatem in nullo gerendo negotio ſe æſtimat tanti, eas arbitratur haud dubium eſſe veras; præſertim quæ ab his profectæ videntur, a quibus non ſe ambigit diligi. Atque equidem etiam credo, aſſentior, do illos diligere Nicolaum, eaque dilectione fieri, ut ne parum quidem velint illo carere; ſed an ſapienter, an ſobrie, an juſte diligant, prorſus inficior. Nulla enim in amicis diligendis ſapientia eſſe poteſt, quæ juſtitiæ rationem non habeat. Juſtitiæ vero æquitate caret, qui majoribus minora præponit, ac proinde nec modeſtiæ ſobrietas eſſe poteſt, ubi inſipienter juſtitia vel exceſſu præſtat, vel defectu inferior eſt. At vero quis neſciat bonum illud eſſe præſtantius, quod ſibi publica emolumenta rectius vendicant, quam aut privatis utilitatibus, aut non ita communibus anteponant? Cum igitur ſanctorum locorum diligentior conſervatio complures utilitates, etiam quas communes & magnas novimus, antecellat, perſpicue injuſtus eſt, qui Nicolaum amoris injuſti perſuaſione prohibuit, ne vel impoſitum publicæ utilitatis onus caritate obedientiaque ſuſcipiat, vel ſuſceptum ignavi animi timiditate rejiciat. Quæ quidem omnia non recte noſtræ ſupputatio comprobaret, ſi non cuncta præclara, quæ in officiis religioſe adminiſtrandis cum præcipua virtutis laude de homine honeſtiſſimo & modeſtiſſimo dici ſolent, in iſtum Nicolaum aperte & chriſtianiſſime quadrare viderentur. Verum pro iſta non improbandæ rationis parte, brevitatis cauſa ad noſtram Epiſtolam te remitto, de qua paulo ſuperius mentio facta eſt. Fructus autem publici muneris a Nicolao noſtro, ſi Hieroſolymam proficiſcatur, ampliſſimos obeundos nemo ſapiens dubitet, cujus famæ odore allecti ex noſtro Ordine multi & boni & ſancti Viri cum ipſo pariter commeabunt. Per ejus præterea operam temperatis ſumptibus, paulo hactenus effuſior vita quadam frugi parſimonia commutabitur. Is, ſicut decet Religionem, ſanctiſſimis Inſtitutis ſubditorum mores componet. Genus vitæ melioris ſua illic diſciplina conſtituet. Induſtria vero præcipua improborum morum præteritis corruptelis ſapientiſſime providebit, hæreticos atque ſchiſmaticos, quorum maximeque Græcorum, Hieroſolymis permagna copia eſt, exemplo vitæ atque eruditionis præſtantia, ut bono animo ſum, ad frugem, ut dicitur, bonam morum ſideique adducet. Infidelibus, ſicut res poſtulabit, nunc manſuetudinem, nunc veritatem, nunc conſtantiam exhibebit. Peregrinis autem Chriſtianis pro vario conditionis genere, claris honorem, minoribus adjumenta, mediocribus conſilia præcipua tribuet. In rerum abundantia temperantiam; in penuria patientiam; in pace gaudium ſanctum; in perſecutione fortitudinem afferet. Animabus inferiorum ſuorum præcepta Religionis, corporibus vero illorum curam diligentiſſimæ diſtributionis daturus eſt: in convictu, quem communem cum ſubjectis Religionum Superiores habere oportet, bonis humanitatem, honorem, ac præmia, malis juſtitiam coercitionis, dulcedinem compaſſionis, exhortationem emendationis exſolvet; ſibi ſanctimoniam religioſæ converſationis, omnibus amorem, nulli regiminis arrogantiam aliquando præbebit. Quibus omnibus ſane præſtantibus rebus, nihil in vita melius pro locis ſanctis accidere poteſt. Quid enim aut utilius, aut jucundius,

aut honeſtius dici poteſt, quam ut illic ob ſacramenta fidei is homo integer inſtituatur, locetur, perſiſtat, qui cum ad ſuos, tum ad ſe, munditiem recte degendæ vitæ; ad infideles, veritatem veræ credendæ fidei; ad credentes, ſuavitatem opinionis; ad omnes, fructus devotionis, Deo auctore, tranſmittat? Talis, mea ſententia, eſſe debebit, qui ad regenda gubernacula ſanctorum locorum præficiendus eſt. Mihi vero pro ſua virtute de Nicolaa ea ſpes eſt, ut eorum, quæ diximus, aut omnia ſibi adeſſe putem, aut admodum pauca defutura. Quæ & ipſa, Chriſto propitio, in illo perficienda eo minus deſpero, quo ſi Hieroſolymam proficiſcetur, ſanctorum Fratrum, qui illum ſequentur, prudentia, conſilio, caritate, ac præſidio ſublevabitur; ipſe præſertim, qui per humilitatem ſuam ſapientum virorum, ac ſervorum Chriſti, qui in via Domini triti ſunt, conſiliorum adjumenta minime aſpernabitur, in neminem ſe præferendi ſuperbia eriget, in ſubditos benemeritos nequaquam ſubjiciendi jactantiam oſtentabit. Quæ vitia, omnium ſapientum judicio, ſi inſunt ei, qui præſidet in omni generis dignitate, oblitum illum tamdem humanæ conditionis ad impuriſſima nefariæ licentiæ convertent, & crudeliſſimum tyrannum efficient, qui non ad publicam utilitatem prudenter invigilet, ſed ad ſolii ſui inſolenter nutriendas delitias ſuperbe ſuſpiret. Quæ cum ita ſe habeant, humaniſſime Pater, & nimium in Domino venerabilis, te obſecro, te vehementer obteſtor, per ſacrum dogma noſtræ Religionis, per profeſſam regenerationis fidem, per repromiſſam meritorum coronam, ut tua ſapientia atque induſtria pro cauſa Nicolai, imo potius Chriſti, is eſſe velis, qui ſaluti fidelium & augmento Religionis in gubernatione ſanctorum locorum adverſus contraria ſapientes providiſſe videare, atque id ipſum apud neminem efficias, oro, præter Beatitudinem ejus, qui vere Papa, Paſtor & Pater omnium, Chriſti in terris perſonam magna ſollicitudine gerit. Cujus eximiæ Sanctitati ſalubriter vellem perſuaderes, ut Nicolaam noſtrum, qui per errorem gerenda bona publici muneris, & obeunda communis utilitatis officia prætermiſit, priſtinis negotiis adminiſtrandis etiam invitum reſtituendum exiſtimet, ne multorum emolumentis privatus error officiat, nec ſanctis locis aliena aut injuſtitia, aut ut mitius interpreter, ſtultitia noceat. Quare propter accuſationes, quæ in Nicolaum conferuntur, ab re præclare gerenda debet abduci nemo, quoniam illæ quidem ſunt potius maledicta, quam crimina, & convitia magis, quam accuſationes dicendæ ſunt. Quæ ſi in alios conjecta ſint, malam in partem haud dubie accipi poſſunt; ſi ad Nicolaum referantur, nequaquam in bonam, quamvis ab amore, ſed tamen ſtulto manare videantur: quo cæcati quidam aſſerunt, ob id Nicolaum tanto onere levandum eſſe, quod ſolitariæ vitæ otia honeſta cum natura, tum uſu libentius expetat: quaſi vero non omnes ſervi Dei hoc ipſum efficere debeant, & plurimi majorum noſtrorum, qui clariſſimi habiti ſunt, hodieque habentur, ei vitæ, quantum in ipſis fuit, penitus ſe dediderunt. Quorum tamen plerique regendis Eccleſiis, etiam inviti, foras ab otio ad negotium prodire compulſi ſunt, geminam ſuæ totius vitæ, & private & publice tamdem laudem reportantes; unam quidem humilitatis ſive modeſtiæ, qui ad honores libidine gloriæ inflammati ſponte non rapti ſunt; alteram obedientiæ, qui vocati ad onera, imo juſſi, pro caritate, non proterve, non pertinaciter, non pugnaciter reſtiterunt. Et, o Deus immortalis! utinam hujus contraria omnino conſuetudo ſublata a Chriſtiano more non eſſet: multi profecto hoc præcipuo laudis genere in Eccleſia Chriſti noſtra ætate florerent, ſi non ſanctiſſimum illum veterem uſum jam pene prorſus obſoleviſſe conſpiceremus. Mos vetus erat, qui quos fructus uberes tum pareret nemo dixerit, ut illi gubernacula re-

Boni Prælati ad dignitates aſſumantur inviti.

*regenda ſuſciperent, qui ad ea cogerentur inviti. Quod genus immortalis laudis in Baſilio, & Gregorio Nazianzeno viris ſanctiſſimis, eruditiſſimis, eloquentiſſimis, & ſummis Græciæ Eccleſiæque luminibus: itemque in noſtris Gregorio, atque Ambroſio, doctrina quidem inter Chriſtianos ac ſanctitate paribus, & Latinæ linguæ ſplendoribus enituiſſe, memoriæ proditum eſt. Et ut antiquiora repetamus, Marcus ipſe Evangeliſta * ampucaſſe ſibi pallicem legitur, ut ſacerdotio reprobus haberetur. Quod tamen ipſum violenter ſuſceptum ſumma cum gloria ad finem uſque Alexandriæ, atque in Ægypto adminiſtravit, perduxit, complevit. Ita cupiam Nicolaum etiam renitentem tua opera Hieroſolymæ præfici. Cogita, obſecro, ipſe tecum, quanta res ſit, in qua pendere magnum pandus Religionis videatur, non ſane privatæ alicujus, ſed Chriſtianæ omnis, ſi quorum ſint myſteriorum loca, conſideres. Quibus cum ſapienti adminiſtratione regendis bonum aliquem præfici oportere, non dubium eſt. Eum eſſe Nicolaum Oſmenſem mihi perſuadeo, cui quis par ſit inter noſtros, non mihi venit in mentem.* (Poſt multa.) *Hoc ego in genere, ut ad cauſam redeamus, Nicolanm noſtrum non modo talem eſſe exiſtimo, qui enumerari cum ceteris debeat, verum etiam quia conſilio & ſapientia multum poteſt, qui poſſit facile multis ex hoc bonorum numero, meo judicio, præſtare. Equidem, ſuaviſſime Pater, pro hac cauſa oravi te ſatis, & vereor ne longitudo mea aliquod tempus tuis negotiis, ſi me ſimul tam multa ſcribentem totum legas, præripiat. Nam de moleſtia, quam tibi ingeſſerim, nihil dico, cum avide cupienti ſoleat ſermo, qui placet, etiam cum verboſior eſt, videri parva tempora conſumpſiſſe. Cupiditatis autem ac dilectionis erga me tuæ, præter reliqua omnia argumenta, illud eſt ingens, quod etiam ex ſcripturis noſtris a me per Sacerdotem quemdam ex tuis illa volueris mutuari, quæ ſunt multo, quam iſta epiſtola, longiora. Quo mihi perſuadeo, te nulla litterarum noſtrarum prolixitate poſſe terreri, maxime cum ea ad te ſcribuntur, quæ ſunt ejus naturæ, cujus eſt, ni fallor, hæc noſtra epiſtola. Talia enim per noſtram parvitatem ad te nunc litteris præferuntur, quæ palam eſt, quod ea ſibi religio, honeſtas, veritas, & juſtitia, jure optimo vendicant. Vale, ex Venetiis.* XV. *Kalend. Julias* MCCCCXXXVIII.

* *Ad an. 1357. n. 5. notavi hoc intelligendū eſſe de Marco Anachoreta.*

Fratri Guillelmo Caſalenſi, Clariſſimo Theologiæ profeſſori, totius Religionis Patri communi.

XXIII. N*On poſſum eſſe, quod libere fateor, quieto & tranquillo animo, Clariſſime Pater, cum ex Bononia recentibus & frequentibus litteris, & fama & nuntiis quotidie mihi affertur Nicolai noſtri Oſmenſis ab officio illo ſuo nuper facta dimotio, quem tanto ſtudio ad prohibendam ſanctorum locorum in moribus corruptis calamitatem Hieroſolymæ regendæ præfeceras; ea præſertim gravitate, quæ non modo de virorum eruditorum, proborumque conſilio, verum etiam, quod in primis dicendum fuit, de Summi Paſtoris ac Principis mundi mente & voluntate, qui Chriſti in terris perſonam gerit, ſententia ſinceriore profecta erat. Hujus profecto, quamvis a magno onere abſolutionem, undecumque illa manarit, quia opinio famæ & honoris ejus vehementius læditur, non ſine ratione graviter fero. Nam ſi invitus a ſuo gradu depulſus eſt, quis non eum, quantum apud homines ſe res habet, magna injuria laceſſitum putabit, quem multorum ſententiæ ante probaverant? Si vero volens & ſciens ad abjectionem, ut forte putat, inutilium moleſtiarum pervenit, non ſolum ignaviæ, ſed levitatis & inconſtantiæ, non dicam crimen, certe vel maculam non facile diluendam incurrit. Neque*

que enim quiſquam ad ſubeundas ſive laborum ſarcinas, ſive periculorum diſcrimina, illum ante coegerat, quin poſſet omnia facile tum ſaltem abjicere, cum invito ac ferre nolenti, vel non valenti abs te illi imponebantur. Quod ſi feciſſet, nullus adverſus eum juſte poterat commoveri, cujus officii vel minima notio, nullum adhuc ne oppidum quidem attigerat, ut nunc Italiam pene omnem pervaſit. Verum dixerit aliquis, aliis conſulentibus, aut provocantibus hoc illum feciſſe. Ego vero audacter dicam, neminem ſapere, qui eis conſiliis aſſentiatur, unde ſine fructu opinio levitatis exoritur. Sed & ſi qui ad hoc illum quovis conſilio concitarunt, eos dico de exiſtimatione hujus hominis nullam, de conſervatione vero ſanctorum locorum parvam rationem habere. Quæ enim poteſt eſſe in quoquam de ſanctis locis niſi omnino inſulſa ratio providendi, ſi pro homine religioſo, & docto, & frugi, ac ſancta fama celebratiſſimo, ganeo aliquis, ut ita dixerim, & irreligioſus, atque effrænata mente immitis, aut conſtituatur, aut permaneat? Quod ſi alium ſubrogandum religioſum virum putabis, is erit, quantum exiſtimo, de quo majus publicæ utilitatis diſpendium ſubſequatur, præſertim ſi e numero prædicatorum extiterit, qui Major illis in locis conſtitutus, a populis in moribus & fide inſtituendis, & ab Italia propellatur; ſin vero ignarus quidam illic futurus eſt, quæ ſequantur incommoda probe noſti, ubi a viro aliquo ruſticano, nec proficiſcentes fideles exempla devotionis, nec cohabitantes inferiores præcepta religionis, nec adventantes infideles fidei noſtræ vel documenta, vel conſtantiam, vel tutamenta ulla penitus reportabunt. Quod ſi poſtremo doctum aliquem miſeris, quis, oro te, Pater, is erit, in quo tot partes integritatis, eruditionis, modeſtiæ, famæ & multarum præterea virtutum, ut in hoc uno Nicolao conveniant? Sed ſunt, ut ad me perlatum eſt, qui dicant Nicolaum iſtum in rebus agendis non multum valere, corpore vero eum gracilem eſſe; negotiis minus exercitatum, ad tolerandos labores per quam fragilem, otia potius quietis diligere: illic autem & pro muris ac tectis Eccleſiarum inſtaurandis, & pro Sarracenorum rabie comprimenda, homine viva, ut dicitur, & ardenti conditione, aſtuto, & pene dixerim vafro aliquo opus eſſe. O obtuſam hominum cæcitatem! quaſi vero murorum, quam morum ratio potius Chriſtianis & Religioſis habenda ſit, quorum alteri ſi non adſint, non magna jactura eſt, ibi maxime, ubi ſæpius a Barbaris, ſalva in nobis religione noſtræ fidei, diruuntur? alteri vero ſi de medio fiant, ne muri quidem in ſublime porrecti, quamvis fulgentibus laquearibus aliqua ex parte poſſunt prodeſſe. Religio enim fidei ſine morum ſingulari præſtantia, aut funditus ex mentibus Chriſtianorum evertitur, aut, ut mitius loquar, colluvione vitiorum nefandiſſima violatur. Nonne præterea lenem magis atque humanam facilitatem, Chriſtianam mitisatem, veram ſinceritatem, cæleſtem ſimplicitatem in Chriſtiano homine infideles homines aut admirabuntur, aut laudabunt, aut imitabuntur, quam aſpera ſeveritate, & vulpina calliditate, & diabolica mendoſitate deterrebuntur; in ſua præſertim patria, ubi & decernendi pro ſe, & vindicandi adverſum nos ampla eis & libera facultas tribuitur? Fragiles autem corporis vires mirum eſt quod vehementer quiſpiam adverſus Nicolaum noſtrum promoveat? Quaſi vero eum non præceptorem & patrem ſervorum Dei conſtituendum Hieroſolymis putent, ſed vel militem, vel athletam, vel nautam aliquem, vel metallorum foſſorem, exciſorem lapidum, montium ſubverſorem, aut quempiam ex his, qui duro operi mancipantur, qui quoniam eis corporum permagna fortitudo neceſſaria eſt, idcirco bubalorum, boum, porcorum, caprorum, cervorum carnibus opus habent, qui armorum & reliquarum rerum pondera vehunt, qui pugnis & calcibus, & diverſorum

telo-

telorum generibus ſua invicem membra debilitant, qui remos trahunt, quorum latera ad clamandum & ad dicendum ſunt valida, & qui ſub ſudore atque imbribus dormiunt. Hiſi ita de Nicolao ſapiunt, multum deſipiunt, quoniam ut noſter Hieroſolymitanus Hieronymus ait: Religio noſtra non athletas, non nautas, non milites, non foſſores, ſed ſapientiæ erudit ſectatores. Hieron. vel auctor com. in parab. Salom. c. 1. Sed etſi aliqua debiliore valetudine prægravatus, neceſſaria itinera non poſſet incedere, mos ei patrius etiam ſano erit vel invito ſervandus, ut jumento aliquo, ac minime aſinario ſubvehatur. Neque enim furor Sarraceniens pateretur inter eundum pedeſtres homines Chriſtianos remiſſo gradn, niſi magno cum periculo poſterius remanentium tardius evagari, qui ea celeritate fideles peregrinos conducunt, vel potius trahunt, ut vix eos ſancta loca tranquille ad parvam horam patiantur inviſere. Verum eſto Nicolaus noſter inſigni ignominia maculetur, ſi diligat otia, ſi tardus ſit ac remiſſus, ſi fragilior in rebus gerendis, num propterea illa, quibus præditus eſt, conſideranda non erunt, virtutem animi loquor, prudentiam, vitæ ſanctimoniam, doctrinam, religionem, quibus non muros, ſed mores in Fratribus, in Chriſtianis, in infidelibus inſtituere, componere, conſtruere queat? Vidi ego pleroſque eorum, qui religionis & ſervorum Chriſti cenſeantur nominibus, diligentiam erigendarum ingentium machinarum, & ſubvehendorum maximis molibus ædificiorum probe callere; qui vero noſſet ad bene beateque vivendum vel præbere formulam, vel præbitam conſervare ac fovere, aut nullos, aut admodum paucos. Sed etſi aliqua in re gerenda ſive ignavia, ſive inſcitia remiſſior fuerit Nicolaus (ita enim ſe habet humana infirmitas, ut ſibi ipſa per ſeſe minus ſemper ſufficiat, ut a vero aliquando aberret, ut inertia & deſidia ſæpius ſuperetur.) Si, inquam, Nicolaus talis futurus eſt, quæro primum ab his, qui in hujuſmodi negotiis ſapientes ſibi videntur, quis in officiis adminiſtrandis non frequenter inutilis ſit, nec tamen reliquis in rebus admodum utilis? Ego præter Apoſtolos & Apoſtolicos nonnullos viros, neminem arbitror extitiſſe, ſed neque eſſe, neque fore, qui in officiis adminiſtrandis vitio omni caruerit, ut neque per morem, atque uſum & proprium & privatum & humanum, neque per ætatem, neque per errorem, etſi non corrupto, ſaltem perquam fragili animo, in rebus gerendis quidquam peccaverit, aut agendo, aut non agendo, quæ & agi non debent, & agi debent ex adverſo. Itane igitur ſtulti erimus, ut quoniam ſine vitio inſtituta Religionis nullus adminiſtrat, præficiendum rebus gerendis ullum penitus deſperemus? minime, imo vero cum abundant qui ſcelerate, qui perdite, qui nequiter cauſam Religionis tuentur, rem communis utilitatis negligunt, publica emolumenta non curant, tunc maxime etiam fragiliores, dummodo non pejores, inſtitui debere cenſendum eſt. Tantum abſit notanda enormitas ab his, quibus gubernacula regenda committimus; abſit inquinatæ vitæ & famæ læſæ opinio, abſit intemperatus animus & corruptus; abſint affectatæ morum ſordes; abſit contemptus cum pro ſe, tum pro aliis recte degendæ ac juſte regendæ vitæ; abſit deinde neglecta cura ſemper melioris quærendi; abſit poſtremo nequitia præficiendorum ullo modo penitus corruptorum. Hæc, inquam, omnia pro ſuis locis longe abſint, propellantur, abjiciantur, tam ab his qui inſtituuntur, quam qui inſtituunt, & tum nullo cum metu illi inſtituantur, quibus etiam plurima deſunt. Nam hoc in genere omnem hominem decet, & Chriſtianum decet maxime magna cum ſpe bono animo eſſe, non defuturum Deum fidelium, qui quæ deſunt, reliqua ſuppleat, qui minus recte facta, ſi modo non ſint ſcelerata, non imputet, qui aucto rectorum inſtitutorum ſpiritu fieri crudeliter punienda non ſinat. Deinde in quo ſatis Nitolaus ipſe non fuerit, quod de corporis

dum-

dumtaxat viribus loquor, num a Fratribus, num a ſociis, num a ſubditis, ut Pater a filiis relevandus, juvandus fovenduſque non erit? Nam quid cauſæ eſt, ut minoribus præficiantur majores, niſi ut illis in omnibus, quæ agenda contingant, obtemperandi prompta voluntas, iſtis autem honeſtis in rebus imperandi ſit diſcreta poteſtas? Equidem, ut, quod ſentio, eloquar, pene nulla ratio eſt inſtituendæ religionis, quæ non ad prædictas cauſas facile deducatur, aut ab eis emanet, proficiſcatur, derivetur. Quæ profecto ambæ omnis veræ religionis cauſæ pacem pariunt, quietem augent, concordiam fovent, dum inter juſte obtemperantes, & recte imperantes diviſa pondera graviora, onera leviora efficiuntur. Nam quod majores per ſeſe efficere nequeunt, jubendo agunt; quod vero Minores diſponere neſciunt, obediendo conſummant. Et ſit profecto apud eos, qui mutua ſibi invicem ſuffragia exhibent, ut alternis communibuſque ſubſidiis ad calcem ea perducant, quorum exitus & proprio & privato præſidio non patebat. Hoc eſt, ut arbitror, quod ſcriptura ſancta nos admonet, dicens: Frater qui adjuvatur a fratre quaſi civitas firma. *Et alio loco idem Salomon ait:* Melius eſt duos eſſe ſimul, quam unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur; Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem ſe; & ſi dormierint duo, fovebuntur mutuo. Unus quomodo caleſiet? Et ſi quiſpiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtent ei. Et funiculus triplex difficile rumpitur. *Quæ cum ita ſint, ſuaviſſime Pater, proſtratus veſtigiis tuis ea humilitate, quam mihi erga te omni tempore habendam profeſſus ſum, nec minore fiducia, quam paternus in me amor tuus de te habere libere ſinit, te obſecro atque oro, te inſtanter admoneo, primum tibi cavendos eſſe contra Nicolaum noſtrum talia ſubornantes, quoniam cum fallacibus argumentis nitantur, indigni ſint, quibus in damnum & nec ferendam jacturam ſanctorum locorum fides adhibeatur. Deinde propterea quod non mihi modo, qui hujus adminiſtrandæ promotionis auctor viſus ſum, verum etiam tibi, ac multo magis Nicolao, alteri promoventi, alteri promoto hanc abſolutionem turpiſſimam eſſe duco; providendum magnopere cenſeo, & diligentius occurrendum ſuſpicionibus hominum, qui id factum, ut vulgo ſit, varie interpretantur. Non quod omnia de nobis hominum judicia, etiam quæ falſa ſunt, vitare poſſimus; ſed quod illis ſit maxime noſtra ſapientia ſilentium indicendum, quæ juſte in nobis, vel levi occaſione, vel veriſimili ac probabili præbita conjectura carpi ab adverſariis poſſe videntur. Poſtremo cura, mi Pater optime, pro tuo ſtudio, pro tuo more, pro inſtituto, atque officio, ut Nicolaus noſter priſtino honori, quamvis magno cum onere, etiam nolens, aut potius renitens & repugnans reſtituatur. Quod unum ſi tua induſtria compleatur, taceo quam mihi rem gratiſſimam feceris, illa dico potius, quæ profecto majora ſunt. Certe ſanctis locis præſidia permagna præſtiteris, malevolos a temeritate præpediendæ ſaluberrimæ proviſionis compreſſeris, Nicolao juſtitiæ libram juſtiſſimam exhibueris, bonorum tibi omnium, qui recte ſapiunt, & amorem & laudem comparaveris, quibus ſane plus lætitiæ Nicolai dignitas allatura eſt, modo recuperata, quam præbuerat ante ſuſcepta. Datum Venetiis &c.* MCCCCXXXVIII.

Prov. 18. 19.
Eccleſ. 4. 9.

XXIV. Etſi docte ſcripſerit & egregie peroraverit Albertus, Nicolaum non potuit ad gradum revocare, quem ipſe libenter antea depoſuit, & Pontifex in Gandulphum Siculum, Regularis Obſervantiæ virum apprime idoneum tranſtulerat. Erat porro Hieroſolymis inſtitutus Procurator ſecularis ſanctorum locorum quidam inſolentiſſimus, importunuſque quæſtuarius, qui a puero gregarius erat miles, ſeu de media plebe vile mancipium,

Procurator Terræ ſanctæ fraudulenter agit cũ Fratribus.

pium, haud integer ab illis vitiis, quibus iſtud hominum genus ſolet implicari. Hic paulatim tantam ſibi aſſumpſit licentiam, & callide ſe Fratrum ingeſſit regimini, ut penes ſe vellet omnem reſidere uti & pecuniam, ita & poteſtatem. Guardiani nihil illo inconſulto audebant facere, neque Fratres Prælatum petere, qui huic diſpliceret. Diſplicebant autem omnes, quos ſuo non putabat regendos arbitrio. Hic ille præcipuus auctor commotæ in Nicolaum Oſmenſem ſeditionis, neque minorem movit in Gandulphum, ut Hieroſolymas pervenit, quia liberum voluit ſibi regimen relinqui. Cupiebat valde Pontifex mores Fratrum, qui in illa vivebant regione, reformari, eoque tendebant Superiorum conatus, ut ſtrictioris vitæ Prælati ſubditos a laxiore revocarent. Non potuit hoc ferre quæſtuarius, omnemque movit lapidem, ne hujuſmodi inſtituerentur viri, qui viri eſſe vellent, & fraudulenter uſurpatam diſſiparent auctoritatem. Albertus Sartianenſis, ſacrorum locorum zelantiſſimus venerator, novas has turbas contra Gandulphum jam ad clavum ſedentem anno proxime ſequenti excitatas, nequibat patienter audire, quin acerrimas contra hunc nebulonem daret litteras ad Julianum ſancti Angeli Cardinalem, quem a Baſileenſibus ad Eugenium regreſſum, Fratres in Concilio Ferrarienſi impetrarunt peculiari decreto conſtitui ſanctorum locorum protectorem. Ejus auctoritate Joannes Capiſtranenſis provinciæ Orientalis, uti diximus, Commiſſarius, Hieroſolymas profectus, hunc procul abegit, nobilemque Venetum Joannem Martinum procuratorem & Syndicum inſtituit. Ita factum eſt, ut fidelius collectæ diſpenſarentur, & facilius introduceretur in Terræ ſanctæ domos Regularis Obſervantia. Gandulphum autem non hoc anno, ſed ſequenti inſtitutum, Delfino ſucceſſiſſe hoc docebit inſtrumentum: etenim mos erat novum annum a die Incarnationis Dominicæ, ſive Annunciationis Marianæ inchoare.

An. 1437. n. 24. Ei amoto alium ſubſtituit Capiſtranus.

Gandulphus Siculus inſtituitur Guardianus Hieroſolymitanus.

Dilecto filio Gandulpho de regno Siciliæ, Italiæ, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, in Conventu montis Sion & aliis locis omnibus Terræ ſanctæ, ac totius Syriæ Guardiano ſalutem &c.

XXV. *Exigunt religionis zelus, & alia honeſtatis ac vitæ merita, quibus perſonam tuam fide dignorum teſtimonio novimus inſignitam, ut illa tibi committamus, per quæ honori Dei & multorum ædificationi, ſalutique conſulatur, tum ipſe in honorum exercitio majoribus proficias incrementis. Cum itaque in loco montis Sion Ordinis Minorum, dudum conſueverint Guardiani de triennio in triennium deputari, & dilectus filius Jacobus Delphinus per nos deputatus Guardianus, ſuum triennium in eo loco finierit, Nos cupientes Ordini, loco & ceteris, quæ ſub eo gubernantur, ſalubriter providere, expectanteſque quod ea, quæ ex officio tibi incumbent, aut nos duxerimus committenda, laudabiliter exequeris, te prædicti loci montis Sion & aliorum locorum omnium in Terra ſancta & Syria conſtitutorum Guardianum pro triennio futuro, inchoando quamprimum illuc applicueris, tenore præſentium facimus, conſtituimus, atque etiam deputamus. Tibi nihilominus omnia & ſingula ad prædictum Guardianatus officium ſpectantia & pertinentia, tam circa inſtitutionem & deſtitutionem officialium, Procuratorum omnium, atque Fratrum, quam circa ipſorum locorum reformationem, & quæ alii prædeceſſores tui & Guardiani quomodolibet facere conſueverunt, faciendi, gerendi & exercendi, Fratres quoque, quos duxeris pro locis illis neceſſarios, ſponte venire volentes, ex omnibus provinciis dicti Or-*

Ex lib. 1. de Regul. ann. 8. fol. 159.

Ordinis accipiendi, exiſtenteſque in illis partibus quo volueris tranſmittendi, litteris noſtris, quæ in contrarium apparerent & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, auctoritatem, licentiam & etiam facultatem, harum ſerie concedentes, ac mandantes omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, quatenus te ad dictum Guardianatus officium admittant, tibique in cunctis illud concernentibus obediant cum effectu. Tu itaque, dilecte fili, injunctum tibi a nobis in virtute ſanctæ obedientiæ munus iſtud acceptare & taliter exercere cures, quod ſperati fructus exinde proveniant, & nos ordinaria tibi committenda in poſterum nitemur. Datum Ferrariæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVIII. XVIII. *Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno* VIII.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Quintan. de rebus Madriten. l. 2. c. 62.

Madritenſes vovent ſe celebraturos Cōceptionem Virgin. Mariæ.

„ XXVI. Hoc anno Mantuæ Carpentanæ ſive Madriti in Hiſpania dum
„ ſæva graſſaretur peſtilentia, Magiſtratus, Clerus, populus illud excogi-
„ tavit remedium, ut Virginem ſanctiſſimam Dei Genitricem aliquo de-
„ vincirent obſequio. Statuerunt itaque, ut dies Conceptionis ejuſdem
„ Virginis perpetuis temporibus feſtivus haberetur, ad divina officia illa
„ die omnes convenirent, publica & ſolemnis omnium fieret ſupplicatio,
„ & in pervigilio univerſale indiceretur jejunium. Ita ſe facturos publice
„ voverunt, publicarique juſſerunt per fratrem Alphonſum Minoritam in
„ Philoſophia Magiſtrum in Templo ſancti Andreæ.

Fr. Nucius Epiſcopus Ugent.

Fr. Petrus Aſculan.

Bzov. ann. 1424. n. 2.

Jovius in vita Sfortiæ.

Fr Joann. Clonferten.

Fr. Guiduccius Licien.

Tom. 10. anno 1418. n. 17.

Frater Antonius Arien.

XXVII. Epiſcopi hoc anno inſtituti ſunt, Ugentinus in regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hydruntino, frater Nucius de Neutono, per obitum Joannis, XVI. Kal. Aprilis. Aſculanus in Piceno in provincia Romana, frater Petrus Sfortia, magni Sfortiæ clariſſimi Ducis, artis militaris peritiſſimi filius, & Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolanenſis frater, per obitum Pauli, XII. Kal. Junii. Fratrem ejus Carolum, mutato nomine Gabrielem appellatum, Archiepiſcopum Mediolanenſem, etiam noſtri Inſtituti facit Bzovius ex Jovio; vere tamen non noſtræ, ſed Auguſtinianæ fuit Religionis. Clonferten. in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamen. frater Joannes Heyne Miniſter provinciæ Hiberniæ, per translationem Thomæ ad Tuamen. XV. Kal. Auguſti. Licien. in regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hydruntino, frater Guiduccius, ſive Guido translatus ab Eccleſia Alexanen. de qua alias diximus, per obitum fratris Thomæ, VIII. Idus Auguſti. Arien. ſub Archiepiſcopo Cretenſi, frater Antonius Mina Cretenſis, per translationem Benedicti ad Balneoregienſem, IV. Nonas Novembris.

Inquiſitores.

Ann. 1437. n. 3.

XXVIII. In Regiſtro Ordinis hos invenio Inquiſitores, & qui ſequuntur provinciarum rectores. Deputati ſunt in provincia ſancti Franciſci & partibus adjacentibus, videlicet in valle Spoletana & Umbria univerſa, qui in hæreticos inquirerent, frater Paſcutius de Aſſiſio & Paulus de Monteleone. Præceſſit in hoc munere frater Angelus a Peruſio, ſed occupatus in conſeſſibus & negotiis Concilii Ferrarienſis, uti ſupra indicavimus, & Inquiſitionis & Provincialatus, quibus fungebatur, renunciavit officiis. Deinde abdicante propter infirmitatem prædicto Paſcutio, ſubſtitutus eſt Lucas eadem urbe oriundus. Per univerſam Dalmatiam inſtituitur Inquiſitor frater Nicolaus de Duratio provinciæ Dalmatinæ Miniſter.

Pro-

Provinciarum hi erant Rectores.

In familia Ciſmontana.

PRovinciæ S. Franciſci Miniſter, Magiſter Angelus a Peruſio ſupradictus.
Romanæ, Mag. Scolarius de Monte Ilcino, de quo alias locuti ſumus.
Marchiæ, Auguſtinus de Monte Barochio.
Bononiæ, Hieronymus Faventinus.
S. Antonii, Mag. Daliſmanus Patavinus.
Mediolani, Antonius de Ruſconibus, qui Guillelmum ſecutus eſt in Generalatu.
Januæ, Gerardus de Valentia.
Tuſciæ, Mag. Philippus Lucenſis.
Terræ laboris, Mag. Gelaſius de Neapoli. Provinciales.
Calabriæ, Jacobus de Ipſigro.
Apuliæ, Madius de Hydrunto.
S. Angeli, Symonettus de Foggia. Ann. 1434. n. 8.
Pennenſis, Donatus de Celino.
Siciliæ, Lucas de Sarzana.
Dalmatiæ, Nicolaus ſupradictus.
Terræ ſanctæ, Mag. Nicolaus de Cypro.
Orientalis, Honufrius de Caſtro Durantis, provinciæ Marchiæ, quem præceſſerat Franciſcus Piſtorienſis.
Romaniæ, Mag. Ludovicus Utinenſis, per mortem Mag. Joannis de Nigroponte.

In Familia Ultramontana.

PRovinciæ Franciæ, Mag. Simon Philomena.
Aquitaniæ, Mag. Petrus Perquerii, qui diſputator erat in Concilio Florentino, & poſtea factus eſt Epiſcopus Cabellicenſis.
Provinciæ, Magiſt. Bertrandus Robaudi.
Burgundiæ, Mag. Petrus Branduſii.
Turoniæ, Mag. Petrus Legerii.
Aragoniæ, Mag. Antonius de Oculis nigris.
Caſtellæ, Mag. Joannes de S. Anna.
S. Jacobi, Mag. Lupus Cazaza.
Portugalliæ, Mag. Alphonſus de Paradiſo.
Angliæ, Mag. Thomas Roidnor.
Hiberniæ, Joannes While.
Coloniæ, Mag. Henricus Verle.
Argentinæ, Conradus Bomlini.
Auſtriæ, Joannes de Tulna.
Boemiæ, Joannes Kintha.
Hungariæ, Andreas de Agria.
Saxoniæ, Magiſt. Matthias Doring. Hic ille eſt, qui pro defenſione Lyrani ſcripſit in Paulum Burgenſem.
Daciæ, Joannes Nicolai.

Vicarii quaſi Provinciales regebant.

SCotiæ, Guillelmus Ker.
Boſnæ, Jacobus de Monteprandono ex provincia Marchiæ.
Corſicæ, Jacobus de Sazo Neapolitanus ex provincia Terræ laboris.
Sardiniæ, Raymundus de Turribus, ex provincia Aragoniæ, quem præceſſerant in eodem officio Magiſtri Bartholomæus Calvus, & Jacobus de Villanova ex prædicta provincia. Vicarii abſoluti.

Ex Vicariis Regularis Obſervantiæ, ſeu locorum devotorum, uti vocantur in Regiſtro, qui ſub Provincialibus pro ſolis Obſervantibus inſtituebantur, hos dumtaxat reperio.

Vicarii Obſervantium.

IN provincia Calabriæ, Matthæum Rheginum, virum inſignem.
Apuliæ, Antonium de Andria.
S. Angeli, Nicolaum de Piſchitio, quem ſequutus eſt Marcus de Florentia.
Pennenſis, Joannem a Peruſio.
Tuſciæ, Joannem Riccium de Florentia.
Siciliæ, Matthæum Agrigentinum. Virum hunc ſanctiſſimum & doctiſſimum ad varia munia evocabat Pontifex extra Siciliam, & reformatorem inſtituebat aliarum provinciarum, cui propterea abſenti, anno ſubſequenti ſubſtitutus eſt Chriſtophorus de Judicibus, etiam Agrigentinus. Pro variis rebus gravioribus ſibi commiſſis conceditur ei facultas, ut unum vel plures commiſſarios ſibi ſubjectos inſtituat. Panormitanum, & alia Clariſſarum Monaſteria juſſus eſt reformare in Sicilia.

Variæ facultates circa ſtudia Scholaſtica.

XXIX. Circa res Scholaſticas in eodem Regiſtro plura notantur hoc anno. Commiſſum eſt Joanni de ſancta Anna, provinciæ Caſtellæ Miniſtro, ut ſua propria auctoritate, abſque ampliori Generalis poteſtate, in prædicta provincia Baccalaureos & Rectores inſtituat. Joanni Nicolai, provinciæ Daciæ Miniſtro indultum eſt, ut in Conventu Lundenſi ſtudium erigat generale. Joanni While & Patribus provinciæ Hiberniæ præceptum eſt auctoritate Eugenii Pontificis, ut duo inſtituant ſtudia pro exercitio Theologiæ perpetuo duratura; unum in Conventu Galvienſi, alterum in Ponrenſi. Erant hæc ſtudia diſtincta a ſtudiis ordinariis Theologiæ, deſtinata ſolum pro exercitio provectorum, & eorum qui abſolverant curſum Theologicum cum laude, quique in ſtudiis generalibus deputatis, ſeu in univerſitatibus gradus Baccalaureatus, Doctoratus, ſeu Magiſterii erant ſuſcepturi, atque hujuſmodi generis ſtudiorum frequens occurrit mentio in Regiſtro. Datur facultas Paulo de Alexandria, ut ſub Magiſtro Franciſco Savonenſi Cuſtodiæ Papienſis Præfecto (alius hic eſt ab illo, qui ad apicem ſummi Pontificatus evectus eſt, cujus primordia referam anno ſequenti) audire poſſet doctrinam Franciſci Mayronis, quæ peculiari deſtinato ſubſellio illic legebatur. Magiſter Raphael de Spinolis provinciæ Januenſis, factus eſt lector Palatii Apoſtolici, in quo officio alios præceſſiſſe alias narravi; nec quando horum Lectorum ſeries deſierit, adhuc comperio. Paulo poſt aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Ajacenſem in Corſica: prædicta enim inſtitutio facta eſt hoc anno die v. Aprilis, & ſub XVIII. Septembris Miniſter Generalis ei concedit jam Epiſcopo Ajacenſi, ut ſecum continuo poſſet retinere duos Fratres ſui Inſtituti. Id ipſum impetrarunt ab eodem Miniſtro ſub hoc tempus Bartholomæus de Gatulis, alias de Gactolis, Meſſanenſis, & Joannes de Viginti millibus, Montis-Regalis Archiepiſcopi, Ordini addictiſſimi, & ſi quando illi deficerent, ut poſſent alios ſubrogare.

Raphael de Spinolis lector ſacri Palatii. Tom. 5. an. 1298. n. 4.

Epiſcopus Ajacen.

XXX. Non procul a muris Regii Lepidi, Galliæ Ciſalpinæ antiquiſſimæ urbis, hoc anno ex communi ærario cives ædem ſancto Spiritui ſacram conſtruxerunt Fratribus regularis Obſervantiæ, eo in loco quo præextiterat Monaſterium Ordinis ſancti Marci de Mantua, Priore reliquiſque Monachis conſentientibus. At oborto ſævienteque bello ſub Julio III. Hercules Eſten-

Conv. Regii Lepidi. Gonza. in Prov. Bon. Conv. 9.

Eſtenſis Ferrarienſium & Regienſium Dux, dirui fecit, ne urbi noceret, Fratreſque hoſpitio recepit pius & nobilis vir Caprianus Palavicinus Januenſis, Abbatiæ ſanctæ Mariæ de Morula Commendatarius, Eccleſiamque, ut divina perſolverent officia, commodavit. Cives idoneam judicantes, cui adſtrueretur Fratrum Cœnobium, Abbati juſtum ſolverunt pretium, & in Monaſticam formam redegerunt. Abbatis conſanguinea Livia Palavicina majus ſacellum conſtruxit. In eadem regione juxta pontem Lacuſcuri Ferrarien. diœceſis, nobilis vir Uguccio de Contineriis, Domicellus Ferrarienſis, domum ſub vocabulo *beatæ Mariæ* Minoritis poſuit, accedente hoc anno Pontificis facultate: *Cognita devotionis*, XVI. Kal. Auguſti. Conv. Lacuſcuri.

XXXI. Prope civitatem Andriæ in regno Neapolitano, ex publicis facultatibus domus altera *beatæ Mariæ veteris* nuncupata conſtructa eſt, quæ bino inſervit uſui, & adoleſcentibus in Theologia erudiendis, & infirmis medendis. In inſula Chienſi maris Ægæi aliam ædificaverat ſub nomine ſancti Andreæ ante hunc annum, nobilis vir Andreolus Juſtinianus, Domicellus Januenſis ex Dominis Maonenſibus inſulæ prædictæ, cujus opus ſumptuoſum ut fideles promoveant, adhortatur: *Licet is, de cujus munere*, III. Kal. Maii. Conv. Andriæ. Conv. in Prov. S. Nicolai Conv. 10. Conv. Chienſis.

XXXII. In Hungaria prope oppidum Rinadominarum, Agrien. diœceſis nobilis vir Georgius, Deſpotus regni ejuſdem, aliam cœpit fabricare prope ſacellum quoddam ruinoſum, id ſibi licere dicens ex facultate conceſſa anno ſuperiore beato Jacobo Piceno domos ſeptem recipiendi. Oppoſuit ſe operi proſequendo Rector parochialis Eccleſiæ, ad quam ſacellum ſpectabat; cauſam commiſit Pontifex Epiſcopo Agrienſi: *Decet Romanum Pontificem*, IX. Kal. Januarii. Cum autem in dubium revocarent conceſſionem, quam diximus beato Jacobo factam, eam Pontifex amplius declaravit: *Alias de tua ſincera*, XVII. Kal. Septembris. Conv. Rinadominar.

XXXIII. Generalis Miniſter, neſcio qua de cauſa, offenſus incolis oppidi Bettoniæ, Aſſiſiatis diœceſis, juſſit ut Fratres illinc omnes abſcederent. Remanſit unus dumtaxat populi miſertus, cui ut ille condonaret, & Fratres mitteret Obſervantes, in illo Conventu habitaturos Pontifex ſcripſit, enixe ita efflagitantibus oppidanis: *Cum ſit debitum*, VII. Novembris. Reſtituitur Conventus Bettoniæ.

XXXIV. Multa Clariſſarum Monaſteria invenio hoc anno non tam conſtructa, quam deſtructa, aliiſque unita, ita ferente temporum conditione, in quibus ferociente bello, omnia patebant ruinis, & parva aut nulla habebatur ratio diſciplinæ regularis. In urbe Tudertina tria Virginum Monaſteria in unum coaluerunt. Extra muros urbis erat præcipuum, amplitudine & diſciplina Monaſtica inſigne, vocatum Antonomaſtice *Monaſterium magnum*, ſive *majus*, & alio nomine *Montis-ſancti*, ſub prima Regula ſanctæ Claræ, proinde dictum *Ordinis ſancti Damiani*, a prima illa æde ſancti Damiani Aſſiſiate, in qua ſancta Clara vixit & obiit. Ante hoc tempus, ſæviente bello, neceſſe fuit transferre aliquas Sorores ad Cœnobium alterum Ordinis ſanctæ Claræ, ſub regula tamen Urbani IV. nuncupatum *ſanctæ Mariæ de Paraguano*, intra urbem & prope arcem conſtructum. Bonifacius IX. ſecundum hoc Monaſterium idoneum judicavit urbi propugnandæ, hoſtique offendendo, ac proinde in fortalitium juſſit converti. Moniales donavit Cœnobio ſancti Franciſci, ſed Ordinis ſancti Benedicti, Epiſcopo Tudertino ſubjecto, in quo paucæ habitabant Sorores. Suppreſſo hic Ordine prædicto ſancti Benedicti, decrevit ut omnes ſub habitu & regula ſanctæ Claræ Deo famularentur. Exortas poſtea aliquas diſcordias ſopivit Unio Monaſteriorum Tudertinorum.

Antonius Epiſcopus, & Sorores aliquot Monaſterii majoris illinc recedentes ad clauſuram revocavit. Omnia hæc ſuis litteris narrat & confirmat Eugenius: *Injunctum nobis deſuper*, XII. Kal. Aprilis.

Urbinatum. XXXV. Unionem Monaſterii ſancti Silveſtri Urbinatis relaxatæ diſciplinæ, cum altero ſanctæ Luciæ regularis Obſervantiæ, ſub Martino V. factam, orante Guido Antonio Comite Montis-Feretri ratam voluit: *Ad ea quæ pro commodo*, XVIII. Kal. Januarii. Monaſterium ſancti Petri de Muroalo, diœceſis Camerinenſis, propter bella & peſtem Sororibus penitus deſtitutum, univit Guillelmus Generalis Miniſter Monaſterio ſancti Salvatoris, oppidi ſancti Severini, ejuſdem diœceſis. Factum confirmavit Pontifex: *Apoſtolicæ nobis injunctæ*, V. Nonas Martii. Similiter approbavit unionem alteram, quam idem fecerat Guillelmus, inſignis olim Monaſterii ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Ponte, oppidi de Mercatello, diœceſis civitatis Caſtelli, propter eaſdem cauſas derelicti, cum Monaſterio ſanctæ Mariæ de Preſagnolo intra id ipſum oppidum, addito etiam hoſpitali de Flumiello: *Ad ea ex injunctæ*, VII. Idus Novembris. Monaſterium ſancti Apollinaris de Arcuto Mediolanenſe, Ordinis ſancti Benedicti, Sororibus deſtitutum & ruinæ proximum univit alteri Monaſterio ſancti Appollinaris extra muros ejuſdem urbis, Ordinis ſanctæ Claræ: *Sacræ Religionis*, V. Idus Martii. Auctoritate etiam Apoſtolica Miniſter Guillelmus univit duo Monaſteria Caſtri-Plebis. Sorores & bona temporalia Monaſterii ſanctæ Mariæ Floris Maii tranſtulit ad aliud ejuſdem Caſtri *ſanctæ Luciæ* nuncupatum.

Camerinen. Mercatelli. Mediolanen.

Monaſt. Briviefca. XXXVI. Facultatem dedit Mariæ Sancii de Caſtello & Mariæ de Aquilar, piis mulieribus, in Eccleſia ſeu domo beatæ Mariæ de Briviefca, Burgenſis diœceſis commorantibus, ut illic Clariſſarum ædificarent Monaſterium: *Sedis Apoſtolicæ benignitas*, Idibus Septembris. A beato Lupo ſeu Lopetio de Salinis, incerto tamen tempore, ædificatum ait Gonzaga, fortaſſis ille prædictas fœminas ad opus excitavit. Inter paupertatis limites humiliter conſtructum, ruinam minabatur; cum æque pia ac nobilis Domina Mentia de Velaſco, Arenſium Comitis, & Caſtellæ Comitis-ſtabuli conjux, adeo ſumptuoſo & magnifico opere refecit, ut cum optimis Hiſpaniæ Monaſtariis valeat comparari. Legavit mille quingentos aureos quotannis ſolvendos, donec ædificium perfecte compleretur, deinde applicandos fabricæ Xenodochii, in quo peregrini hoſpitio exciperentur; ſenes pauperes & imbecilles perpetuo alerentur ex eiſdem pecuniis. Curarunt poſt hæc Principes ejuſdem familiæ, ut dimidia pars redituum prædictorum, diſpenſatione Apoſtolica applicaretur triginta quinque Sororibus, quarum numerum augere non licet, juxta fundationis pacta, ſub arctiori Inſtituto primæ Regulæ ſanctæ Claræ alendis, pars altera pauperibus. Pulchro jacet Mauſoleo in medio ſacelli majoris prædicta Mentia: in chori fronte verſus altare præcipuum, Hiſpanico idiomate longa hæc genealogia habetur inſcripta.

Gonza. in Prov. Burgun. Mon. 5. Monum. MSS. ejuſdem Provin.

XXXVII. *Eccleſiam hanc, Monaſterium & Hoſpitale Roſarii, fieri juſſit per quam illuſtris Domina D. Mentia de Velaſco & dotavit. Neque nupta, neque vitam religioſam profeſſa, vere ſancte vixit & obiit. Filia fuit illuſtrium DD. Petri Fernandez de Velaſco, Comitis-ſtabuli Caſtellæ, Comitis de Aro, & Mentiæ de Mendoça Comitis de Aro. Primos habuit avos paternos, Comites Arenſes, Dominum Petrum Fernandez de Velaſco & Dominam Beatricem Maurique: ſecundos, Joannem de Velaſco & Dominam Mariam Solier. Tertios, Petrum Fernandez de Velaſco & Dominam Mariam de Sarmiento. Quartos, Ferdinandum Sanchez de Velaſco & Dominam Majorem de Caſtaneda. Quintos, Antelatum D. Sancium Sanchez de Velaſco & Do-*

& Dominam Sanciam Carrillo. Sextos, Dominum Ferdinandum Sanchez de Velaſco & Dominam Catarinam Velez de Guevara. Septimos, Dominum Gundiſalvum Sanchez de Velaſco & Dominam Agnetem de Nurbena Principes familiæ de Velaſco, legitimo omnes thoro procreatos. Poſt hujus Dominæ obitum curavit hoc opus fieri Dominus Petrus Hernandez de Velaſco Comes-ſtabuli Caſtellæ, Dux Friarum, Comes Ari, uti teſtamentarius & patronus hujus Cœnobii, ex fratre Inico Hernandez de Velaſco Comite-ſtabuli Caſtellæ, Duce Friarum, Comite Ari, nepos. Ex parte materna prædicta Domina Mentia, primos habuit avos Marchiones Santillanæ Dominum Inicum Lopez de Mendoça & Dominam Catarinam de Figueroa: ſecundos vero, Dominum Didacum Hurtado de Mendoça & Dominam Leonoram. Tertios, Petrum Gonçalez de Mendoça & Dominam Aldonçam de Ayala. Quartos, Gondiſalvum Tanez & Dominam Joannam de Oroſco, legitime univerſim progenitos.

XXXVIII. Ut etiam religioſius viverent, & ſtrictiorem obſervarent diſciplinam Sorores Monaſterii ſanctæ Claræ, oppidi Carrionis, diœceſis Palentinæ, nobilis mulier Aldonça Comitiſſa Caſtañedæ, multa bona immobilia magnamque donavit ſummam pecuniarum: ut pactis ſtarent fidelius, rogavit & obtinuit, ut Monaſterium ſubjiceretur regimini Franciſci de Soria, quem alias diximus religioſioris Inſtituti Cœnobiis præfectum: *Eximiæ devotionis affectus*. XII. Kalend. Novembris. Reformatur Monaſterium Carrionis.

XXXIX. Beata Coleta ſtrenue in Monaſteriis diſſolutis reformandis, adjutore fratre Henrico de Palma * provinciæ Burgundiæ, ſuo Confeſſario, tam per Galliam, quam per Germaniam laborabat, propitiante undique Generali Miniſtro. Reperio in ejus regiſtro amplas ab eo conceſſas facultates pro omnibus Monaſteriis ab ea reformatis & reformandis; præcipitque Guardiano Dolenſi, ut quos illa petierit Fratres pro dictorum Monaſteriorum ſervitio, abſque ulla difficultate concedat. Et Henrico prædicto ſuam committit auctoritatem, ut provideat de omnibus rebus neceſſariis ad cultum divinum in novo Monaſterio villæ de Openheim, provinciæ Argentinæ, a Methilda de Sabaudia, Comitiſſa Palatina & Duciſſa Bavariæ conſtruendo ſub Inſtituto & reformatione prædictæ Coletæ. * al. *Balma*. Beata Coleta aſſidue reformat Monaſteria. Fundat Openheimenſe.

XL. Aliud hoc tempore invenio fundatum & dotatum Monaſterium ſub invocatione ſanctæ Catarinæ, in civitate Veſtarum in Apulia, & provincia ſancti Angeli, a nobili viro Algracio Comite-ſtabuli Veſtano, & Narda ejus uxore, quibus Miniſter Generalis concedit plenam adminiſtrationem omnium bonorum temporalium, tam eorum quæ tunc poſſidebat, quam quæ poſtea advenirent, eamque vult a quolibet ipſorum in ſolidum exerceri poſſe dum viverent, confidens ipſorum zelo & affectui, quod quæ ipſi liberaliter dederunt, & ab aliis darentur, bene & fideliter adminiſtrarent, ad nobilius a ſe fundati Monaſterii incrementum. Monaſt. Veſtar.

XLI. Quædam pacta inter Guardianum Fratreſque Cæſarauguſtanos, ac Dominos Baroniæ de Alfagiarim circa annuos reditus ſibi ſolvendos, approbavit Eugenius: *Ea quæ pro Monaſteriorum*. IX. Kalend. Aprilis. Ad Caſale, ſeu Vicum ſancti Evaſii, * Vercellenſis diœceſis, Minores domicilium habuiſſe, idque vetuſtum, docent hoc anno Eugenii litteræ, quibus ad ejus reparationem fideles hortatur: *Licet is, de cujus munere*. XVIII. Kalend. Junii. Hujus loci meminit Piſanus in provincia Genuenſi, & Cuſtodia Pedemontis. In Pola Iſtriæ urbe, Fratres alium obtinuiſſe, prope quem erat unicum Civitatis cœmeterium, in quo dumtaxat ſepeliri mortuos ſtatutum erat, conſtat ex altero Diplomate, quo Eugenius concedit Conv. S. Evaſii. * al. *Clavaſii*. Conv. Polen.

fa-

facultatem Dominico Epiſcopo, ut prope ſuam Eccleſiam alterum poſſit habere cœmeterium: *Injunctum nobis deſuper*. Pridie Kalend. Maii. Joannes de Gualengiis vir nobilis, Domicellus ferrarienſis conſtruxit in templo Minorum ſacellum ſanctæ Trinitatis, quo pro ſacrario utebantur; inviſentibus ad ſtatutos dies Pontifex Indulgentias largitur: *Licet is*. VI. Idus Januarii.

Privilegia Tertii Ordinis.

XLII. Ut obſequio Xenodochii *Domus Dei* urbis Forolivienſis, inſiſtere poſſent Fratres & Sorores Tertii Ordinis, indulſit: *Eximiæ devotionis affectus*. Nonis Maii. Oratorium *beatæ Mariæ plenæ gratia*, ſitum in territorio Liburnii, Piſanæ diœceſis, ad quod undique magna fidelium multitudo confluebat, ejuſdem Inſtituti viris, eadem diœceſi oriundis, conceſſit: *Sub experientia paupertatis extremæ*. Kalend. Junii. Antonio de Montepolitiano & ſociis Tertii Ordinis duas Eccleſias a ſe conſtructas, ſancti Hieronymi intra, & beatæ Mariæ Magdalenæ extra muros oppidi Montiſpolitiani, Cluſinæ & Aretinæ diœceſum libere habere & Sacerdotes advocare, a quibus Sacramenta Eccleſiaſtica reciperent, indulſit: *Benignitas Sedis Apoſtolicæ*. IV. Nonas Junii: *Probatæ fidelitatis integritas*. IV. Idus Octobris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Albertus Auſtriæ Dux eligitur Imperator.

„ I. Spem conceptam facile reducendi ad communionem Sanctorum in „ unitate Eccleſiæ Boemos errones, Sigiſmundi obitus differens, noſtrorum & quorumvis bonorum animam affligebat: Veruntamen miſericordiarum Deus addet vires operariis fidelibus & illucebit illis. Succeſſorem, ut optaverat, in Regno Albertum Auſtriæ Ducem, filiæ Eliſabethæ conjugem, omnis virtutis virum, etenim a ſe inſtitutum hæredem, Pannones & Boemi in Regem habuerunt, pauloque poſt Electores dixerunt Auguſtum; at pro Boemiæ corona difficultates devincendæ fuere, Regina vidua ejus ſocru ſecunda vota cum Uladiſlao Poloniæ Rege affectante: hic enim cum ſuis Alberto ſe oppoſuit, habebatque Caſimirum fratrem cum militibus promptum ad arma; ſed eum majori & validiori exercitu ſtipatus Albertus fugavit, abegitque in Patriam; ac ita Regno potitus eſt.

Litteræ Pontificiæ.

Ex copia.

„ II. Interea Pontifex Eugenius VI. Idus Januarii, conceſſa Indulgentia pro Eccleſia noſtri Conventus Ferrariæ: *Licet is &c.* X. Kalend. Februarii Bononia Ferrariam proceſſit, ubi Concilium indixerat, & X. Kalendas Martii, monito ſancto Bernardino, ut mitteret Fratres ſuos ad evangelizandum verbum Dei: *Exponi nobis &c.* & Miniſtro Generali Guillelmo de Caſali V. Kalendas ejuſdem menſis, ut reformationi Clariſſarum ſancti Guillelmi Ferrariæ, quæ a primævo obſervantiæ nitore exciderant, ſolerter incumberet: *Romani Pontificis &c.* & Kalendis ejuſdem datis litteris: *Cum nonnullorum &c.* pro fratre Conſtantino, & ejus cauſa. Paleologum Græcorum Imperatorem, cum Patriarcha Conſtantinopolitano aliiſque Prælatis Græcis Ferrariam adventantem, in eam Urbem cum magno apparatu excepit IV. Nonas ejuſdem; & pridie Nonas Conſtitutionem Alexandri IV. de ſacris Stigmatibus ſancti Patris Franciſci innovavit: *Ex Apoſtolicæ &c.* VII. Idus ejuſdem, datis litteris ad fratrem Gandulphum de Regno Siciliæ pro Guardiano Montis Sion: *Exigunt Religionis &c.* Fratrem Jacobum de Ipſigro Provinciæ Calabriæ Miniſtrum inſtituit: *Adea, per quæ &c.* At XVIII. Kalendas Maii dimiſ- ſo

Ex Arch. ſanctorum Apoſtolorum Romæ.

„ ſo ad Magiſterium fratre Martino de Plano: *Viri ſacræ &c.* & XIV. Ka-
„ lendas conceſſa Indulgentia pro Monaſterio Clariſſarum Compoſtellæ:
„ *Licet is &c.* & VII. Kalendas prohibito, ne quis ad Magiſterium licen-
„ tiaret præter Papam: *Dum uberes &c.* Kalendis Julii omnes conceſſio-
„ nes factas Epiſcopis, & Abbatibus aſſumendi ſibi Fratres Minoritas, ex
„ quibus varia incommoda Religioni oriebantur, voluit revocatas: *Ad*
„ *conſervationem &c.* VIII. Kalend. Auguſti Priori ſanctæ Crucis Conim-
„ briæ commiſit, ut ſororem Conſtantiam in Abbatiſſam Clariſſarum Mo-
„ naſterii Villæ Comitis confirmaret: *Inter ſollicitudines &c.* XVII. Ka-
„ lend. Septembris Archipresbytero Cremonenſi de conſtruendo Cœno-
„ bio pro Fratribus Obſervantiæ in ea Urbe ſcripſit: *Piis fidelium &c.* &
„ IV. Idus Octobris Baptiſtæ de Malateſtis facultatem erigendi Monaſte-
„ rium pro Clariſſis Piſanri ſub titulo Corporis Chriſti conceſſit: *Ad Apo-*
„ *ſtolicæ &c.* de quo Monaſterio differens Annaliſta, præfatam Baptiſtam de — *Error Annaliſtæ corrigitur.*
„ Malateſtis Galeatio Sfortiæ conjugem facit, quod mihi non probatur:
„ & quidem noto, Joannem Galeatium Comitem etiam Virtutis dictum, — *Wadding. ad an. 1439.*
„ anno MCCCLXXX. in primum Ducem Mediolani creatum, duos habuiſſe
„ filios, Joannem Mariam, qui Patri in Ducatu ſucceſſit anno MCCCC. &
„ Philippum Mariam, qui defuncto fratre, anno MCCCCXI. fuit Mediolani
„ Dux III. & Comitum ultimus. Porro Philippus Maria duas tantum ge-
„ nuit filias; Mariam unam, quæ poſtea fuit Sabaudiæ Duciſſa, & alteram
„ nomine Blancam Mariam, naturalem ex Agnete Maini, quam Franciſco
„ Sfortiæ filio Mutii de Atendolis, cognomento Sfortia, Cattiniolæ Co-
„ mitis in uxorem dedit, qui quidem Franciſcus gener Philippi inter plu-
„ res filium habuit Galeatium Mariam, natum Firmi XIV. Januarii an-
„ no XCCCCXLIV. Hic eſt primus Galeatius Sfortia, qui nondum natus
„ erat, quando hoc anno Baptiſta de Malateſtis ab Eugenio IV. præfatum
„ diploma impetravit. Rurſus Franciſcus Galeatii Pater Socero Philippo
„ ſuccedens anno MCCCCL. fuit Dux IV. Mediolani, & Galeatius filius
„ primus Sfortia dictus, anno MCCCCLXVI. Patri ſuccedens Dux V. Cum
„ eſſet annorum XXII. duxit in uxorem Bonam Sabaudiæ, quæ ſuis tem-
„ poribus illi peperit Joannem Galeatium, Annam Duciſſam Ferrariæ, &
„ Blancam Mariam Maximiliano Imperatori nuptam; ipſe vero die ſancti
„ Stephani anno XCCCCLXXVI. a conjuratis in Templo occiſus fuit: Porro
„ hæc ſeries ex Alphonſo Luſco excerpta, omnibuſque hiſtoricis probata, — *In compend. hiſtor. Mediolan.*
„ nullam Baptiſtam de Malateſtis Galeatii Sfortiæ conjugem admittit. At
„ hæc ad hiſtoriæ veritatem adnotaſſe ſufficit.

„ III. Ad annum MCCCCXXXIV. innuimus, Waddingum ſub eodem — *Ad annum 1414.*
„ tempore poſuiſſe Conventum ſanctæ Mariæ Angelorum Cunei; cujus
„ nihilominus dicere, nobis ad hunc annum reſervabamus. Igitur apud
„ Cuneum civitatem Ducalem in Pedemontio, his diebus (licet jam ere-
„ cto Epiſcopatu Montis-Vici, ſeu Montis-Regalis) Aſtenſis diœceſis;
„ unius circiter vel alterius milliaris intervallo in Occidentem ab urbe,
„ erant duæ Eccleſiæ vetuſtate nimia collabentes, & fere derelictæ, ab in-
„ vicem non nimis remotæ; una erat ſancto Michaeli dedicata, eamque
„ regebat Gaſpardus de Coſta Plebis Tecti, Presbyter Albinganenſis
„ diœceſis in Liguria maritima, & altera Eccleſia, ſeu Oratorium ſanctæ
„ Mariæ de Angelis nuncupatum, ab Alphonſo Galindres Hiſpano cuſto-
„ ditum. Erant autem hi duo Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci alumni,
„ vitam communem affectantes, optimi exempli, & religioſorum morum
„ probitate clarentes; qui rem Deo gratam & civibus utilem fore cogi-

tan-

,, tantes, ſi illæ duæ unirentur, & unitas ſub ſua cura tenerent, eorum
,, votis annuentibus & manum præbentibus Civibus, præfati Religioſi,
,, Epiſcopo Aſtenſi viro probo aperta intentione ſua, humiliter ſupplica-
,, runt, ut dignaretur, ſibi illas duas Eccleſias unitas concedere: a ſuppli-
,, cum religioſitate motus Antiſtes, eorumdem piæ petitioni condeſcendit,
,, ut ſubſequentis tenoris inſtrumentum, publice & legitime confectum &
,, publicatum oſtendit.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

,, 1. *Albertus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aſtenſis &*
,, *Comes. Dilectis nobis in Chriſto filiis fratri Gaſpardo de Coſta Plebis Te-*
,, *cti, Albinganenſis diœceſis, Rectori Eccleſiæ ſancti Michaelis extra muros*
,, *novos loci Cunci noſtræ Aſtenſis diœceſis, ac fratri Alphonſo Galindres*
,, *Hiſpano, atque Rectori Eccleſiæ, ſeu Capellæ & Oratorii ſanctæ Ma-*
,, *riæ de Angelis, ſitæ in finibus dicti loci Cunei, ambobus tertiam Regu-*
,, *lam ſancti Franciſci profeſſis, & ſub eadem degentibus, veſtriſque futu-*
,, *ris ſucceſſoribus in eis, ſalutem in Domino ſempiternam.*

Ex Archiv. illius Conven.

,, 2. *Cum ſicut nuper ex petitione veſtra nobis exhibita percepimus,*
,, *Eccleſias, apud quas cum ſociis & Confratribus veſtris, ſub regulari*
,, *obſervantia Regulæ prædictæ, vigore conceſſionum de ipſis per nos ſeu au-*
,, *ctoritate noſtra, ſingulis veſtris factarum, vitam veſtram ducitis ab invi-*
,, *cem ſejunctam, ſumma reparatione & ampliatione, & domorum ſtructu-*
,, *ra pro veſtris habitaculis indigere neceſſariis; foreque veſtrum cuilibet*
,, *quam maxime difficile circa reparationem, ampliationem & domorum*
,, *ſtructuram eadem præmia in his neceſſaria impenſa intendere poſſe: &*
,, *quod ſi Eccleſiæ quæ circa milliaria duo diſtantes ab invicem, cum earum*
,, *juribus & pertinentiis univerſis ſimul unirentur, facilius utraque ipſa-*
,, *rum ſub firmiori ſtabilitate conſiſtere poſſet, & commodius ad amplius*
,, *attingeret incrementum; voſque & Confratres veſtri ſimul in unum col-*
,, *ligati, de bonis in eleemoſynis utriuſque ipſarum Eccleſiarum reparationi,*
,, *ampliationi & ſtructuræ domorum, ac conſervationi earum attentius in-*
,, *ſiſtere, & Deo, cujus obſequiis dediti eſtis, laudabilius in eis deſervire*
,, *ſtuderetis, & propterea cum inſtantia debita poſtulaſtis a nobis, quatenus*
,, *Eccleſias ipſas ſimul unire, annexare & incorporare perpetuo dignare-*
,, *mur.*

,, 3. *Nos igitur præmiſſis attentis, & ſuper eis matura deliberatione*
,, *præhabita, utilitate tamen utriuſque ipſarum Eccleſiarum, necnon perſo-*
,, *narum, & ſucceſſorum, ac Confratrum veſtrorum commoditate diligen-*
,, *ter perpenſatis, auctoritate noſtra ordinaria, ac omni jure, via, modo,*
,, *& forma, quibus melius & efficacius poſſumus, veſtroque mutuo acceden-*
,, *te conſenſu, eaſdem Eccleſias cum omnibus & ſingulis juribus & proventi-*
,, *bus, ac pertinentiis univerſis, per vos ſucceſſoreſque veſtros prædictos, & ad*
,, *veſtram, & Confratrum veſtrorum, ac ipſorum ſucceſſorum tam præſen-*
,, *tium quam futurorum, ſub dicta regulari Obſervantia, & prout in con-*
,, *ceſſionibus de eis, ut præmittitur, vobis factis, continetur, in unum te-*
,, *nendas & gubernandas (jure & ſuperioritate noſtris & Eccleſiæ noſtræ*
,, *Aſtenſis, ſucceſſorumque noſtrorum legitime intrantium ſemper ſalvis in*
,, *eis) perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, unitaſque, annexas &*
,, *incorporatas eſſe de cetero, ut præfertur, volumus & jubemus.*

,, 4. *In quorum teſtimonium mandamus per te Jacobum de Benis No-*

ta-

„ *tarium publicum, & ſcribam noſtrum infraſcriptum de præmiſſis fieri*
„ *publicum Inſtrumentum, noſtri & Curiæ noſtræ ſigilli rotundi appenſione*
„ *roborari. Datum & actum eſt in domo noſtræ ſolitæ reſidentiæ apud di-*
„ *ctam Eccleſiam noſtram, anno Nativitatis Domini* MCCCCXXXVIII. *indi-*
„ *ctione* I. *die* XXIII. *menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Pa-*
„ *tris & Domini noſtri, Domini Eugenii divina providentia Papæ IV. an-*
„ *no* VIII. *præſentibus honorabili Domino Marca de Attilla Archidiacono*
„ *Aſtenſi, & Joanneto de Butane de Burgo Maynerio, Novarienſis diœceſis*
„ *teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.*
„ 5. *Et ego Jacobus de Benis de Caſtro Aſcerio, Aſtenſis diœceſis publicus*
„ *Imperiali auctoritate Notarius, ſcribaque & Cancellarius præfati Do-*
„ *mini Epiſcopi, prædictis omnibus & ſingulis interfui, vocatus & rogatus*
„ *prædictum inſtrumentum feci, & ſic ſcripſi meque ſubſcripſi, & ſignum*
„ *meum, una cum appenſione prædicti ſigilli, appoſui conſuetum in teſtimo-*
„ *nium præmiſſorum.*

Infra ad annum 1439.

„ IV. Ex hoc inſtrumento expreſſe habemus, jam ante hunc annum
„ Gaſpardum de Coſta Plebis Tecti, oppido in diœceſi Albinganenſi,
„ tredecim milliaribus Italiæ ab Albingauno urbe ad mare in Septentrio-
„ nes, ad Aroſciam fluvium inter montes ſito, Tertii Ordinis ſancti Patris
„ Franciſci Sacerdotem, Eccleſiæ ſancti Michaelis ſub nomine Rectoris, &
„ Alphonſum Galindres cognomento, natione Hiſpanum, & ejuſdem pro-
„ feſſionis, Eccleſiæ, ſeu Oratorio ſanctæ Mariæ Angelorum, ſimiliter ſub
„ titulo Rectoris, ab Alberto Epiſcopo Aſtenſi diviſim donatos fuiſſe, &
„ quod uterque in ſua Rectoria ejuſdem profeſſionis ſocios haberet; flo-
„ rente plurimum in Italia illis temporibus Tertii Ordinis Inſtituto; cujus
„ fuit frater Joannes ignoti cognominis & Patriæ apud Urbinates, vitæ
„ ſanctimonia clarus; quem Thomas de Torres in practicis exhortationi-
„ bus ſupra Regulam Tertiariorum ait, operibus pœnitentiæ intentum,
„ pluribuſque miraculis inſignem, Urbini deceſſiſſe, & in Monaſterio
„ Sanctimonialium de Jeſu honorifice ſepultum fuiſſe: plures agunt de eo,
„ quos Arthurus Monaſterienſis citat in ſuo Martyrologio.

Bajard. ex Thoma de Tor. fol. 38. paragraf. 1. ad annum 1438.

Frater Joannes ignoti cognominis, & patriæ ex Tertio Ordine Urbini floret.

ARGUMENTUM.

Abſolvitur Concilium Florentinum, reductis Græcis & Armenis ad unionem Eccleſiæ Latinæ, in qua re non minimam poſuerunt operam Minoritæ. Albertus Sartianenſis amandatur, ut ad eamdem unionem alliciat Æthiopes & alias Nationes. Jacobus Picenus ſtrenue laborat in Hungaria contra hæreticos. Moritur Albertus Imperator. Joannes de Waya inſtituitur Hungariæ Commiſſarius & Inquiſitor. Floret Felix Meda femina ſanctiſſima. Creantur Epiſcopi. Inſtituuntur Inquiſitores. Clarent viri docti, præſertim Franciſcus a Ruvere. Frater Sylveſter tollit bella inteſtina urbis Comenſis. Multiplicantur domicilia.

I. MISERE lacerabatur hoc tempore ſacroſancta Chriſti Eccleſia contrariis Sacerdotum factionibus, adverſiſque Principum ſtudiis. Duo ſimul celebrabantur Concilia Generalia, duo deſignati ſummi Pontifices, binas conſtituerunt acies Chriſtiani Principes, populi partes duæ inter duos Pontifices diviſæ, pars tertia nulli adherebat. Eugenius Pontifex, legitimus Chriſti Vicarius, ingenti conatu immenſoque ſumptu

Exoritur pernicioſum ſchiſma.

Græcorum gentem, nationeſque longe diſſitas Armenorum & Æthiopum ad fidei unitatem ſtudet revocare, & ſub unico Paſtore fideles omnes ad caulam unam, unumque ovile Catholicum reducere. Ex adverſo, Europeæ gentes, quæ ſub oculis erant, quæ prius uno hærebant corpore, eumdem hauriebant ſpiritum, & capite gloriabantur uno, a pacis & unitatis adverſario ſeductæ, paulo antea ſopitum ſchiſma reſuſcitarunt. Etenim Baſileenſis Concilii Patres ægre ferentes negari ſibi, quam injuſte ambiebant, ſupra ſummos Pontifices poteſtatem, a ſuo etiam cœtu Græcos avocatos, in dictumque Ferrariæ, & Florentiam translatum Concilium furentes & inſanientes, eo tamdem abierunt dementiæ, ut ad ſeptimum Kalend. Julias, depoſitionis ſententiam, multis calumniis & contumeliis infartam, tulerint in Eugenium: & poſt turbas plurimas ſcandaloſaque diſſidia, Amadeum, olim Sabaudiæ Ducem, ad Ripaliæ ſolitudinem prope lacum Lemanum vitam Eremiticam ſub habitu leucophæo, & inſtituto Franciſcano, uti quidam volunt, ducentem, Nonis Novembris Pontificem ſub *Felicis V.* nomine renunciarint.

Felix V. Papa creatur. *Auctor hiſt. Joann. II. Regis Caſtel. ſub hunc annum. Mexia in Albert. 2. vide an. 1449. n. 1.* Eugenio ſemper immoto.

II. Eugenius totus addictus unioni Græcorum patienter tulit univerſa, nihilque injuriarum a graviſſimo potuit retrahere negotio, donec abſolvit. Die ſexta Julii feria ſecunda, poſt ſeſſiones viginti quinque, doctaſque diſcuſſiones, omnium conſenſu lecta fuit definitio articulorum, de quibus maxime diſceptabatur, proceſſionis Spiritus ſancti a Filio, additionis voculæ, *filioque*, ad Symbolum Conſtantinopolitanum, conſecrationis in azymo, aut fermentato, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, cruciatus animarum in Purgatorio per ſuffragia fidelium relevandi, viſionis beatificæ animarum purgatarum, condemnationis in peccato decedentium, & Romanæ Sedis primatus. Tomi, ſeu Bullæ quinque hujus unionis ſcriptæ ſunt Græce & Latine, quibus utraque natio ſubſcripſit. Unam detulerunt Græci, altera manſit penes Pontificem, reliquæ deſtinandæ erant Patriarchis Orientis; atque ita lætabundus, die XXI. Julii diſceſſit cum ſuis Imperator, quod ſumme concupitam videre meruerit utriuſque Eccleſiæ unionem.

Fit unio Græcorum.

III. Nihil ei ſiniſtri accidit in toto itinere, nihil non lætum & jucundum, præter unam mortem Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani, die nono Junii, eo tamen ſolatio tolerabiliorem, quod unioni & fidei Apoſtolicæ Eccleſiæ, ſenioris Romæ, paulo antea peculiari ſcheda ſubſcripſerit. Nocuit valde ſtabiliendæ unioni hujus piiſſimi viri obitus; licet enim in Concilio ſummo applauſu conclamata fuerit, tamen brevi duravit tempore, decedente paulo poſt reditum Joanne Imperatore, & Marco Epheſino, ſchiſmatis pertinaciſſimo ſuaſore & fautore, ubique vehementiſſimo aſtu Græcos ab unione & pactis in Concilio, revocante. Defuit etiam, quæ ſumme erat neceſſaria, miſſio & inſtructio Doctorum & Prædicatorum, quos oportebat multos ſtatim ad Græcos deſtinari, ut coram explicarent quæ in Concilio acta ſunt, dubia occurrentia diſſolverent, & quæ pervicaciſſimus Epheſinus objiciebat, diligenter & docte refutarent.

Sed parum durat.

IV. Subſcripſit huic Concilio frater Guillelmus Generalis Miniſter. In domo Minorum, uti diximus, habitæ ſunt collationes præparatoriæ ad ſeſſiones, tum Ferrariæ, tum Florentiæ, & in eorumdem templo ſcripta eſt definitio & tomus unionis Græce & Latine, convenientibus ex utraque natione ſex viris delectis, a parte quidem dextera Latine, cui ſubſcripſerunt Latini, appenſa bulla Pontificia, ab altera Græce, cui Græcæ ſubſcriptiones & aurea bulla Imperatoris ſuffixæ ſunt,,, doctrinæ vero articulorum diſcutiendæ & unioni ſtabiliendæ plurimum contulit doctrina ſancti Bona-

Ann. 1438. n. 1.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

,, ven-

„ venturæ, uti & ſancti Thomæ, qui ſæpe in Concilio, prolatis ipſorum ver„ bis, citati ſunt, teſtimonium veritati perhibituri „ Græcis autem ut ad Concilium & in Europam venirent, non ſegniter aut frigide perſuaſerunt frater Bartholomæus de Yano, vir doctiſſimus & piiſſimus, & Albertus Sartianenſis ad hoc ab Eugenio miſſi, qui ſimul cum Imperatore in Italiam reverſi ſunt.

V. Interfuit huic Concilio ſanctus Bernardinus Senenſis,& magno quidem fructu, tum ſuæ vitæ exemplo, tum privatis colloquiis & publicis prædicationibus Græcos ad unionem alliciendo. Laudabili ſtudio volebat ille veram ſalutis & veritatis viam docere, ſed magno animi dolore cruciabatur, quod Græcorum non calleret idioma. Secum autem cogitans admiranda Dei opera, qualiter ſuis Apoſtolis contulerit ut poſſent omnium gentium linguis loqui, obnixe rogabat ut largiretur Græcis intelligentiam eorum quæ dicturus eſſet ad illos. Mox ferventi ſpiritu, multa in Deum fiducia fretus, aſcendit ſuggeſtum, Græceque concionatus eſt, de Catholica fide Græcos ſummo ſtudio erudiens: ita ut mirarentur omnes dicerentque eum, non minus probe noſſe Græce, quam ſi in Græcia natus eſſet; ſed Deus movebat linguam ejus & loquebatur per eum. Cum enim a ſuggeſtu deſcendiſſet, & omnes laudarent ejus Græce dicendi facultatem & copiam, ille Deo ſoli honorem omnem tribuens, Græcæ linguæ expers, ſicuti antea fuerat, remanſit.

Surius in vita S. Bernard. c. 38. S. Bernardinus interfuit Concilio.

Act. 2. Etſi Græci idiomatis ignarum Græci concionantem intellexerunt.

VI. In eadem Synodo, ſub hujus anni finem, alia inſignis unio facta eſt gentis ampliſſimæ Armenorum. Ante biennium miſerat Eugenius aliquot viros doctos & pios ex Ordine Minorum ad gentem hanc, monituros indictum eſſe generale Concilium pro unione & pace concilianda nationum Orientalium cum Eccleſia Romana. Præcipui inter hos fuerunt, frater Franciſcus Bononienſis Guardianus Conventus ſancti Pauli extra Bononiam, frater Ludovicus eadem urbe oriundus, & frater Jacobus de Primaditiis reliquorum Vicarius ſeu Præfectus Generalis. Miſſionis inſtrumentum hic exhibeo, in quo Pontifex ad cavenda pericula & eludendas aliorum contradictiones, cauſam alteram exponit.

Fit unio Armenorum.

Per Minores ad Concilium ducti ſunt.

Dilectis filiis Conſulibus & Rectoribus civitatis Caffen. &c.

VII. *Cum proximis temporibus nobis eſſet renunciatum, veſtram devotionem cupere, quod Monaſterium veſtrum Caffenſe Ordinis Minorum reformetur, pro veſtra & aliorum fidelium Catholicorum conſolatione, gaviſi ſumus de veſtra hujuſmodi bonâ diſpoſitione, & quod ſponte noſtra libenter facimus, ac ubique pro viribus fieri curamus, veſtris precibus & interceſſione apud nos fieri debere diſpoſuimus. Quamobrem conſiderantes, dilectum filium Jacobum de Primaditiis de Bononia, Vicarium Generalem Fratrum Minorum* de Obſervantia *nuncupatorum, virum eſſe vita, zelo, caritate & in prædicando divinum verbum ſingularem, qui fideles confirmare & conſolari, infideleſque, Domino adjuvante, ad fidei ſalutem invitare, atque attrahere poterit, eumdem cum aliis Confratribus ſui Ordinis, in Regulari Obſervantia vivere conſuetis, ad vos mittere decrevimus, non obſtante quod a plurimis Italiæ civitatibus magna cum inſtantia peterentur. Viſum namque eſt nobis, Fratres præfatos in civitate illa, quæ multas nationum continet varietates, & regionibus infidelium eſſe vicina, maximos ſimul animarum fructus allaturos & veſtro deſiderio abunde ſatisfacturos. Quocirca devotionem veſtram in Domino requirimus & hortamur, ut fratres Jacobum*

Ex lib. 11. Bullarum Eugen. in arch. ſecreto fol. 222.

Jacobus de Primaditiis laudatur.

bum & ſocios antedictos, tam pro reformatione prædicta in illo Conventu fienda, quam pro aliis ſanctis operibus, quæ, inſpirante Domino, facere pro viribus inſudabunt, poſſibilibus auxilio & favore proſequamini, illaque omnia pro poſſe faciatis, quæ pro conſervatione & amplitudine ſui Conventus, aliorumque operum bonorum conſummatione a vobis duxerint poſtulanda. Nam ſi ea, ut optamus atque etiam ſperamus, facietis, præter æternæ beatitudinis præmia, noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem reportabitis. Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. VI. *Non. Julii, Pontificatus noſtri anno* VII.

** Aguemeni eſt nobilis familiæ Genuenſis.*

VIII. Die undecima menſis Julii acceptis benedictione Pontificia, multiſque ſacris donariis & privilegiis, Bononia diſceſſerunt & proſpera navigatione Caffam pervenerunt. Jacobus tantam invenit gratiam apud gentem illam, eoque nexu ſibi omnem devinxit, ut tamdem flexerit ad unionem cupiendam, & in Italiam duxerit ad ineundam. Propitium habuit Paulum Imperialem * urbis Caffenſis & maris majoris imperii Gazariæ Conſulem, cui Pontifex ſcripſerat, idque ex ſubjectis litteris & inſtrumento Potentiario Patriarchæ Armenorum videre licebit. Ea damus ex codice ſupra citato MSS. Bibliothecæ Vaticanæ eo ipſo tempore Florentiæ exarato, & dedicato Alberto Regi Romanorum, qui poſt paucos menſes deceſſit. Ita habet inſcriptio.

Poteſtas Armenorum Oratorum, aliorumque a Patriarcha deputatorum.

Litteræ Patriarchæ Armenor. *Nomen eſt urbis, cujus erat Patriarcha.*

** Scil. Illuminatoris, Armenorum Apoſtoli. Vide Martyrol. Rom. die 30. Septemb.*

** Scil. Fr. Jacobi de Primaditiis, ut in ſequenti epiſtola.*

** Scil. Pauli Imperialis.*

** Cujus tempore referunt Armeni fuiſſe Gregorium, & Tyridatem Regem.*

** Al. Tyridates.*

IX. *Conſtantinus ſervus ſervorum Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cum gratia Dei ſim conſtitutus Patriarcha Vagarſabath * ſcribo litteram hanc magnificæ civitati Caffæ, mitto meam benedictionem omni populo habitanti Caffæ. Filii mei fideles, quaſi qui gloriam ſcribo vobis, ſcilicet filio meo Vertebet Sarchis, qui ſedes in ſede perſonæ meæ in Caffa, & Archiepiſcopo filio meo primogenito, & omnibus Sacerdotibus ſanctis, Stephano, Moyſi & omnibus aliis, & nobilibus civibus Caffæ, ſcilicet Amurbeth, Cevalcal Chici, Amurberth Olbei, Azoniton Andreæ & omnibus aliis Burgenſibus cum virtute Spiritus ſancti ſcribo litteram hanc, dans vobis benedictionem & ſalutationem. Benedictio ſanctæ Crucis, & Gregorii * ſit ſuper vos a Sede ſanctitatis noſtræ: Deus per ſuam miſericordiam liberet vos ab omnibus tentationibus Diaboli, tam in ſpiritualibus & temporalibus, Deus augeat filios & filias & bona veſtra. Sciatis vos, filii mei cariſſimi, ſcilicet filius meus Sarchis Vertebet, & vos Sacerdotes & Burgenſes, noveritis quod Epiſcopus Emanenſius venit ad nos & portavit litteras veſtras de Caffa, & etiam Vicarii * ſummi Pontificis, & etiam litteram Domini Conſulis * legimus, & lætati ſumus, quia ſcripſeratis de unione Eccleſiæ Romanæ. Poſtquam audivi, regratiatus fui Deo: ex gratia Spiritus ſancti eſt, quod iſtud opus eſt inchoatum. Convenit Chriſtianis habere unitatem & concordiam. Ego cum plena noſtra poteſtate dedi auctoritatem Sarchis Vertebet, qui eſt loco perſonæ meæ, & Marco Vertebet, & Thomæ Vertebet, & Joachimo Epiſcopo Peræ, ut eant ad Synodum, ut Spiritus ſanctus illuſtret eos; & per virtutem Spiritus ſancti, ſicut ſanctus Silveſter, * & ſanctus Gregorius fuerunt concordes, ita Deus concordet vos in pace, in amore & unione. Et ſicut Conſtantinus Imperator, & Tartach * Imperator noſter inter ſe habuerunt concordiam & pacta, ita & vos etiam confirmate acta eorum ad unitatem, & ad facta iſtorum Im-*

Imperatorum nos inclinamus; modo etiam quidquid Spiritus ſanctus illuſtraverit ſanctam Synodum, prompti ſumus ei obedire. Scripta XXV. *menſis Julii, anno Domini* MCCCCXXXVIII.

Litteræ Regentis civitatis Caffæ ad ſummum Pontificem.

X. *Etſi hæc gentis Armeniæ reductio multis ante temporibus tractata eſſet, ſanctiſſime Pater, verebar attamen tantam rem & tam arduam aggredi, in qua vires ingenii mei vix ſufficere poſſe arbitrabar, ſtatueramque potius ſubſiſtere, quam per vias incognitas ambulare. Sed in tua Sanctitate confiſus, cujus merita expoſcunt, ut ſub ejus vexillo, ſingulare & perſpicuum ſydus eluceat, gaudeatque ſacroſancta mater Eccleſia, ut in hoc tuo tempore unionis & ſanctitatis novis fulgoribus illuſtretur, ſuſcepi vires & animum, adhortatus meipſum, & rem ipſam amplecti inſtitui maxima cum ſollicitudine & opera: in qua, diabolico inſtinctu & variis tentationibus præcedentibus, multiplices ſtimulos perpeſſi ſumus, ita ut cuncta quaſi noſtro voto adverſantia fuerint, & de attentata opera plerumque deſperavimus; tamen adoperante illo ſummo rerum opifice, ac tuam Sanctitatem propitius reſpiciente, ſub qua datum eſt unitatem fidei ſigillari, bonum & perfectum exitum ſortiti ſumus cum ſudore & maximis vigiliis, hoc tantum opus, per cuncta ſecula e hominum memoria non delendum, tuæ Sanctitati dedicavimus. Gaudeo, Pater beatiſſime, hanc unitatem temporibus tuæ Beatitudinis ſuſcitatam, quæ tuorum prædeceſſorum tempore obdormierat. Quid enim potuit beatius accidere, ac Deo ac toti populo Chriſtiano acceptius, quam hæc ſingularis reductio Armenorum? Sed advertendum eſt propter tuam ſanctimoniam, ſummis laboribus & incommodis, quibus circumventus fuiſti, eſſe conceſſum, ut viderint qui Eccleſiam perſequuntur, non eſſe humana iſta opera tua, at divina magis atque ex Deo manantia. Ego enim dum ſummum rerum auctorem ad te oculos ſanctitatis direxiſſe cognovi, teque in reſervatam beatitudinem & gloriam conſtituiſſe, auſus ſum tuorum ſervitiorum cupere fieri participem; & tuæ Sanctitatis fiducia confiſus, apud eamdem non dubito illam tuam Romanam ſenatoriam dignitatem impetrare: quam in præſentiarum humiliter poſco & requiro, non tantum pro meritis meis, pro quibus & majoribus ſummo Deo & Sanctitati tuæ, quæ vices ejus in terris gerit, obnoxius ſum; ſed ut aperte intueantur, qui cultum veræ religionis volunt, præmia bonos & Chriſticolas fideles manere, & tali ac ſimili ſpe ceteri provocentur ad S. R. E. augmentum ac favorem. Accipe igitur, ſanctiſſime Pater, legatos Armenorum, quos ad pedes ſuæ Sanctitatis mittimus cum amplo ſui Patriarchæ & univerſalis eorumdem nationis mandato, ac bailia; ita ut majorem concedi nullo pacto intelligamus, quam regiſtrari fecimus, & tuæ Sanctitati tranſmittere opportunum eſſe arbitrati ſumus. Hos enim conducit Vicarius * frater Jacobus, qui ſicut hujus tanti luminis & reductionis fuit principalis coadjutor, opportunum fuit, ut ſit & ipſe conductor; nam corda ipſorum Armenorum ita in manibus habet, quod nuſquam abſque ipſo accedere poſſint. Hic enim vir devotus explicabit cetera latius Sanctitati tuæ, quæ ego, ne inepta oratione ſanctiſſimas aures tuas offenderem, prætermittam. In reliquis Epiſcopatum hujus civitatis tangentibus, quæ Sanctitas tua litteris mandavit, executioni tradidi. Etſi præfatus Vicarius tuus & ego in aliquibus ſubſiſtere decrevimus, bona cauſa moti id egimus, expectantes deinceps in ipſo negotio, quod tua Sanctitas juſſerit faciendum. Valeat tua Sanctitas felix, ad cujus pedes humiliter me commendo. Ex Caffa, die prædicta Decembris,*

* *De quo ſupra in epiſt. præcedenti.*

bris, anno Domini MCCCCXXXVIII. *Ejuſdem Sanctitatis ad genua provolutus, Paulus Imperialis Conſul Caffæ & totius maris majoris Imperii Gazariæ.*

XI. *His litteris*, inquit meus auctor Andreas a ſancta Cruce, *exhibitis ſacræ Synodo, Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Oſtienſi, ſanctæ Crucis, & ſanctæ Sabinæ, ac Doctoribus plurimis per ſummum Pontificem, ſacra approbante Synodo, deputatis, & inceſſanter quaſi diebus ſingulis in Apoſtolico Palatio cum Armenis præfatis convenientibus, inſtitutis S. R. E. adeo inſtructi ſunt Oratores præfati, quod infraſcripti decreti fidem recognoſcentes, religioſiſſime ſuſcepere: quod in Cathedrali Eccleſia*, XXII. *Novembris publica in ſeſſione Synodica firmatum extitit. Cujus decreti per Epiſcopi Paduani organum promulgati, forma hæc eſt:* Deinde ſubjicit totum decretum Armenis contraditum.

XII. Verum quia in libro iſto vel tomo, ſeu Bulla originaria, in Concilio confecta, & ſimul cum aliis Alberto Sartianenſi directis, quæ ſervantur decenter in Bibliotheca Conventus Minorum ſtrictioris Obſervantiæ Feſularum prope Florentiam, & quorum authenticum exemplar ad me miſſum, ego exhibui ſupradicto ſapientiſſimo viro Hortio Juſtiniano, Concilium hoc edituro, & compendiaria repetitio omnium in Decreto contentorum, per ipſos Armenos in Synodo facta, quæ in codicibus Conciliorum impreſſis deſiderantur, placuit illa hic exhibere. Fortaſſis qui prælo voluit committere, judicaverat inutilem fuiſſe repetitionem, aut deceptus ultimis tam Decreti, quam ratificationis ejuſdem clauſulis omnino ſimilibus, videlicet: *Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter obtemperare*, judicavit otioſe hæc poſteriora irrepſiſſe. Ego ob reverentiam ſacroſanctæ Synodi, & graviſſimi Diplomatis Pontificii, in quo nihil non ſanctum, neque otioſe dictum ſuſpicari poſſum, aut mihi perſuaderi aliquando patiar, & in venerandæ vetuſtatis gratiam, ne hæc excidere contingat, tomum integrum miniſtrabo lectori.

Vide ann. 1438. num. 3.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decretum pro Armenis. Pſal. 80.

1. E*Xultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob, omnes qui ubique nomine cenſemini Chriſtiano. Ecce iterum recordatus Dominus miſericordiæ ſuæ, alium diſſidii lapidem, nongentis & amplius inveteratum annis, de Eccleſia ſua auferre dignatus eſt: & qui facit concordiam in ſublimibus, & per quem in terra pax eſt hominibus bonæ voluntatis, optatiſſimam Armenorum unionem ſua ineffabili miſeratione conceſſit* Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. *Intuens namque piiſſimus Dominus Eccleſiam ſuam, modo ab his qui foris ſunt, modo ab his qui intra, non parvis agitari turbinibus, ut inter ipſas reſpirare anguſtias, & ad reſiſtendum fortior aſſurgere valeat, multis eam quotidie modis conſolari & roborare dignatur.*

2. Cor. 1.

Dei opus hæc unio.

2. *Nam & pridem magnam illam Græcorum unionem, multas longe lateque continentium nationes & linguas, hodie vero hanc ipſam Armenici populi, qui per Septemtrionem & Orientem in magna copia diffuſus eſt, in eodem fidei & caritatis vinculo, cum Sede Apoſtolica ſtabilivit. Hæc profecto tam*

tam magna & mira ſunt divinæ pietatis beneficia, ut non ſolum pro utroque, ſed ne quidem pro altero ſatis dignas ſuæ Majeſtati referre gratias poſſit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, uno eodemque tam brevi tempore, duo ſic præclara, & a ſeculis deſiderata opera, in hoc ſacro Concilio fuiſſe tam feliciter conſummata? Vere a Domino factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris. Quomodo enim hominum prudentia vel induſtria, niſi gratia Dei & cœpiſſet & perfeciſſet, has tantas & tales res explere potuiſſet? Laudemus igitur & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna ſolus, ipſique pſallamus ſpiritu, pſallamus & mente, oreque & opere, quantum ſinit humana fragilitas; pro tantiſque muneribus gratias agamus, orantes & obſecrantes, ut quemadmodum ipſi Græci atque Armeni, unum cum Eccleſia Romana effecti ſunt, ita fiant & ceteræ nationes, præſertim Chriſti charactere inſignitæ; & totus denique populus Chriſtianus omnibus odiis, belliſque extinctis, mutua invicem puce & fraterna caritate quieſcat & gaudeat.

Pſal. 117. 23.
Pſal. 135. 4.

3. *Ipſos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos eſſe merito cenſemus. Ut primum enim a nobis ad Synodum acceerſiti ſunt, tamquam Eccleſiaſticæ avidi unitatis, ſpectabiles, devotos & doctos Oratores ſuos cum ſufficienti mandato, de ſuſcipiendo videlicet quidquid Spiritus ſanctus hanc ſanctam Synodum illuſtraverit, ex remotiſſimis regionibus per multos labores, mariſque pericula, ad nos & hoc ſacrum Concilium deſtinarunt.*

Armeni prompti ad unionem.

4. *Nos vero tota mente, ut noſtrum Paſtorale decebat officium, cupientes tam ſanctum perficere opus, ſæpe cum ipſis Oratoribus de hac ſancta unione contulimus: & ne vel parva huic ſanctæ rei dilatio fieret, deputavimus de omni ſtatu hujus ſacri Concilii viros, juris divini & humani doctiſſimos, qui cum omni cura, ſtudioque & diligentia, rem iſtam cum iſtis pertractarent Oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem, tam circa divinæ unitatem eſſentiæ, & divinarum perſonarum Trinitatem, quam Domini noſtri Jeſu Chriſti humanitatem, & ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, & alia ad fidem orthodoxam, & ritus univerſalis Eccleſiæ pertinentia.*

Mature diſcuſſæ controverſiæ.

5. *Multis itaque adhibitis diſputationibus, collocutionibus & tractatibus, poſt non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex ſanctis Eccleſiæ Patribus & Doctoribus deducta ſunt, & earum, de quibus agebatur, rerum diſcuſſionem; tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipſos Armenos hæſitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum Sede Apoſtolica, unioque ipſa ſtabilis & perpetua ſine ullo ſcrupulo perſeveret, ut ſub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, per hoc decretum, ſacro hoc approbante Florentino Concilio, ipſis Oratoribus ad hoc etiam conſentientibus, traderemus.*

Traditur eis fidei compendium

6. *In primis ergo damus eis ſanctum Symbolum, a centum quinquaginta Epiſcopis in Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio æditum, cum illa additione,* filioque, *ipſi Symbolo declarandæ veritatis gratia, & urgente neceſſitate, licite & rationabiliter appoſita, cujus talis eſt tenor.* Credo in unum Deum &c. *Hoc autem ſanctum Symbolum, ſicut apud Latinos mos eſt, ita decernimus per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſſarum ſolemnia, ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & majoribus feſtivitatibus decantari vel legi.*

Symbolum Conſtantinopolitan.

7. *Secundo tradimus ei definitionem quarti univerſalis Concilii Chalcedonenſis, in quinto poſtea & ſixto univerſalibus Conciliis renovatam, de duabus naturis in una Chriſti perſona, cujus tenor talis eſt:* Sufficeret quidem

De duabus in Chriſto naturis.

dem ſapiens hoc & ſalutare divinæ gratiæ Symbolum ad plenam cognitionem ac confirmationem pietatis: de Patre enim & Filio & Spiritu ſancto perfectionem docet, & Domini humanationem fideliter accipientibus repræſentat. Sed quoniam hi, qui conantur reprobare prædicationem veritatis, per proprias hæreſes novas voces genuerunt; & hi quidem præſumentes corrumpere myſterium diſpenſationis Domini, quæ propter nos facta eſt; alii vero introducentes confuſionem permixtionemque, & ſtulte confingentes unam eſſe naturam carnis & Deitatis, & portentoſe dicentes paſſibilem Unigeniti divinam naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem, præſens nunc ſancta & magna atque univerſalis Synodus, prædicationem hanc docens ab initio immobilem, decrevit ante omnia fidem trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum manere irrecuſabilem: & poſteriore tempore, propter illos quidem qui pugnant adverſum Spiritum ſanctum, corroborat doctrinam de ſubſtantia Spiritus, traditam a Patribus centum quinquaginta apud Conſtantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt; non quaſi inferentes, quod aliquid minus eſſet in præcedentibus, ſed eorum intellectum de Spiritu ſancto, ſcripturarum teſtimoniis declarantes adverſus eos, qui dominationem ejus reſpuere tentaverunt. Propter illos autem, qui moliuntur corrumpere diſpenſationis myſterium, & impudenter delirant dicentes, purum hominem eſſe illum, qui ex ſancta Maria Virgine natus eſt, ſuſcepit epiſtolas Synodicas beati Cyrilli quondam Præſulis Eccleſiæ Alexandrinæ ad Neſtorium & ad Orientales, congruas exiſtentes ad convincendas Neſtorii veſanias, & ad interpretationem eorum, qui ſalutaris Symboli mentem pio zelo noſſe deſiderant. Quibus etiam conſequentiſſime epiſtolam coaptavit magnæ & ſenioris urbis Romæ Præſulis, beatiſſimi ac ſanctiſſimi Leonis Papæ, quæ ſcripta eſt ad ſanctæ memoriæ Archiepiſcopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote congruentem illius magni Petri confeſſioni, & exiſtentem nobis quamdam columnam communem adverſus prava dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque, qui in duos filios diſpenſationis divinæ myſterium diſcerpere nituntur, obſiſtit; & illos qui paſſibilem Deitatem unigeniti auſi ſunt dicere, a ſacro cœtu expellit; & his, qui in duabus naturis Chriſti temperamentum aut confuſionem exquirunt, reſiſtit; & eus, qui dicunt, ſervi formam, quam ex nobis aſſumpſit, cœleſtem eſſe, aut alterius alicujus ſubſtantiæ, ut dementes abjicit; & qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero poſt unitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur ſanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate; Deum vere & hominem vere; eumdem ex anima rationali & corpore; conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis eumdem ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſecula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos, & propter ſalutem noſtram, ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem, unum eumdemque Chriſtum, verum Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum; nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente; non in duas perſonas partitum, ſive diviſum, ſed unum & eumdem Filium unigenitum, Deum verum Domi-

minum Jeſum Chriſtum, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit, & ſanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum.

8. *Tertio, diffinitionem de duabus voluntatibus, duabuſque Chriſti operationibus in prædicto ſexto Concilio promulgatam, cujus tenor talis eſt:* Sufficeret quidem *& reliqua, quæ in ipſa diffinitione Concilii Chalcedonenſis ſuperius enarrata ſequuntur uſque ad finem; poſt quem ſequitur in hunc modum:* & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii aſſeruerunt hæretici, ſed ſequentem humanam ejus voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potius & ſubjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, ſubjici vero voluntati divinæ, juxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim ejus caro, Dei Verbi dicitur & eſt; ita & naturalis carnis ejus voluntas, propria Dei Verbi dicitur & eſt, ſicut ipſe ait: *Quia deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris*; ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus: Nam & caro propria ejus facta eſt. Quemadmodum enim ſanctiſſima atque immaculata animata ejus caro deificata eſt, non eſt perempta, ſed in proprio ſui ſtatu & ratione permanſit; ita & humana ejus voluntas deificata eſt, non eſt perempta; ſalvata eſt autem magis ſecundum deiloquum Gregorium dicentem: nam velle illius, qui in Salvatore intelligitur, non eſt contrarium Deo: deificatum eſt totum: duas enim naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter in eodem Domino Jeſu Chriſto, vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt, divinam operationem, & humanam operationem, ſecundum divinum prædicatorem Leonem apertiſſime aſſerentem: agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis: nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum eſt, in divinam ducamus eſſentiam; neque quod eximium eſt divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim & ejuſdem tam miracula, quamque paſſiones cognoſcimus, ſecundum aliud & aliud earum, ex quibus eſt, naturarum, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfuſum atque indiviſum conſervantes unum ſanctæ Trinitatis, brevi voce cuncta proferimus: & poſt incarnationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum eſſe credentes, aſſerimus duas ejus eſſe naturas, in una ejus radiantes ſubſiſtentia: in qua tam miracula, quamque paſſiones per omnem ſui diſpenſativam converſationem, non per phantaſiam, ſed veraciter demonſtravit, ob naturalem differentiam in eadem una ſubſiſtentia cognoſcendam: dum utraque natura cum alterius communione indiviſe & inconfuſe propria vellet atque operaretur: juxta quam rationem, & duas naturales voluntates & operationes confitemur, ad ſalutem humanam convenienter in eo concurrentes.

De duabus operationibus.

Athan. lib. adverſ. Apollinar. de Trin. & Incarnat.

Joan. 6.

Gregor. Nazianzen. in epiſt. 1. ad Cleonium.

Leo epiſt. 10. ad Flavian. cap. 4.

Cyrillus lib. 10. Theſau. c. 3. & 14.

9. *Quarto, quoniam hactenus ipſi Armeni præter has tres, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, Synodos, nullas alias univerſales poſtea celebratas, nec ipſum beatiſſimum hujus ſanctæ Sedis Antiſtitem Leonem, cujus auctoritate ipſa Chalcedonenſis Synodus extitit congregata, ſuſceperunt, aſſerentes eiſdem fuiſſe ſuggeſtum, tam Synodum ipſam Chalcedonenſem, quam memoratum Leonem, ſecundum damnatam Neſtorii hæreſim diffinitionem feciſſe: inſtruximus eos & declaravimus, hujuſmodi falſam* *fuiſ-*

De Conc. Chalcedonen. & Leone Papa.

fuiſſe ſuggeſtionem, ipſamque Synodum Chalcedonenſem & beatiſſimum Leonem ſancte & recte veritatem de duabus in una perſona Chriſti naturis ſuperius deſcriptam definiviſſe, contra impia Neſtorii & Eutychis dogmata; injunximuſque, ut ipſum beatiſſimum Leonem, qui veræ fidei columna fuit, & omni ſanctitate & doctrina refertus, tamquam ſanctum & in catalogo Sanctorum merito deſcriptum, de cetero reputent & venerentur: atque non ſolum dictas tres Synodos, ſed & omnes alias univerſales, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, ſicut & ceteri fideles, reverenter ſuſcipiant.

De aliis Conciliis Generalibus.

10. *Quinto, Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem, pro ipſorum Armenorum, tam præſentium, quam futurorum faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redigimus formula.* Novæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium: quæ multum a ſacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandum eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſeipſo perfectionem, duo ultima ad totius Eccleſiæ regimen multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam-Unctionem: per Ordinem vero Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum. Inter hæc ſacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

De ſeptem Sacramentis.

De Baptiſmo. Roman. 3. Joan. 3.

11. Primum omnium ſacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt; per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus (ut inquit Veritas) in regnum cœlorum introire. Materia hujus ſacramenti eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Non tamen negamus, quin & per illa verba, *baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; vel, *baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti*, verum perficiatur Baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit Miniſter qui tradit exterius ſacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione, perficitur ſacramentum. Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in caſu autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia. Hujus ſacramenti effectus, eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea ba-

baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio; ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem perveniunt.

12. Secundum ſacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. Et cum ceteras Unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat: *Cum enim audiſſent* (inquit) *Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum veniſſent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum. Effectus autem hujus ſacramenti eſt, * qui in eo datur, Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes; ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue Crucem ejus, qui *Judæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia*, ſecundum Apoſtolum; propter quod ſigno Crucis ſignatur.

De Confirmatione.

Act. 8. 14.

** In aliis legitur: quia in eo datur, & : quod in eo datur.*

1. Corinth. 1. 23.

13. Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia ſanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ, pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentum. Deinde, quia hoc convenit Dominicæ paſſionis repræſentationi: inquit enim beatus Alexander Papa, quintus a beato Petro: *In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum, in ſacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque, id eſt, ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur*. Tum etiam, quod convenit ad ſignificandum hujus ſacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, ſecundum illud Apocalypſis: *Aquæ multæ populi multi*. Et Julius Papa, ſecundus poſt beatum Sylveſtrum, ait: *Calix Dominicus juxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti*. Ergo cum in calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & jungitur. Cum ergo tam ſancta Romana Eccleſia a beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe

De Euchariſtia.

De aqua miſcenda in calice.

Alexand. prim. epiſt. 1. ad omnes Orthodoxos.

Apoc. 17.

Jul. prim. decreto 7. & hab. de conſecr. d. 2. c. Cum omne.

ſe cum univerſo orbe Chriſtiano conforment: eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum eſt, admiſceant vino. Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit * ſacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur: Ita tamen, quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Hujus ſacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, ſacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem: in quo (ut inquit Urbanus Papa) gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.

Alii legunt: conficitur, alii: confecit.

Urban. epiſt. Decretali.

De Pœnitentia.

14. Quartum ſacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio; ad quam pertinet ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium & eleemoſynam. Forma hujus ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert cum dicit: *Ego te abſolvo &c.* Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris. Effectus hujus ſacramenti eſt abſolutio a peccatis.

De Extrema Unctione.

15. Quintum ſacramentum eſt Extrema-Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc ſacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt; in oculis propter viſum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter guſtum vel loquutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter greſſum; in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus ſacramenti eſt hæc: *Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti.* Et ſimiliter in aliis membris. Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos: Effectus vero eſt mentis ſanatio, & in quantum animæ expedit, ipſius etiam corporis. De hoc ſacramento inquit beatus Jacobus Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, * ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.*

Jac. 5.

* *Al. &* orent.

De Ordine.

16. Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus vero, per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero, per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotii talis eſt: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis: In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti.* Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius Miniſter hujus ſacramenti eſt Epi-

Epiſcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis ſit idoneus Chriſti Miniſter.

17. Septimum, eſt ſacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Cauſa efficiens matrimonii, regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum, eſt proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum, eſt fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium, indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit. De Matrimonio. Epheſ. 5. 32.

18. Sexto, compendioſam illam fidei regulam, per beatum Athanaſium editam, ipſis præbemus oratoribus, cujus tenor talis eſt: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c.* De Symbolo Athanaſii.

19. Septimo, Decretum unionis cum Græcis conſummatæ pridem in hoc ſacro œcumenico Florentino Concilio promulgatum, cujus tenor talis eſt: *Eugenius &c. Lætentur Cœli &c.* De decreto pro Græcis.

20. Octavo, cum inter alia ſit etiam cum ipſis Armenis diſputatum, quibus diebus feſtivitates Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, & conſequenter Nativitatis & Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Præſentationis ejuſdem in templo, ſeu Purificationis beatæ Virginis Mariæ celebrari debeant, ſatiſque dilucide veritas patefacta fuerit, tam ſanctorum Patrum teſtimoniis, quam conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, & omnium aliarum univerſaliter apud Latinos & Græcos. Ne igitur in tantis celebritatibus diſpar ſit Chriſtianorum ritus, unde perturbandæ caritatis occaſio poſſit oriri, decernimus tamquam veritati & rationi conſentaneum, & juxta totius reliqui orbis obſervantiam, ut ipſi etiam Armeni feſtum Annunciationis beatæ Mariæ die XXV. Martii, Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ XXIV. Junii, Nativitatis vero ſecundum carnem Salvatoris noſtri XXV. Decembris, Circumciſionis ejuſdem I. Januarii, Epiphaniæ VI. ejuſdem Januarii, Præſentationis Domini in templo, ſeu Purificationis Dei genitricis II. Februarii debeant ſolemniter celebrare. De Feſtivitatibus.

21. *His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores nomine ſuo, & ſui Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc ſaluberrimum Synodale decretum cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quidquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni devotione & obedientia acceptant, ſuſcipiunt & amplectuntur. Illos quoque Doctores & ſanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, ipſi reverenter ſuſcipiunt. Quaſcumque vero perſonas, & quidquid ipſa Romana Eccleſia damnat & reprobat, ipſi pro reprobatis & damnatis habent: Profitentes, tamquam veri obedientiæ filii, nomine quo ſupra, ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter obtemperare.* Admittunt omnia Armeni.

22. *Lecto autem ſolemniter in noſtra & hujus ſanctæ Synodi præſentia memorato decreto, mox dilectus filius Narſes Armenus, nomine ipſorum oratorum in idiomate Armenio, publice hæc, quæ ſequuntur, legit; quæ incontinenti dilectus filius Baſilius Ordinis Minorum, noſter & ipſorum Armenorum communis interpres, publice ſermone Latino in hunc modum exſcripto legit:* Beatiſſime Pater, & ſanctiſſima Synode, totum hoc ſanctum decretum, quod nunc Latine coram veſtra publice lectum eſt præſentia, nobis fuit pridie de ver- Fr. Baſilius interpres Armenorum & Latinorum.

Digitized by Google

verbo ad verbum in noſtro idiomate clare expoſitum & interpretatum, quod quidem optime nobis placuit & placet. Ad majorem autem veſtræ mentis expreſſionem ejus effectum ſummatim repetimus.

23. In ipſo continetur primo, qualiter populo noſtro Armenorum traditis ſanctum Symbolum Conſtantinopolitanum cum illa additione, *Filioque*, ut in Eccleſiis noſtris, diebus ſaltem Dominicis, majoribuſque feſtivitatibus, intra Miſſarum ſolemnia decantari ſeu legi debeat.

24. Secundò, definitionem Concilii quarti univerſalis Chalcedonenſis de duabus naturis in una Chriſti perſona. Tertio, definitionem de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus in ſexto univerſali Concilio promulgatam. Quarto, declaratis quod ipſa Chalcedonenſis Synodus, & beatiſſimus Leo Papa recte de duabus in una perſona Chriſti naturis veritatem definierint contra impia Neſtorii & Eutychis dogmata, jubetiſque ut ipſum beatiſſimum Leonem, tamquam ſanctum & fidei columnam veneremur; atque non ſolum has tres Synodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, ſed omnes alias univerſales, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, reverenter ſuſcipiamus. Quinto, brevem formulam ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ, videlicet, Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, Ordinis & Matrimonii, declarando quæ ſit cujuſlibet Sacramenti materia, forma & Miniſter. Quodque in ſacrificio altaris, dum calix offertur, vino paulukum aquæ admiſceri debeat. Sexto, quamdam compendioſam beatiſſimi Athanaſii fidei regulam, quæ incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c.* Septimo, Decretum unionis concluſæ cum Græcis in hoc ſacro Concilio pridem promulgatum, continens qualiter Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter procedit; & quod illa additio, *Filioque*, licite & rationabiliter ipſi Synodo Conſtantinopolitano fuit appoſita: quodque in pane triticeo azymo, vel fermenrato Corpus Domini conficitur; quid etiam credendum ſit de pœnis Purgatorii & Inferni, ac vita beata, & de ſuffragiis, quæ pro defunctis fiunt. Item, de plenitudine poteſtatis Sedis Apoſtolicæ tradita a Chriſto beato Petro & ſuis ſucceſſoribus, atque de ordine Patriarchalium Sedium. Octavo, decernitis, ut de cetero Armeni has feſtivitates infraſcriptis diebus, more univerſalis Eccleſiæ celebrare debeant, videlicet Annunciationis beatæ Mariæ Virginis xxv. Martii, Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ xxiv. Junii, Nativitatis Salvatoris noſtri ſecundum carnem xxv. Decembris, Circumciſionis ejuſdem prima Januarii, Epiphaniæ vi. ejuſdem Januarii, Præſentationis Domini in templo, ſive Purificationis beatæ Mariæ ii. Februarii. Nos igitur oratores nomine noſtro, noſtrique Reverendi Patriarchæ & omnium Armenorum, ſicut & veſtra Sanctitas in ipſo Decreto atteſtatur, hoc ſaluberrimum Synodale Decretum cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quidquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni devotione & obedientia acceptamus, ſuſcipimus & amplectimur. Illos quoque Doctores & ſanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, reverenter ſuſcipimus: quaſcumque perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat & damnat, nos pro reprobatis & damnatis habemus; profitentes, tamquam veri obedientiæ filii, nomine, quo ſupra, ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter obtemparare. *Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXIX. X. *Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno* IX.

XIII. Re-

XIII. Redierat cum iſtis Armenorum oratoribus ex Oriente beatus Joannes Capiſtranenſis, qui eo perrexit hoc anno, mandatum executurus Guillelmi Miniſtri Generalis,quod ſuperius inſinuavimus, reformandæ provinciæ Orientalis. Prius abire non poterat, a Pontifice circa alia occupatus, infirma etiam valetudine anno elapſo præpeditus. Hieroſolymis turbas omnes ſedavit; Gandulphum Siculum a Pontifice deſtinatum, uti narravimus, in Terra ſancta ſuperiorem, ab omnibus coli præcepit; qui ſubeſſe nollent, ad ſuas provincias remiſit; inſolentem, quem diximus, quæſtuarium Fratrum interdixit conſortio. Multa utiliter ſtatuit, collapſam diſciplinam ubique reſtituit. In urbe Caffenſi, quippe opulentiori, & Europæorum commerciis opportuniori major erat diſſolutio, ibique majorem poſuit conatum abuſus tollendi. Illic commoratus aliquamdiu, promovit negotium Armenorum; cum illis venit in Italiam, & interpretem dedit fratrem Baſilium, inter eos diu commoratum, atque inde illius linguæ peritiſſimum.

B. Joann. Capiſtran. multa utiliter ſtatuit in Oriente. *An.* 1417. *n.* 24.

An. 1438. *n.* 24.

Ibidem.

XIV. Supererant adhuc aliæ nationes Schiſmaticæ,ad fidei unitatem & Eccleſiæ gremium reducendæ, præſertim Æthiopes & Indi in remotiſſimis partibus conſtituti. Neque hos negligendos judicavit Eugenius, ſed more illius, qui mandat ſalutes Jacob, miſit qui ſalutem dicerent, veritatis Evangelicæ viam docerent, & ad Matris ſuæ amplexus invitarent. Abſoluta unione Græcorum, ſtatim ablegavit Albertum Sartienſem, adjunctis aliis Fratribus, inter quos frater Baptiſta de Levanto, poſtea Vicarius Generalis Obſervantum, & frater Bartholomæus *del Pelacane* Florentinus, datis tomis unionis ad Patriarchas, & Cophtos * perferendis, necnon litteris ad Thomam Indorum, & Presbyterum Joannem Æthiopum Imperatores, aliiſque graviſſimis commiſſæ ſibi amplæ poteſtatis in illis partibus, inſtrumentis. Omnia lectori exhibeo ex ipſis autographis, quæ in ſupradictam Bibliothecam Feſulanam ex Conventu Cetonienſi, ubi negligebantur, transferri, ad ſuggeſtionem Theodori Lotharingi, ſacræ Theologiæ profeſſoris, viri docti & pii, juſſit anno MDCXV. Antonius a Trejo, Vicarius Generalis Ordinis, mox digniſſimus Epiſcopus Carthaginenſis, deinde Philippi III. Hiſpaniarum Regis ad Paulum V. Orator pro definienda controverſia Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, cujus zelo & cura hæc monumenta conſervata & accepta referimus.

Amandantur Albertus Sartianen. & alii ſocii ad Æthiopes, & Indos.

* *Populi ſunt Ægyptii, circumciſi, vulgo dicti* Chriſtiani præcinctura. *Vide Thom. Carmelit. de ſalut. gent. lib. 7. c. 5. & 6.*

Cariſſimo in Chriſto filio Thomæ, Imperatori Indorum illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XV. P*Ertulit ſæpe ad nos conſtans fama, tuam Serenitatem, & ſimul omnes, qui ſub tuis regnis ſunt conſtituti, veros eſſe Chriſtianos; tibi etiam non dubitamus eſſe notum ipſius fidei fundamenta a principio fuiſſe inſtituta apud urbem Romam, in qua quieſcunt corpora beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, reſidemuſque nos Chriſti Vicarius, in ipſa Apoſtolica Sede, Eccleſiarum omnium domina & magiſtra. Quare cupientes, ſi conceſſerit Dominus, aliqua ſcire de his, quæ apud tuam Excellentiam fiunt, & ut etiam tu intelligas quid apud Chriſtianos Occidentales fiat, mittimus ad tuam Celſitudinem dilectos filios fratrem Albertum de Sartiano, Ordinis beati Franciſci, Commiſſarium noſtrum in partibus Orientalibus, & ejus ſocios, quos, ſi forte nequiverit perſonaliter venire, duxerit deſtinandos: ſuntque ipſi omnes viri, utique cum ſacra Dei doctrina pleni, tum etiam in timore Domini & ejus viis ambulantes, quibus velit eadem Serenitas tua in dicendis*

Ex ipſo autographo.

dis tam circa prædicta, quam etiam circa quædam ſecretiora ex parte noſtra, fidem credulitatis adhibere plenariam. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIX. V. *Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno* IX.

In eumdem modum: *Cariſſimo filio Presbytero Joanni Imperatori Æthiopum illuſtri.*

* *Ægypti populis per alias provincias diſperſis.*

*Dilectis filiis Cophtis *, & eorum Prælatis Hieroſolymæ, & ubique in partibus Orientalibus congregatis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Ex autographo.

Quantum duraverit ſchiſma Eccleſiarum.

XVI. G*Loria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Juvat, dilecti filii, in vocem exultationis erumpere, & geſtiente animo cum Angelis miſcere lætitiam, quandoquidem ineffabile gaudium, quod erit in omni Chriſtiano populo, nuntiamus. Tantum quippe mens noſtra divinæ conſolationis rore perfunditur, ita & hilaratur cor noſtrum, ut quod ſentimus explicare nequaquam valeamus, ſolaque in gratiarum actione & voce laudis requieſcant affectus noſtri. Ecce enim quod ardentiſſimo ſtudio, indefeſſa pietate olim, & longe antequam ad Apoſtolatus apicem aſſumeremur, optavimus, Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ diuturnum perniciofumque diſſidium, poſt quadringentos quinquaginta annos, divina tamdem miſeratione ſublatum eſt: in qua re licet omnem pro viribus diligentiam adhibuerimus, quantum ille donare dignatus eſt; totum tamen infinitæ illius bonitati adſcribimus, ſine cujus opere, totum eſt inane, quod geritur. Namque ab ipſis noſtri Apoſtolatus initiis omni ſtudio elaboravimus, ut utriuſque Eccleſiæ unio feliciſſima ſequeretur: & poſt multas hinc inde legationes miſſas, advenerunt ad nos anno præterito adducti, & hactenus ſumptibus noſtris ſuſtentati, cariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Palæologus, Romæorum Imperator illuſtris, & bonæ memoriæ Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, & loca tenentes Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani Patriarcharum, Legatique Trapezuntii Imperatoris, Hiberorum, Ruthenorum, & Valachorum, cum Metropolitis & Eccleſiaſticis, ac Nobilibus plurimis, & multitudine copioſa. Avidi quippe hujus ſacratiſſimæ unionis, laboribus plurimis, maris periculis ſeſe exponere nequaquam cunctati ſunt, ſacro œcumenico Concilio, quod intra Italiam, & ubi commode intereſſe poſſimus, fieri Magnatum inſtantia poſtularunt, adeſſe cupientes. Advenerunt autem ad diſputandum parati, ſine contentionis tamen vitio, aut pertinaciæ ſtudio. Nos itaque divini humanique Juris profeſſores omni ex parte congregare curavimus, qui cupientibus veritatem aperirent; Deoque largiente, poſtquam eis tam ex ſcripturis divinæ ſapientiæ, quam ex ſanctis Patribus Latinis pariterque Græcis, veritas per omnia eſt patefacta; libentiſſime conſenſerunt inventæ veritati, Spiritumque ſanctum ex Patre ſimul, & Filio procedere profeſſi ſunt; ſummamque Romanæ Eccleſiæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, quam improbe nimirum quidam opprimere nituntur, grate recognoverunt, atque in reliquis conſenſerunt, prout ex Decreto inde confecto, quod vobis oſtendet dilectus filius Albertus de Sartiano, Ordinis Minorum profeſſor, lator hujus, veſtra devotio apertius diſcet. Audemus ſane in Domino gloriari, atque confidentiſſime dicere, id noſtra ætate patratum eſſe, quo nihil majus, nihilque dignius ab ipſo Apoſtolicæ prædicationis tempore, Catholica vidit Eccleſia. Nec vero hic erit finis divinorum mirabilium, ſed divinæ miſerationis latior campus aperietur, ut Sol ille juſtitiæ, qui in Oriente jam ortus eſt, ad ipſas quoque infidelium tenebras radios ſuæ lucis extendat, fiatque ſalus Domini uſque ad extremum terræ, omneſque uno ore & uno ſpiritu*

ritu glorificent Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Expectantur ecce in dies cum noſtris Nuntiis ad id miſſis, & jam fere præ foribus adeſſe nuntiantur Armeni, gens magna & celebris, parati ſe per omnia Romanæ Eccleſiæ & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubdere, ejuſque mandatis & doctrinis incunctanter obedire. Merito itaque, dilecti filii, cum in re tam multa, in ſpe etiam plura teneamus, omnipotenti Deo hoſtiam obtulimus jubilationis & laudis, vobiſque iſta inſinuanda putavimus, ut noſtrorum in Domino gaudiorum participes facti, divinæ pietati nobiſcum gratias referatis: hortamurque devotionem veſtram, ut Chriſtianæ devotionis affectu, orationes publicas fieri faciatis, partim referendo gratias pro acceptis a Deo muneribus, partim orando, ut complere dignetur Omnipotens opus ſuum, quod per nos inchoare dignatus eſt. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIX. *Nonis Julii, Pontificatus noſtri anno* IX.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano Ordinis Minorum, in partibus Orientalibus Indiæ, Æthiopiæ & Hieruſalem Commiſſario noſtro, ſalutem &c.

XVII. D*Um onus univerſalis gregis Dominici, ſuperna nobis diſpoſitione injunctum diligenter attendimus, & noſtrum proſpicimus imperfectum, videntes quod nequimus circa ſingula per noſmet ipſos exolvere debitum Apoſtolicæ ſervitutis, nonnumquam viros vitæ ſanctimonia & ſcientiæ fulgore præclaros, in quibus fervor orthodoxæ fidei & timor Domini ſanctus permanet, in partem laboris noſtri vocamus, ut ipſorum ſalubri cooperatione, miniſterium nobis injunctum, favente divina gratia, facilius & efficacius exequi valeamus. Sane licet cunctorum Chriſtifidelium ſalutem, intentæ mentis acie proſequi & curare ex Apoſtolicæ ſervitutis officio teneamur, divinis tamen edocti ſermonibus, ex centum ovibus unam amiſſam, ceteris fere neglectis, reducendam præcipue curare debemus, cum & ad oves eas, quæ perierunt, miſſum ſe ſapientia ipſa declaret. Attendentes igitur quod ex omni genere humano multi ſub Dominici gregis titulo & nomine non requieſcunt, ſed per devia quæque longe a lucis veritate aberrantes, per tenebras evagentur, & ſic in magna meſſe paucissimos operarios eſſe videamus; ad perſonam tuam, quæ quidem potens opere & ſermone in magnis & arduis, nobis familiari experientia comprobata eſt, dirigentes aciem mentis noſtræ, ac ſperantes, quod ea quæ tibi committenda duxerimus, pro honore Dei & propagatione Chriſtiani nominis diligenter & fideliter proſequeris, te in partibus Orientalibus Indiæ, Ætiopiæ, Ægypti, & Hieruſalem Commiſſarium noſtrum facimus, conſtituimus & etiam deputamus: tibi nihilominus, noſtro & Romanæ Eccleſiæ nominibus, omnia & ſingula, quæ dilectus filius Generalis Ordinis tui facere poſſet, ſi perſonaliter in prædictis partibus intereſſet, faciendi & agendi, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, dantes plenariam facultatem. Volentes ac tenore præſentium ſtatuentes, quod tu & qui pro tempore fuerit in dictis partibus a te ſubſtitutus, ſuper Conventus & perſonas Conventuum illam poteſtatem, facultatem & arbitrium habeatis, quam Generalis ipſe, ſi adeſſet, habere dignoſcitur. Sic tamen, quod tu & ſubſtituti præfati & vobis ſubjecti Fratres per omnia dicto Generali obedire & ſubeſſe teneamini, præterquam in iis quæ huic mandato & commiſſioni noſtræ derogare & obviare cenſeantur. Fraternitates inſuper ſeu ſocietates, ſi quas pietati idoneas eſſe perſpexeris, cum opportunis conſtitutionibus ordinare, & ad Tertium Ordinem beati Franciſci, ad habitum &*

Ex Autographo.

Matth. 15.

Inſtituitur Commiſſarius Apoſtolicus.

profeſſionem recipere, & in eodem Ordine viſitatores & alios officiales inſtituere valeatis: quarum omnium tam dicti Tertii Ordinis, quam congregationum ſingulis perſonis in dictis congregationibus perſeverantibus, omnium peccatorum remiſſionem, in mortis articulo, ac vere pœnitentibus & confeſſis, auctoritate Apoſtolica impendere valeas & valeant. Necnon Fratribus, de quibus tibi aut eis videbitur ut ad partes prædictas vadant, qui etiam tibi & illis obedire teneantur, præcipiendi & mandandi, ipſoſque ad alias mundi partes cum auctoritatibus & facultatibus ſupradictis dirigendi, ac Notarios ad actus publicos in favorem fidei conſcribendos, creandi & inſtituendi, quodque tu & qui pro tempore fuerit ſubſtitutus ſeu per aliquem veſtrum deputatus, ſuper omnia Monaſteria curæ Fratrum Minorum in dictis partibus hactenus commiſſa vel committenda, eamdem poteſtatem habeatis, quam Generalis ipſius Ordinis Miniſter habere dignoſcitur, tenore ſimili concedentes. Volumus autem quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas Generali Miniſtro dicti Ordinis ſeu aliis quoquo modo conceſſas vel concedendas in poſterum, gratiæ, indulta & alia ſupradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obſtantibus Apoſtolicis ac in generalibus & ſpecialibus Conciliis editis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Datum Florentiæ anno MCCCCXXXIX. *11. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno* IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex autographo, & ex Arch. ſecreto lib. 11. bullarum fol. 361.

XVIII. P*Aſtor bonus, qui propter nimiam caritatem ſuam, ad ima terrarum a cælorum ſummitate deſcendit, factus pro nobis obediens uſque ad mortem & mortem Crucis, ad oves quæ perierant domus Iſrael perſonaliter ipſe perveniens, cum & alias haberet oves quæ de illo ovili non erant, illaſque adducere oporteret ut fieret unum ovile & unus Paſtor, Apoſtolos ſuos per univerſum direxit mundum, ut omni prædicarent Evangelium creaturæ, & cæleſtis agricolæ plantulas irrigarent, ac evellerent, deſtruerent & diſſiparent plantas atque zizania, quæ Pater ſuus minime complantavit. Cum igitur, caritate frigeſcente, iniquitas ſuperabundet, dormientibus hominibus, malus homo divino bonoque ſemini erroris zizaniam ſuperſeminare non deſinat, adeo ut in pleriſque mundi partibus, creſcentibus loliis, pene ſint ſemina ſuffocata. Nos ad noſtri Redemptoris pium affectum amoremque mentis noſtræ aciem erigentes, cujus vicem, licet immeriti, in terris gerimus, ea potiſſimum agere cupimus toto corde, per quæ non modo fidelium pietas augeatur, verum etiam velata gentium corda ignorantiæ cæcitate, veritatis lumen agnoſcant. Quamobrem cum inter ceteros Ordo Minorum, potiſſime vero ſacræ Obſervantiæ zelatores & exemplo vitæ, ac ſcientiæ lumine perficere illa deſiderent, quæ noſtra cupit intentio & eorum profeſſio perſuadet, eoque ferventius perfectiuſque ea ipſos adimplere poſſe credamus, quo magis Apoſtolicis privilegiis & gratiis eos reddiderimus præmunitos: Hinc eſt quod Nos, qui per alias noſtras certi tenoris litteras, dilectum filium fratrem Albertum de Sartiano Ordinis Minorum, noſtrum in partibus Orientalibus Indiæ, Æthiopiæ, & Hieruſalem Commiſſarium inſtituimus, ipſique & Fratribus per eum deputandis, ut in ipſis partibus poſſit & poſſint ſingulorum Chriſtifidelium & infidelium, Civitatum quarumcumque, diœceſum & locorum, ad ipſos pro tempore confluentium confeſſiones audire, & pro commiſſis, etſi ſimoniæ & talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, pœnitentiam ſalutarem injungere, ac be-*

ne

neficium abſolutionis impendere. Necnon a quibuſcumque ſententiis excommunicationis tam a jure quam ab homine latis, & aliis cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quomodocumque illas incurrerint, abſolvere; necnon a quibuſcumque irregularitatibus, exceptis caſibus voluntarii homicidii, bigamiæ, ac mutilationis membrorum diſpenſare; necnon Euchariſtiæ, Baptiſmatis, Extremæ-Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & apoſtatas a fide & religione ad pœnitentiam ſalutarem, & habitum Religionis ſuæ, & reconciliationem recipere, & omnia parochialia peragere. Inſuper quod ſinguli Confeſſores præſentes & futuri, quos Commiſſarius ipſe & Fratres partium prædictarum dicti Ordinis pro tempore exiſtentes duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, plenariam remiſſionem in mortis articulo invicem, necnon aliis Fratribus dicti Ordinis impendere valeant: Aut ſi Commiſſarius ſeu Fratres ipſi Confeſſoris copiam habere nequierint, dummodo contriti exiſtant, eamdem indulgentiam conſequantur. Quodque Confeſſores ipſi ſingulorum Fratrum confeſſiones audire, & pro commiſſis, quoties ipſis videbitur, etiamſi ſimonia & alia ſint propter quæ foret Sedes Apoſtolica conſulenda, debitam abſolutionem impendere, ac pœnitentiam injungere ſalutarem; necnon ipſorum Fratrum ſingulos a quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis in ipſos, quavis auctoritate, a jure vel ab homine promulgatis abſolvere, ac prædictis tribus caſibus exceptis, ſuper irregularitate, per ipſos quomodolibet contracta diſpenſare poſſint & valeant; quodque Fratres ipſi ſchiſmaticos, excommunicatos, ſeu interdictos quoſcumque, quantumcumque notorios, niſi quos Commiſſarius, ſeu per eum deputati, evitari mandaverint, evitare in quibuſcumque eorum negotiis, etiam in divinis officiis, & extra minime teneantur. Inſuper ut ipſorum Fratrum bonorum operum fructus valeant amplius propagari, ut Commiſſarius cum diſcretorum Fratrum conſilio, vel quibus ipſe commiſerit, nova loca in partibus illis acquirere pro habitatione & uſu Fratrum dicti Ordinis, & in illis domos & Eccleſias, campanilia cum campanis, dormitoriis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere & ædificare de novo; necnon loca & Conventus alios dicti Ordinis recipere: quæ omnia & nova & antiqua, ac Fratres in eis pro tempore exiſtentes omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus & libertatibus per omnia gaudeant, quibus utuntur & gaudent reliqui Conventus & Fratres totius Orientis & Ordinis prælibati; non ſolum illis, ſed quibuſcumque gratiis, quibus gaudent Commiſſarius & Fratres dicti Ordinis & Conventus eorum, & ipſi ſimiliter poſſint per omnia frui & gaudere. Inſuper omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui de bonis ſuis a Deo collatis unum pro centenario, ideſt centeſimam partem bonorum ſuorum pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium, ſeu pro erectione & manutentione domorum, vel ſuſtentatione vitæ ipſorum Fratrum, vel altera quavis ſpirituali ſubventione, ad prædicti judicium Commiſſarii, erogaverint, poſſint ſibi eligere Confeſſores idoneos, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos poſſint ab omnibus eorum peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſemel tantum in vita, & deinde in mortis articulo plenariam remiſſionem omnium peccatorum impendere, auctoritate Apoſtolica ſingulis præfatis, prout eos contingit, tenore præſentium indulgemus. Inſuper quod Fratres, qui ſunt & qui pro tempore erunt idonei ad pronuntiandum verbum Dei, cum licentia tamen Commiſſarii præfati, qui eos inſtituere poſſit atque ſuſpendere, poſſint verbum Dei publice, abſque cujuſque Prælati licentia vel confirmatione, tam in eorumdem Eccleſiis, quam aliis locis publicis Civitatum ac Terrarum

proponere; ſic tamen, quod in Cathedralibus, & Metropolitanis, ac Parochialibus Eccleſiis, vel alterius Ordinis locis, ſine conſenſu Prælatorum eorumdem, prædicare non præſumant, ſimili auctoritate concedimus per præſentes. Inſuper concedimus, quod Fratres præſentes & futuri per univerſum orbem, qui ſecundum eorum fragilitatem Regulam obſervare conantur, ex tranſgreſſione quarumcumque conſtitutionum præſentium & futurarum Ordinis præfati, peccatum minime incurrant. Volumus autem, quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas Generali Miniſtro dicti Ordinis, ſeu aliis quoquo modo conceſſas vel concedendas in poſterum, gratiæ, indulta & alia ſupradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus & ſpecialibus Conciliis editis conſtitutionibus & ordinationibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus Ordinis prædicti, ceteriſque contrariis quibuſcumque, etſi de ipſis in præſentibus deberet fieri mentio ſpecialis, quibus, quantum præſentibus adverſantur, prorſus volumus hac vice dumtaxat eſſe derogatum. Nulli ergo &c. Datum Florentiæ &c. ut ſupra, anno IX.

Albertus pergit Hieroſolymam.

XIX. Albertus Venetiis ſolvens, felici itinere pervenit Hieroſolymas, ubi Cophtis, Ægypti populis, per Syriam aliaſque provincias diſperſis, unionis oſtendit litteras, & Pontificias tradidit, ab eiſdem viciſſim reverenter exceptus, & in reliquo itinere multis devinctus beneficiis. Rebus in ſancta Civitate prudenter compoſitis, deſcendit in Ægyptum. *Deinde in Ægyptum.* Accidit tamen ut in terra inaquoſa, loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis deficeret potus & cibus, & præ bidui penuria langueret. *Fame languet.* Ad aridi ſtipitis umbram cum ſociis ſedens, queri cœpit, & promiſſionis Deum admonere, qui per ſervum ſuum Franciſcum pollicitus erat, victui neceſſaria filiis ejus non defutura. *En*, inquit, *jam morior: Vicarii tui præcepta peragere non potero, neque percuntes animas ad tuæ veritatis agnitionem reducere. Domine miſerere.* Non prius dixit, quam viderit prope ſe juvenem pulcherrimum lingua Italica ſalutantem, mox cibos afferentem. *Deus mirè ſuccurrit.* Cum gaudio & admiratione manducanti inquit juvenis: *Non eſt cur de divina diffidas miſericordia & providentia. Ego ſum, qui Franciſco ſervo meo promiſi ſubſidium opportunum, neque tu vidiſti huc uſque in religione hac juſtum derelictum, aut Fratrem aliquem fame periiſſe.* Quibus dictis diſparuit.

Sultanus iter impedit.

XX. Iter proſequutus ad Cayrum, Babyloniæ Sultanum convenit, ut licentiam & ſalvum conductum daret ad Æthiopes & Indos proficiſcendi. Suſpicatus ille contra ſe fœdus ſanciri, detinuit per aliquot dies in Curia honorifice habitum, initoque frequenti colloquio, placuit & vultus majeſtas & ſermonis facundia. Habita collatione de rebus fidei, juſſit advocari ſuæ legis doctores, ortaque controverſia circa præcipua religionis noſtræ myſteria, docte univerſa probavit Albertus, & adverſa impiæ credulitatis præſtigia acriter condemnavit. *Offenſis Mahometanis jubetur occidi.* Commotis doctoribus & plebe, Sultanus ſuæ legis zelum oſtentans, juſſit e medio tolli ſui prophetæ Mahumetis conviciatorem. Chriſtiani & Mamaluchi, inito conſilio, decreverunt modis omnibus tanto rei Chriſtianæ detrimento occurrendum eſſe, nec permittendum, ut inſignis Chriſti præco, Sedis Apoſtolicæ nobilis miniſter, vitæ integritate & doctrina conſpicuus, etſi ſuo lucro, aliorum tamen damno ita periret. *A Chriſtianis ſalvatur.* Omnem interpoſuerunt operam, pecunias, donaria, ſuas aliorumque preces, ut Tyranni mitigata ſævitia liber abiret; adeoque ſolerter fecerunt, ut irrita capitis ſententia ad ſe vocarit, benigne exceperit, amplamque tribuerit facultatem Ægyptum omnem & Syriam peragrandi, prohibito tamen ad Indos & Æthiopes acceſſu. *Ulterius pergit & fructuoſe.* Nihilominus dum ad ultimos fines licuit proficiſci, ſuo periculo terminos tranſilivit, Pontificis mandata facturus.

In-

Infirmitate correptus, ſocios ad utriuſque gentis Principes miſit, eoque laboravit fructu peregrinas inter nationes, ut Catholicos in fide firmarit, ſchiſmaticos ad Eccleſiæ gremium revocarit, ingentemque Jacobinorum gentem, ut ſuo dicemus loco, Florentiam, durante adhuc Concilio, per ipſorum duxerit Commiſſarios. *An. 1441.*

XXI. Jacobus Picenus tertium, uti diximus anno præcedenti, amandatus in Hungariam, fidei negotium contra hæreticos proſecuturus, commiſſum Inquiſitionis officium diligenter exercuit. Non defuerunt tamen, uti fit, qui hæreticis faverent, & captos e Judicum manibus eriperent. Valentinum Sacerdotem plebanum de Bochen hæreticum convictum, alioſque tres in hæreſim relapſos Joanni Judici tradidit puniendos. Valentinus alter cum amicis, carceribus ruptis in oppido Kamanch, diœceſis Colocenſis, extraxerunt, & in Judicem ſuo officio fungentem gladiis inſurrexerunt. Joannes Archiepiſcopus, vel ab his præventus, vel aliunde motus, eorum ſuſcepit tutelam. Albertum Imperatorem Budæ commorantem interpellavit Jacobus, oſtenſo proceſſu contra iniquos compacto, cujus habeo exemplar. Ille autem in fidei favorem ſequens promulgavit edictum, ſcripta inſuper peculiari epiſtola ad Archiepiſcopum.

An. 1438. n. 16. B. Jacobus Picenus procedit cōtra hæreticos in Hungaria. Impeditur. Favet Albertus Imperator.

ALBERTUS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, ac Dux Auſtriæ &c.

Fidelibus noſtris, Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Joanni Colocen. & Bachien. Eccleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopo, ejuſque Vicariis, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, cunctis etiam aliis regni noſtri Judicibus, ac Juſtitiariis præſentium notitiam habituris, ſalutem & gratiam.

XXII. *EX relatione fidelis noſtri, devoti, dilecti, religioſi fratris Jacobi de Marchia, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, Vicarii Boſnæ, noſtra ſatis diſplicenter intellexit Majeſtas, quomodo nonnulli forent partium regni noſtri homines, & ſignanter in Comitatibus Sirinien. & de Walko, ac oppido Camavez commorantes, quorum pravitate ſceleratæ intentionis permoti, atque zelo invidiæ ſtimulati, illos noſtros fideles regnicolas, qui fidei Catholicæ augmenta hominum favoribus præferentes, præfato fratri Jacobo, alias in officio Inquiſitionis pravitatis hæreticæ procedenti, nunc in inquirendis latibulis hujuſmodi hæreticorum, nunc vero in ſui progreſſus directione, auxilio & ſubſidio adhæſiſſent & aſſtitiſſent, diverſis gravaminum generibus moleſtare & perturbare niterentur, imo jam de facto impediviſſent, turbaſſent & moleſtaſſent: verum, cum nos quoſcumque ex fautoribus atque auctoribus antelati fratris Jacobi, qui ſibi, ut præmittitur, in præfacto officio Inquiſitionis hæreticæ pravitatis adhæſiſſe dignoſcuntur, per quemquam impediri non velimus, veſtræ & cujuslibet veſtrum fidelitati firmiſſime mandantes præcipimus, quatenus nullus omnino veſtrum talifmodi noſtros regnicolas, qui ut præfertur, annotato fratri Jacobo in officio prælato favoribus & auxiliis aſtitiſſe & adhæſiſſe noſcuntur, ſive quempiam ex eis ad quorumvis inſtantiam, hac ratione judicare vel veſtro aſtare judicatui compellere, aut eos, præmiſſorum occaſione in perſonis, aut rebus, vel bonis impedire, moleſtare, ſeu quovis modo damnificare præſumat; ſed quilibet veſtrum omnem quæſtionem contra eos per quemcumque, prævia ratione movendam, noſtræ Majeſtatis examini & judicio tranſmittat, per nos, aut alium Judicem ad hoc* *Ex autographo.*

per

per Majeſtatem noſtram deputandum fine debito terminandam, & ſecus facere nullatenus præſumatis, gratiæ noſtræ ſub obtentu, præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Budæ, feria quinta proxima poſt feſtum Pentecoſtes, anno Domini MCCCCXXXIX.

A L B E R T U S &c.

Fideli noſtro, Reverendiſſimo in Chriſto Patri, D. Joanni Colocen. & Bacinen. Eccleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopo.

Ex Autographo. XXIII. D*Eteſtanda hæreticorum pravitas, qua alias nonnullos regni hujus, iſtarum partium inferiorum incolas damnabiliter infectos fuiſſe didicimus, a quolibet Chriſtianæ fidei cultore vitari ſolet potius quam defendi; convenireque ſalubrius unicuique Chriſticolarum novimus, quemlibet hac damnabili nota publice obfuſcatum, vigore inſequi juſtitiæ, quam in aliqua hæreſi deprehenſo favoris vultum directe vel indirecte demonſtrare. Ex quo igitur, uti nobis relatum eſt, vos quemdam Valentinum Sartorem de Kamanch, alias per religioſum & devotum noſtrum, fratrem Jacobum de Marchia, Vicarium Boſnæ, pravitatis hæreticæ Inquiſitorem a Sede Apoſtolica deputatum, ex multis probabilibus documentis in hæretica & fautorum hæreſum nota publice repertum, atque non ſolum per eum, ſed & in Curia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in hujuſmodi nota condemnatum, ex quarumdam trium perſonarum, ſuam forſitan partem faventium, frivola atteſtatione exinde, ut dicitur, habita, præmiſſæ notæ expertem fore audientes, per omnes veſtræ Diœceſis homines, qui ad infamiam & injuriam antefati fratris Jacobi, innocentem fore pronuntiare feciſſetis, non parvam admirationem ſuſcepimus; quia uti facti ipſius experientia edocet, fama decorus, quamplura eidem regno noſtro, ſua prædicatione beneficia intulit: non licebat, ſaltem in aliorum ſcandalum, quoſcumque per eum condemnatos, cum idem nihil aliud niſi licitum, ut credimus, attentaverit, ſimpliciter & ad aliquorum levem excuſationem, ad injuriam ſui nominis juſtificare quoquomodo. Quapropter fidelitatem veſtram ſerioſe requirimus, eidem firmiſſime committendo quatenus de cetero & per amplius neminem, ſed nec antedictum Valentinum ſartorem, qui per ante relatum fratrem Jacobum in aliqua hæreſis nota deprehenſus eſt, ad quorumcumque frivolam excuſationem ſimpliciter, ſine evidentibus documentis juſtificare, aut innocentem fore pronuntiare, ſive per hæc dictum fratrem Jacobum infamari permittere præſumatis, nec ſitis auſi modo aliquali, ne per id, quod forſitan a vobis, occurrenti vehementia aut indeliberate ageretur, aliis ſcandalum & famæ detrimentum procuretur, præſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum in villa Kiſdi, in proceſſu ſcilicet noſtro exercituali, feria quarta proxima ſancti Bartholomæi Apoſtoli, anno Domini* MCCCCXXXIX.

Bonfin. dec. 3. lib. 4.

Placare ſtudet Budæ ſanguinolentam ſeditionem.

XXIV. Tunc accidit Budæ, quod Bonfinius narrat de crudeli ſeditione Hungarorum & Germanorum: *Sæviebant*, inquit, *Hungari in exteros omnes ea crudelitate, ut nec ætati nec ſexui parcerent, & urbs univerſa cladibus & clamore compleretur. Erat ea tempeſtate Budæ Jacobus vir ſanctiſſimus, ex agro Aſculano natus, qui propagandi divi Franciſci Ordinis gratia, ex Italia in Pannonias, cum Joanne Capiſtrano pari ſanctitate prædito, paulo ante venerat. Miſeratus barbaræ gentis immanitatem, audita ſeditione, ſumpto noſtri Salvatoris patibulo, cum univerſo Sacerdotum collegio, e Joannis æde prodiit, nunc miſericordiam exclamans, nunc Jeſu Chriſti opem*

opem ingeminans, nunc armatos per Chriſti paſſionem obteſtans, arma deponant, Chriſtiano & civili parcant ſanguini, divinam iram reformident: quin etiam flexis ſæpe genibus obſecrans, ne ultra ſæviant, injurias omnes præſenti animo Deo vindicandas remittant. Contra illi, veluti ſi Deum in ſubſidium adveniſſe reputaſſent, eo crudelius ſæviunt, neminem ex illis deprehendunt quin extempio trucident, eorum fortunas, merces & bona cuncta diripiunt, item in publicum tracta, plebi diripienda proponunt. Jacobus autem, cum in veſaniente turba ſe nec verbis, nec divini Salvatoris imagine quidquam proficere poſſe conſpicaretur, in ædem Joannis, unde dudum exierat, ſe recepit. Hungari longa Alamannorum cæde ſatiati, tamdem deſiere. In eo errat, quod cum Capiſtrano in Hungariam profectum dicat Jacobum, cum Capiſtranus nonniſi poſt aliquot annos illuc abierit. Neque adeo ſui Inſtituti dilatandi, quam fidei propagandæ gratia, tertio in Hungariam abiit Jacobus a Pontifice ablegatus.

XXV. Magna fidei jactura, Jacobi luctu, & rei Chriſtianæ tumultu, optimus Princeps Albertus, paulo poſt VI. Kal. Novembr. ſive, ut alii volunt, in ſanctorum Simonis & Judæ ſolemnibus, ad vicum Neſmel, cum Strigonio Viennam proficiſceretur, alvi profluvio, pernicioſaque dyſenteria deceſſit, cum annum unum dumtaxat, menſes novem, dies duodetriginta regnaſſet. Fuit mira fortitudine, liberalitate & intenſiſſimo religionis Chriſtianæ ſtudio, pietatiſque cultura inſignis, beatumque foret Imperium Romanum, nec minus felicia regna Hungariæ & Boemiæ, ſi Alberti diutius auſpiciis gubernari potuiſſent. Deceſſit hoc anno IV. Kal. Junii Jordanus Urſinus Romanus, Ordinis Protector, cujus loco poſtularunt Minores dari ſibi in Protectorem Julianum Cardinalem Cæſarinum, Ordini addictiſſimum, quorum precibus Pontifex libenter aſſenſit.

Albert. Imperator moritur.

Jordanus Ord. protector moritur.

XXVI. Porro Jacobo ita ſtrenue in regno Hungariæ laboranti ſubſtitutus eſt Commiſſarius per Generalem Miniſtrum Guillelmum in Vicaria Boſnæ frater Joannes de Waya, quem etiam Pontifex hæreticæ pravitatis voluit Inquiſitorem & his litteris omnibus commendatum.

Joan. de Waya Commiſſarius Boſnæ & Inquiſitor.

Univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Regibus, Reginis, Ducibus, Baronibus, Comitibus, ceteriſque, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem &c.

E*X injuncto &c.* impertiri. *Sane cum dudum dilectus filius Joannes de Waya Ordinis Fratrum Minorum profeſſor & Commiſſarius in Vicaria Boſnæ dilecti filii Guillelmi de Caſali, dicti Ordinis Generalis Miniſtri, hæreticæ pravitatis ſit ibi Inquiſitor conſtitutus, favoribuſque, pro ipſa extirpanda pravitate, Chriſtifidelium plurimum opus habeat. Nos cupientes ut ipſe Joannes officio ſibi injuncto quietius incumbere, exceſſuſque a fide diſcrepantium commodius corrigere valeat, quo uberioribus fuerit favoribus communitus, Fraternitatem & devotionem veſtram in Domino requirimus & hortamur per præſentes, quatenus ob noſtram & Apoſtolicæ Sedis reverentiam, in his, quæ dictum Inquiſitionis officium quovis modo concernunt, præfato Joanni conſiliis, auxiliis & favoribus opportunis & efficacibus aſſiſtatis, eumque defendatis, protegatis, ut fretus veſtris patrocinio & favore, per hujuſmodi Inquiſitionis officii exercitium, ſalutares, prout optamus, in Chriſtifidelibus & Dei Eccleſia fructus parere poſſit, voſque apud Deum gratiam, apud nos vero & dictam Sedem commendationem & laudem conſequi mereamini. Datum Florentiæ, anno* MCCCCXXXIX. IX. *Maii, anno* IX.

Ex lib. I. de benefic. & curial. ann. 8. & 9. fol. 312.

XXVII.

Decretum Baſileen. de Conceptione Virg. Mariæ.

Almain. 3. d. 3. q. 1.
Biel. ſerm. 1. de Concept.
Buſto ſerm. 8.

XXVII. Acriter hoc tempore diſputatum eſt de Conceptione beatæ Virginis Mariæ, præſertim in Concilio Baſileenſi, ubi doctum & mediocre volumen de hac controverſia ſcripſit Joannes a Turrecremata, tunc ſacri Apoſtolici Palatii Magiſter. Tamdem eo hoc anno deventum eſt, ut ſequens prodierit conſtitutio, quam ultra juſtum & æquum aliqui magnificant & tamquam fidei definitionem commendant. Quam enim definiendi poteſtatem habebant, qui depoſitionis ſententiam paulo antea in Eugenium, verum legitimumque Pontificem temere & inſane tulerunt, & abſque capite, acephali, ſpiritus vertigine ducti, ſcandaloſum & abominabile ſchiſma exorſi, in plures annos produxerunt? Paulo poſt Sixtus IV. & qui ſecuti ſunt Pontifices, præſertim Alexander VI. & Pius V. necnon Concilium Tridentinum in utramque partem liberam fecerunt opinandi facultatem. Neque vero Baſileenſes uti de fide tenendam ſententiam negativam, ſed ſolum *uti piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico & fidei Catholicæ &c.* uti viri docti adnotarant, decreverunt. Eo dumtaxat titulo hanc ego conſtitutionem ſuſpiciendam, aut magni faciendam duxerim, quatenus in ea ſpectatur magnus Doctorum conſenſus, & univerſalis Patrum, qui tunc aderant, conſpiratio.

Cordub. in quæſt. lib. 1. q. 44. poſt concl. 5.
Bellarm. l. 4. de amiſſ. grat. c. 15.
Ægid. de Concept. l. 5. q. 3. ar. un. ſect. 2.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Eccl. 24. 31.

XXVIII. E*Lucidantibus divinæ gratiæ myſteria mercedem glorioſam repromiſit æterna Dei Patris ſapientia, dum ait:* Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Quod etiam de glorioſa Virgine, quæ ipſam Patris ſapientiam, Dei Filium æternum in utero pertulit, ac mundo peperit, ſacroſancta legit Eccleſia. Nam quidquid de dignitate & ſublimitate Virginis matris educitur in lucem, hoc non dubium eſt ad laudem & honorem filii ſui pertinere. Et qui honorificant gratiam & ſanctitatem Matris, honorificant & elucidant glorioſum nomen Filii ejus, qui ipſum ſanctificavit & replevit gratia. Unde ſi in ceteris rebus elucidatio veritatis, quæ a Domino Deo eſt, præclara merita parturit, in ea re ſpecialiter fructus uberrimos afferre ſperanda eſt, quæ ſanctificationem & dedicationem templi illius concernit, in quo ante ſecula, antequam terra fieret, & ab æterno ſibi manſionem ordinavit prima & æterna veritas. Id quoque maxime congruit, ut pax habeatur in quæſtionibus concernentibus ſunctitatem illius, per quam pax diffuſa eſt in terris. Hactenus difficilis quæſtio in diverſis partibus & coram hac ſancta Synodo ſuper Conceptione ipſius glorioſæ Virginis Mariæ matris Dei & exordio ſunctificationis ejus facta eſt: quibuſdam dicentibus ipſam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut inſtans temporis ſubjacuiſſe actualiter originali culpæ; aliis autem e converſo dicentibus, a principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo gratiam eidem contuliſſe, per quam a macula originali illam beatiſſimam perſonam liberans & præſervans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cum fundaret eam Altiſſimus ipſe, & ipſam fabricaret Filius Dei Patris, ut eſſet mater ejus in terris. Nos vero diligenter inſpectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſque doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam differentem glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam, præveniente & operante divini Numinis gratia ſingulari, numquam actualiter*

liter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam, tamquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & ſacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de cetero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere. Renovantes præterea inſtitutionem de celebranda ſancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias VI. *Idus Decembris, antiqua & laudabili conſuetudine celebratur, ſtatuimus & ordinamus, eamdem celebritatem præfata die in omnibus Eccleſiis, Monaſteriis & Conventibus Chriſtianæ religionis, ſub nomine* Conceptionis *feſtivis laudibus colendam eſſe: cunctiſque fidelibus vere pænitentibus & confeſſis, ea die Miſſarum ſolemniis centum, primis autem vel ſecundis Veſperis totidem, ſermoni vero verbi divini de ea feſtivitate intereſſentibus centum quinquaginta dies, conceſſione perpetuis temporibus duratura, de injunctis ſibi pænitentiis hæc ſancta Synodus elargitur. Datum Baſileæ in Seſſione noſtra publica, in majori Eccleſia Baſileen. celebrata, anno a Nativitate Domini* MCCCCXXXIX.

XXIX. Inchoato in urbe Piſauri inſigni Monaſterio Clariſſarum per nobilem mulierem Baptiſtam de Malateſtis, Galeatii Sfortiæ conjugem, evocata fuit hoc anno die XXVI. Februarii N. Abbatiſſa Monaſterii ſanctæ Claræ Laudenſis, cui adjuncta eſt venerabilis Soror, ita habent patentes litteræ Generalis Miniſtri, Ambroſia, & altera anonyma ex Monaſterio ſanctæ Urſulæ Mediolanenſi, ut feliciter inchoarent. Deinde die XXIV. Julii adſcita eſt, fortaſſis propter prædictæ Abbatiſſæ mortem vel aliud impedimentum, ex eodem Monaſterio ſanctæ Urſulæ beata Felix, ſive Felixina de Meda, ita utroque nomine ſignatur in regiſtro Ordinis quod penes me eſt, ut diſciplina regulari adventantes inſtrueret juvenculas. Patriam habuiſſe Medæ oppidum in diœceſi Novarienſi, aſſerit nuperrimus ſcriptor Auguſtinus Galluccius, atque inde cognomen ſortitam; ſed reliqui vetuſtiores & potiores ſcriptores, Mediolani ortam affirmant: neque a patria cognominari, ita Monialibus, uti Monachis, tunc erat aſſuetum, ut exinde argumentum deduci poſſit ſoli natalitii. Et in regiſtro Ordinis ſub præfectura Guillelmi Generalis Miniſtri, ubi Felicis tranſlatio e Monaſterio Mediolanenſi ad Piſaurienſe refertur, Felix de Meda de Mediolano inſcribitur. Nobili itaque genere Mediolanenſi orta, parentum in tenera ætate ſolatio deſtituta, cœpit amare cœleſtia; immiſſoque tenellis fratri & ſorori religioſæ vitæ deſiderio, facultatibus in pauperes diſtributis, in ſanctæ Urſulæ Monaſterio ad portam Vercellenſem, de quo alias diximus, ſanctæ Claræ habitum una cum ſorore ſuſcepit, circa annum MCCCC. tranſeunte fratre ad Minores regularis Obſervantiæ.

Piſauri inchoatur Monaſterium Corporis Chriſti Clariſſarum.

Morian. cap. 19. Marc. 3. p. l. 21. Gonz. in Provin. March. Monaſt. 13.

Galluc. in ejus vita.

Illuc amandatur Felix Medenſis e Mediolano.

Cujas erat.

Galluc. cit. c. 1. & 2.

Qualis.

Ann. 1341. n. 8.

XXX. Soror annis dumtaxat quatuor vixit in Monaſterio: Felix viginti quinque in ſumma humilitate & mira corporis maceratione tranſegit. Aſſiduæ orationi, perpetuo jejunio, crebris flagellis & vigiliis multis aſperum addebat cilicium; atque hoc ut deponeret aliquando a Conſodalibus rogata, jocoſe reſpondit: *Ignoſcite, Sorores, voluptuoſa res eſt cilicium: in æſtate refrigerat, in hyeme calefacit.* Superiorum præceptis obſequentiſſima, totam ſe parabat ad opus, nullum quantumvis vile aſpernata miniſterium. Laceram induta veſtem, ubi opus erat, reficiebat, paupertatis Evangelicæ ſtudioſa ſectatrix; & novam, etſi oblatam, ægre admittebat dicens, hujuſmodi encænias non adeo pauperes decere. Multas illi intulit moleſtias humani generis inimicus, modo horribilibus viſionibus, modo ſtri-

Ejus virtutes.

Et Satan infeſtus.

ſtridore & ſtrepitu multo, ſæpe peregrinis animalium vocibus, aliquando etiam verbere & vulnere ab oratione deturbans. Nocte quadam in Eccleſia gravius percuſſa, clamare cœpit: *Deus in adjutorium meum intende*. Sed accurrentes Sorores Templum luſtrarunt aqua benedicta, junctiſque precibus, viderunt fugientem dœmonem ululatu multo & inaudito ſtridore.

Fit Abbatiſſa Monaſterii S. Urſulæ. XXXI. Decedente illius Monaſterii Abbatiſſa, annis multis officio laudabiliter functa, omnium ſuffragiis Felix ſubſtituitur anno MCCCCXXV. ætatis XLVII. Renuit illa, quantum potuit, injunctum onus admittere, ſed cum effugere non poſſet, invita ſuſcepit. *Ejus regimen.* Nihil remiſit priſtinæ humilitatis, neque ambulavit in magnis, ſed uti ſolebat, omnia in ſe ſuſcipiebat officia, ea reputans gratiora, quæ viliora. Summa vigilantia ſpiritualia curabat, divinum officium ut rite perſolveretur, oratio fieret aſſidua, diſciplina in omnibus vigeret Monaſtica; deinde ut ſedulâ infirmarum ratio haberetur, & ſanæ abunde reficerentur, ea ſtudebat ſolertia, ut ſolis corporibus curandis videretur præfecta. Quippe etiam in his animarum cauſam agi dicebat; nam corpore tabeſcente, conſequens erat ſpiritum languere, & ægre caro ſervit ſpiritui, ſi neceſſaria denegentur. *Externos conſolatur.* Tantæ virtutis & prudentiæ fama undique diffuſa, tamquam ad oraculum accedebant, qui corpore vel animo dolebant, auditaque ſapientiſſima fœmina, certum reportabant doloris lenimen.

Marc. & Gonz. cit. *An cũ transferretur, eſſet Abbatiſſa.* XXXII. Ita rexiſſe annos quindecim, ſcribunt noſtri Auctores, cum ipſa deligeretur a Miniſtro Generali Guillelmo, non a ſancto Bernardino Senenſi, uti refert Marcus Ulyſſiponenſis, neque ab alio Vicario generali, uti habet Gonzaga, ad erudiendas primas incolas ſupradicti nobilis Monaſterii Piſaurienſis, a Corpore Chriſti nuncupati. Ego tamen dubitaverim, tunc Abbatiſſam egiſſe, cum ad hoc aliud Monaſterium evocaretur; id enim expreſſiſſet in ſuis patentibus litteris Guillelmus Miniſter, in quibus eam aliunde multipliciter commendat. Do litteras translationis Florentia miſſas, quæ conceptam de illius virtute opinionem explicabunt.

Chriſto Deo devotæ ſorori Feliciæ de Meda Monaſterii ſanctæ Urſulæ civitatis Mediolani, Ordinis ſanctæ Claræ Moniali profeſſæ.

Frater Guillelmus de Caſali, ſacræ Theologiæ Magiſter, & Ordinis Minorum & ſanctæ Claræ Generalis Miniſter ac ſervus, ſalutem & pacem in ſponſo Virginum Jeſu Chriſto.

Ex ipſo autographo. XXXIII. *Cum magnifica D. Baptiſta de Malateſtis de Piſauro unum ædificaverit Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ apud eamdem civitatem Piſaurienſem, provinciæ Marchiæ, ſuper hoc auctoritate Apoſtolica ſibi conceſſa, cupiatque ipſum Monaſterium fundare, & Sororibus ejuſdem Ordinis regulariter & obſervanter viventibus providere; ejus devotioni deſiderans ac precibus volens occurrere, prout ex debito mihi injuncto teneor, ad augmentum ipſius Ordinis ſanctæ Claræ mihi commiſſum, quia inter cetera ipſius Ordinis Monaſteria, laudatiſſimæ famæ & vitæ ſemper fuit Monaſterium ſanctæ Urſulæ, apud Mediolanum conſtitutum, & ex illo conſtitui huic fundando Monaſterio apud Piſaurum religioſa ac præcipua honeſtate vitæ Sorores deputare; idcirco de tua vita laudabili, honeſtate, zelo, prudentia, vigilantia, ſtudioſitate in Monaſterio, attentione in exhortatione, diligentia in admonitione, moderantia in correptione, temperamento in præceptis, praſtabilitate in compatiendo, in ſilentio diſcretione, in ſermone ma-*

maturitate, & in cunctis ad perfectum regimen opportunis conſultatione, aliiſque plurimis, quibus te multipliciter decoravit Altiſſimus, cum ſim multorum fide dignorum teſtimoniis informatus; auctoritate Apoſtolica, qua fungor in hac parte, & nihilominus de quampluriumorum Patrum & Magiſtrorum aliorumque Prælatorum noſtri Ordinis Fratrum concordi conſilio pariter & aſſenſu, dicti Monaſterii & Sororum Abbatiſſam & Matrem inſtituo, & inſtitutam denuncio per præſentes, plenam tibi adminiſtrationem ipſius Monaſterii, & honorum ejus tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus committendo: mandans harum ſerie dilectis in Chriſto Sororibus, familiaribus quoque & ſervitricibus, ac Converſis & ſervitoribus ejuſdem Monaſterii per obedientiam ſalutarem, & ſub pœna inobedientiæ contumacis, quam, trina canonica admonitione præmiſſa, contradicentes incurrant, quatenus veluti ſuæ legitimæ Abbatiſſæ & matri ſpirituali in omnibus, quæ ad Abbatiſſæ officium pertinebunt, toto tui Abbatiſſatus tempore, firmiter & ſine contradictione obedire teneantur. Eja ergo, tibi onus impoſitum per eamdem obedientiam, & ſub eiſdem pœnis devote ſuſcipias, tuque diligenter in commiſſo tibi officio te humiliter exhibeas & prudenter, ita quod Monaſterium ipſum per manus tuas reformationem capiat & quietem; & cum tempus dabitur, cum accenſa lampade ad cœleſtem patriam ante conſpectum Domini noſtri Jeſu Chriſti præſentari merearis. Vale in eodem Jeſu Chriſto & ora pro me. Datum Florentiæ die XXIV. *Julii* MCCCCXXXIX.

XXXIV. Duxit illa ſecum Sorores ſeptem, Margaritam, Eugeniam, Eliſabetham, Urſulinam, Bartholomæam, Jacominam & Carlinam, relicto magno ſui deſiderio tot annorum ſociis & diſcipulis. Honorifice & ingenti gaudio a Baptiſta & Eliſabetha filia recepta, illo ipſo ſui adventus die filias duas Chriſto peperit, Franciſcam Fanenſem & Magdalenam de Tizonis Piſaurienſem: quæ cum parentibus ad novum Monaſterium profectæ, novas Magiſtras viſuræ, noluerunt domum reverti, ſed conſtantiſſimo animo ibi decreverunt remanere; quas tamen Galuccius ſingularis in hac re aſſertor, ſcribit a nobili heroina Baptiſta Feltria præmiſſas Mediolanum, ut a beata Felice erudirentur.

Septem conducit ſocias.

In ipſo adventu filias duas aſſequitur.

Gallac. cap. 12.

XXXV. Evenit, uti ſolet in omnibus operibus bonis, ut huic conſtruendo Monaſterio tum Galeatius conjux, tum cives multi, ſi non palam, clam ſaltem contradicerent. Paſſæ itaque incommoditates multas religioſæ Sorores, donec decumbentem ex gravi & periculoſa infirmitate Galeatii filiam Eliſabetham, ut Felix ſua prece juvaret, parentes enixe rogaverunt. Oravit illa cum ſuis in vigilia ſancti Franciſci, neque deſtitit, donec audita eſt ſub noctis medium; adeoque perfecte convaluit infirma, ut in Templum die ſequenti venerit gratias redditura. Tanto & tam manifeſto Galeatius adſtrictus miraculo, fabricam deinceps non impedivit, ſed promovit, rebuſque omnibus ædem inſtruxit. Dum vero illas pateretur incommoditates & Galeatius adverſaretur Monaſterii ſtructuræ, tunc factum puto, quod in regiſtro his verbis obſervatur: *Soror Felixina de Meda de Mediolano ad inſtantiam & requiſitionem magnifici Domini Guidi-Antonii, Comitis Urbini, remota atque abſoluta eſt ab Abbatiſſatu Monaſterii Piſaurienſis, & inſtituta eſt Abbatiſſa Monaſterii ſanctæ Claræ de Urbino, & conceſſa eſt facultas ut ducat ſecum ſocias, quas ex Mediolano duxit, & ſuper hoc Miniſter provinciæ Marchiæ factus eſt Commiſſarius, & Moniales volentes ſecum vivere in regulari obſervantia, remaneant: quæ vero nolunt, cum ſuis dotibus transferantur ad alia Monaſteria. Datum Senis,* VII. *Novem-*

Sanat Galeatii filiam.

vembris anno MCCCCXXXIX. Sed vel illuc non abiit, vel paulo poſt regreſſa eſt Piſaurum, ubi tamdem deceſſit. Quam præclare in hujus Monaſterii regimine ſe geſſerit, & quales creaverit diſcipulas, dicemus ad annum MCCCCXLIV. cum de ejus obitu & miraculis opportunius fuerit dicendum.

Frat. Richardus Archiep. Philippopolitan.

Fr. Hieronymus Epiſc. Dulpnen.

Fr. Petrus Cavallicen.

Ann. 1438. n. 2.

Fr. Simon Salubrien.

Fr. Baſilius Tanen.

Fr. Andreas Sarnen.

Fr. Joannes Uſſellen.

XXXVI. Creati ſunt Antiſtites, Philippopolitanus, Metropolitanus in Thracia, frater Richardus Ligerius, Conventus Lauſanenſis, datus in Suffraganeum Epiſcopo Sedunen. XIII. Kal. Aprilis. Dulpnen. in provincia Colocen. frater Hieronymus de Trigurio, per translationem Georgii ad Pharen. X. Kal. Maii. Cavallicen. in Gallia, ſub Archiepiſcopo Avenionenſi, frater Petrus Perquerius, per translationem Bartholomæi ad Caputaquen. XX. Septembris. Interfuit Concilio Florentino, ſuitque unus ex diſputatoribus, uti ſupra monuimus. Salubrien. in Patriarchatu Conſtantinopolitano, petente Duce Burgundiæ, frater Simon de Lande, IX. Octobris. Tanenſius ad pontum Euxinum, frater Baſilius, per mortem Franciſci: *Apoſtolatus officium*, III. Idus Decembris. Sarnenſis ſub Archiepiſcopo Salernitano, frater Andreas Nolanus, per obitum Marci, XXIII. Octobris. Uſſellenſis in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arboren. erat hoc anno frater Joannes Jacobi, per cujus obitum delectus eſt I. Julii, frater Joannes Garſia Ordinis Prædicatorum.

Ann 1435. n. 14.

Varii Inquiſitores.

Fr. Andreas de Alatro.

Fr. Nicolaus Auximanus.

Ann. 1439. n. 21.

XXXVII. Inquiſitoribus a me ſupra nominatis in diſtrictu provinciæ Romanæ, ſucceſſerunt hoc anno, quos hic recenſeo ex Ordinis regiſtro. Magiſtro Scolario de Monte Ilcino, Joannes Tyburtinus, poſtea ejuſdem provinciæ Miniſter, Lucæ de Capranica, Eraſmus Viterbienſis, Andreæ Veliterno, Jacobus de Terracina. In Romandiola Damiano Placentino, Joannes de Lugo. In Tuſcia & partibus Senarum Magiſtro Jacobo Stephani abſenti ſubſtitutus eſt Magiſter Guillelmus de Sucreto. Fratri Andreæ de Alatro inſigni concionatori conceditur, auctoritate Apoſtolica, facultas prædicandi per univerſam Italiam: quem ſummis precibus anno proxime elapſo Ariminenſis Regulus Sigiſmundus de Pandulphis de Malateſtis impetravit, ut ſuo populo prædicaret; cui hoc anno, magno animarum fructu & ingenti ſui & Ordinis laude, in hoc miniſterio & eadem urbe, ſucceſſit Nicolaus Auximanus, Vicarius ſuper omnia loca devota provinciæ ſancti Angeli, de quo ſuperius diffuſe actum eſt. Sed & Andreas anno ſequenti illuc deſtinatus eſt prædicaturus, & Monaſterium ſancti Marini Clariſſarum reformaturus, accepta auctoritate Abbatiſſam deſtituendi, & Moniales, quæ inde temere receſſerunt, paterne reducendi; cum paulo antea inſtitutus eſſet Vicarius ſuper Conventus Daxæ & Raguſii, qui renuebant Provinciali Dalmatino ſemet ſubjicere.

Legunt Minoritæ in Collegio Hiſpanorum Bononien.

In Univerſitate Salmanticen.

Et Toloſana.

Ac Patavina.

XXXVIII. Collegium Hiſpanorum Bononienſe conſueviſſe Lectores habere Minoritas comperio ex tenore litterarum, quibus hoc anno Guillelmus Generalis Miniſter illic inſtituit fratrem Joannem Anconitanum Philoſophiæ profeſſorem: *Habilitavit* (verba ſunt veteris inſtrumenti in regiſtro) *Miniſter Generalis fratrem Joannem Maldonatum ad legendum libros Sententiarum in ipſa Univerſitate Salmantieenſi, & fratrem Didacum Conchenſem provinciæ Caſtellæ ad legenda Biblia in ſcholis ſancti Saturnini, Univerſitatis Toloſanæ. Baccalaureum inſtituit pro curſu Magiſterii in ſcholis Eccleſiæ Cathedralis. Univerſitatis Patavinæ fratrem Joannem Brenderbach provinciæ Coloniæ, & in ſtudio Mantuano fratrem Damianum, virum nobilem ex Comitibus ſancti Bonifacii, & Ferdinando Luzio Sacellano & Conſiliario Joannis II. Regis Navarræ quædam confert privilegia.*

XXXIX.

XXXIX. Prima hic ſe mihi offert mentio fratris Franciſci de Savona, ſive de Ruvere, viri clariſſimi, qui ingenti virtutum merito per omnes officiorum & dignitatum gradus ad ſummum aſcendit Pontificatum. In regiſtro Ordinis lego hoc anno ex Magiſtro ſtudii Bononienſis deſignatum Conventus Papienſis Baccalaureum, & paulo poſt lectorem Philoſophiæ in Conventu magno Venetiarum. Vel hinc arripienda eſt occaſio ejus vitæ & Monachatus primordia deſcribendi; per ſequentes enim annos paſſim varia ejus geſta recenſenda ſunt, quibus præſtruenda hic duximus natalitia. A Savona, patria urbe, communiter, more Monaſtico, appellatur Franciſcus a Savona (cujus nominis alium ſeniorem hoc anno jam magiſterio & præfectura Cuſtodiæ Papienſis decoratum invenio) & *a Ruvere*, titulo gentilitio. Familia hæc Ruverea ſive Roborea, nam Itali *Rovere* ſive *Ruvere*, quod Latini Robur ſive Quercum appellant, circa annum Domini DCC. originem habuit in Auguſta Prætoria Taurinorum, a Ragumberto Duce Taurino Longobardo, Pauli Diaconi hiſtoria memorando. In ea Subalpina regione, nobili ſtabilita poſſeſſione & dilatata propagine, Simon Ruvereus, cognomento Craſſus, erat enim obeſo corpore, ad Ligures deſcendit, & Savonæ ſubſtitit, ubi familiam hanc ad eam dignitatem evexit, ut inter primas non cenſeretur poſtrema.

Fr. Franciſci a Ruvere natalitia.

Vide de geſtis Longobard. l. 6. c. 18.

XL. Ex hac gente, patre Leone, omnibus in patria Magiſtratibus functo, & Lucina Munliona, laudabilis vitæ & proſapiæ fœmina, Franciſcus VII. Kal. Auguſti anno MCCCCXIV. in pago maritimo Cellarum a Savona V. M. P. diſtante, quo parentes vitandæ peſti confugerant, feliciter prognatus eſt: quo fit ut minus verum ſit, quod aliqui invide ſuggeſſerunt, obſcuriſſima piſcatoria gente progenitum. Prægnans mater vidit per ſomnium infantulum a SS. Franciſco & Antonio habitu & cingulo præcingi Minorum: & obſtetrix dum pro more in balneo lavaret, obſervavit admirabunda duos digitulos, quaſi aquas ſignaturum, erexiſſe; quibus prænunciis indicari videbantur, quos ſubivit, ſtatus Monachalis & Pontificius. Propter viſionem inditum ei Franciſci nomen, & propter deliquium alias in balneo paſſum, ex voto immiſſa ei veſtis Franciſcana, ſex menſibus deferenda. Semeſtri tranſacto, habitu amoto, puer anno expleto, iterum in gravem incidit morbum, ſed repetito voto, mater filium ſtatim incolumem recepit. Poſt aliquot annos cum elegantis formæ & vivacis ingenii conſpiceretur, non defuere qui parentes increparent, quod tam bonæ indolis puerum adeo tetricæ & auſteræ vitæ addixiſſent, antequam ipſe per ætatem ſaperet; & hujuſmodi habitus retinaculo vinciri vellent & cogere, ut unicum hoc, fortaſſis moribus incongruum vivendi genus ſubiret: ſinendum potius, ut ſeculari & civili more vitam duceret, vitæque rationem maturo ipſe judicio præfigeret. Hæc etiam inculcabat Petrus, cognomento Pippus, atque audacter nimis habitu ſpoliavit, ſed non ſine pueruli diſcrimine; ſtatim enim febre correptus, intumeſcente gutture, periclitabatur, nec liberari potuit aliter, quam renovata promiſſione & habitu reſtituto. Mater itaque Pippo, ob ſpretam Religionem inſenſa, ſancto Franciſco filium libens addixit, & ad ejuſdem Inſtitutum amplexandum frequens ſuadebat.

Prognoſtica ſtatus monachalis, & Pontificii.

XLI. Frequentabat ille domum Minorum, cum Religioſis aſſidue converſans, maxime cum viro optimo, Joanne Pinarolio, cui parentes pueri educandi curam crediderunt. Sub hujus diſciplina adeo profecit, ut ultra bonos mores, brevi Grammaticam abſolverit, & Ciceronis opera partim ab aliis audierit, partim ipſe percurrerit, & adoleſcentiori ætate Religionis jugum ſubierit. Dialecticam in oppido Cherii, Philoſophiam Pa-

Traditur educandus Minoritis.

Ejus ingenium.

Papiæ, Theologiam audivit Bononiæ; ubi præceptores habuit Jacobum Textorem Doctorem Pariſienſem, quem diximus Concilio adfuiſſe Florentino, & Andream Nolanum, ob ſingularem doctrinam & vitæ integritatem poſtea Sarnenſem Epiſcopum. Hoc demum anno declaratus, uti diximus, Baccalaureus Papienſis, dein Venetias miſſus Philoſophiam docturus, inde venit ad Comitia generalia, Genuæ anno ſequenti indicta, ubi egregium ſui ingenii, quod tunc dicemus, ſpecimen exhibuit.

An. 1438. n. 2.

XLII. Urbs Comenſis inteſtinis diſcordiis & civilibus diſſidiis implacabilis odii a perniciosiſſimis factionibus Guelfa & Gibellina ante annos ferme ducentos introducti, ita miſere lacerabatur, ut carnificinæ potius quam Civitatis ſpeciem præferre videretur. Sanctus Bernardinus Senenſis anno MCCCCXXXII. ibidem prædicans, furorem mitigavit & præſentes ſedavit hoſtilitates; ſed dum hoc tempore iterum recrudeſcerent, frater Silveſter vir religioſus & doctus Regularis Obſervantiæ, ita erudite perſuaſit, ita impigre laboravit, ut inveterati morbi fibras hoc anno die XIII. Decembris ſanctæ Luciæ ſacro, exciderit, & utriuſque partis conſenſu, omnium applauſu, & ſingulorum juramentis & ſyngraphis ſtabilitam æternam pacem ſtatuerit: publico edicto etiam condemnata præteritarum calamitatum memoria & quacumque harum factionum mentione. In gratiarum actionem & tanti beneficii memoriam, Gerardus Landria Cardinalis urbis Epiſcopus, & Balthaſſar Riva Vicarius generalis publicam inſtituerunt ſupplicationem quotannis perpetuo faciendam. Alius eſt hic Silveſter ab illo, quem alias diximus pacificaſſe Placentinos.

Ballarin. lib. 2. hiſt. Comen. c. 23.

Fr. Sylveſter pacificat Comenſes

Anno 1400. n. 2.

XLIII. Extra novos, ſed intra veteres muros urbis Viterbienſis in Etruria, Joannes Vitelleſcus Cardinalis tituli ſancti Laurentii in Lucina Archiepiſcopus Florentinus, Pontificis Legatus, dederat Fratribus Obſervantibus Monaſterium ſanctæ Mariæ de Paradiſo, a Monialibus Ordinis Ciſtercienſis derelictum, & menſæ Capitulari Eccleſiæ Viterbienſis unitum, ſed ruinæ proximum. Hoc anno omnem prædicti Monaſterii ambitum Pontifex fratri Jacobo Reatino, prædictorum Fratrum in provincia Romana Vicario conceſſit: *Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas*. XVII. Kalend. Januarii, & anno ſequenti poſſeſſionem jam acceptam confirmavit. Jacent hic aliquot Viri pii, quorum unus a plurimis annis vita functus, adhuc integro corpore conſpicitur in quadam chori ſepultura. Alter anno MDLXXXIV. dum ſepulcrum aperiretur, ſimiliter ſanus & ſuavem ſpirans odorem, ex inſperato apparuit. Habetur illic in magna veneratione imago beatæ Virginis *a partu* cognominata, ob multa quæ præſtat in puerperio periclitantibus beneficia.

Conv. S. Mariæ de Paradiſo Viterbien.

Gonz. in Provin. Rom. Con. 4.

XLIV. Frater Gabriel Vicarius Obſervantum provinciæ Marchiæ obtinuerat ab Eugenio Pontifice facultatem tria Cœnobia ædificandi, vel admittendi pro ſuis Conſodalibus. Ex his unum voluit, quod ſibi prope vetuſtam Eccleſiam ſanctæ Mariæ Annunciatæ, verſus Septentrionem extra urbem Auximanam offerebatur ab Epiſcopo & civium communitate. Accepta ante biennium loci poſſeſſione, collectiſque fabricæ neceſſariis, reſtitit provinciæ Miniſter, fecitque ut Fratres abirent, & amplius pollicerentur ne dimiſſum repeterent. Tulit hoc ægre Epiſcopus, deditque aliquot litteras ad beatum Joannem Capiſtranum, quod jam narravimus, ut curaret civium votis ſatisfieri. Tamdem hoc anno, jubente Pontifice, Auximum rediit Vicarius, & Cœnobium inchoavit. Conceſſum beato Jacobo a Marchia, ait Gonzaga; ſed non adeo probabile eſt, ut in Hungaria agenti hoc tribueretur: Capiſtranenſi potius dixerim referendum. Sub an. MCCCCXCVI. pro-

Conv. Auximanus.

Idem in Provin. Marchiæ Con. 13.

Ann. 1437. n. 10.

propter aeris intemperiem, a Septentrione ad Meridiem ſuper amœnum collem prope urbis muros, alio commigrare oportuit, conſenſum & auxilium præſtante Paride Caſtelficardio Epiſcopo. Antonius Sinibaldus ejuſdem urbis Epiſcopus, Eccleſiam ſolemni ritu conſecravit.

XLV. In jugulo cujuſdam montis aeris ſaluberrimi P. M. ab oppido Prati in Etruria, habebat vir nobilis, Comes Franciſcus Marci de Patino domum æſtivam & poſſeſſiones adjacentes. Omnia donavit Obſervantibus, ut Cœnobium ſibi adaptarent. Illi porro conſtructa religioſa æde, quæ viginti Fratribus ſufficeret, bona reliqua penes Comitem eſſe voluerunt. Hic jacent viri duo inſignes, frater Angelus Florentinus, cui peculiarem dedit Deus gratiam ſolandis afflictis. Frater Bernardus Echeſius Pratenſis, beati Euſtachii Martyris diligentiſſimus cultor, a quo ſæpe meruit viſitari. Laborantes aliquando Fratres maxima panis inopia, multa nive ſemitis obſeſſis, Guardianus collatione habita de Creatoris erga ſuos providentia, ad orationem invitavit. Dum paululum perſiſterent, architriclinus invenit promptuaria panibus plena, relatoque miraculo, quas potuerunt, Deo gratias reddiderunt. Conv. Prateo. *Idem in Provin. Tuſcia Con.* 20. Angelus Florentin. Echeſius Praten.

XLVI. Prope Atellam in Apulia, hoc anno oppidani Fratribus domum conſtruxerunt, ſub vocabulo *ſanctæ Mariæ de vite alba*, eaque propter aeris inſalubritatem derelicta, aliam in loco ſaniori, ſedente Julio II. ſummo Pontifice, *a ſancta Maria de Angelis* nuncupatam addiderunt, in qua tirones religioſe inſtruuntur. Intra ſepta oppidi Milionici, Acherontinæ diœceſis, in eadem regione Apuliæ, Cœnobium alterum ſub titulo ſancti Franciſci obtinuerunt Fratres, idque ut ſimul cum aliis tribus admitterent, Pontifex indulſit: *Merita veſtræ Religionis*. x. Kalend. Julii. Capax eſt hæc ædes Fratrum duodeviginti, & confraternitatem habet immaculatæ Conceptionis. Conv. Atellæ. *Idem in Provin. S. Nicol. Con.* 11. Conv. Milionici. *Idem in Provin. Baſilicata Con.* 4.

XLVII. Cremonæ nobilis in Lombardia urbis Senatus, vocatis ad ſe Fratribus Obſervantibus, campos & poſſeſſiones aſſignavit domui ædificandæ. Joannes Prior Cœnobii ſancti Gabrielis extra muros urbis, Ordinis ſancti Benedicti, commodiorem locum & Eccleſiam beatæ Mariæ, ad ſuum Prioratum ſpectantes, ſitas in ſuburbio omnium Sanctorum, in prædictorum commutationem obtulit. Illi ſacta permutatione hoc anno cœperunt domum ædificare & inhabitare. Poſt triennium Joannes etiam ipſum ceſſit Prioratum, cui contiguum erat novum Cœnobium, ea tamen conditione, ut ſuppreſſo ibidem titulo ſancti Gabrielis & Ordine ſancti Benedicti, Fratres per ſuos benefactores tenerentur ædificare vel ampliare Eccleſiam ſancti Hippolyti intra muros urbis, & in eadem altaria duo erigere in commemorationem ſanctorum prædictorum Gabrielis & Hippolyti, & domus Minorum deinceps ſancti Angeli nuncuparetur: *Juſtis & honeſtis*. xvi. Kalendas Septembris. Sæviente bello inter Carolum V. & Franciſcum Gallorum Regem, ne urbi muniendæ obeſſet, domus diruta eſt, & Fratres in ædes cujuſdam nobilis viri ſe receperunt. Poſt annos octo ab Hieronymo Pellizario, Prioratus ſanctorum Coſmæ & Damiani intra urbem Commendatario, anno MDXXXIV. in vicina domo collecti ſunt, & demum templo & domo donati. Donatione per Paulum III. Pontificem confirmata, magnificum conſtructum Fratrum domicilium ſub ſancti Angeli nuncupatione. Eccleſia antiquiſſima eſt, quippe quæ indulgentia gaudet a Gregorio VIII. conceſſa. Jacet hic venerabilis Pater Damianus Patavinus. Conv. Cremonæ. *Idem in Provin. Bonon. Con.* 8. Damianus Patavinus.

XLVIII. Guardianus & Fratres domus ſancti Simonis, urbis Spoletanæ, propter magnam jacturam & ruinam quam paſſi ſunt ex bellorum motibus, Conv. S. Simonis Spoletan.

tibus, quibus univerſus ſtatus Eccleſiaſticus impetebatur, & propter dejectam ictibus tormentorum bellicorum ſuperiorem partem ac turrim campanariam ſui Conventus, petierunt ſibi concedi Eccleſiam parochialem ſancti Savi, a Monaſterio ſancti Juliani extra muros urbis dependentem, quæ parvi aut nullius erat valoris annui, pauciſſimoſque habebat ſuæ curæ adnexos fideles, juxta quam ſibi Cœnobium, & Parocho domum ædificare tenerentur. Rem diſcutiendam & terminandam commiſit Pontifex Priori ſancti Felicis de Valle Narii, diœceſis Spoletanæ: *Sacræ Religionis*. VIII. Idus Maii. Quid tamdem decretum ſit non eſt qui ſcribat.

Conv. Crolaii. *Idem in Provin. Turonen. Con.* 18

XLIX. Hoc anno nobiles, Joannes Marquier & Maria de Gauberriere, Domini *de la Rocheyon* ad oram ſtagni Crolajani, Turonenſis diœceſis, Conventum extruxerunt, a ſtagno *Crolajum* nuncupatum. Situs eſt amœnus in declivi trium montium, fontibus abundans & ſilvis denſiſſimis opacus. Anno Domini MDLXIX. a Germanis, quos *Reiſtros* vocant, dilapidatus eſt & combuſtus. Fratrum opera paulatim reſtitutus eſt.

Conv. Vallis-bonæ.

L. Conſtruxerant Fratres Tertii Ordinis ad Vallis-bonæ oppidum, diœceſis Ulyſſiponenſis, oratorium ſub nomine ſancti Franciſci, ſed temporum calamitatibus coacti, poſt aliquot annos deſeruerunt. Derelictum & ruinæ proximum dederunt fratri Petro Alvari aliiſque Sodalibus Regularis Obſervantiæ. Hi domum refecerunt & inhabitarunt, nulla obtenta facultate Apoſtolica, quibus hoc anno Eugenius veniam impertivit: *Sacræ Religionis*. XI. Kalendas Junii. In his litteris occurrit mentio Joannis de Riparia, vulgo Luſitanico *de Ribeira*, Miniſtri Provincialis Fratrum Tertii Ordinis. Ante hoc itaque tempus cœperunt Tertiarii collegialiter vivere, & regulares habere Superiores. Quid vero actum ſit de hoc Conventu, ignoro; in provinciis namque Fratrum Minorom regni Luſitani non recenſetur.

Reformatur Cōventus Aurienſis

LI. Laxatis habenis, ſolutiori quam par erat, diſciplina, vivebant Fratres in Conventu Aurienſi, vulgo *Orenſe*. Interpellatus ergo Miniſter Generalis litteris Joannis II. Regis Caſtellæ & Capitularium Eccleſiæ Cathedralis Aurienſis, hoc anno die XXVI. Februarii præcepit Miniſtro Provinciæ ſancti Jacobi, ut domum reformaret & ad Regularem reduceret obſervantiam. Ab hoc itaque tempore unitus eſt reliquis domibus ejuſdem Obſervantiæ. Præceſſiſſe alios Conventus hujus Inſtituti ſtrictioris in iſta ſancti Jacobi Provincia, ſed unitos aliis Cœnobiis Cuſtodiæ Sanctojanæ, ſub uno Rectore fratre Ludovico de Sala, habeo ex breviuſculis Chronicis MSS. illius Provinciæ, quæ nuper ad manus meas pervenerunt. Primum omnium reformationem admiſit in dicta Provincia Cœnobium Beneventanum, conſentiente & favente Roderico Alphonſo Pimentelio ſecundo Comite Beneventano. Secundum Corunienſe. Tertium Capitis-Auroræ. Quartum Salmanticenſe, circa annum MCCCCXXIV. ſtrenue cooperante Regina Maria Joannis ſecundi conjuge, non ſine magna reſiſtentia tot Magiſtrorum & Doctorum, qui tam domi, quam in univerſitate variarum facultatum cathedras regebant. Quintum Zamoranum. Sextum Aurienſe.

Primi Conventus reformati in Provincia S. Jacobi.

Conv. Lenzici, & Domdi.

LII. In regiſtro Ordinis, duorum Cœnobiorum Vicariæ Scotiæ occurrit nuda memoria, *Lenzici*, & *Domdi*, quæ tamen neque apud auctores noſtros, neque apud Scotos invenio. Fortaſſis aliis nominibus recenſentur. Sub annum MCCCC. retuli Conventus Scotiæ ſub Provincia Angliæ & Cuſtodia Novi-Caſtri, ex ſcripto catalogo ex Bartholomæo Piſano, in quo reperitur Conventus Dundæ, quem eumdem reputo cum Dumdienſe. De Lenzicano nullum apud alios reperio veſtigium. In provincia Bononiæ lego,

go, nobilem virum Comitem Ludovicum de Verme extruxiſſe in vico, vulgo Italico *la Rocca del Cex*, domum Minoritarum: cujus poſſeſſionem ut caperet, miſit hoc anno Miniſter Generalis fratrem Silveſtrum Forolivienſem prædictæ provinciæ Miniſtri Vicarium. Conv. Rupis del Cex.

LIII. Nobilis quædam fœmina, Laurentii de Priulis Veneti relicta, mundi tædio affecta, ſe totam pietatis operibus & contemplandis divinis addixit, abiitque Tarviſium, quo perveniſſe intellexit pias religioſaſque Sorores ex Monaſterio Mantuano, non ut Monaſterium erigerent, quod ait Gonzaga, ſed ut a longo tempore erectum, at valde in moribus deformatum Cœnobium *della Cella* dictum, diſciplinæ regulari reſtituerent. Primiceria erat ſelix Veronenſis, virgo religioſiſſima, virtutibus illuſtris, quæ brevi tempore domum illam ad rectam vitæ normam reduxit. Nobilis prædictæ mulieris frater, Stephanus Tarviſinus, accola Venetus, dolens abeſſe ſororem, obtinuit ab Eugenio Pontifice, ut in Monaſterio Veneto ſancti Nicolai de Muriano, ſuppreſſo Ordine ſancti Benedicti, & per alia Monaſteria diſtributis paucis Sororibus, quæ, laxatis habenis vitæ regularis, diſſolute vivebant, inſtitueretur Ordo ſanctæ Claræ, eoque transferri curavit ſororem. Poſt biennium evocata eſt prædicta Felix, quæ tam inſigni virtutis magiſterio primas diſcipulas inſtruxit, ut intra breviſſimi temporis ſpatium, inter præcipua urbis Monaſteria potuerit referri. Septuaginta alit Sorores in ſumma & perfecta regularis vitæ obſervantia. Antiquum nomen *S. Nicolai* abiit in deſuetudinem, & nunc vocatur *ſanctæ Claræ de Muriano.* Monaſt. Tarviſinum della Cella reformatur. Gonz. in Provin. S. Anton. Mon. 4. Monaſt. S. Nicolai Venetum.

LIV. Nobilis mulier Dorothea ex Comitibus de Panico Domicella Bononienſis, in civitate Paduana, nupta Bartholomæo (alii vocant Antonium) Urbinati, hoc anno obtinuit facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum, ſub ſtricta obſervantia, ad inſtar Monaſterii Corporis Chriſti Mantuani: *Pia vota fidelium*, XVIII. Kalendas Octobris. Evocatis Magiſtris ex prædicto Monaſterio Mantuano, Anna Valentini, Iſabella Mutinenſi, & Lucia Tridentina, etiam ipſa ſe eiſdem conjunxit, aſſentiente marito, qui omni ſtudio & ſolertia curavit ſumptuoſe perfici domum, octoginta Sororum capacem, atque ultimam manum anno MCCCCXLVI. & paulo poſt ſancti Bernardini nomen imponi. Prima Abbatiſſa fuit prædicta Anna; ſecunda, Fundatrix Dorothea. A Nicolao V. impetrarunt an. MCCCCL. ut ſtrictiſſimam amplecti liceret paupertatem, nec ab ullo cogi poſſent, ut annuos reditus aut aliquas admitterent poſſeſſiones. Diploma ſub illum annum dabimus in Regeſto. Scribit Marianus, Bartholomæum ſeu Antonium hunc, ex Urbini partibus oriundum, genere nobilem, bonis moribus nobiliorem, Patavii ſtuduiſſe, eamque doctrinæ famam obtinuiſſe, ut in Jure Cæſareo parem habere non videretur. Urbe donatus, & ad prima quæque munia vocatus, brevi eas aſſecutus eſt facultates, domos, & inſigne Palatium, ut ad prædictæ nobilis Domicellæ nuptias aſpirarit. Genuit ex ea liberos tres, totidemque femellas, quos, univerſa cura poſt matris deceſſum in ſe ſuſcepta, curabat Dei timore imbuere. Deceſſerunt infantuli omnes anno uno ex peſtilentia, quorum jactura internisque motibus a Deo vocatus, ut mundum relinqueret, collocavit filias in ſuo Monaſterio, & ipſe habitum ſancti Franciſci ſuſcepit, ſub quo in regulari obſervantia ſanctiſſime vixit annis multis in continuis jejuniis, perpetua oratione ac ſancta humilitate. Diaconatu initiatus, ad Presbyteratum noluit aſcendere, indignum ſe judicans tanta dignitate. Prædicans ubique pœnitentiam magno cum animarum fructu, ad inſtar ſancti Franciſci ſui præceptoris, grandævus deceſſit, magna pietatis opinione relicta. Monaſt. S. Bernardini Paduanum. Indid. Mon. 10. Marian. c. 11. Pertinar. lib. 9. c. 38. Antonius Urbinas.

Monaſt. S. Claræ & S. Agnetis Hiſpalenſ.

LV. Monaſteria duo Hiſpalenſia ſanctarum Claræ & Agnetis correctioni & viſitationi fratris Joannis de ſancta Anna, ſacræ Theologiæ profeſſoris, paulo antea functi Miniſtri provinciæ Caſtellæ officio ſubdidit, & Sorores ab omni gravamine exactionum & procurationum declaravit exemptas: *Sacræ Religionis*. Nonis Septembris. *Etſi perſonis quibuslibet*. VI. Kalendas Septembris. Reformationem Monaſterii ſancti Guillelmi extra muros Ferrarienſes, propter varias, quæ occurrebant difficultates, primo, beato Joanni Capiſtranenſi; ſecundo, Epiſcopo Ferrarienſi; tertio, Miniſtro Generali hoc anno commiſit Eugenius: *Sed cum tu ad præſens* (inquit in Diplomate ad Guillelmum) *pro negotio unionis Græcorum hic valde utilis & neceſſarius ſis, & propterea ad dictam civitatem Ferrarienſem in præſentiarum non poſſis accedere*: dat ei facultatem alium virum idoneum ſuo loco ſubſtituendi: *Romani Pontificis providentia*. V. Kalend. Martii. Subſtitutum denique alio Diplomate invenio fratrem Auguſtinum Florentinum, virum prudentem & religioſum, cum poteſtate ampliſſima, ut ex Monaſteriis Corporis Chriſti Mantuano & ſanctæ Claræ Tarviſino Abbatiſſam & Moniales ſeligeret, quæ huic reformationi normam darent & ſtabilitatem. Totus erat Miniſter Generalis in reſtituenda diſciplina Monialium, valde per vetuſta & numeroſa Monaſteria ſub hoc tempus collapſa. Paulo poſt Capitulum generale reformavit Monaſteria Avenionenſe & Aſſilianum, atque alia Gallicana, voluitque omnino renunciare curæ & regimini Monaſterii de Longo Campo, diœceſis Pariſien. propter inobedientiam Joannæ Sauſes Abbatiſſæ & ſequacium, quæ nolebant reformationem admittere. In Urbe reformavit ſancti Coſimati, data Abbatiſſa ex Monaſterio ſancti Laurentii Panis-pernæ, Venoſa de Abbate Mutinenſe, inſtituta Abbatiſſa Margarita de Gilviis ex Monaſterio ſancti Guillelmi Ferrarienſi, inter pleraſque diſſolutas pia & tenaci diſciplinæ regularis. Ravennæ duo Monaſteria ſanctæ Claræ & ſancti Pauli, optimis legibus præſcriptis. Mantuæ ſanctæ Claræ, dato Correctore Guidone Ariminenſi. In civitate Piſtorienſi ſedavit contentionem inter duo Clariſſarum Monaſteria circa feſtorum celebritatem. Decrevit ut in Monaſterio, quod a ſancta Clara nuncupabatur, ſolemniter ejus feſtivitas per Fratres celebraretur, cederetque illo die Monaſterium alterum a ſancto Joanne dictum, et ſi placeret, Dominica ſequenti infra Octavam, ſolemni cultu ſuam veneraretur Inſtitutricem. E regione in feſtis ſanctorum Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ cederet ſanctæ Claræ Monaſterium. Conceſſit Amadeæ Reginæ Cypri duos Fratres, qui ſemper & ad nutum tam pro confeſſione excipienda, quam pro negotiis conficiendis cohabitare poſſent in Regia.

Conv. S. Fructuoſi Tertii Ordinis.
Monaſt. Betonæ S. Catarinæ.

LVI. Invenio hoc anno mentionem domus ſancti Fructuoſi Tertii Ordinis ſancti Franciſci, Aſtoricenſis diœceſis in diplomate Eugenii, quo a decimis & quibuſcumque liberat impoſitionibus: *Ad ea per quæ*. V. Idus Junii. Monaſterium ſanctæ Catarinæ de Betona Ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Aſſiſiatis, Monialibus deſtitutum & ruinæ proximum, donavit Damianus Epiſcopus Doniæ, quondam Joannis Criſpolti Betonienſis filiæ, ut ſimul cum aliis Sororibus inhabitarent. Donationem Pontifex confirmavit: *Humilibus ſupplicum votis*. Kal. Maii. Gonzaga longe aliter narrat; ſed hærendum potius eſt Bullæ narrationi. Nunc amplum eſt Monaſterium, & Sorores habet ſæpe quadraginta. Sororibus domus ſancti Hieronymi Florentinæ noxam dimittit, quod collegialiter vivere & domum ſibi regularem abſque expreſſa Pontificis licentia ſtatuere auſæ ſint, eiſque inſuper quædam concedit privilegia: *Sacræ Religionis*. IV. Nonas Maii. Similiter

Gonz. in Provin. S. Franciſ. Mon. 21.
Monaſt. S. Hieron. Florentin.
Monaſt. S. Margaritæ Senenſe.

actum

actum eſt cum Sororibus domus ſanctæ Margaritæ Senenſis: *Sacræ Religionis*. IV. Nonas Julii.

LVII. Maria de Finali Tertii Ordinis Soror, rogavit ſibi concedi oratorium ſeu capellam ſancti Geneſii Januenſem, ad quam turbatim populus propter crebra miracula confluebat, & facultatem prope eam Cœnobium ædificandi ſui Inſtituti. Veritatis indagationem commiſit Pontifex Abbati Monaſterii ſancti Siri: *Piis fidelium votis*. VI. Idus Auguſti. Domibus omnibus per beatam Angelinam erectis auctoritatem impertiit, Confeſſarium habendi, quem vellent, diſcretum Presbyterum, qui etiam miniſtraret Sacramenta: *Sacræ Religionis*. IV. Nonas Julii. Indultum hoc ad alia Monaſteria & Sorores, quæ poſtea receptæ ſunt, extendit, ita deprecante Magdalena Peruſina generali Miniſtra: *Deo devotarum*. III. Idus Aprilis. Sororibus Monaſterii ſancti Franciſci de eleemoſynis (cauſam hujus nuncupationis dedimus alias) Neapolitani, Tertii Ordinis ſive de pœnitentia facultatem dedit lucrandi intra ſuam clauſuram omnes indulgentias, quas ſtatutis diebus in aliis urbis Eccleſiis fideles percipiunt: *Odor famæ bonæ*. V. Idus Julii. Sororibus univerſis ejuſdem Inſtituti, nuncupatis *Collegii Peruſini*, plurima confirmavit ſtatuta, rudi tamen Minerva compacta. A tempore autem Bonifacii IX. dicunt ſe habuiſſe generalem Miniſtram: *Sedis Apoſtolicæ providentia*. XVIII. Kalend. Februarii.

Monaſt. S. Geneſii Januen.

Tom. 6. anno 1320. n. 14.

Sorores collegii Peruſini.

LVIII. Privilegiorum omnium a Clemente IV. Fratribus Minoribus conceſſorum, uberrimum Diploma confirmavit, deprecante Guillelmo Generali Miniſtro: *Licet debitum paſtoralis officii*. IV. Idus Novembris. Clariſſas omnes ab Ordinariorum juriſdictione eximit, & a ſolvendis pædagiis ac contributionibus abſolvit: *Licet Romanus Pontifex*. Idibus Auguſti: *Dudum videlicet*. VIII. Kalend. Martii.

Confirmantur privilegia.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Sub finem anni proxime præteriti, ab octavo nempe menſis Octobris uſque ad finem Decembris Ferrariæ plures habitæ fuerunt „ publicæ ſeſſiones a Patribus Synodi illuc congregatis cum Eugenio Papa, „ adſiſtentibus cum Joanne Paleologo, Patriarcha Conſtantinopolitano, „ aliiſque Eccleſiæ Græcæ Prælatis; in quibus quidem ſeſſionibus de præcipuis controverſiis, quæ agitantur inter Latinos & Græcos actum eſt: „ at ibidem proſequi tanti momenti negotium non permiſit, quæ graſſabatur peſtis; quamobrem Sedem mutare oportuit, & Synodum transferre Florentiam, urbem omnibus gratam; obſtrepentibus interea Patribus Baſileæ congregatis ac extrema meditantibus.

„ II. Peruſii per ea tempora inter Sorores Ordinum ſancti Patris Dominici, & ſancti Patris Franciſci de Pœnitentia, litem & controverſiam „ vigentem Epiſcopus loci diremerat, & interpoſito decreto, ambas partes concordaverat: porro Pontifex hujuſmodi Antiſtitis decretum ſuis „ litteris Apoſtolicis confirmavit pridie Kalendas Martii: *Humilibus &c.* „ ſed III. Idus Aprilis fratri Benedicto non tantum permiſit tranſitum ad „ Patres Benedictinos: *Sedes Apoſtolica &c.* ſed etiam impertito beneficio „ abſolutionis, poſſeſſionem cujuſdam Prioratus retinere indulſit: *Religionis zelus &c.* & XII. Kalend. Julii quemdam Fratrem Alphonſum „ volentem ad eoſdem abire permiſit: *Religionis zelus &c.* VI. vero Kalendas ejuſdem Alberti Epiſcopi Aſtenſis duarum Eccleſiarum unionem „ factam & ſupra a nobis relatam confirmavit: *Humilibus ſupplicum &c.*

Indic. ex Vatic.

Ex Archiv. Conventus Cunei S. Mar. Angelorum

Ad an. 1438. n. 4.

Digitized by Google

,, Ad rei vero hujuſmodi pleniorem intelligentiam, litterarum Pontificis
,, tenorem, qui eſt ut ſequitur, offerimus.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſanctorum Victoris & Conſtantii, Diœceſis Taurinenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

,, 1. *Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus*
,, *proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro par-*
,, *te dilectorum filiorum Syndicorum & Communitatis Oppidi Loci de Cu-*
,, *neo, Montis-Regalis Diœceſis petitio continebat: quod alias Venerabilis*
,, *frater noſter Albertus Epiſcopus Aſtenſis, tunc dicti loci Ordinarius, at-*
,, *tente conſiderans, quod in Domo ſive Capella ſanctæ Mariæ de Angelis*
,, *nuncupata, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis ſancti Franciſci de*
,, *Obſervantia nucupatorum, deputata, in qua plures Fratres ejuſdem Ordinis*
,, *in Divinis laudabiliter Deo ſerviebant, & ad illam Chriſtifideles in mul-*
,, *titudine copioſa, cauſa devotionis affluebant in dies; propterea & ex certis*
,, *aliis rationabilibus cauſis, Eccleſiam ſancti Michaelis extra Muros novos*
,, *dicti Oppidi; quæ licet olim Parochialis foret, tamen ſucceſſu & malitia*
,, *temporis cauſante, in ſuis ſtructuris & ædificiis, ut pote pro magna parte*
,, *ad aream proſtrata, collapſa & ruinæ ſuppoſita, ac cultu & divinis Offi-*
,, *ciis penitus & diutius deſtituta erat; cum omnibus juribus & pertinentiis*
,, *ſuis, dictæ Domui ſive Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in perpetuum, auctorita-*
,, *te ordinaria univit, annexavit & incorporavit, ac illam pro uſu & habi-*
,, *tatione eorumdem Fratrum, ac per eos reparandam, tenendam & poſſi-*
,, *dendam conceſſit & donavit; prout in quibuſdam litteris authenticis deſu-*
,, *per confectis, ipſius Alberti Epiſcopi ſigillo munitis, dicitur plenius con-*
,, *tineri.*
,, 2. *Cum autem, ſicut dicta petitio ſubjungebat, quamvis ipſi Fratres*
,, *in dicta Domo degentes, eamdem Eccleſiam ſancti Michaelis in ejuſmodi*
,, *ædificiis ſumptuoſo opere reparare inceperint; de juribus tamen unionis,*
,, *annexionis, incorporationis, necnon conceſſionis & donationis hujuſmodi*
,, *hæſitantes, ac ſuper illis in futurum moleſtari poſſe formidantes, opus in-*
,, *cœptum perficere & ad effectum perducere diſtulerunt & defecerunt.*
,, 3. *Pro parte Syndicorum & Communitatis prædictorum, Nobis fuit*
,, *humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni, incorporationi, necnon con-*
,, *ceſſioni & donationi præmiſſis, pro illarum firmiori ſubſiſtentia, robur*
,, *Apoſtolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica digna-*
,, *remur.*
,, 4. *Nos igitur, qui de præmiſſis notitiam non habemus, hujuſmodi ſup-*
,, *plicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus,*
,, *quatenus de præmiſſis & eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra*
,, *te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe reperc-*
,, *ris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, unionem, annexionem, in-*
,, *corporationem, necnon conceſſionem & donationem prædictas, & quæcum-*
,, *que inde ſequuta, eadem auctoritate noſtra approbes, pariter & confirmes,*
,, *ſuppiendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non ob-*
,, *ſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Statutis & conſuetudinibus dicti*
,, *Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate*
alia

„ *alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Florentiæ,* „ *anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXIX. VI. *Kal. Junii Pontificatus* „ *noſtri, anno* IX.

„ *V. V. V. Planidis de Urbino.*
„ *Pro A. Dardanono. A. Deſtrata.*

„ III. Quod attinet ad nominatos in Bulla Fratres Ordinis ſancti Fran„ ciſci de Obſervantia &c. dictos in Inſtrumento Alberti Tertii Ordinis „ ſancti Franciſci &c. ac tertiam Regulam profeſſos &c. Animadvertendum „ eſt, iis temporibus nomen Obſervantiæ non fuiſſe ſimpliciter ſpecificati„ vum eorum, tunc Fratrum reformationis Ordinis Minorum, ut poſtea „ ſub Leone X. ſtatuente, ut omiſſa diverſitate nominum, de cetero Fra„ tres Minores ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ, vel ſimul vel „ disjunctive nuncupentur & nuncupari poſſint & debeant; etiam enim & „ alii a reformato Regulari modo viventes, Regularis itidem Obſervan„ tiæ dicebantur. Cum alioquin in Regeſto Ordinis his temporibus Vica„ rii præfatorum Fratrum dicerentur Vicarii locorum devotorum, ut ani„ madvertit Waddingus; erant ergo illi, quos in diplomate vocat Euge„ nius ſancti Franciſci de Obſervantia, revera Tertii Ordinis, & non primi „ qui dicitur Minorum, a regulari vita, quam ducebant exactam, de Ob„ ſervantia vulgo nuncupati. Quod etiamnum picturæ antiquiſſimæ illius „ ædis, quam ſub titulo ſanctæ Mariæ Angelorum incolebant, apertiſſime „ convincunt, inter quas ea Alphonſi Galindres Hiſpani devota & Reli„ gionem ſpirans conſpicitur, in Tertiariorum habitu oſtendens quæſtua„ tionem panis, quam humiliter facere conſueverat.

Wadding. ad an. 1438.

„ IV. Ab anno igitur proxime præterito haud ante Gaſpardus, & Al„ phonſus Eccleſiis præfatis, eo quo deſideraverant modo veſtiti, magno „ fervore reparationi Eccleſiæ ſancti Michaelis, quondam parrochialis, ſtu„ dere cœperunt; & ſibi conceſſo contiguo agro a Joanne Tortello piiſſi„ mo cive Cuneate, ſumptuoſo opere inchoato (ut legitur in diplomate) „ ampliationem ejuſdem aggreſſi ſunt, relicto Oratorio ſanctæ Mariæ An„ gelorum, cujus titulum & imaginem pluribus miraculis corruſcam ad „ hanc tranſtulerunt. At hæc inter, adjudicato Cuneo Epiſcopo Montis„ Regalis, dubitantes de validitate unionis præfatarum Eccleſiarum & ea„ rumdem conceſſionis ſibi factæ, opus diſtulerunt, quouſque Cives Breve „ præfatum, & ab Abbate ſanctorum Victoris & Conſtantii, cui directum „ erat, ſententiam favorabilem obtinerent: quibus tamdem habitis, Eccle„ ſiam perfecerunt, ſibique aliquot Cellulas paupertati, quam profiteban„ tur, non adverſantes, ad uſum conſtruxerunt.

„ V. Interea, IV. Kalendas Junii Jordanus Urſinus Romanus Cardi„ nalis Ordinis Protector deceſſit; in cujus locum fratres Julianum Car„ dinalem Cæſarinum poſtularunt & obtinuerunt. Sed Pontifex V. Idus „ Junii Fratres Tertii Ordinis S. P. Franciſci Aſturicenſis a ſolutione deci„ marum & aliarum impoſitionum exemit: *Ad ea per quæ &c.* & Epiſcopo „ Ravennati circa viſitationem Monaſterii ſancti Guillelmi Ferrariæ ſcri„ pſit: *Humilibus ſupplicum &c.* X. Kalendas Julii; ſed VII. Kalendas Pa„ tres Concilii Baſileenſis depoſitionis ſententiam in Eugenium tulerunt. „ Quando hic immotus & conſtans unionem Eccleſiarum Latinæ & Græcæ „ feliciter concludebat; & quidem pridie nonas ejuſdem lecta eſt in Conci„ lio definitio Articulorum, de quibus inter Græcos & Latinos diſcepta„ batur, videnda apud Annaliſtam & alios; poſtea vero V. Idus ejuſdem „ lit-

Litteræ Pontificiæ.

Patres Concilii Baſileenſis proferunt ſentẽtiam in Eugenium.

„ litteras expedivit pro Monaſterio nuncupato de Paradiſo Clariſſarum
„ Conſtantiæ Urbis, circa diſpoſitionem fructuum: *Debitum Paſtoralis &c.*
„ Et XII. Kalendas Auguſti, firmata duarum Eccleſiarum Orientis & Oc-
„ cidentis unione, Joannes Paleologus Græcorum Imperator cum ſuis Flo-
„ rentia diſceſſit redux in Patriam: VI. ſubinde Idus Auguſti Aldonſæ
„ Abbatiſſæ ſanctæ Agnetis Hiſpalenſis aliqua bona indulſit: *Exigit ma-*
„ *gnæ &c.* & eidem VI. Kalendas Septembris Cameram cum omnibus uten-
„ ſilibus conceſſit: *Sinceræ devotionis &c.* Ad Ætiopes cum expediret fra-
„ trem Albertum Sartianum, præter alias, pro eodem V. Kalendas Se-
„ ptembris, ad Joannem Presbyterum Æthiopiæ Imperatorem litteras
„ tranſmiſit: *Protulit ſæpe &c.* & VI. Kalendas Octobris fratrem Nicolaum
„ dimiſit ad Benedictinos: *Sedes Apoſtolica &c.* At VI. Kalendas Novem-
„ bris, vel IV. Kalendas ejuſdem, ut ajunt alii, Albertus Imperator Stri-
„ gonio Viennam proficiſcens, in Vico Neſmel, cum annum unum dumta-
„ xat, menſes novem, dies duodetriginta regnaſſet, alvi profluvio letha-
„ lique dyſenteria, magna Reipublicæ Chriſtianæ jactura deceſſit, vir
„ apprime laudatus. Sed Pontifex, IV. Idus hujus ejuſdem menſis pri-
„ vilegia Ordini conceſſa ab Alexandro IV. confirmavit: *Iis, per quæ &c.*
„ quo tempore Epiſcopo Montis-Regalis mandavit ut abſolveret quemdam
„ fratrem Petrum, & abſolutum dimitteret ad Auguſtinianos: *Apoſtolicæ*
„ *Sedis &c.* IX. autem Novemb. Concilii Baſileenſis Patres Amadeum VII. — Patres Baſileenſes eligunt in Pſeudo-Papam Amadeum VII.
„ qui rerum humanarum pertæſus, traditis Ludovico filio ſceptris Ducali-
„ bus, anno MCCCCXXXVIII. cum Mauritianis equitibus, quos inſtituerat,
„ Ripaliam, ad lacum Lemanum ſenex contemplationis ergo ſeceſſerat, &
„ cum illis ibi ſolitariam vitam agebat, concordibus votis in Pontificem
„ maximum elegerunt, & Felicem V. proclamarunt, illique obaudiebant
„ Galli, Germani, Aragonii, & Longobardi; ſicque novum ſchiſma in
„ Eccleſia factum eſt. Joannes Dollionus ait, id antea factum non fuiſſe,
„ quod Sigiſmundus & poſtea Albertus Imperatores eorum Patrum cona-
„ tibus reſtitiſſent. Sed illis ſublatis, habito conſenſu Regum Franciæ &
„ Aragoniæ, necnon Philippi Mariæ Sfortiæ Mediolanenſium Ducis & ejuſ- — *Doll. cit. fol. 437.*
„ dem Amadei Generis, ad eam reſolutionem deveniſſe. At nihilominus
„ imperterritus Eugenius, locum & dignitatem conſervabat, & XVIII. Ka-
„ lendas Decembris confirmatis privilegiis aliis, quæ Ordini noſtro con-
„ ceſſerat Bonifacius VIII. *Iis, quæ per Romanos &c.* & revocata unione
„ facta Monaſteriorum ſanctæ Claræ, & ſancti Petri martyris Reginen. *Ad*
„ *providentiam &c.* Prælatis Reginenſibus mandavit, ne præfatam unio-
„ nem permitterent: *Dudum ſiquidem &c.*

Fr. Deſiderius Lotharin.

„ VI. Vita interea & doctrina inſignis egregie micabat venerabilis Pa-
„ ter frater Deſiderius Lotharingus Prædicator Generalis, & dignus ſan-
„ cti Bernardini Senenſis ſocius, qui ab Auctore Firmamenti trium Ordi- — *Firman. tract. 1.*
„ num, ſub Miniſtro Generali trigeſimo Angelo Salveto, necnon ab Ar-
„ thuro Monaſterienſi in ſuo Martyrologio Franciſcano memoratur.
„ Florebat autem hoc anno, XV. Kalendas Decembris, in Gallia honori-
„ fice ſepultus. Venerabilis etiam Chriſti ſervus frater Bartholomæus Ur-
„ binas ejuſdem temporis fuit. Nobili genere natus, bonis moribus nobi-
„ lior Patavii ſtuduit, eamque doctrinæ famam obtinuit, ut in jure Cæſareo
„ parem habere non videretur. Urbe donatus, & ad prima quæque munia
„ vocatus, brevi eas aſſecutus eſt facultates, domos & inſigne palatium,
„ ut ad Illuſtris Domicellæ, Dorotheæ nomine, ex Comitibus de Panico,
„ nuptias convolaverit, ex qua multiplicem prolem genuit. Verum omni-

„ bus

„ bus liberis peſtilentia ſublatis, quorum jactura, interniſque motibus a
„ Deo vocatus, ut mundum relinqueret, uxor, ipſo aſſentiente, cum filia-
„ bus Monaſterium ingreditur; ipſe vero S. P. Franciſci habitum ſuſcepit,
„ ſub quo in regulari Obſervantia ſanctiſſime vixit annis multis, in conti-
„ nuis jejuniis, perpetua oratione & ſancta humilitate. Diaconatu initia-
„ tus, ad Presbyteratum noluit aſcendere, indignum ſe judicans tanta di-
„ gnitate. Prædicans ubique pœnitentiam, magno cum animarum fructu,
„ ad inſtar S. P. Franciſci, grandævus deceſſit, magna pietatis opinione
„ relicta, ibidem in dominio Venetorum, anno ſalutis MCCCCXXXIX. VII.
„ Idus Auguſti. A Thoma de Mantua frater Illuminatus Hetruſcus laicus, *Fr. Illuminatus Laicus claret. Thom. Mantuan. in Catal. SS. & BB. Mart. Franc.*
„ oratione, virtute & religioſâ perfectione inſignis commemoratur obiiſſe
„ Florentiæ hoc pariter anno, de quo pariter agit Arthurus, ad diem IX.
„ Julii. Snror Claudia a Corcæyo virgo, comés & ſocia intima fuit bea- *Sor. Claudia a Corceyo ſanctitate celeb.*
„ tæ Coletæ Boylettæ, a qua inſtituta prima Abbatiſſa Monaſterii Polinia-
„ cenſis, circa annum MCCCCXX. illud maxima prudentia & admirabili vi-
„ tæ ſanctitate rexit. Migravit autem ad Sponſum ibidem in Territorio
„ Veſuntino, VI. Idus Auguſti, anno MCCCCXXXIX. agunt vero de ea Fo-
„ deretus, & Abbas Villæus, quos citat Arthurus. Tamdem mnneo Le- *Arthurus ad diem 8. Aug.*
„ ctorem, Waddingum ad hunc annum n. 29. iterum loqui de Galeatio
„ Sfortia cnnjuge Baptiſtæ de Malateſtis fundatricis Monaſterii Piſaurien-
„ ſis &c. quod eſſe nequit, ob dicta ſuperius. Etenim non Galeatius, ſed
„ Philippus Maria Vice-Cnmes eo tempore Dux erat Mediolani, & Ge-
„ ner Amedei VII. Sabaudiæ Ducis, electi Baſileæ in ſummum Pontificem.
„ Waddingus item hic n. 39. expendens fratris Franciſci de Ruvere, qui
„ poſtea fuit Sixtus IV. primordia vitæ & Religionis, Gentis Ruvereæ ori-
„ ginem dicens, ait. Circa annum Domini DCC. originem habuit in Auguſta
„ Prætoria Taurinorum a Ragumberto Duce Taurino, Pauli Diaconi hiſto-
„ ria memorando &c. At Gens Ruverea non in Auguſta Prætoria, ſed in
„ Auguſta Taurinorum primas ſuæ nobilitatis radices jecit, in qua Ragum-
„ bertus, vel potius Hermundus Longobardici generis Heros morabatur;
„ Auguſta enim Prætoria Ducatus Auguſtani caput, inter montes præru-
„ ptos, ſupra Yporcam, vel Eporediam eſt; & numquam Ruvereos edi-
„ dit, vel nutrivit, aut venerata eſt. Bene quidem Taurinorum Auguſta
„ in Pedemontio, in qua nata feliciter crevit, opibus, titulis & ditionibus
„ clara.

ARGUMENTUM.

Fridericus III. Auſtriacus ad Imperium evehitur. Guillelmus Generalis Miniſter, Joannes Capiſtranus & Petrus Cardinalis Fuxenſis impigre pro Eugenio Pontifice contra Felicem Anti-Papam apud Principes collaborant. Jacobus de Primaditiis & Antonius Trojanus amandantur Commiſſarii Sedis Apoſtolicæ ad diverſas nationes Orientales, ad quas etiam pergit beatus Jacobus Picenus. Bernardino Senenſi datur facultas ſocium in regimine aſſumendi. Ille Regulæ explicationem ſuis ſubditis tranſmittit. Celebrantur Comitia generalia. Philippi Norreys in Religioſos calumniæ condemnantur. Diem obeunt Thomas Campenſis, Margarita Fulginas, & Franciſca Aſſiſias, pietate & virtute inſignes. Creantur Epiſcopi & Inquiſitores. Florent viri docti. Multa indulget Pontifex Fratribus Obſervantibus. Conſtruuntur Cœnobia.

Fridericus III. creatus Imperator.

Cuſpinian. in Friderico III. Naucler. generat. 48. Mutius lib. 28. Chronicor. Germ.

I. VACANTE Imperii ſede, quod anno narravimus præcedente, III. Kal. Aprilis Fridericus hujus nominis III. Erneſti Auſtriæ Ducis filius, Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ Dux & Comes Tyrolis, Princeps Catholicus & pius, ætate florida, quem ſapientiæ gravitas & vitæ integritas comitabatur, juvenis adhuc maximi animi, electus eſt in Regem Romanorum. Omnes boni Principis virtutes videntur in hunc a Deo collatæ fuiſſe. Erat enim ſtatim a primis annis ſobrius omnino, quod rarum conſuevit eſſe in iſtius loci hominum genere; cupiduſque erat multa cognoſcendi, propterea peragravit adoleſcens, ſummo judicio præditus, longiſſimas terras, ut inſtituta moreſque hominum videret. Ivit etiam pietatis ergo priuſquam imperaret, Hieroſolymam, magnaque cum gloria rediit. Humanitate etiam & benignitate erga ſuos & omnes mortales fuit inſigni, qua ſibi viam ad Imperium aperuit. Electus Aquiſgranum deſcendit, ibique præſentibus quamplurimis Principibus, diadema regni Germaniæ ſuſcepit. Ceterum, quod multi Principum electorum non ſatis Eugenio æqui, multa contra Pontificem jactarent, necnon Concilii generalis auctoritatem magnificarent, non ita facile Fridericus Eugenio adhæſit, ſed in neutralitate aliquanto tempore permanſit; donec poſtea Baſileenſes invitaverit ad Concilium verum & indubitatum celebrandum, ubi neque Felix Anti-Papa præſideret, neque Eugenius juriſdictionem exerceret. Ad extremum neutralitate relicta, contemptoque Felice, ad Romanum Pontificem tranſivit; adeoque in ſchiſmate extinguendo laboravit, ut Felicis filio Ludovico, Sabaudiæ Duci perſuaſerit, patrem inclinaret ut Pontificatum, omnibus jam Europæ Principibus odioſum, arctiſſimis etiam limitibus contentum, ſponte deponeret, & pacem Eccleſiæ reſtitueret. Ita factum ſub Nicolao V. quod ſub annum MCCCCXLIX. opportune narrabo.

Ann. 1439. n. 2. & ſeqq.

II. Etſi vero Eugenius Pontifex, prout relatum eſt, Eccleſiam Græcam cum Latina unierit, hiſque adſociaverit Armenos, ingenti ſuo gaudio, & æterna nominis gloria, videbat tamen præ oculis ipſos Latinos inter ſe diviſos, perniencioſiſſimumque ſchiſma ſuſcitaſſe. Non minori cura malum hoc tollendum judicavit, probe ſciens majorem adferre perniciem domeſtica diſſidia quam externa. In eo itaque omnem poſuit cogitatum, ut Baſileenſe conciliabulum diſſiparet, & creatum a ſectariis Felicem Anti-Papam deprimeret. Præcipui Baſileenſium fautores & tutores erant Carolus VII. Gallorum Rex & Duces Mediolanenſis, ac Burgundus. Ad primum, appro-

probante ſacro conſeſſu Cardinalium, quorum nullus ad iratum Regem audebat proficiſci, deſtinavit Legatum fratrem Guillelmum, Generalem Miniſtrum, fidum operarium, in multis probatum Galloque gratiſſimum. Plurima virtute & ſermonis facundia adeo profecit, ut Eugenio non modo reconciliarit Regem, alias infenſum, ſed & fautorem & ſequacem fecerit, ac tamquam ſceleris ultorem in Baſileenſes concitarit. Miſſo enim cum equitatu Delphino, Conciliabulum poſt aliquot annos funditus de iniquo præſumptionis culmine dejecit, & ad nihilum redegit. Non minus præſtitit beatus Joannes Capiſtranenſis etiam ab Eugenio miſſus; nam & Ducem Mediolanenſem Philippum Mariam, alioquin Eugenio infenſum, & Burgundum Philippum alterum cum aliis multis Felicianæ parti detraxit & Eugenianæ adjunxit. Ea erat ubique de Capiſtrano opinio, eaque omnium erga eum veneratio, ut non modo tamquam Sedis Apoſtolicæ Legatum, verum & tamquam Angelum e cœlo delapſum ſummis honoribus exciperent. Burgundi conjux placari non potuit, niſi magnis itineribus accederet, aſpectu conſolaretur, & infantulo filio bene precaretur. Schiſmatici & Felicis ſectarii ex adverſo inſidias ſtruere, mortem machinari & venenum bis propinare. A multis magniſque periculis Dei gratia liberatus, ſimul cum Guillelmo ad Eugenium rediit, a quo uterque honorifice habitus eſt, & nobili in Cardinalium conſeſſu cohoneſtatus elogio.

Guillelmus Generalis Miniſter mittitur Legatus ad Carolum Regem Galliæ.

Capiſtran. Eugenio reconciliat Duces Mediolanen. & Burguodum.

III. Antequam hos mitteret, ſciens probe quantæ erat auctoritatis inter Galliæ Principes frater Petrus de Fuxo Cardinalis Legatus Avenionenſis, anno proxime elapſo, ut electus eſt Felix a Baſileenſibus, ſcripſit ad eumdem Legatum graviſſimam epiſtolam, atque inter alia ait: *Ut ſicut olim in extinctione idoli de Paniſcola ſapienter & viriliter laboraſti, ita & nunc te acturum eſſe ſperamus adverſus eos qui ſimile idolum erigere & Eccleſiam unitam ſcindere moliuntur.* Pro viribus reſtitit Petrus; at inimicorum Baſileenſibus adhærentium, vi majori & potentia Avenione & Venaiſſini Comitatu dejectus, advocato fratris, Joannis Comitis auxilio, Avenionem iterum, totumque Comitatum ſuis propriis expenſis Romanæ Eccleſiæ recuperavit, ut ſupremis ſuæ voluntatis tabulis ipſe declarat: *Cœpimus de noſtro proprio ſolvere ſtipendia omnibus, & menſibus duobus manſimus, & dicimus in veritate, quod quando venimus ante civitatem Avenionenſem, habebamus de noſtris propriis quinquaginta millia ſcutorum auri & mille marcas argenti; quæ omnia expoſuimus: & cum intravimus prædictam civitatem, eramus debitores in ſummam centum mille florenorum monetæ currentis; quæ omnia de noſtris propriis ſolvimus.* Suam etiam interpoſuit ubique operam cum Regibus Hiſpaniarum & Galliarum, quorum erat conſanguineus, ut vero Pontifici Eugenio adhærerent, neque aliquando deſtitit, donec ſchiſma ſub Nicolao V. penitus ſublatum eſt.

Petrus Cardinalis de Fuxo pro Eugenio viriliter decertat.

IV. Ad nationes multas, eaſque ferme innumeras, deſtinavit hoc anno Eugenius Jacobum de Primaditiis Bononienſem, Armenorum, uti diximus, ad Synodum Florentinam conductorem, ſuumque inſtituit Vicarium in partibus Orientis & Septentrionis, maxime in Caffæ & Peræ urbibus, in terris Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Perſarum, Medorum, Ziſorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Turcarum, Stelitorum, Tartarorum, Pannonum, Hungarorum minoris Hungariæ. Omnes has nationes enumerat Pontifex in litteris commiſſionis, in quibus Nonis Julii datis, eadem concedit privilegia, quæ ſupra diximus tri-

Ann. 1439. n. 7. Jacobus Primaditius mittitur ad innumeras nationes.

Ann. 1439. n. 17. tribuiſſe beato Alberto Sartianen. Die ſequenti dedit illi curam explicandi quamdam controverſiam ortam in urbe Litii in regno Neapolitano, circa communionem Paſchalem, ſcriptis litteris in hanc formam.

Dilecto filio Jacobo de Primaditiis de Bononia, Ordinis Minorum de Obſervantia regulari &c.

Ex autographo. Explicatur dubium de communione Paſchali.

V. F*Ide digna relatione percepimus, in civitate Litii non parvam per hæc tempora excitatam fuiſſe commotionem de die debitæ perceptionis ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per aliquos Religioſos eſſe affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Reſurrectionis Dominicæ mortaliter peccarent, etiamſi in die Jovis ſancti & aliis quibuſcumque diebus infra annum pluries & frequentatis vicibus communicaſſent, quod piis auribus eſt audire moleſtum. Recolimus alias per quoddam noſtrum Breve ſcripſiſſe venerabili fratri noſtro Epiſcopo Litienſi, quod intelligebamus ſatisfactum eſſe, ſi paulo ante vel paulo poſt diem Reſurrectionis Domini quis communicet: mirati ſumus, quod poſtmodum nova controverſia revixerit; ſed inimicus homo ſuperſeminavit zizania. Nos igitur cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus dare finem: attendentes juxta doctrinam beati Auguſtini, quod ſolent circumſtantiæ ſcripturarum illuminare ſubſtantiam veritatis, & non ſolum adjacentia, ſed etiam præcedentia & ſubſequentia verba ſunt conſideranda prudenter, cum dicat Canon Eccleſiæ:* Omnis utriuſque ſexus fidelis ſaltem ſemel in anno confiteatur, *& infra:* Suſcipiens ad minus in Paſcha reverenter Euchariſtiæ ſacramentum, *& ſequitur,* niſi de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: *dicimus expreſſe non intentionis Legiſlatoris fuiſſe animas illaqueare fidelium ſub culpa mortali ad communicandum præciſe in die Reſurrectionis Dominicæ; ſed terminum ſtatuiſſe a Paſcha ad Paſcham; cum dicit* ſemel in anno, *& infra* ad minus in Paſcha *&c. Mens enim magis, quam verborum ſonus eſt attendenda diſcrete. Intelligimus itaque optimo jure ſatisfactum eſſe Canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel infra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ & aptiorem mentis devotionem, fideles præparatione debita ſanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere. Quare devotioni tuæ committimus, ut prædicta, ubi oportere intelligas, populis nota facias. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo noſtro ſecreto, die* VIII. *Julii* MCCCCXL. *Pontificatus noſtri anno* X.

Aug. lib. 3. de doctrin. Chriſt. c. 1. & ſeqq.

De pœnit. & remiſſ.

Fr. Anton. Trojanus deſignatur Pontificius Cōmiſſarius in Oriente.

VI. Partim ad ſupradictas nationes, partim ad alias Commiſſarium ablegavit Sedis Apoſtolicæ fratrem Antonium Trojanum provinciæ ſancti Angeli, virum utique doctum & in rebus agendis peritum. Transfretavit iterum ſub initium anni MCCCCXLII. invenio enim in regiſtro Ordinis multa ei concedi a Miniſtro Generali, ut commodius & melius peragere poſſet in illis partibus, quæ ſibi injuncta erant ab Eugenio. Datæ ſunt litteræ Generalis Florentiæ, VI. Januarii anno MCCCCXLII. Do hic Pontificiæ miſſionis inſtrumentum.

DI-

Dilecto filio fratri Antonio Trojano Ordinis Minorum, in provinciis Tartariæ, Aſſyriæ, Perſiæ & Æthiopiæ, ac apud nationes Maronitarum, Druſolitarum, Neſtorianorum & Surianorum, locis Terræ ſanctæ exceptis, Commiſſario noſtro &c.

VII. *Dum onus univerſalis gregis Dominici, ſuperna nobis diſpoſitione* Ex lib. 5. Bullar. fol. 106.
injunctum diligenter attendimus, & noſtrum proſpicimus imperfectum, videntes quod nequimus circa ſingula per noſmetipſos exſolvere debitum Apoſtolicæ ſervitutis, nonnumquam viros ſanctimoniæ & ſcientiæ fulgore præclaros, in quibus fervor orthodoxæ fidei ac timor Domini ſanctus permanet, in partem laboris noſtri vocamus, ut ipſorum ſalubri cooperatione, miniſterium nobis injunctum, favente divina gratia, facilius & efficacius exequi valeamus. Sane licet cunctorum Chriſtifidelium ſalutem intenta mentis acie proſequi & curare ex Apoſtolicæ ſervitutis officio teneamur, divinis tamen edocti ſermonibus, ex centum ovibus unam amiſſam, ceteris fere neglectis, reducendam præcipue curare debemus, cum & ad oves eas, quæ perierant, miſſam ſe ſapientia ipſa declaret. Attendentes itaque quod ex omni genere humano multi ſub Dominici gregis titulo & nomine requieſcunt, ſed per devia quæque longe a luce veritatis aberrantes, per tenebras evagentur, & ſic in magna meſſe pauciſſimos operarios eſſe videamus; ad perſonam tuam, quæ quidem potens opere & ſermone in magnis & arduis nobis familiari experientia comprobata eſt, dirigentes aciem mentis noſtræ, ac ſperantes quod ea, quæ tibi committenda duxerimus pro honore Dei & propagatione Chriſtiani nominis diligenter & fideliter proſequeris: te in provinciis Tartariæ, Aſſyriæ, Perſiæ & Æthiopiæ; necnon apud nationes Maronitarum, Druſolytarum, Neſtorianorum & Surianorum, locis Terræ ſanctæ exceptis, Commiſſarium noſtrum facimus, conſtituimus & etiam deputamus. Volentes, ac præſenti tenore ſtatuentes, quod tu & qui pro tempore fuerit in dictis partibus a te ſubſtitutus, ſuper Conventus ac perſonas Conventuum illam poteſtatem, facultatem & arbisrium habeatis, quam Generalis ipſe, ſi adeſſet, habere dignoſcitur: ſic tamen ut tu & ſubſtituti præfati & vobis ſubjecti Fratres per omnia dicto Generali obedire & ſubeſſe teneamini, præterquam in iis, quæ huic mandato & commiſſioni noſtræ derogare & obviare cenſeantur. Fraternitates inſuper ſeu ſocietates, ſi quas pietati idoneas eſſe proſpexeritis, cum opportunis conſtitutionibus ordinare, & ad Tertium Ordinem beati Franciſci, ad habitum & profeſſionem recipere, & in eodem Ordine viſitatores & alios officiales inſtituere valeatis. Quarum omniam tam dictis Tertii Ordinis, quam Congregationum ſingulis perſonis in dictis Congregationibus perſeverantibus omnium peccatorum remiſſionem in mortis articulo, ac vere pœnitentibus & confeſſis, auctoritate Apoſtolica impendere valeas & valeant; necnon Fratribus, de quibus tibi aut eis videbitur, ut ad partes prædictas vadant, qui etiam tibi & illis obedire teneantur, præcipiendi & mandandi, ipſoſque ad alias quaſcumque mundi partes cum facultatibus & auctoritatibus ſupradictis dirigendi, ac notarios ad actus publicos in favorem fidei conſeribendos, creandi & inſtituendi, ſimili auctoritate concedimus. Volumus autem, quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas Generali Miniſtro dicti Ordinis, ſeu aliis quoquomodo conceſſas & concedendas in poſterum, gratiæ, indulta & alia ſupradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus ac ſpecialibus Conciliis editis conſtitutionibus & ordinationibus, ſtasutis quoque & conſue-

tudinibus Ordinis prædicti, ceteriſque contrariis quibuſcumque, etiamſi de ipſis &c. præſentibus adverſentur, prorſus volumus hac vice dumtaxat derogari, ipſis aliter in ſuo robore permanſuris. Nulli ergo &c. Datum Florentiæ, anno MCCCCXL. XVIII. *Kal. Januarii, anno* X.

Jacobus Picenus transfretat in Orientem.

VIII. B. Jacobum Picenum ex Hungariæ partibus regreſſum, poſtquam Paduæ Quadrageſimali tempore prædicaverat, licentia donavit ad partes Orientales proficiſcendi, & honorifico affecit munere Inquiſitoris. Transfretaſſe mihi conſtat ex aliis ſcripturis, & in inſula Cypro aliqua ſe digna perpetraſſe, & egregie ibidem prædicaſſe mihi compertum eſt ex variis monumentis: rediit tamen in Italiam anno ſequenti.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia Ordinis Minorum, Paduæ.

Ex ipſo autographo.

IX. D*Ilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus quod, cum a partibus Hungariæ ideo diſceſſeris, quia aer ille tibi ſumme erat nocivus, hoc anno in civitate Paduana prædicaveris, audito de Fratribus Ordinis tui, qui mittuntur ad partes Orientales; quod libenter illuc accederes, ubi aer calidus tuæ complexioni eſſet accommodatior, & multa bona pro animi tui fervore ſperares operari. Quare pio hujuſmodi deſiderio tuo occurrere cupientes, devotioni tuæ ad meritum ſanctæ obedientiæ injungimus, ut cum primo Fratrum tui Ordinis paſſagio, in quo multi navigent Fratres, tu etiam vadas. Abſolventes te ab omni alio ſive noſtro ſive Generalis tui mandato, concedentes, quod ipſum in omnibus illarum partium locis, in quibus Ordo tuus Inquiſitores hæreticæ pravitatis habere conſuevit, tu ipſum officium exerceas. Et ſimiliter, ſi ad aliqua acceſſeris loca, in quibus Fratres Ordinis Prædicatorum conſueverunt habere dictos Inquiſitores, nec ullus ipſorum aut eorum Vicarius adeſſet, tu in eorum abſentia vices poſſis ſupplere. Alias autem gratias, ad officium abſolutionis pertinentes, tibi auctoritate noſtra poteris impertiri dilectus filius frater Jacobus de Primadiziis qui eſt in partibus illis Generalis Miniſtri Vicarius. Datum Florentiæ ſub annulo noſtro ſecreto, die* V. *Aprilis* MCCCCXL. *Pontificatus noſtri anno* X.

S. Bernardino datur in regimine coadjutor.

X. Sanctus Bernardinus Senenſis ætate longa gravatus, multiſque laboribus & doloribus confectus, Vicariatus Generalis curam, quam invitus ſuſcepit, hoc anno deponere tentavit. Noluit Pontifex aſſentiri, probe ſciens quantum profecerit Inſtitutum ſub viri ſapientiſſimi diſciplina. Ut vero laborem alleviaret, auctoritatem impertiit, quem vellet, coadjutorem aſſumendi, qui eadem per omnia polleret poteſtate, ad ſuum tamen nutum promovendum vel amovendum. Exſcribo conceſſionis formulam ex ipſo autographo, quod Vir ſanctus per triennium ſecum deportabat: quod tamquam rem ſacram ex longo uſu & frequenti Viri ſancti tactu reverentia dignam, inter hujus Collegii reliquias decenter repoſui.

Dilecto filio fratri Bernardino de Senis Ordinis Minorum in obſervantia regulari viventium Vicario in partibus Italiæ.

Ex autographo.

XI. D*Ilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Multis ſæpenumero referentibus, ipſaque experientia quaſi quotidiana percepimus, devotas Ordinis tui familias, Omnipotentis Dei miſeratione, in re-*

regulari obſervantia dudum florentes, augeri contiuno, præſertim in Italia, ac ſicut palmites in vite, quæ Chriſtns eſt, in dies ſuccreſcere. Ex qua re ampliorem curam & longiores vigilias ſupra comiſſum gregem tibi imminere conſpicimus, quas toto cordis affectu, juxta gratiam tibi divinitns collatam, plene a te exerceri cupimns, ſperantes ex eo fructns uberrimos proventuros, ſi juxta votum noſtrum cuncta tuo ſtudio impleantur. E contra metuentes dictæ familiæ naufragium, ſi relictis aut relaxatis gubernaculis, regularis diſciplinæ rigor ſolvatur. Propterea devotionem tuam hortamur in Domino, atque etiam tibi injungimus & mandamus pro Dei ac Sedis Apoſtolicæ reverentia, ac dilecti filii Guillelmi dicti Ordinis Generalis, cujns in hac parte vices geris, conſolatione & merito, necnon animarnm ſalute, hujuſmodi pietatis ſtudium in præfatam familiam, ejuſque omnes & ſingulos, ac omnia & ſingula eorum loca intra Italiam conſtituta, juxta officium tibi creditum exercere pergas, nihil adhortationis, nihil diſciplinæ, quod ad hujus ſanctæ Religionis conſervationem & incrementum pertineat, prætermittens; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Inter alia illud præcipue volumus obſervari, ut nemo de præfata familia, cujuſvis ſtatus & conditionis exiſtat, de loco ad locum, præſertim cauſa morandi, ſe transferat ſine tua licentia ſpeciali. Et quia, ut præmiſimus, cura hujuſmodi familiæ ampla eſſe dignoſcitur, pro meliore & expeditori incumbentium proviſione, unum tibi coadjutorem, inſtituendum & removendum ad nutum tuum, & mutandum quando & quoties tibi videbitur, cum ea facultate, poteſtate, privilegiis, indultis, exemptionibus, quæ tibi pro tempore competierint, cujuſque officium durare intelligatur, donec per te expreſſe fuerit revocatum, aſſumendi, ac omnia alia & ſingula gerendi & faciendi, quæ ad pacem & quietem, ac bonum ſtatum dictæ familiæ & locorum neceſſaria tibi videbantur, aut quomodolibet opportuna, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica plenariam & liberam concedimus facultatem. Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, indultis, immunitatibus generalibus vel ſpecialibus, quacumque auctoritate etiam Apoſtolica hactenus conceſſis, vel in poſterum concedendis, per quæ præmiſſis vel alicui præmiſſorum poſſet quovis modo præjudicium generari, ac aliis in contrarium facientibus quibuſcumque; decernentes ex nunc irritum & inane &c. attentari. Super quibus etiam præfato Generali Miniſtro ſcribimus, devotionem ſuam hortantes, quatenus in omnibus & ſingulis ſupradictis tibi & coadjutori, prout tenetur, & de eo fiduciam in Domino obtinemus, cum ſollicitudine aſſiſtat auxiliis & favoribus opportunis. Datum Florentiæ ſub annulo noſtro ſecreto die x. Novembris, Pontificatus noſtri anno x.

XII. Ut Fratrum conſcientiis conſuleret, & inanes tolleret e ſimplicium mentibus ſcrupulos, hoc anno miſit Bernardinus epiſtolam encyclicam, in qua declarat dubia quædam circa Regulæ intelligentiam, alias a fratre Nicolao Auximano (de quo ſæpe actum eſt) in aliquibus provinciis Vicario & Miniſtri Generalis Commiſſario, breviter & clare diſcuſſa. Ne pereat, hic tranſcribam.

S. Bernard. mittit expoſitionem regulæ per omnes provincias.

In Chriſto ſibi cariſſimis Fratribus omnium locorum devotorum Ordinis Minorum totius Italiæ ſub mea cura commiſſis, frater Bernardinus de Senis ejuſdem Ordinis, ac dictorum locorum Reverend. P. Generalis Vicarius & Commiſſarius, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Ex firmam. trium Ordinum pars 4. fol. 179.

Volens mihi commiſſorum ſalutem, quo ad ſcrupulos mentis modis omnibus, juxta poteſtatem providere, notum ſit, quatenus per fratrem Nicolaum ejuſdem Ordinis quorumdam devotorum locorum Vicarium & Commiſſarium Reverendiſſimi Patris Generalis, de mandato & voluntate Domini noſtri Papæ, ut patet per litteras Reverendiſſimi Generalis, factæ fuerunt quædam declarationes, quæ multa diſputatione, examinatione & ponderoſitate examinatæ fuerunt per Reverendiſſimum Patrem Generalem, & venerabilem Patrem fratrem Joannem de Capiſtrano, & alios multos, & per me, quæ ſunt hujuſmodi.

Fratres non tenentur ex ſua profeſſione ad conſilia Evangelica.

In primis videlicet, quod Fratres Minores non tenentur ex eorum profeſſione ad aliqua conſilia ſeu præcepta Evangelica ultra alios Chriſtianos, præterquam ad illa, quæ in Regula ſpecialiter & expreſſe ponuntur præcipientia vel inhibitoria, vel ſub æquipollentibus verbis, nominatim a Clemente V. in ſua declaratione expreſſis, ut patet in primo articulo declarationis ejuſdem Clementis V. Nicolai III. & Martini V. & præterea Fratres non tenentur ad illud Evangelicum: Nihil tuleritis in via.

Neque ad arctū uſum rerum.

Secundo: Fratres non tenentur ex ſua profeſſione ad alium arctum uſum rerum, quam in regula particulariter exprimitur, ut ſatis patet per Clementem V. in ſua declaratione §. Ex præmiſſis. *Quinimo, ut claret ex declaratione Nicolai III.* §. Porro, *ſecundum Regulam & omnimodam veritatem moderatus uſus rerum ad vitæ ſuſtentationem & officiorum ſui ſtatus executionem, præterquam de pecunia, conceſſus eſt Fratribus.*

Superfluitas unde judicanda.

Tertio: Quod ſuperfluitas & curioſitas non debet diſcerni reſpectu neceſſitatis certæ, ſeu uſus certi, quo ad ſtatum Fratrum Minorum, ſcilicet moderati: cum uſus moderatus non poteſt dici ſuperfluus & curioſus, & per conſequens nec vitioſus: imo ſecundum veritatem omnimodam & Regulam licitus, ut patet ex præallegato Domino Nicolao. Et quia moderatio dicti uſus debet attendi ſecundum qualitatem perſonarum, & varietatem temporum, & locorum conditiones, & alias occurrentes circumſtantias, terminus ſuperfluitatis & curioſitatis non poteſt faciliter diſcerni. Propterea, per ſubditos non poteſt nec debet judicari, ſed per Miniſtros & Cuſtodes, vel eos, quibus ab ipſis committitur, qui de talibus ſuper eorum conſcientias debent diſtricte judicare: ut patet in declaratione Nicolai §. Inſuper, & §. Quamque.

Curioſa, vel ſumptuoſa ædificia an toleranda?

Quarto: Quod in locis, ſi ſit magna ſuperfluitas vel curioſitas, ex eis non vitiantur Fratres, niſi ſolum introducentes vel conſentientes, vel ſi ad eorum officium pertinet & poſſunt; vel quicumque alii, ſi commode poſſint, legitime non reſiſtentes; & non alii, qui dictis rebus utuntur ob aliquam neceſſitatem vel ſcandali evitationem. Et propterea Clemens V. licet decreverit ædificia nimis ſumptuoſa non convenire ſtatui Fratrum Minorum, tamen præcepit ſub pœna excommunicationis, quod dicta loca Fratres non relinquerent, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Et excedentia ſuperfluitatis & curioſitatis non eſt ſufficiens cauſa, propter quam Fratres debeant recedere a loco: niſi fuerint de illis aliqua, propter quæ non poſſet Regula ſpiritualiter obſervari, ſecundum declarationem Martini V. videlicet

tet quando loco eſt annexa proprietas ſeu cura animarum, baptizando ſeu alia parochialia faciendo; vel ſi moreantur Fratres in loco contra voluntatem domini loci; vel quando propter penuriam rerum neceſſariarum oportet facere congregationes & quæſtus inhoneſtos contra puritatem Regulæ & uſum generalem Ordinis, vel propter ſimilia. Quando vero dicendum eſt occurrere ſimile, vel judicandum ſit vergere in detrimentum Religionis, relinquitur judicio Prælatorum: extra de offic. de leg. cap. cauſis, *vel propter inhoneſtam ſocietatem ſeu importabilitatem, Fratribus præſertim infirmis & rudibus.*

Quinta: Quod in Regula uſus carnium in loco vel alibi, Fratribus non prohibetur, licet non deceat niſi moderatus & diſcretus. Eſus carnium nō eſt prohibitus.

Sexto: Quod pretioſitas in calicibus & patenis argenteis, dum non nimiæ & exceſſivæ magnitudinis & pretioſitatis ſint, non repugnat Regulæ, imo ſatis convenit, quod poſſint haberi & ad evitandum immunditiam & pericula erga ſanctiſſimam Euchariſtiam. Nec pretioſa ſupellex Eccleſiaſtica.

Septimo, quia in omnibus dubiis, quæ poſſunt indubitanter declarari, ſubditi tenentur ſtare judicio Prælatorum ſuorum & obedire. 2. q. 1. cap. quid culpatur. *Et propterea agentes contrarium ſunt tranſgreſſores obedientiæ, & digne a Superioribus cenſura Eccleſiaſtica, aut alia decenti pœna caſtigentur.* In dubiis ſtandum eſt judicio Superiorum.

Has ergo declarationes & confirmationes confirmavit Reverend. Pater Generalis in hunc modum per præfatum Vicarium & Commiſſarium meum fratrem Nicolaum de Auximo factas & dictas, tamquam veras & Catholicas, ac declarationibus ſummorum Pontificum conformes, noſtriſque Inſtitutis ſatis conſentaneas. Et ego frater Bernardinus omnes præfatas declarationes & determinationes approbo & confirmo, mandans quibuſcumque Fratribus ſub mea cura commiſſis, ut his quieti eſſe debeant, nec aliquid innovare præſumant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac ſub pœna carceris: quam ſententiam, præmiſſa trina monitione canonica, omnes ſupradicti incurrant ipſo facto. Item, mando omnibus Prælatis, ut præfatas declarationes eorum ſubditis intelligibiliter & ſæpe per ſanctam obedientiam publicare debeant, ne periculoſam incurrant ignorantiam. Valete in Chriſto Jeſu, & orate pro me. Apud ſanctum Damianum de Aſſiſio, anno ab Incarnatione Domini MCCCCXL. *die Julii ultima.*

XIII. Habita ſunt hoc anno in feſto Pentecoſtes Comitia generalia Ordinis in Conventu ſancti Franciſci Januenſi, quorum acta perierunt; neque quidquam hujus Capituli ſupereſt, præter unum Pontificis diploma anno præcedenti datum, per quod denunciat eamdem conceſſam eſſe indulgentiam Capitularem Eccleſiam inviſentibus & caritativa miniſtrantibus ſubſidia, in vigilia & die prima ſolemnitatis, quam lucrantur, qui Aſſiſium pergunt inviſuri Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum, *de Portiuncula* dictam, die prima & ſecunda Auguſti. Diploma hoc non parum commendat & roborat ſacram Portiunculæ Indulgentiam. Capitulum generale 81. Januę.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem.

XIV. *Cum dilectus filius Guillelmus de Caſali Magiſter in ſacra pagina, Ordinis Minorum Generalis Miniſter, in feſto Pentecoſtes proxime futuro, generale Capitulum dicti Ordinis in civitate Januenſi, & in domo Eccleſiæ ſancti Franciſci, Ordinis prædicti dictæ Civitatis, ſecundum* *Ex lib. 1. de Regular. ann. 9. fol. 44.*

dum ejuſdem Ordinis Inſtituta, ſtatuerit celebrandum: Nos attendentes ad paupertatem dicti Ordinis, ac multitudinem Fratrum in eodem Capitulo congregandorum, quorum eſt expreſſa profeſſio paupertatis, conſiderantes; zelo inſuper ſalutis animarum inducti, ut fidelium mentes eo ferventius ad opera pietatis & caritatis incitentur, ac eleemoſynas & alia caritativa ſubſidia Fratribus ad dictum Capitulum ituris erogent, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos; ipſius Generalis in hac parte ſupplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, a primis Veſperis in vigilia Pentecoſtes proxime futura incboandis, uſque ad alias Veſperas immediate ſequentes, Eccleſiam ipſam ſancti Franciſci viſitantibus, illam indulgentiam & remiſſionem peccaminum hac vice dumtaxat concedimus, quam viſitantes Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Portiuncula, dictam de Angelis, *extra muros Aſſiſinates, primo & ſecundo die menſis Auguſti annuatim conſequuntur. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXIX. *Pridie Idus Auguſti, anno* IX.

Philipp. Norreys inſurgit contra Mendicantes. XV. Philippus Norreys, in ſacra Theologia Magiſter, Dublinenſis diœceſis in Hibernia, Ordinum Mendicantium hoſtis acerrimus, aſſumptis Armacani armis, & multis contra eos excogitatis inſulſiſſimis & inſanis propoſitionibus, ſcriptiſque libellis, in eos abiit errores, ut commiſſa cauſa Dominico ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, in ſecreto Conſiſtorio, & ex judicio virorum doctorum, primo a Cardinale, mox a Pontifice fuerit ipſe & ſequaces tamquam hæretici & erronei condemnati. Ita narrant hæc diplomata Pontificia. Ipſe & ſequaces condemnantur.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex lib. 1. de Regul. an. 10. f. 144. XVI. *Regnans in excelſis triumphans Eccleſia, cui Paſtor & Pater æternus, cuique Sanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicariam conſtituit Eccleſiam militantem, unigenito filio Dei vivi Domino noſtro Jeſu Chriſto ineffabili commercio copulatam. In hac quidem ipſe Chriſtus a Patre progrediens, per illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit fidei teſtamentum, ut ab eo velut a primitivo fonte ad ſingulas orthodoxas nationes ejuſdem fidei rivuli deriventur. Ad hujuſmodi autem Eccleſiæ regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem deputare miniſtrum, cujus inſtructionem ac doctrinam, eloquio veritatis Evangelicæ traditum, cuncti renati fonte Baptiſmatis teneant & obſervent. Qui enim ſub hac doctrina curſum vitæ peregerint, ſalvationis gratiam conſequentur; qui vero ab ea deviarint, aut errores contra eam tenuerint, non converſi ferientur damnationis ſententia, quam nonnumquam convenit Apoſtolico munimine roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, ac de Monte Carmelo Ordinum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quidam Philippus Norreys, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinenſis diœceſis, nonnullos articulos prorſus erroneos & ſacris Canonibus contrarios, etiam publice prædicare & aſtruere non expavit, ac multorum ſimplicium animas inficere, illos a devotione Fratrum hujuſmodi retrahendo. Nos vero attendentes quod nimis perniciosum eſſet articulos hujuſmodi veluti erroneos, & eiſdem Canonibus contrarios tenere, aſſerere, vel docere, cauſæ hujuſmodi examinationem dilecto*

Digitized by Google

lecto filio noſtro, Dominico ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, vivæ vocis oraculo, ut de præmiſſis ſe diligenter informaret, & quidquid in re hac informationis acciperet, nobis in Conſiſtorio ſecreto referret, commiſimus; ipſeque Cardinalis, ſufficienti per eum informatione præhabita, & facta nobis deſuper in Conſiſtorio præfato relatione fideli, de mandato noſtro, Juriſque peritorum, necnon plurimorum in ſacra Theologia Magiſtrorum conſilio & aſſenſu per ſuam definitivam ſententiam pronunciavit, decrevit & declaravit, prout in inſtrumento dictæ ſententiæ deſuper confecto, ejuſdem Cardinalis ſigillo munito, plenius continetur: Quare pro parte Fratrum eorumdem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pronunciationi, decreto ſive declarationi prædictis, & omnibus aliis in inſtrumento dicto contentis & inde ſecutis, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur omnium & ſingulorum ſtatum præſentibus habentes pro ſufficienter expreſſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pronunciationem, decretum, ſententiam, & declarationem prædictam, & omnia alia in prædicto inſtrumento contenta & inde ſecuta, rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint quomodolibet in eiſdem. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, communitionis & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXL. III. *Nonas Auguſti, anno* X.

Venerabilibus Fratribus Dublinenſi & Armachan. Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XVII. *EXhibita nobis pro parte filiorum dilectorum, univerſorum Magiſtrorum & Miniſtrorum, aliorumque Fratrum, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & beatæ Mariæ de Monte Carmeli Ordinum petitio continebat, quod licet olim ipſi Ordines ſancte & juſte adinventi, & in Dei Eccleſia inſtituti, ac a Sede Apoſtolica extiterint approbati, necnon ex eis fides Catholica non modicum ſuſceperit incrementum; tamen iniquitatis filius Philippus Norreys de Hibernia, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinenſis diœceſis, ſuæ ſalutis immemor, non verens linguam ſuam in perverſionem ſtatus & religioſorum Ordinum eorumdem, ad iniqua reprobataque verba protendere, nuper malitioſe, perverſe; damnate & erronee, in regno Angliæ & terra Hiberniæ, in fidei Catholicæ diminutionem, ſanctæque univerſalis Eccleſiæ, ac Dei ac ſanctorum ignominiam & dedecus, necnon Chriſtifidelium animarum periculum dixerit & docuerit: Quod ſicut muri Hieruſalem erant deſtructi per quatuor diverſos Principes, ſic Eccleſia erit deſtructa per Fratres quatuor Ordinum Mendicantium.* Norreys. propoſitiones. *Item, ſicut Princeps tributorum miſſus ab Antiocho in civitatem Hieruſalem, loquutus eſt ei verba pacifica in dolo, ſic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium venerunt in Eccleſiam cum dolo, & deſtruent eam pro eorum conatu & poſſe. Item, ſicut Princeps tributorum venit in civitatem Hieruſalem cum turba multa, &* turbo *dicitur a* turbo, as, *ſic Fratres intraverunt Eccleſiam, & ſunt in ea quaſi* turba, *quia perturbant Eccleſiam. Item, ſicut Gabaonitæ venerunt ad Ducem Joſue cum mendaciis, ſic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium intraverunt Eccleſiam cum mendaciis. Item, aſſeruit quod fuerunt quatuor Concilia generalia celebrata, in quibus diverſi heretici fuerunt condemnati, & tamen Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores he-*

hæretici, quam ipſi fuerunt. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt ribaldi peſſimi. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt fures & latrones, & ſpoliant ſanctam Eccleſiam. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores Juda traditore. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt lupi rapaces. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Anti-Chriſti, & directe contra Chriſtum. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſunt diſcipuli Mahometi. Item, quod nullus Parochianus cujuſcumque parochiæ poteſt accedere ad aliquem Fratrem admiſſum in forma juris, ſecundum capitulum Dudum, gratia confeſſionis faciendæ, ſine licentia proprii Sacerdotis ſive Curati parochialis. Item, quod confeſſi Fratribus admiſſis, ſecundum formam capituli, Dudum; tenentur iterate quolibet anno omnia peccata ſua, ac eadem in numero confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dixit eſſe parochialem Curatum. Item, dixit firmiter ſe credere nullum bonum hominem eſſe inter Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item, quod dubitavit aliquos Fratres quatuor Ordinum Mendicantium eſſe Sacerdotes, aut habere ſacrum Ordinem Presbyteratus. Item, dixit aperte, quod ipſemet noluit ſtare judicio Domini Papæ, ſed judicio Concilii generalis. Item dixit indifferenter, quod nullus Sacerdos, ſive Religioſus, ſive non, deberet quovis modo mendicare: necnon plura alia ſeditioſa atque perverſa, ab eadem fide penitus aliena coram omni populo palam prædicare non expavit, in Fratrum & prædictorum Ordinum detrimentum, vilipendium & contemptum. Noſque hujuſmodi cauſæ examinationem dilecto filio noſtro Dominico ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, vivæ vocis oraculo, ut de præmiſſis ſe diligenter informaret, & quidquid in re hac informationis reciperet, nobis in conſiſtorio ſecreto referret, ad dilecti filii Venturæ de Caſtello, noſtri & Romanæ Curiæ Procuratoris fidei, cauſæque hujuſmodi promotoris, inſtantiam commiſimus; ipſeque Cardinalis, ſufficienti per eum informatione præhabita, & facta nobis deſuper in conſiſtorio præfato relatione fideli, de mandato noſtro, Juriſque peritorum & in ſacra Theologia Magiſtrorum conſilio & aſſenſu, per ſuam definitivam ſententiam pronunciavit, decrevit & declaravit, prout hæc omnia in libello per dictum Venturam Procuratorem in hujuſmodi cauſa exhibito, petita fuerant, nonnullos dictorum articulorum, quos dictus Philippus protulit & prædicavit, fuiſſe & eſſe falſos, ſcandaloſos, injurioſos, blaſphemos, ſeditioſos, quoſdam erroneos, quoſdam vero alios damnatos, & reprobatos, illoſque Dei & Eccleſiæ ſanctæ, ac Sanctorum ignominiam & dedecus, & manifeſtam hæreſim ſapere, & multarum animarum periculum generare, dictumque Philippum & ejus ſequaces, errantes, mendaces, ac in prædictis ſcandaloſos, & a decretis & ordinatis per Romanam Eccleſiam, ac Apoſtolicam Sedem, ab expreſſaque & evidenti veritate devios, alienos, ac alios aſſertores & prædicatores nonnullorum ex prædictis articulis, juxta decreta quorumdam prædeceſſorum noſtrorum, tamquam hæreticos eſſe cenſendos, & ut tales reprobandos ac damnandos, & ab omnibus Chriſtifidelibus evitandos fore, ac reprobari, damnari & evitari debere. Ipſos igitur Philippum & ſequaces, ſi de cetero contra hujuſmodi ſententiam & declarationem directe vel indirecte, publice vel occulte, quovis quæſito colore venire præſumpſerit, & præſumpſerint, ac niſi dictus Philippus præfatos articulos, ubicumque eos legiſſe, dogmatizaſſe, & prædicaſſe reperiri contigerit, quoties opus fuerit, ad requiſitionem Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum hujuſmodi revocaverit, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, ipſo facto excommunicationis ſententiam, a qua niſi per Romanos Pontifices, vel alios a no-

Condemnantur gravi cenſura.

bis

bis ſuper hoc poteſtatem habentes, præterquam in mortis articulo, non poſſit abſolvi, ac privationis omnium beneficiorum & officiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinet, necnon honorum & dignitatum, ac inhabilitationis etiam ad futura, & alias pœnas a dictis prædeceſſoribus noſtris, & alias a jure circa prædicta contra tales generaliter vel ſpecialiter promulgatas incurriſſe, declarandum fore, & declaravit: ad quæ quidem beneficia, officia, dignitates & honores reſtitui, vel rehabilitari non poſſit, niſi, ut præfertur, per nos, vel alium ſuper hoc a nobis poteſtatem habentem; præfatum Philippum in expenſis in hujuſmodi cauſa legitime factis condemnandum fore & condemnavit, illarum taxatione ſibi in poſterum reſervata; & ſubſequenter Cardinalis præfatus expenſas ipſas in ducentis & quinquaginta Florenis auri de Camera boni & juſti ponderis, provida moderatione taxavit, dilecti filii Edmundi Suine Ordinis Prædicatorum, quoad præmiſſa Procuratoris ſuper expenſis eiſdem juramento ſecuto, prout in inſtrumento publico inde confecto, ipſius Cardinalis ſigillo munito, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Magiſtri, Miniſtri, & Fratres hujuſmodi dubitent, ne Philippus & ſequaces prædicti præfatos articulos, quoties opus fuerit, revocare, & alias Cardinalis ſententiæ hujuſmodi reverenter parere non voluerint; pro parte Magiſtrorum, Miniſtrorum & Fratrum eorumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper his de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios præmiſſa executioni debitæ demandantes, dictam ſententiam, ubi & quando expedire videritis, auctoritate noſtra ſolemniter publicare faciatis; eiſdem Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus, vel dicto eorum Procuratori de florenorum ſumma hujuſmodi pro expenſis, juxta præfati inſtrumenti, earumdem condemnationis & taxationis tenorem, plenam & debitam ſatisfactionem impendi: & nihilominus, legitimis ſuper his, per nos habendis, ſervatis proceſſibus, eos quoties expedierit aggravare curetis, contradictores per cenſuram Apoſtolicam, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; non obſtante ſi Philippo præfato, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXL. *Pontificatus noſtri anno* X.

XVIII. Deceſſit hoc anno frater Dominicus Campenſis diſcipulus beati Thomæ de Scarlino, qui a tanti magiſtri diſciplina nec latum unguem diſceſſit, vir notæ ſanctimoniæ & miræ ſimplicitatis. Sepultus eſt Florentiæ ad Conventum ſancti Salvatoris.

Obit Dominicus Campenſis. *Gonz. in Prov. Tuſciæ Conv. 9.*

XIX. Obiit etiam beata Margarita Fulginas, fundatrix Monaſteriorum ſanctæ Agnetis Fulginatenſis & ſanctæ Catarinæ Spoletani. Nata honeſtis, etſi tenuis fortunæ, parentibus, anno MCCCLXXVIII. matrem quindennis amiſit, cœpitque divini amoris igniculis æſtuare, & qua ratione perfectius Deo poſſet inſervire, ſecum penſitare. Sub illud tempus Fulgineum venerat beata Angelina Corbarienſis, & Monaſterium inchoaverat ſanctæ Annæ tertii Inſtituti ſancti Franciſci. Hanc oravit Margarita, ut virtutis ſemitam doceret, & in ſuum admitteret conſortium. Placuit virginis candor & modeſtia, neque alios adhibere oportuit oratores ut cœtui adſcriberetur virgineo. Non prius admiſſa, quam Præfectæ ſibi vitam ſtatuerit æmu-

Et Margarita Fulginas. *Legen. MSS. Jacobil. de Sanctis Fulgin.*

Præludia ſanctitatis.

Fit Monialis.

landam, paupertatis, humilitatis, obedientiæ, & erga proximos caritatis ſtudioſiſſima; in oratione aſſidua, corpuſculum aſpero cilicio & longa maceravit abſtinentia.

XX. Creſcebat nimium numerus Sororum, ſed cohibuit Angelina, terminum præfigens incremento. Ne tamen irrita eſſent tot virginum vota, quæ ſimili obſequio ſe volebant Deo ſacrificare, Magiſtratus urbis decrevit domum alteram his capiendis prope conſtruere, & Angelinæ diſciplinis informare. Miſſa Margarita, anno MCCCCLXIX. tot brevi aſſecuta eſt diſcipulas, ut anno MCCCCII. Monaſterium, accepta a conſanguineis pecunia, ampliarit. Optimis præſcriptis legibus, abdicatis reditibus, in paupertate Evangelica, & humanæ converſationis fuga prudentiſſime domum hanc rexit annis multis; deinde Spoletum amandata, Monaſterii ſanctæ Catarinæ de Puſterna, a Mario-Joannis Presbytero fundati, Sorores ſanctiſſime inſtruxit. Fulgineum regreſſa, poſt Angelinæ obitum electa eſt ab omnium Monaſteriorum Præfectis in Generalem Miniſtram, quippe quæ virtutes aſſecuta ſit Angelinæ, & ſpiritum hæreditavit. Ea tamdem fulſit ſanctitate, ut inter alia, quæ patravit miracula, cujuſdam vicinæ filium confractum & elinguem in brachia ſuſceptum, & ſigno Crucis munitum, matri ſanum reddiderit & loquentem.

Præficitur Monaſterio S. Margaritæ Fulginaten.

Deinde Spoletano.

Fit Præfecta Generalis.

Infantulum elinguem & confractum ſanat.

XXI. Tamdem ætate gravis, & longa infirmitate manſionibus cœleſtibus præparata, poſtquam filias ad virtutes, præſertim humilitatis, obedientiæ & paupertatis, pio ſermone excitavit, & Eccleſiæ ſacramenta devote percepit, migravit ad Dominum hoc anno, ætatis LXIII. die XIII. Junii, in quem incidit feſtivitas ſancti Antonii Patavini, cui ſumme erat addicta. Hinc ortum habet feſtiva ſolemnitas, qua hujus Monaſterii Sorores diem iſtum quotannis proſequuntur. Corpus ligneo loculo incluſum, repoſitum eſt cum reverentia ad lævam altaris præcipui. Poſt annos multos reſtaurata Eccleſia, inventum eſt integrum & illæſum, claudumque cementarium aperta arca ipſo tactu conſolidavit. Operarium alterum, qui exhumando auxiliabatur corpori, gravi & diuturno ulcere laborantem, poſt vota preceſque ſanavit: his auditis miraculis, univerſus populus accurrit, ſanctum corpus veneraturus, in cujus conſpectu aliis prodigiis ancillam ſuam Deus clarificavit.

Corpus integrũ miraculis illuſtratur.

XXII. In eodem loco & loculo repoſitum cadaver abſque apparatu aut ornamento delituit uſque ad annum MDXXXVIII. nam ut reficeretur altare, excavare oportuit pavimentum, inventumque eſt diſſolutum, propter aquarum copiam defluentium, capite tamen vegeto & illæſo. Partem hanc præcipuam ſimul cum oſſibus nobili thecæ incluſam religioſe ad interiora clauſtri reduxerunt Moniales, & magna colunt reverentia miraculis commendatum, ſuaviſſimum inſuper ſpirans odorem. Claudia Monialis appoſuit tumori ſuper palpebras prominenti & convaluit. Sorores duæ inopinato caſu vulneratis manibus pulverem exeſi baculi infuderunt, ſtatimque dolor omnis abſceſſit, ne veſtigio quidem relicto cicatricum.

Caput habetur in reverentia.

XXIII. Floruerunt pietate & virtute in hoc Monaſterio Clara Fulginas, quæ animas multas in feſtivitate ſancti Franciſci vidit ad cœlos aſcendere; & colaphi, quem diabolus oranti inflixit, ſignum in maxilla dum vixit, manifeſte geſtavit. Agnes ex Peſcharæ oppido, Fulginatenſis diœceſis, anno MDLXXXVIII. die XII. Novembris defuncta, in cujus exequiis viſa eſt multitudo peregrinorum dulciter canens & cito diſparens. Gabriela Peruſina, altiſſimis addicta contemplationibus, frequenter miniſterio cœleſti in aerem elevata. Lucida Romana, dolorem Chriſti clavi in ſiniſtra paſſa. Ma-

Florent in Monaſterio S. Margaritæ piæ Sorores.

Maria de Maſſa, quæ partem ſentiebat doloris, a ſpinea corona incuſſi. Joanna Fulginas & aliæ. Anno MDCXVII. hinc miſſæ fuerunt Reformatrices Monaſterii ſanctæ Conceptionis Aſſiſiatis.

Marian. c.16. Marc. l. 1. c.59. Obit B. Franciſca Aſſiſias.

XXIV. In eadem urbe Aſſiſii circa hunc annum (aliqui aſſignant antecedentem) ſpiritum cœlo reddidit beata Franciſca in ſanctæ Claræ Monaſterio. Perpetuo jejunio gulæ vitium, quo impetebatur, ſuperavit, fragmenta & micas panis ciborumque reliquias, quæ aliis ſupererant, hilariter manducans. Humilitatis ſtudioſa, viliſſima quæque Monaſterii munia peragebat: obedientiam promptiſſime exercebat, non ſolum voci, verum & nutibus cogitationibuſque ſuperiorum obſequuta. Habitum gerebat ſegmentitium & vilem, corpori tegendo quam frigori arcendo opportuniorem: ſine intermiſſione, ſive ſedens, ſive ſtans, ſive quidpiam faciens, orabat; & dum ab occupationibus feriari licebat, coram imagine Crucifixi, ſancto Franciſco loquuti, genuflexa. Hic etiam in parvo ſcabello dormiebat; ne vero id reſcirent Sorores, prope ſacrarium paravit ſibi lectulum, ad quem recurrebat, dum pulſaretur ad preces matutinas. Aliquot ante obitum diebus diſſolutionem ſui corporis imminere prædixit & extra commune cœmeterium ſe peculiari loco ſepeliendam. Rite acceptis Sacramentis, menſe Januario obdormivit in Domino, & confluentibus multis, ut corpus contrectarent, condita eſt prope Eccleſiam ſancti Georgii. Mox prodierunt rigida hyeme roſaria ex ſepultura, quæ etiam aliquando in flores eruperunt, & in hunc uſque diem ipſa permanent roſeta.

Ejus virtutes & miracula.

Fr. Petr. Epiſc. Doren. Fr. Thom. Sebrinicen. Inquiſitores.

XXV. Duos dumtaxat invenio hujus anni Epiſcopos, Doren. in provincia Hieroſolymitana fratrem Petrum de Landres, XIII. Januarii. Sebrinicenſem & Viſſeconenſem in Liburnia, fratrem Thomam Matthæi de Tragurio, per obitum Stephani, XXVII. Januarii. Inquiſitores instituti ſunt in diſtrictu provinciæ Romanæ, Bartholomæus de Babucho, Paulus de Pantaleis, & Jacobus de Terracina. In Umbria & locis adjacentibus, Nardus & Urbanus Peruſini, & Lucas Fulginas. Procurator Generalis Ordinis, Magiſter Franciſcus de Manghano Sayonenſis, provinciæ Januæ. Ejus prædeceſſor Jacobus Tolentinas deſtinatus eſt Commiſſarius ſuper domos omnes Fulginatenſes, tam Fratrum, quam Sororum. Anno ſequenti lego fratrem Canobium Vice-Procuratorem, cum plena auctoritate.

Florent viri docti. Nicol. Lackman.

XXVI. Floruerunt eo tempore ex natione Theutonica Minoritæ tres, viri doctiſſimi, quorum elogia hic ex Trithemio ſubjicio. Nicolaus Lackman provinciæ Saxoniæ Miniſter, vir in divinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, Ariſtotelicæ Philoſophiæ non ignarus, ingenio præſtans & ad diſputandum idoneus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis opinionis. Scripſit non abjiciendæ lectionis opuſcula &c. Petrus de Colle, vir in divinis Scripturis eruditus, & in ſeculari Philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus, in declamandis ad populum ſermonibus facundus & luculentus. Edidit pro ædificatione legentium nonnulla volumina &c. Henricus de Werlis, Miniſter provinciæ Colonienſis, in Philoſophia & ſacra Scriptura docte verſatus, excellens ingenio & eloquio, Scholaſticus diſputator acutus, & declamator ſermonum egregius. Compoſuit luculenta quædam volumina &c. His adnumerat ſanctum Bernardinum Senenſem, *declamatorem*, inquit, *ſui temporis celeberrimum*, vita & converſatione ſanctiſſimum, quippe qui vivus & mortuus infinitis miraculis corruſcavit. Et Joannem Capiſtranenſem, in divinis Scripturis & Jure Canonico egregie doctum, ingenio excellentem & clarum eloquio, vita quoque & religioſa converſatione devotum, divini verbi prædicatorem ce-

Petrus de Colle. Henric. de Werlis. Bernard. Senen. Joan. Capiſtranus.

le-

leberrimum, qui multos verbo & exemplo ab iniquitate convertit. Adnecto ex regiſtro Ordinis virum ſuo tempore celeberrimum, Magiſtrum Alphonſum de Vico, Cordubenſem.

Alphon. de Vico.

Inter Obſervantes rari tunc viri docti.

XXVII. In familia Obſervantum pauci erant viri docti, præter eos, qui e Conventualibus tranſierant, aut in ſeculo ante ſuſceptam hanc vitæ rationem litteris operam dederant. In pauperibus namque tuguriolis plus ſtudebant pœnitentiæ agendæ & rebus cœleſtibus contemplandis, quam Philoſophicis aut Theologicis diſciplinis addiſcendis. Humilitatem & ſeculi fugam, quam maxime meditabantur, timebant per inflantem ſcientiam poſſe profligari, & ſacrarum ſemina virtutum propter inanem bullam popularis auræ ſterileſcere. Bernardinus Senenſis, de quo nunc diximus, congregationis moderator, animadvertens plurimos a Principibus ad conſcientiæ arcana adſciſci, voluit idoneos reddere, inſtituto Theologiæ moralis ſtudio in Conventu Montis extra urbem Peruſii. Deinde ad aliorum inſtigationem Eugenius Pontifex præcepit, ut Scholas aperirent Theologiæ Scholaſticæ & juris Canonici, ut aptiores redderentur confeſſionibus populi frequenter adventantis excipiendis, & exterarum gentium, ad quas mittebantur, converſionibus exercendis. Lecto per ipſum Bernardinum tractatu de Cenſuris, cœperunt plurimi admirari ingentem cumulum excommunicationum, quæ in corpore Juris continebantur, & ſcrupulis urgeri, an indebite forte alios abſolverint, & an ipſi aliquas incurrerint. Nicolaus Auximanus, ut Fratrum ſerenaret conſcientias, rem Eugenio aperuit, qui & abſolutionibus, ſi quæ erant invalidæ, robur, qua potuit, adjecit, & Fratres omnes cenſuris, quibus tenebantur, abſolvit.

Aperiuntur ſtudia.

Varia Pontificis indulta Obſervantibus.

XXVIII. Alias quam plurimas gratias Pontifex adjecit, quas hic accumulo, licet non eodem tempore conceſſas. Liberam tribuit facultatem prædicandi, juxta tenorem Clementinæ: *Dudum*, *de ſepulturis*. Abſolvit a cenſuris & peccatis, quæ per tranſgreſſionem ſtatutorum Ordinis ſe verebantur incurriſſe. Indulſit, ut recitarent officium divinum, prout magis luberet, vel ſecundum ordinationem capituli Aſſiſiatis, vel prout decretum erat in Toloſano. Rogantibus Jacobo de Primaditiis & Franciſco de Platea Bononienſibus, hoc anno, III. Januarii, declaravit Fratres, qui jam obtinuerant auctoritatem ab Epiſcopis, ut a caſibus ſibi reſervatis abſolvant, & a Diœceſi recedunt, non teneri eamdem auctoritatem repetere. Indulſit facultatem a prædictis caſibus abſolvendi, quando commode ad Epiſcopum accedi non poſſet, vel propter itineris moleſtias, vel propter alias cauſas rationabiles, & præſertim ſi Epiſcopus eſſet Simoniacus. Similiter abſolvendi mulieres, longas veſtium caudas trahentes, ſub multis interminationibus prohibitas, * modo eas ducerent propter patriæ conſuetudinem, non propter pravos fines, necnon abſolvendi ſartores hujuſmodi caudas adaptantes, modo novas non aſſuerent adinventiones. Declaravit dies quatuor Eccleſiæ Doctorum non eſſe feſtivos ſub præcepto. Laborantes uſque ad mediam noctem in vigiliis magnarum ſolemnitatum, non peccare in regionibus, quibus hæc viget conſuetudo. Laborioſæ artis operarios & ruſticos non obligari ad obſervationem jejunii. Tempore Paſchatis etiam in aliena Diœceſi ſatisfieri præcepto confeſſionis & communionis, ab Eccleſia inſtitutæ, quamtumvis brevi illic tempore quis moretur. Parentes non poſſe abſque reatu mortali impedire, ne diebus feſtivis Sacrum audiant filiæ nubiles, niſi aliqua gravis ſubſit cauſa. Fratres exuentes habitum, vel ut lavent, vel ut reſarciant, vel commodius, ubi neceſſe eſt, piſcari poſſint, non incurrere excommunicationem; maxime vero ſi non ob contemptum pro-

* *De lege caudaria vide Tom. 10. ann. 1434. n. 10.*

projicerent aut dimitterent, ut choreas ducerent aut ineptias alias patrarent. Non cogi ſchiſmatis tempore ad alienas regiones tranſire, & Conventus ſuos omnino deſtituere, atque alia multa hujus generis.

XXIX. Tanto ferebatur Eugenius affectu erga Congregationem hanc, ut nihil ferme potuerit negare, quod ad illius augmentum poterat conducere. Petierat Nicolaus Auximanus, Pontifici gratiſſimus, ut ab omnimoda jurisdictione Miniſtrorum Provincialium Conventualium (a quibus diverſimode vexabantur) domos & perſonas eximeret Obſervantum, conceſſa ampla facultate eorumdem Vicariis. Conceſſit hoc Eugenius, dum Guillelmus Generalis Miniſter abeſſet in Gallia. Ut vero rediit, ægerrime tulit hunc Nicolai conatum, eoque aſpere coram Fratribus & ſancto Bernardino correpto, obtinuit a Pontifice, ut diploma hujus conceſſionis revocaretur.

Pontifex ſeparat Obſervantes a Cóventualibus.

Sed revoc. [margin: Sed reunit.]

XXX. In Galliæ Ciſalpinæ nobili urbe Comenſi, a Lucio Scipione primum erecta, deinde a Pompejo inſtaurata, ac poſtremo a Cajo-Cæſare aucta, & proinde Novum-Comum appellata, prædicaverat ſanctus Bernardinus, exterminaturus inteſtinas & pluſquam civiles diſcordias, quæ illic ſummo gentis malo vigebant. Pacem tamdem induxit, uti diximus, ejus diſcipulus Silveſter. Beneficium compenſaturi cives, ædem decreverunt Conſodalibus prope ſanctæ Crucis ædiculam. Situm contulerunt Aloyſius a ſancto Severino, Philippi Mariæ Mediolanenſium Ducis cohortis Præfectus, & ſorores quatuor, Lucia, Joanna, Florbellina, Eliſabetha matronæ Novo-Comenſes. Curam ſtructuræ in ſe ſuſcepit frater Chriſtophorus Medoetianus, qui hoc anno ab Eugenio facultatem impetravit, domos duas ſui Inſtituti extruendi, vel ſuſcipiendi. Eccleſiam amplam, ſacellis octo diſtinctam, conſecravit Nicolaus, Novarienſi Epiſcopo ſuffraganeus, anno MCCCCXLVII. quo fit, ut minime cohærere poſſit, quod Franciſcus Ballarinus ſcribit in ſua hiſtoria Comenſi, Luchinum ſcilicet Epiſcopum Eccleſiam ſanctæ Crucis Fratrum Regularis Obſervantiæ a Bernardino Senenſi conſtructam, conſecraſſe anno MCCCCIV. neque enim illo tempore conſtructa erat, neque Bernardinus Senenſis vix tirocinium exceſſit. Domus eſt ſatis opportuna Fratrum habitationi, abundans aquarum irriguo, novoque aucta incremento Patrum ſtrictioris Obſervantiæ, qui ab anno MDCXIV. incolunt, induſtria.

Conv. Comens

Hom. in Prov. Mediolan. Con. 6. Mon. MSS. hujus Prov. Ann. 1439. n. 42.

Ballar. par. 2. in Luchino.

XXXI. Hic initiati ſunt a prædicto Silveſtro, ædis Guardiano, Vincentius Comenſis, ex nobili familia Ruſconorum. Vitam tranſegit ſanctiſſimam in perpetuo virtutum exercitio, unde & meruit in vita & poſt mortem clarere miraculis. Ibidem deceſſit anno MCCCCLX. & ex ejus ſepulcro viſa eſt in media hyeme germinare roſa purpurea miræ formæ & ſuaviſſimi odoris; & Michael a Carcano vir doctus & prudens, magnæ opinionis in populo, cujus hortatu & cura conditum eſt xenodochium præcipuum Comenſe, ſub Branda Epiſcopo S. R. E. Cardinale. Confeſſiones excipiebat Candidæ, ſeu Blancæ Mariæ Sfortiæ, Duciſſæ Mediolanenſis, eique omnia ſub mortem miniſtravit Sacramenta. Deceſſit anno MCCCCLXXX. relictis manifeſtis ſuæ ſanctitatis indiciis. Utriuſque horum in Eccleſia conſpicitur imago, diademate & radiis ad modum Beatorum inſignita.

B. Vincent. Comenſis.

Michael a Carcano.

Vide quæ diximus Tom. 10. ann. 1432. n. 12.

XXXII. Aliquantulum a Licio, Apuliæ civitate, Patres Provinciæ ſancti Nicolai domum alteram loco ſalubri infirmis curandis affabre conſtruxerunt, ſub titulo *ſanctæ Mariæ de Templo*, collatis ſumptibus ex publico ærario: & Ortonenſes in provincia Aprutina extra ſua mœnia tertiam poſuerunt, *ſanctæ Mariæ de Gratiis* ſacram, propter beneficium pacis cum An-

Conv. Licien. *Idem in Provin. S. Nicol. Con. 12.* Conv. Ortonen. *Idem in Provin. S. Bernard. Con. 7.*

Anſanenſibus ſtabilitæ opera Joannis a Capiſtrano. Hic obiit Blaſius Aquilanus, Capiſtrani fideliſſimus ſocius, qui divinis contemplandis myſteriis perpetuo intentus, verbum nullum protulit, quod vel in Dei laudem, vel in proximorum utilitatem non cederet. Translata domo ad urbis penetralia, ſtructura ſatis commoda & capaci, auctus eſt Fratrum numerus; ibique deceſſit Laurentius de Villa-magna, cujus in oratione aſſiduitas, & erga Deum caritas fuere incredibiles. Corpus poſt aliquot annos abſque læſione inventum, cryſtallino loculo in Sacrario cum veneratione reconditum eſt.

Laurent. de Villa-magna.

Conv. Cariaten. Idem in Provin. Calabr. Conv. 9. Thomas Rendanus.

XXXIII. In Calabriæ oppido Cariati quartam extruxit Bonaccurtius Capiſaccus, in qua, licet anguſta, jacet beatus Thomas Rendanus Laicus, in vita miraculis illuſtris, qui ſano valens corpore, prophetico ſpiritu mortem ſibi imminere dixit, petiitque dari Extremæ-Unctionis Sacramentum. Dominicam Paſſionem legi poſtulavit, audivitque devote; & cum ad illa verba: *Inclinato capite emiſit ſpiritum* ventum eſſet, omnibus admirantibus, placide expiravit.

Conv. Hiſtonii. Idem in Provin. S. Angeli Conv. 5.

XXXIV. Hiſtonii, in Apulia urbis, vulgo *Guaſto*, Senatu populoque volentibus regularis Obſervantiæ Fratribus Conventum extruere, Epiſcopus Theatinus nemoroſum collem. D. P. a civitate diſtantem libere donavit. Illic ex communi ærario collatis ſumptibus, & facultate ab Eugenio conceſſa Nicolao Auximano, aliquot ea in provincia domicilia ædificandi, breviſſimi temporis ſpatio domum, ſub appellatione ſancti Onofrii, hoc anno conſtruxerunt: quæ ob loci amœnitatem, aeris ſalubritatem & medicamentorum abundantiam, deſtinata eſt Fratribus infirmis curandis. Jacent hic frater Jacobus de Petrutiis, Epiſcopus Lorienſis, qui nec Epiſcopali dignitate inflatus, quæ ad religioſum Inſtitutum ſpectabant, neglexit, nec Monachali humilitate depreſſus, quæ Epiſcopum decebant, prætermiſit. Gravi correptus infirmitate, ad commune iſtud Fratrum valetudinarium deferri voluit & cum Fratribus ſepeliri. Corpus poſt multos annos apparuit incorruptum in teſtimonium illibatæ virginitatis, luculento Confeſſarii teſtimonio comprobatæ. Moriturus dixit ipſe magna cum fiducia, per Dei benignitatem ſe ferendum in locum ſalutis. Sebaſtianus a Celenta Sacerdos, vir piiſſimus & humillimus, qui ſigno Crucis juvenem graviter ægrotantem ſanavit, & ſub mortem Deo gratias egit, quod nullius reatus mortalis conſcius eſſet a tempore hujus ſuſcepti Inſtituti. Deceſſit anno MDLIV. dum ſancti Joannis legeretur Evangelium. Aloyſius a Gulionſio, vir ſui ſtatus & profeſſionis zelantiſſimus, qui plurimos infirmos, dum viveret, curavit. Archangelus de Agnone, Illuminatus de Slavis, Paulus de Rojo & Chriſtophorus de Campobaſſo, omnes viri religioſiſſimi & ſanctiſſimi.

Frat. Jacobus de Petrutiis Epiſc. Loricnſis.

Sebaſtian. a Celenta.

Aloyſius a Gulionſio.

Conv. Maraſii.

XXXV. Conceſſit hoc anno Eugenius facultatem Andreæ, Bartholomæo de Imperialibus, aliiſque civibus Januenſibus Conventum ædificandi in villa Maraſii prope Januam, præcepitque fratri Franciſco Neapolitano, ut illum admitteret pro uſu & habitatione Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ ſub obedientia Vicarii provinciæ Januenſis: *Sincerum habentes*, XIII. Kal. Septembris. Approbavit donationem Eccleſiæ ſancti Floriani intra urbem Æſinam, factam ab Innocentio Epiſcopo & Cypriano Rectore Fratribus Conventus ſancti Marci extra urbem poſiti, uti alias diximus, prope quam poſtea Cœnobium extruxerunt: *Ea quæ pro Religioſorum*, Kalend. Septembris. Provinciæ Apuliæ Fratribus regularis Obſervantiæ auctoritatem dedit celebrandi Capitula, & eligendi ex ſuo Inſtituto Vicarios & Guardianos, a Miniſtro tamen Generali vel Provinciali confirmandos: *Sacræ Religionis*, XVI. Kal. Aprilis.

Tom. 5. an. 1292. n. 19.

XXXVI.

XXXVI. Hoc anno conſtructus eſt Conventus ſancti Thomæ de Bodelio, in diœceſi Venetenſi, ſuperioris Britanniæ prope caſtrum Rupis-fortis, veriùs Occidentem, conditore, ut fertur, Joanne de Rieux Mareſcallo Britanniæ, cujus corpus in Conventu Enſeniſii honorificè ſepultum eſt. „ Ante „ hunc annum apud Argentinam in Boſna conſtruxit illius gentis Rex „ (quis aut quo anno, incertum) Eccleſiam inſignem, ſub invocatione „ ſanctæ Mariæ, & Cœnobium pro Templi majeſtate aliquanto humilius. „ Redacto regno in Turcarum & Servianorum poteſtatem, cum Fratres „ ſuum domicilium magnificarent, magno pretio redimenda fuit vexatio „ a Turcis illata. Cœnobium alterum ædificavit pius populus, & ampliavit „ Rex Thomas prope pagum Sutiſchen & Curiam Banni, olim Regum „ Sedem, ſub nomine ſancti Joannis Baptiſtæ: quod immaniſſimi Turcæ „ anno MDXXIV. ſimul cum aliis tribus funditus everterunt, occiſis partim „ Fratribus, partim vulneratis, aliis in fugam converſis. Ceſſante hoc „ turbine, datis magnis muneribus Turcarum præfectis, impetrarunt Fra- „ tres facultatem locum aliqualiter reſtaurandi ex diruti ruderibus, ibique „ magno Chriſtianorum ſolatio, pioque miniſterio vivendi. Prægrandis „ illic conſpicitur Crux lignea, a ſancto Bernardino (uti fertur) confecta, „ quæ aereas tempeſtates, dœmonibus formidalis, miraculoſè depellit.

Conv. Bodelii. *Gonz. in Prov. Turon. Pictav. Conv.12.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conv. Argent. *Idem in Provin. Boſnæ Argentin. Conv.1.*

Conv. Sutiſchen. *Idem ibid. Con.2.*

XXXVII. In regno Valentiæ ſeſquimilliari ab urbe Alicanti, circa hunc annum Alphonſus Rex ædem Minoribus regularis Obſervantiæ ædificavit, ſub titulo *ſanctæ Mariæ de Gratia*, & privilegiis multis inſignivit. Sed cum incolatus minus Fratribus faveret, mutatus eſt ad ſuburbia maritima, favente liberaliter Senatu, & mirabiliter apparente ultra omnem ſpem fœcunda lapidicina. In Raguſinorum ſacello cum veneratione ſervatur imago Beatæ Virginis *de Gratia*, miraculis illuſtris.

Conv. Alicanti. *Idem in Provin. Valent. Con. 10.*

XXXVIII. Prope oppidum Fraxineti (vulgo *Freſneda*) in Caſtella inclytum Comitem de Aro, curante beato Lopetio de Salinis, inter aſperos quoſdam & ſolitarios montes, circa hunc annum Cooventum ſancto Bernardino ſacrum ædificaſſe ſcribit Gonzaga; ſed vel poſterior eſt ſtructura, vel ſancti Bernardini nomine tunc ſacrari non potuit, qui nonniſi poſt decennium inter Sanctos relatus eſt. Domum alteram ſub nomine *ſancti Antonii de Saltu*. III. M. P. ab iſta diſtantem ædificaverat prædictus beatus Lopetius, ſed Conſodales, propter laborioſum incolatum, aliaſque rationabiles cauſas, neglexerunt. In illa ſancti Bernardini tirocinium poſuit frater Bernardus a Freſneda, Philippo II. a ſacris confeſſionibus, magnorum Epiſcopatuum infulis inſignitus.

Conv. Fraxineti. *Gonza. in Prov. Burgen. Con. 7.*

XXXIX. Hoc anno Catarina Piretia vidua Alphonſi Sirgadi, eremitorium ſanctæ Margaritæ, milliari tertio ab urbe Xereſio Equitum, vulgo Hiſpanico *Xerez de los cavalleros*, in Minorum Conventum adaptavit, prædiis & poſſeſſionibus locupletavit. Sub Bernardino a Prato Generali Miniſtro anno MDXIII. tranſivit ad Obſervantes, imminutuſque eſt Fratrum numerus, ædificato Conventu altero, de quo ſuo loco dicemus, prope muros civitatis. Jacet hic frater Antonius Ortizius, qui poſt Miniſteriatus officium bis laudabiliter in hac provincia peractum, ad Occiduos Indos Chriſti fidem prædicaturus, cum aliis Patribus transfretavit; dein Martyrii deſiderio ad Afros trajecit. Paſſus ludibria, verbera, tormenta, Dei inſcrutabili conſilio, quantumvis gentem ſævam & barbaram urſerit, voto fruſtratus eſt. Contumulatus eſt frater Hieronymus ab Ariza, concinatorum ſui temporis princeps, vitæ candore & multiplici virtute inſignis.

Conven. Xereſii Equitum. *Idem in Prov. S. Gabriel. Con.10.*

Antonius Ortizius.

Proficit regular. Obſervantia in Provincia Aragoniæ.

XL. In provincia Aragoniæ creſcebat numerus Fratrum & Conven-

tuum Regularis Obſervantiæ, ſub fratre Bernardo Iſcoriola Vicario, ſub obedientia tamen Provincialis Miniſtri. Ortæ ſunt circa regiminis modum aliquæ contentiones, quibus ſedandis Miniſter Generalis hoc anno præfecit prædictæ provinciæ Miniſtrum Magiſtrum Antonium de Oculis nigris, ut ex ejus regiſtro & decretn, his verbis concepto, lectori conſtabit: *Miniſter provinciæ Aragoniæ inſtituitur Commiſſarius in cauſa Fratrum, & familiæ locorum devotorum, & Vicarii Vicariæ ejuſdem provinciæ, quatenus ipſos Fratres per ſe vel per alium in aliquo loco convenienti convocare debeat, & ſecundum electionem & determinationem Capituli provincialis tres Cuſtodias facere debeat, quibus præficiantur tres Cuſtodes de ipſorum familia; fratre Bernardo Iſcoriola primum & ante omnia ab officio Vicariatus amoto &c. Datum Januæ* VIII. *Julii*. Ita factum eſſe intelligo ex eodem regiſtro, ſed anno ſequenti reſtitutum Bernardum ad præcipuam ex Cuſtodiis ſeu Vicariis
Tom. 9. an. 1388. n. 6. hic deſignatis, quod alias indicavimus, dum exordia regularis Obſervantiæ in hac provincia diceremus. In hac autem diviſione Cuſtodiarum, uni ex Vicariis (non vero univerſæ provinciæ, in qua diximus alias præextitiſſe ædes regularis Obſervantiæ) contigit duas dumtaxat ſui Inſtituti domos, unam *ſanctæ Mariæ de Jeſu*, in urbe Valentina; alteram *ſanctæ Mariæ de Gratia* prope Alicantum habere; quare ei Pontifex indulſit, ut alias tres poſſet admittere vel conſtruere: *Inter deſiderabilia*, IV. Idus Septembris. Et Fratribus Franciſco de Alba-Regali, Victori de Boſna, ac Stephano de Hungaria conceſſit ut domos decem in Vicariatu Boſnæ admitterent, loco plurimarum ædium, a Turcis aliiſque infidelibus combuſtarum: *Inter cetera cordis noſtri*, VII. Idus Martii.

XLI. Sorores Monaſterii ſanctæ Claræ urbis Palentinæ, conquerentes
Monaſt. Palentinum. ſe valde aggravatas in quibuſdam concordiæ pactis, initis cum Epiſcopo & Capitulo, cum primum ſuam ædem a villa Reynoſi translatam conſtruere vellent, juſſit exaudiri & onere liberari, mndo ſcriptæ conditiones Juris vitio laborarent: *Etſi de ſingularum*, Kalend. Martii: perſonæ quæ nominantur, & rerum circumſtantiæ quæ in diplomate referuntur, confirmabunt
Tom. 8. an. 1371. n. 14. quæ de hujus ædis translatione ſuo loco recenſemus. Reliquerat Leonora, Henrici Caſtellæ Regis filia, bona multa Monaſterio omnium San-
Monaſt. Valleſolitanum. rum Valleſolitano, tunc diœceſis Palentinæ, & Conventui Fratrum Minorum ejuſdem oppidi: ſed reformata ante annos ſeptem Minorum domo, & regularis Obſervantiæ Inſtituto ſubjecta, cum annuos reditus abdicaret, Sorores ſibi applicari rogaverunt, quarum petitioni Pontifex ſubſcripſit: *Sinceræ devotionis affectus*, IV. Kal. Septembris. Eiſdem indulſit, ut Franciſci de Soria, viri religioſiſſimi (de quo ſæpe diximus, & cui hoc anno reformatio domus ſancti Franciſci, oppidi beati Anderii, commiſſa eſt) viſitationi & regimini ſubjicerentur: *Ex ſuſceptæ ſervitutis*, x. Kal. Augu-
Monaſt. de Morguerio. ſti. Et Sororibus Monaſterii ſanctæ Claræ de Moguerio, diœceſis Hiſpalenſis, ut a Joanne de ſancta Anna, Miniſtro provinciæ Caſtellæ viſitaren-
Monaſt. Burgen. tur & gubernarentur: *Digna reddimur attentione*, Kal. Octobris. Similiter conceſsit Sororibus Monaſterii ſanctæ Claræ extra muros Burgenſis civitatis, ut a prædicto Franciſco de Soria regerentur: *Æternæ beatitudinis*, x. Ka-
Monaſt. Segobien. lend. Novembris. Sororibus ſanctæ Claræ Segobienſibus diviſis, quibuſdam in Monaſterio ſanctæ Claræ intra urbem ab incendio, quod tulit, reſtaurato, aliis ad vetuſtum Monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ extra muros ſuppreſſum, commorantibus, juſſit ut omnes convenirent ad Monaſterium urbanum, a prædicto Franciſco Soriano prudenter gubernatum: *Creditæ nobis diſpenſationis*, x. Kal. Auguſti.

XLII. Ne-

XLII. Neſcio an ante hunc annum obierit Henricus de Palma,* Confeſſius beatæ Coletæ, & in reformandis fundandiſque Monaſteriis coadjutor, uti alias dictum eſt: invenio enim in regiſtro Ordinis deſignatum Joannem Lope provinciæ Burgundiæ, Viſitatorem & Correctorem tam Sororum, quam Fratrum in Monaſteriis Coletaneis habitantium, conceſſa inſuper ampla facultate recipiendi Virgines ad habitum & profeſſionem, dummodo numerum XVIII. hujuſmodi Monaſteriis præfixum, non excederent; Abbatiſſas canonice electas confirmandi, & ubi expediret, deſtituendi, cum conſenſu tamen majoris partis Sororum; Confeſſarios & Sacellanos inſtituendi & removendi, conſentiente tamen ipſa venerabili ſorore Coleta; Fratres mittendi pro ſervitio prædictorum Monaſteriorum ad partes Ciſmontanas & Ultramontanas, ad præſentiam etiam Domini Cardinalis Protectoris & Patris Generalis. Similiter conceſſa eſt ipſi Coletæ auctoritas Fratres mittendi, & in ſingulis Conventibus quatuor habendi, quos judicaret idoneos, & licentia proficiſcendi cum decenti comitiva in provinciam Franciæ, ibique admittendi Monaſterium, a Duce Burgundiæ ædificandum.

* *al.* de Balma.

Tom. 9. *ann.* 1380 *n.* 18.

Fr. Joannes Lope Viſitator Coletanearum.

XLIII. Aliquot Monaſteriorum Tertii Ordinis Sororum hoc anno recurrit memoria. Sancti Antonii de Padua intra urbem Peruſinam, ſumptibus Bartholomæi de Maſſolis circa hunc annum constructi. Reatini, a Sororibus Margarita, Magna, Nicolaa de civitate Ducali conſtruendi: *Sacræ Religionis*, XII. Kal. Octobris. Primas acceperunt magiſtras ex Monaſterio ſanctæ Annæ urbis Fulginatenſis, & domus a ſancta Clara nuncupatur. Aldenardenſis in Belgio, Tornacenſis diœceſis, cujus regimini, ut præficiatur una ex conſenſu reliquarum indulget Pontifex: *Religioſam vitam*, pridie nonas Aprilis. Sanctæ Catarinæ extra portam Alti-pontis oppidi ſancti Audomari, Morinenſis diœceſis, in quo regularis ſtabilitur diſciplina: *Dum reductæ mentis*, VI. Kalend. Januarii.

Monaſt. Peruſin. S. Antonii.

Reatinum.

Aldenarden.

Audomaren.

XLIV. Sanctæ Eliſabethæ extra muros Arevali in Hiſpania a Sanctia Martinez a Montalvo vidua hoc anno conſtructum eſt Monaſterium, & reditibus locupletatum. Fundatrix ipſa claris orta natalibus, & nobiliſſimi viri olim conjux, habitu religioſo ſuſcepto, adventantibus juvenculis, virtutibus pollens, norma facta eſt diſciplinæ regularis; cujus tanta fuit humilitas, ut non erubuerit ex fonte aquam propriis humeris per medium forum, Monialium obſequiis inferre. Ab hujus cognomine paſſim vocantur Sorores vulgo Hiſpanico *Las Montalvas*. Huic par Anna Arevalenſis, quæ annos centum ibidem commorata, in ſumma humilitate, patientia, abſtinentia & orationis aſſiduitate vitam tranſegit. Neque reticenda Guiomara de Aquila prudentiſſima fœmina, quæ ſæpe hujus ædis Abbatiſſam egit, magna ſui laude & virtutis incremento. Integro ſeculo caruit domus iſta clauſura, uti & plurimæ Tertii Ordinis, donec Matthæus Burgenſis, Commiſſarius Generalis, commiſſione Apoſtolica accepta, exitum omnem præcluſit. Area quadra in medio poſita, & crux magna lapidea dividit Monaſterium hoc, & alia duo Monialium, ac quartum Franciſcanorum ſe invicem reſpicientia, & ad tinnitum cymbali Minorum reliqua tria ſonos edunt Matutinis, reliquiſque horis officii divini recitandis.

Monaſt. Arevalen.

Gonza. in Prov. Concept. Monaſt. 29.

Anna Arevalen.

Guiomara de Aquila.

XLV. Nobiles domini de Helſenſtein, accepta facultate a Jacobo Archiepiſcopo Trevirenſi, duxerunt ex Mulhemio in valle e regione Confluentinæ urbis Sorores quinque Tertii Ordinis in Beſſelich, alias Montem-peſſulanum infra Confluentiam, Treviren. diœceſis, ſitum in loco jucundiſſimo & ſolitario. Rectricem habuerunt annis XXX. Eliſabetham de Weys, fundatorem Hermannum de Helſenſtein, promotorem Joannem. Adeo paula-

tim crevit domus Sororum numero, & religioſa diſciplina, ut celebre factum ſit ſexaginta & ultra Virginum recluſorium, ſub cura & regimine Minorum Obſervantum. Habent apud ſe repoſitas egregias Sanctorum reliquias.

XLVI. Demum omnibus utriuſque ſexus fidelibus in partibus Orientalibus, domos vel Eccleſias tam Ordinis Minorum, quam Tertii Inſtituti pœnitentum, ſub Vicariatu & regimine fratris Jacobi de Primaditiis, quem diximus illuc cum ampla poteſtate deſtinatum, conſtitutas, viſitantibus in feſto ſancti Franciſci, eaſdem conceſſit Eugenius indulgentias, quas lucrantur accedentes ad Templum beatæ Mariæ Angelorum extra Aſſiſium in ſolemnitate, qua vocant Portiunculæ: *Splendor paternæ gloriæ*, Nonis Auguſti. Confirmavit omnia, quæ recolendæ memoriæ Angelina de Fulgineo, aliæque ab ea inſtitutæ Miniſtræ fecerunt, tam in conſtructione domorum, quam in receptione Sororum, non obſtante conſtitutione Joannis XXII. *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Quam aliqui obtrudebant huic congregationi contradicere: *Apoſtolicæ Sedis providentia*, VI. Non. Maii. Fratrem Dominicum Tertii Ordinis, hoc anno Miniſtrum inſtituit in loco ſancti Donini Guillelmus Generalis Miniſter, IX. Decembris Januæ; ſed nunc non video recenſeri domum hanc in catalogo Cœnobiorum hujus Inſtituti.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Florentia Conſtantinopolim ut rediit Joannes Paleologus, parum „ ſupervixit: at Marcus Epiſcopus Epheſinus, qui & ipſe ad Concilium venerat, nec tamen conſenſerat in acta unionis, ut regrediens „ Epheſum pervenit, forte ut ſua pervicacia majorem ſibi famam clariuſque nomen acquireret, æſtu & aſtu plurimo per omnem Aſiam Minorem „ declamans, etiam ex Anabathro, unionem Græcæ cum Eccleſia Latina ab „ Imperatore, Joſepho Conſtantinopolitano Patriarcha, Beſſarione & „ aliis, acceptam atque ſubſcriptam, execrabatur impune, cum non eſſet, „ qui ejus temeritatem ſaltem frenaret, ſi punire nequiret; ſicque adeo „ vir improbus operatus eſt, ut cito omnes Græcos a præfata unione, ſua „ peſſima lingua callide revocaverit, contumacioreſque in Schiſmate reddiderit: nec in Occidente rerum melior Eccleſiæ Romanæ ſtatus pro Eugenio apparebat, quod in illum Baſilea ſuperba Æmulum præpotentem „ contruſiſſet, & Albertum, in quo ſpes eſſe poterat, mors præmatura ſuſtuliſſet; nec bene ſperandum videri poterat in Alberti ſucceſſore; cum „ multi electorum Principum haud ſatis æqui Eugenio probarentur: quamobrem vere navis Petri in medio mari magnis jactabatur fluctibus: & „ quidem vacante Imperii Sede ab obitu Alberti, Electores in unum convenientes, Fridericum hujus nominis III. Erneſti filium, Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ Ducem ac Tyrolis Comitem, ætate juvenem, ſed Principem Catholicum & pium, III. Kal. Aprilis in Regem Romanorum „ elegerunt: electus Aquiſgranum ſe contulit, ibique præſentibus quamplurimis Principibus diadema regni ſuſcepit, ſed non Eugenii partes, ab „ ejus æmulis plura eſurientibus in eum, & Concilii auctoritatem extollentibus, diſſuaſus: at hic nihilominus, nullis fractus adverſis, immotus loco ſedit ad Clavum, nec ab Ordine ceſſit; imo audentior factus & initam „ unionem fovit, & in Baſileenſe Concilium, ejuſque idolum ſtrenue laboravit, opera Minoritarum inter alios uſus: pro qua te dignoſcenda ad Annaliſtam remitto lectorem, reliquias interim ſeu prætermiſſa collecturus.

Wadd. ad hunc ann. n. 1. & ſequent.

II. Hoc

„ II. Hoc anno fratres, Baptiſta Saxo de Peruſio, Joannes, Joannes „ Jacobus, Antonius Jacobus, & alter Jacobus de Peruſio ad Benedicti„ nos tranſmigrarunt, ſed quidam frater Torybius ad Auguſtinianos ſe „ contulit, ita diverſis hujus anni temporibus eis indulgente Pontificis „ clementia. Fratri Joanni de Baeza viro affectanti ſolitudinem, ut „ quietius Deo vacare poſſet, VII. Kalendas Martii Pontifex Eremito„ rium conceſſit: *Deo devotorum &c.* Kalendis Maii approbata & con„ firmata quadam conventione Monialium cum Capitulo Eccleſiæ Palen„ tinæ in Regno Caſtellæ: *Et ſi de ſingulorum &c.* pridie Idus ejuſdem „ menſis fratrem Petrum ſine cognomento & Patria, Abbatem Monaſterii „ beatæ Mariæ, de Aqueſtris nuncupati, conſtituit: *Romani Pontificis &c.* „ Idibus ejuſdem, tertii Ordinis Sororibus Peruſinis poſſe permutare „ ſuum Monaſterium indulſit: *Sinceræ devotionis &c.* XV. Kalendas „ Junii, loca Scitonii & ſancti Proceſſus, commemorata a Piſano in pro„ vinciæ Tuſciæ Cuſtodia Cluſina, Obſervantibus adſcripſit: *Vobis bone„ ſta &c.* & XIV. Kalendas fratrem Joannem ad quoddam beneficium Ec„ cleſiaſticum poſſe promoveri indulſit: *Religionis zelus &c.* IX. Julii in „ partibus Orientis noſtris Operariis Apoſtolicis exiſtentibus Indulgentias: „ *Paſtor bonus &c.* ac III. Kalendas Auguſti fratri Dionyſio de Wailak pro „ uniendis vel reducendis Schiſmaticis, & convertendis ad fidem infideli„ bus occupato, plures gratias elargitus eſt: *Cum ob ſalutem &c.* VIII. „ Idus ejuſdem deputato Noſocomio pro Fratribus in Conventu Cordubæ „ Beticæ Regionis: *Iis, quæ pro &c.* in favorem ægrotorum in eodem, „ miſericorditer Sacramentalis abſolutionis laxavit habenas: *Injunctum no„ bis &c.* Verulis ad Caſtrum Bavacii Monaſterium perantiquum ſanctimo„ nialium Benedictinarum, diſciplina & ædificiis collabentibus, necnon „ incolis deficientibus, Cives poſtularunt ad Fratres Obſervantes transfer„ ri; & Pontifex juxta poſtulata reſcripſit: *Exhibita nobis &c.* XVII. Ka„ lendas Septembris. Sancti Veruli & Verulum, vulgo *Verulo*, eſt Civitas „ Epiſcopalis Latii in Hernicis, id eſt inter ſaxa; Hernici ſiquidem a Sabi„ nis ſaxa vocabantur, parva ut ceteræ finitimæ, juxta Samnis, Campaniæ„ ve & Regni Neapolitani confinia: Alatrio, Ferentino, & Fruſino proxi„ ma, haud procul a Coſa Fluvio, & Arpino finitima; cujus præfati „ Monaſterii memor eſt Annaliſta decem poſt annis. Pridie Kalendas „ Septembris reformationem Conventus S. P. Franciſci Burgenſis indi„ xit: *Pro ſingulorum &c.* & IV. Idus Septembris ad ſanctum Bernar„ dinum Senenſem pro Conventu in Civitate Caſtelli Breve expedivit: „ *Cum nobis &c.* cujus in Annalibus non niſi ad annum MCCCCLXXIII. „ memoria habetur. Porro Tifernum Tiberinum eſt hæc Civitas Caſtelli, „ Italis *Città di Caſtello*, in Umbria, Epiſcopalis & antiqua, in amœna pla„ nitie ad Tiberim fluvium poſita, Peruſio, Aretio, Tiferno alteri Metau„ renſi nuncupato, vulgo *S. Angelo in Vado*, & Eugubio ad XX. M. P. pro„ xima, Burgo ſancti Sepulchri propior ad VIII. M. P. a Peruſio in Septem„ triones & circium recedens ab Aretio in Orientem æſtivum. Poſt Spo„ letum urbs eſt amplior ceteris, agro ferace prædita, vinoque abundans: „ III. Nonas Octobris dimiſſo fratre Nicolao de Prato ad Magiſterium: „ *Viri ſacræ &c.* VIII. Idus ejuſdem Indulgentiam pro Clariſſis Venetia„ rum publicavit: *Licet is &c.* V. Idus Novembris Miniſtro Generali ſex „ loca admittere: *Proviſionis noſtræ &c.* & VI. Kalendas Januarii Vicario „ Generali poſſe convocare Fratres indulſit: *Cupimus &c.*

Ind. ex Vatic.

Piſan. in Catal.

Ex Tipog. Ferre.

„ III. Poſt prædicta: Guillelmus de Caſali Miniſter Generalis „ lit-

Miniſter Generalis mittit litteras ad B. Coletam pro Monaſterio Heſdinii.

litteras obedientiales ad beatam Coletam pro Monaſterio Heſdinii, ſub dat. Genuæ hoc anno MCCCCXL. ad Sereniſſimorum Principum inſtantiam, qui novam eam ædem ſub regimine illius ſummopere deſiderabant, miſit: virtute quarum Coleta loci poſſeſſionem accepit, Sanctimonialeſque & juvenculas e Mundi Cœno fugientes introduxit. Aſſervantur præfatæ litteræ etiamnum in novo Monaſterio ibidem; etenim iſtud de quo loquimur, poſteriorum temporum ſubſequuta malitia proſtravit. Hinc apparet nec fabricam ante annum MCCCCXL. abſolutam, nec ſacras Virgines in eam introductas fuiſſe. Ceterum quas ibi excepit beata Virga, ipſa eadem Magiſtræ Novitiarum munere fungens, educavit, verbo & exemplo in via virtutis dirigendo. Quo quidem in officio, quam ſedulo & religioſe ſe geſſerit, tot teſtes habet, quot ſuis ſalutaribus inſtitutis in eo ſacro ergaſtulo Chriſto ſponſo filias peperit, eique incorruptas virtutibuſque laureatas exhibuit. Teſtis eſt Chriſtus Dominus, qui, ut eam novo & ineffabili amoris vinculo ſibi copularet, eidem Sacerdos & Hoſtia, ſeipſum ſuis divinis manibus ex Altari communicavit; cujus gratiæ ſpecialis memoriam anticipavit Annaliſta. Teſtis eſt & perenniter erit locus ille idem ſacer, ac tam inſigni miraculo decorus; cujus fides altis radicibus omnium Heſdinenſium cordibus adeo firmiter hæret, ut quotannis, die menſis Martii ſexta, beatæ Coletæ ſacra, turmatim undique populi venerabundi, piiſſima devotione concurrant. Nec reticendum, in ruinis ipſius Monaſterii his ultimis temporibus, quibus hæc ſcribuntur, in perpetuam memoriam tanti favoris divini, Sacellum conſtructum fuiſſe. Porro præfati Monaſterii Eccleſia, die XIV. Augnſti, anno MCCCCXLIX. ritu Catholico ſolemniter conſecrata, beatiſſimæ virgini Mariæ in Cœlos Aſſumptæ dedicata fuit. *

Chriſtus eidem ſe ipſum ſuis manibus ex Altari communicat.

Wadd. ad ann. 1406. n. 57.

** Quam hic præmature nimiũ exſcripſit Meliſſanus narrationem de Nuntio Æthiope ad Sultanum Ægypti, ideo expũgimus, quia ſinceriorem, & proprio loco deſcriptam habes a Waddingo ſub annum 1443. n. 52. & ſeq.*

IV. Dum hæc in Oriente fierent, licet Eccleſia diſſidiorum quaſſaretur fluctibus, attamen non frangebatur in Occidente, imo inter turbines majoris pietatis fidelium fulgor, præcipue in Virginem Deiparam, ad quam fervida ſua vota dirigebant, emicabat. In Eccleſia noſtri Conventus Caſtriheraldi apud Pictones in Gallia, ſanctæ Catarinæ Virgini & Martyri dedicata, ad lævam in anteriore ejus parte, perantiquum & venerabile ſacellum Immaculatæ Conceptionis devotum extat; ad quod pie viſitandum populi nuper excitati undique confluentes, permagnum in cunctis zelum & devotionem erga myſterium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ pepererunt. Quamobrem potentiſſimus & piiſſimus Princeps Joannes Dux de Nemoſio, Caſtriheraldi Vicecomes cum Nobilibus, loci Magiſtratu, ceteriſque cujuſque Ordinis, ſexus & conditionis ab Illuſtriſſimo Pictavorum Antiſtite Petro de Ambaſia, Eminentiſſimi Georgii Cardinalis Ambaſiani Fratre, in honorem ejuſdem illibatæ Virginis ad præfatum ſui juris ſacellum, Confratriam fidelium erigendi licentiam obtinuit hoc anno MCCCCXL. & ſubinde ejuſdem ſe promotorem, fautorem & protectorem hujuſmodi Confratriæ eſſe voluit, & publicavit vulgato edicto; quod una cum bulla ſodalitatis erectæ legitur, & in Archivio ejuſdem Conventus conſervatur.

Fr. Joannes de Parma obit Aretii.

V. In Religione vero frater Joannes de Parma vir venerabilis, cujus in oratione aſſiduitas mirabilis erat, omni virtutum genere his diebus florens obiit, ſepulturamque nactus eſt in Conventu ſancti Chriſtophori Caſtellionis Aretini, qui eſt ſeatuſdecimus Provinciæ Tuſciæ: hujus meminit Gonzaga, & Arthurus ad XIII. Decembris. Venerabilis etiam frater Paulus a Rojo religioſiſſimus obiit Hiſtonii in Conven-

„ ventu ſancti Honorii, quinto Provinciæ ſancti Angeli.
„ VI. V. Philippina Chalonia filia Illuſtriſsimi Ludovici a Chialonio „ Arauſienſis Principis, & Joannæ a Monte Belliardo, fundato Monaſte- „ rio Orbenſe, in eo ſanctiſsime vixit, & virgo obiit. Florebat autem „ circa hunc annum, ut habet Foderetus in deſcriptione Monaſterii Clariſ- „ ſarum Evianſiaci. Lucida pariter Virgo Tertii Ordinis ſancti Patris Fran- „ ciſci, quæ patria Romana erat, regulari obſervantia & bonitate haud „ ordinaria floruit in Monaſterio ſanctæ Agnetis Fulginei, nono Provinciæ „ ſancti Franciſci, ſub cura beatæ Margaritæ Dominici: Paſsionis Chriſti „ ſic delectabatur memoria, ut cœlitus obtinuerit dolorem plagarum Sal- „ vatoris in manibus ſentire, ita Jacobillus.

Florent Sorores Philippina Chalonia Clariſſa, & Lucida ex Tertio Ordine.

ARGUMENTUM.

Albertus Sartianenſis ducit Jacobinos ad unionem Romanæ Eccleſiæ, & legationem, tranſacta concordia, feliciter abſolvit. Beatus Jacobus Picenus Fratricellos per Marchiam inſectatur. Bernardinus Senenſis coadjutorem aſſumit Joannem Capiſtranum. In Caſtella & Legione Vicarius inſtituitur Sancius de Canalibus. In Aragonia & per alias Provincias alii præficiuntur. Beatus Didacus tranſfretat ad inſulas Fortunatas, ejuſque vitæ & virtutis primordia enarrantur. Referuntur aliquot viri inſignes, Epiſcopi, & Inquiſitores. Propagatur Inſtitutum.

I. Albertus Sartianenſis ad Æthiopes & Indos ante biennium miſſus, Jacobinorum gentem numeroſiſſimam, per Syriam, Meſopotamiam, Ægyptum, Æthiopiam aliaſque Regiones late diffuſam, a Jacobo Syro ſuæ cæcitatis auctore, ita cognominatam, ad unitatem & veritatem fidei Romanæ amplectendam ſolerter excitavit; & cum Legato ejuſdem gentis, & patriarchæ Joannis, Andrea Abbate inſignis Monaſterii ſancti Antonii in Ægypto, hoc anno appulit Anconam. Illuc miſſi ab Eugenio, qui honorifice Florentiam ducerent, & per urbes curarent recipi populorum gratulatione. Per Tuſciam tranſeuntes pervenerunt Cortonam, ubi populus univerſus obviam proceſſit M. P. extra urbem uſque ad Monaſterium *a Comitiſſa* nuncupatum, atque inter hos Bernardinus Senenſis, qui illic forte moram trahebat valetudinarius. Vectus humili aſello, conſpiciens Albertum pro Nuncii Apoſtolici dignitate ſimul cum Legato, equo bene ſtrato inſidentem & populum accurrentem, ut vel fimbriam tangeret veſtimenti, voce alta clamavit: *Frater Alberte, reſpice ad pedes, memento mortis: cave ne honores tanti plus æquo animum extollant.* His commotus vocibus, & Bernardini ſui Superioris excitus reverentia, confeſtim deſcendit ſanctum ſenem veneraturus & rogaturus, ut humile jumentum nobili equo permutaret. Renuit Bernardinus dicens, utrumque decere ita incedere: cavendum ſolum eſſe, ne vana mundi gloria furtim obreperet, & tanti operis præmium evacuaret. Cui Albertus: In univerſis mihi oblatis honoribus ita ſemper oravi: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Hujus pii occurſus & religioſæ concertationis veſtigium adhuc conſpicitur, erecto in eo loco momumento, adhibita inſuper utriuſque Patris effigie. Præcedentibus autem populo, Confraternitatibus & Clero cum hymnis & canticis, pervenerunt ad Cœnobium Franciſcanorum, ubi Albertus auctoritate Apoſtolica benedictionem ſolemnem impertiit, & Jaco-

Albert. Sartianeſ. ducit Jacobinos ad Concil. Florentinum.

Veniunt Cortonam.

Occurrit Bernardinus Senenſis.

Et univerſus populus.

cobinis artificioſam crucem, magno Dominici patibuli fragmento pretioſam Hælenæ Reginæ, uti ferunt, opus fratri Heliæ, ſancti Franciſci diſcipulo & immediato ſucceſſori, dono datum Conſtantinopoli, uti alias diximus, oſtendit. Illi legentes characteres Græcos inſculptos, in magna habuerunt reverentia; & a templi oſtio uſque ad altare flexis genibus adoraturi proceſſerunt; quod & Antiſtitem quemdam Hieroſolymitanum feciſſe narrat Rodulphus, & virtute hujus Crucis Deum multa operari miracula, præſertim in fugandis tempeſtatibus & reſtinguendis incendiis. Piſanus auctor vetuſtior, refert ignem, Cortonenſem urbem depaſcentem, objectu hujus Crucis repreſſum & extinctum. Familiare hoc eſſe ligno crucis probat Gretſerus ex narratione ſanctorum Paulini, Bedæ, & Albonis.

Oſtenditur eis ſacra Crux Cortonenſis.
An. 1213. *n.* 9. & *ann.* 1239. *n.* 10.
Rodulph. fol. 265.
Piſan. confor. 11.
Gretſer. de Cruce tom. 1 *lib.* 1. *c.* 85.

II. Crucis exemplar hic exhibeo. Multa & varia habet ornamenta ab utroque latere: a parte ſuperiori & inferiori, ac per faſcias ſeu impages quinque, diverſo & variegato metallo diſtinctas uniones, gemmas & lapillos pretioſos. In tertia faſcia a parte ſuperiori, tres habet circulos mediocris circumferentiæ, in quibus eburneæ coſpiciuntur effigies ſancti Michaelis, Jeſu Chriſti, & ſancti Gabrielis: a parte inferiori in faſcia penultima, alii totidem orbes aliquanto minores, quibus ſimiles includuntur imagines ſanctæ Helenæ, D. Conſtantini, & ſancti Longini; adſcriptis eorum nominibus Græco charactere. In medio tabulæ protenditur ipſa ſanctiſſima Crux, reticula ex ſolido auro contecta, craſſa granis duobus, lata digito uno, longa palmis Mathematicis tribus, diſtentis brachiis, palmo uno, digitis duobus. In quotuor angulis, tabellis eburneis inciſa ſunt ſimulacra Dei Genitricis, Joannis Baptiſtæ, ſancti Stephani, & Joannis Evangeliſtæ, additis Græce nominibus. A tergo, ebori inſcripta eſt vetuſtis formis Græca narratio, cujus interpretationem eodem ſitu verborum, hic exhibeo.

C U	MAGNÆ ECCLESI	Æ.
S	ET ANTEA	D
T	POTENTI	E
O	DOMI	I.
S.	NO	S
S	CON	O
T E	STAN	PH
PH	TINO	I
A	CHRISTUS DEDIT CRUCEM IN SALUTEM:	Æ.
N	NUNC AUTEM EAMDEM D. NICEPHORUS	S
U S.	IMPERATOR	A
N	FUGAT	C
U	ACIES	R
T	BARBA	O
R	RORUM,	R
I T	HABENS.	U
O R I.	MONASTERIO BENE MORIGERATUS OFFERT	M.

Quæ ita legenda ſunt.

*Magnæ Eccleſiæ Dei Sophiæ, Sacrorum Cuſtos, Stephanus nutritori * Monaſterio bene morigeratus * offert.*

* *Id eſt, in quo nutritus eſt.*
* Al. *gratus.*


Re-

Reliqua ſunt quatuor verſus trimetri Jambici Græci.

Et antea potenti Domino Conſtantino
Chriſtus dedit crucem in ſalutem:
Nunc autem eamdem Divus Nicephorus
Imperator fugat acies Barbarorum, habens.

Magiſtratus Cortonenſis, nuncupatus *Sacræ unionis piorum locorum*, pretioſum hunc theſaurum firmiter obſeratum, retentis apud ſe clavibus, diligenter obſervat; & nobilius reponendo pulchrum altare conſtruxit, ita inſcripta facti memoria.

Jeſu Chriſti Filii Dei
Sacroſanctæ Crucis
Cujus inſigne ſegmentum.
Fr. Elias
Olim Franciſcani Ordinis Moderator
Ex Orientis legatione retulit,
Ac perennibus miraculis illuſtratum,
In hoc templo, a ſe una cum cœnobio
In hac ſua patria exædificato,
repoſuit.
Sacræ unionis Magiſtratus
Aram ſuo ſumptu,
Et collata piorum ſtipe erexit,
ornavitque
Anno ſalutis MDCXXXI.



ΜΙΧΑΗΛ
ΙΣ
ΧΣ
ΘV
ΙΩ
ΔΡΟΜΟΣ
ΣΤΕΦΑΝΟΣ
ΙΩ
ΘΕΟΛΟΓΟΣ
ΗΑΓΙΑ
ΕΛΕΝΗ

ΟΤΗϹΝ̄ΑϹΕΚΚΛΗϹΙ

Φ ΚΠΡΙΝ Α

Υ ΚΡΑΤΑΙ Ϲ

Λ ΩΔΕϹ Θ

Α ΠΟΤΗ Ε

Ζ ΚΩΝ Ο

Ε ϹΤΑΝ Υ

Τ Ϲ

Ε ΤΙΝΩ Ο

Φ Φ

ΑΧ̄ϹΔΕΔΩΚΕϹΤΡ̄ΟΝ̄ΕΙϹΩΤΗΡΙΑΝ

ΝΚΝΥΝΔΕΘΟΤΟΝΕΝΘ̄ΩΝΙΚΗΦΟΡΕΑ

Ο Ϲ

Τ ΑΝΑΖ Ϲ

Η ΤΡΟΠΟ Κ

Θ ΤΑΙΦΥ Ε

Ρ ΛΑΒΑΡ Υ

Ε ΒΑΡΩΝ Ο

Τ ΕΞΩΝ

Α

Μ

Ε

Ν

ΗΜΟΝΗϹΕΥΗΘΗϹΤΡΟϹΦΕΡΕΙ

Jacobini mane exponunt legationem in Concilio.

III. Florentiam tamdem pervenientes Oratores, magno honore habiti ſunt a Pontifice & Cardinalibus, nobili comitatu in urbem deducti. Pridie Kalendas Septembris in plena & generali Congregatione, præſidente Pontifice, aſſidentibus Reverendiſſimis Cardinalibus, & præſentibus multis Prælatis, Doctoribus & Magiſtris tam ſecularibus quam Regularibus, ſacrum Concilium repreſentantibus, & Pontifici adſtante Alberto Sartianenſi, unionis ſuaſore & gentis conductore, cujus imago ipſis valvis æneis Baſilicæ Vaticanæ graphice exprimitur; Andreas Abbas idiomate Syriaco religioſe & reverenter peroravit, & Patriarchæ litteras exhibuit. Orationem & ſuæ commiſſionis inſtrumentum ex citato alias codice MSS. Vaticano huc produco.

ORATIO ANDREÆ ABBATIS.

IV. *Cogitanti altam Majeſtatem tuam & meam humilitatem, Pater beatiſſime, tantus ſuboritur pavor, ut ſi aliqua erravero in dicendis paucis, primum id mihi indulgeas deprecor; nihil enim aliud, quam tremor apprehendere poteſt hominem me: pulvis ſum & cinis coram te, Deo in terris, verba faciens; es namque Deus in terris, & Chriſtus, & ejus Vicarius; es Petri ſucceſſor, & Pater, Caput, & Doctor Eccleſiæ univerſalis, cui datæ ſunt claves claudendi, & Paradiſum cuicumque volueris reſerandi; tu Princeps Regum & maximus es Magiſtrorum. Quæ omnia & ſimilia conſiderans, expaveſco tuam alloqui Sanctitatem: cum maxime ante oculos mentis proponam non ſolum poteſtatem tuam, ſed ſapientiam Latinorum, qui in ſtudio ſapientiæ divinarum rerum, & diſciplinæ Jeſu Chriſti, quod a principio ſalutis fidelium imbiberunt, continuo in hæc tempora exercitati, ea nunc tenent & ſentiunt, quæ beatiſſimi Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus illis a principio tradiderunt. Quæ autem Eccleſiæ hujuſmodi ſapientia & diſciplina aliquando privatæ, prima non tenuerunt fundamenta, & a Romana Eccleſia matre & magiſtra ſeparatæ fuerunt, eas permiſit Deus gentibus in opprobrium & infidelibus in rapinam, prout evidenter cernere datur in Græcis & Armenis, & pariter in nobis Æthiopibus Jacobitis, poſtquam anno nongenteſimo a vobis fuimus ſeparati. Conſolamur vero, & mæſtitiæ noſtræ ſpem ea ratione amplam aſſumimus, quod qui tibi conceſſit Græcos & Armenos in Catholicæ fidei unionem latius unire, quique tibi inſpiravit, ut nos per dilectum filium tuum Albertum, Ordinis Minorum, ad unionem quærendam invitares, idem piiſſimus Deus noſter ſuam nobis elargietur benedictionem, ut eadem tecum in Catholica Dei Eccleſia ſentiamus, quod quidem perficietur. Ego, & ut tu vides, ætate jam gravis, e domo ſum profectus ad tuæ Sanctitatis pedes præſentiamque, ſuperatis terræ mariſque periculis, perventurus Reverendiſſimi mei Patriarchæ Orator, ac indigniſſimus locum tenens, quemadmodum conſtare videbis in mandatis, quæ tibi ab eodem Patriarcha exhibeo, quemadmodum poterit enarrare idem frater Albertus, qui multa mecum pericula, multos ſubiit labores pro hac digniſſima unione fidei Chriſtianæ.*

LITTERÆ JOANNIS PATRIARCHÆ.

V. *Joannes, humilis ſervus ſervorum Chriſti, Miniſter Sedis ſancti Marci, magnæ ſcilicet Alexandriæ & totius Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, Pentapoleos Occidentalis, Africæ, totiuſque prædicationis Apoſtoli Marci, humi-*

humilis dico, in ſuis peccatis, petita prius venia & abſolutione ab ipſo Domino, uſque ad terræ pavimentum coram te, Juſtiſſime ac Sanctiſſime Pater, inclino, perfectio Sacerdotii, Paſtor optime, honeſtatis ac ſanctitatis Princeps, piiſſime ductor eorum qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui ſtudio ac ſanctitate, ceteris viam ſalutis oſtendis, D. Eugeni Papa magnæ Urbis Romæ, omnium Eccleſiarum Chriſtianarum Apoſtolice Paſtor, Principum Chriſti Sedium unice, venerande, Patrum ac Sacerdotum Princeps, & Medice languentium animarum. Cuſtodiat Deus omne ſuum ovile tua oratione ac miniſterio, dirigatque illud lumine tuæ ſimilitudinis, quemadmodum & quondam Magos ſtella direxit, nec recedat a diſciplina tua, imo ſervet tua præcepta omnia, qui doctrinam auditurus eſt. Confirmet præterea Deus Sedem tuam, multiplicetque honores Sacerdotum, optime Pater. Poſt hæc refero tuæ magnæ Sanctitati, ſacratiſſimam ac honoratiſſimam ſcripturam tuam per benedictum filium tuum & honoratum Sacerdotem fratrem Albertum ad manus meas perveniſſe. Erant autem litteræ illæ veneratione digniſſimæ in iis quæ continebant. Attulit quoque ſua lectio nobis cauſam cogitandi de rebus optimis atque maximis. Quanta autem earum ſanctitas fuerit, ex hoc facile percipi poteſt; nam & apertæ mox mirum in modum ſuaviſſimum odorem effunderunt, oſtenderuntque profecto manum illam fuiſſe benedictam, cujus digiti tam venerandas figuras deſcripſerant. Verſas igitur per quoſdam ſpectatiſſimos Venetos tuos, quantum fieri poterat, ex Latino in linguam Syrorum, ego & reliqui Fratres mei Coepiſcopi, cum benedictis filiis ac fidelibus Sacerdotibus, honoratiſque Diaconibus in Eccleſia Dei genitricis Mariæ, vico cognominato Zoile, ac ſtante toto populo, legi mandavimus; nec facile, Decus omnium Sacerdotum & Pater, tuæ ſanctitati ſignificare poſſumus, quanta ex lectione litterarum lætitia animis omnium illorum acceſſerit: maximam autem illam fuiſſe, laudantium & exultantium populorum voces oſtenderunt. Fuit ille dies nobis permaximus, & is certe, de quo Propheta prædixerat: Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Nec illud certe efficere potuimus, quod illic lætitiæ lacrymæ quoque mixtæ non fuerint, precantibus omnibus, ut Deus propitiatus mentes noſtras & cogitationes emundet, educatque de tenebris in illud clariſſimum ac indeficiens lumen. Poſt itaque glorificationem divinam, quam Sacerdotes Chriſti ac totus ille Chriſtianorum cœtus Omnipotenti Deo reddiderant, acceſſerunt ad laudes tuæ Sanctitatis & gratiarum actiones, effundimuſque preces ad Dominum, ut te ſanctiſſimum Patrem ac communem omnium Chriſtianorum ſalutem integram ſervet, quos ſic tuis ſanctiſſimis eruditionibus ipſe Deus inſtituit, ut ſint certiſſimæ fidei venerantes, fiantque parati ad unionem & pacem, & tandem ipſe filius Virginis nos omnes Curiæ cœleſti adſcribat, aggregetque numero Beatorum. Huic etiam alacritati atque devotioni acceſſit aliud quoque gratiæ & benedictionis genus; idem enim benedictus filius venerabilis Albertus reddidit mihi duas imagines & Ciambulottum * nomine tuæ Sanctitatis, quæ non aliter quam e cœlo miſſa divina benedictione me ſuſcepiſſe putavi. Ceterum quædam eidem Patri commiſimus, quæ litteris mandare non poſſumus. Sufficiet itaque ipſe quidquid iis litteris deeſt, cui referenti tua Beatitudo plenam fidem adhibere dignetur. Extremo, quoniam ego humilis & pauper greſſu corporis ad tuam Sanctitatem accedere minime poſſum, mitto venerabilem fratrem Andream Abbatem S. Antonii, religione & moribus non mediocriter inſtitutum. Is ea conditione a me diſceſſit, ut privatim ac publice plurima habeat tuæ Sanctitati referre. Ambobus igitur iis benedictis filiis nuntiantibus indubitatam fidem

Pſal. 117. 24.

* Sericam texturam undulatam.

fidem in omnibus tua Beatitudo dare dignetur, quam ad tempora diuturna, pro utilitate, ac aggregatione Chriſtianorum conſervare dignetur Deus Omnipotens. Datum Chayren. XII. *Septembris, ſexto millenario nongenteſimo quadrageſimo ſecundum Græcos, ſecundum vero Jacobitas*, MCLVII. *a tempore Martyrum, a computatione Incarnationis Domini* MCCCCXL.

Examinatâ fide Jacobinorũ ſtabilitur unio.

VI. Lecta commiſſione & litteris honorariis, habitæ ſunt variæ conſultationes a doctiſſimis Concilii viris per Pontificem delectis, ut in quibus gens iſta a vera fide diſcreparet, diſcerneretur, & ſana opponeretur doctrina. Expoſitis erroribus & expoſitis præcipuis fidei myſteriis neceſſariiſque articulis, ſtabilita eſt unio, edito ſub initium anni ſequentis (juxta computum Eccleſiaſticum illius temporis, quo annus, incipiebat a die Incarnationis Dominicæ, ſive Annunciationis Virgineæ) doctiſſimo Diplomate: cujus tenorem ex ipſo autographo Feſulis, uti dixi, apud Minores ſervato, fideliter exhibeo.

An. 1439. *n.* 14.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla unionis Jacobinorum. Summopere laudandum propter Orientaliũ unionem.

1. *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annunciate hæc in univerſa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Cantare profecto & exultare in Domino decet Eccleſiam Dei pro hac grandi magnificentia & gloria nominis ſui, quam hodierna die clementiſſimus Deus operari dignatus eſt. Toto ſiquidem corde laudare & benedicere Salvatorem noſtrum nos convenit, qui ſanctam Eccleſiam ſuam novis quotidie accumulat incrementis. Quamquam autem in populum Chriſtianum ſua beneficia omni tempore multa & magna ſint, quæ luce clarius erga nos ſuam immenſam caritatem oſtendunt; ſi tamen accurate inſpicimus, quæ & quanta his diebus noviſſimis divina clementia facere dignata eſt, judicare certe poterimus, hoc noſtro tempore plura ac majora quam a multis retroactis temporibus ſuæ caritatis munera extitiſſe. Ecce enim nondum exacto triennio in hac ſancta Oecumenica Synodo ſaluberrimam trium magnarum nationum unionem Dominus noſter* Jesus Christus *pro ſua infatigabili pietate ad commune perenneque totius Chriſtianitatis gaudium tam copioſe effecit: unde actum eſt ut totus fere Oriens, qui glorioſum Chriſti nomen adorat, ac non parva Septemtrionis portio poſt longa diſſidia cum ſancta Romana Eccleſia in eodem fidei & caritatis vinculo jam convenerint. Primo etenim Græci, & ii, qui ſubſunt quatuor Patriarchalibus Sedibus multas gentes nationeſque & idiomata continentibus, deinde Armeni multorum populorum gens; hodie vero Jacobini magni etiam per Ægyptum populi, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ uniti ſunt.*

Grata Deo unitas.

2. *Et cum nihil Salvatori noſtro Domino noſtro* Jesu Christo *gratius ſit, quam mutua inter homines caritas, nihilque nomini ſuo glorioſius atque Eccleſiæ utilius eſſe poſſit, quam ut Chriſtiani, omni inter ſe ſublato diſſidio, in eadem ſimul fidei puritate conveniant, merito nos omnes & cantare præ gaudio, & jubilare in Domino debemus, quos, ut tantam Chriſtianæ fidei magnificentiam diebus noſtris videremus, divina miſeratio dignos effecit. Summa igitur cum alacritate annunciamus magnalia hæc in univerſa Chriſtianorum terra, ut ſicut nos pro gloria Dei & exaltatione Eccleſiæ gaudio inenarrabi-*

Digitized by Google

rabili repleti ſumus, ita & alios tantæ lætitiæ participes faciamus, ut omnes uno ore magnificemus & glorificemus Deum, & ſuæ Majeſtati, prout dignum eſt, magnas atque quotidianas gratias agamus pro tot tantiſque mirabilibus beneficiis hac ætate ſuæ ſanctæ Eccleſiæ collatis.

3. *Et quoniam qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in cælis expectat, ſed & apud homines amplam gloriam laudemque meretur: venerabilem fratrem noſtrum Joannem Jacobinorum Patriarcham, hujus ſanctæ unionis cupidiſſimum, a nobis & tota Eccleſia merito laudandum & extollendum, ac communi omnium Chriſtianorum favore cum tota ſua gente dignum judicamus. Is enim a nobis per noſtrum Oratorem ac litteras excitatus, ut ad nos & hanc ſanctam Synodum legationem mitteret, & ſe ac ſuam gentem in eadem cum Eccleſia Romana fide uniret; dilectum filium Andream natione Ægyptium Abbatem Monaſterii ſancti Antonii apud Egyptum, in quo & habitaſſe, & mortuus eſſe ſanctus ipſe Antonius perhibetur, religione & moribus non mediocriter inſtitutum, ad nos & ipſam Synodum deſtinavit: cui, devotionis zelo accenſus, impoſuit atque commiſit, ut fidei doctrinam, quam ſancta Romana Eccleſia tenet & prædicat, nomine ipſius Patriarchæ & ſuorum Jacobinorum reverenter ſuſciperet, deferendam poſtea per eum ad ipſum Patriarcham & Jacobinos, ut & ipſi eamdem agnoſcerent, ratamque haberent, & in ſuis regionibus prædicarent.*

Legatus unionis Jacobitarum.

4. *Nos igitur, quibus voce Domini commiſſum eſt paſcere oves Chriſti, ipſum Andream Abbatem per nonnullos hujus tam ſacri Concilii inſignes viros, ſuper articulis fidei & Sacramentis Eccleſiæ, & quibuſque ad ſalutem ſpectantibus, diligenter examinari fecimus; & tamdem, quantum viſum eſt fore neceſſarium, expoſita eidem Abbati S.R.E. fide Catholica, & per ipſum humiliter acceptata, hanc quæ ſequitur, veram neceſſariamque doctrinam hodie in hac ſolemni ſeſſione, ſacro approbante Oecumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus.*

Diſcuſſa cum eo fidei myſteria & ab ipſo acceptata.

5. *In primis igitur Sacroſancta Romana Eccleſia, Domini & Salvatoris noſtri voce fundata, firmiter credit, profitetur & prædicat, unum verum Deum Omnipotentem, incommutabilem & æternum, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum in eſſentia, trinum in perſonis. Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedentem. Patrem non eſſe Filium, aut Spiritum ſanctum; Filium non eſſe Patrem, aut Spiritum ſanctum; Spiritum ſanctum non eſſe Patrem, aut Filium: ſed Pater tantum Pater eſt, & Filius tantum Filius eſt, & Spiritus ſanctus tantum Spiritus ſanctus eſt. Solus Pater de ſua ſubſtantia genuit Filium, ſolus Filius de ſolo Patre eſt genitus, ſolus Spiritus ſanctus ſimul de Patre procedit & Filio: & tres perſonæ ſunt unus Deus, & non tres Dii, quia trium eſt una ſubſtantia, una eſſentia, una natura, una divinitas, una immenſitas, una æternitas, omniaque ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. Propter hanc unitatem Pater eſt totus in Filio, totus in Spiritu ſancto: Filius totus eſt in Patre, totus in Spiritu ſancto: Spiritus ſanctus totus eſt in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate. Æternum quippe & ſine initio eſt, quod Filius de Patre extitit; & æternum ac ſine initio eſt, quod Spiritus ſanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid eſt aut habet, non habet ab alio, ſed ex ſe, & eſt principium ſine principio. Filius quidquid eſt aut habet, habet a Patre, & eſt principium de principio. Spiritus ſanctus quidquid eſt aut habet, habet a Patre ſimul & Filio. Sed Pater & Filius non*

De myſterio Trinitatis.

duo

duo princip a Spiritus ſancti, ſed unum principium; ſicut Pater & Filius & Spiritus ſanctus non tria principia creaturæ, ſed unum principium.

Damnantur huic articulo adverſantes.

6. *Quoſcumque ergo adverſa & contraria ſentientes damnat, reprobat, anathematizat, & a Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, alienos eſſe denunciat. Hinc damnat Sabellium perſonas confundentem, & ipſarum diſtinctionem realem penitus auferentem. Damnat Arianos, Eunomianos, Macedonianos, ſolum Patrem verum Deum eſſe dicentes, Filium autem & Spiritum ſanctum in creaturarum ordine collocantes. Damnat & quoſcumque alios, gradus ſeu inæqualitatem facientes.*

De uno rerum principio.

7. *Firmiſſime credit, profitetur & prædicat, unum verum Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe omnium viſibilium & inviſibilium creatorem, qui quando voluit, bonitate ſua univerſas tam ſpirituales quam corporales condidit creaturas, bonas quidem, quia a ſummo bono factæ ſunt, ſed mutabiles, quia de nihilo factæ ſunt; nullamque mali aſſerit eſſe naturam, quia omnis natura, inquantum natura eſt, eſt bona. Unum atque eumdem Deum veteris & novi Teſtamenti, hoc eſt Legis & Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu ſancto inſpirante, utriuſque Teſtamenti ſancti loquuti ſunt, quorum libros ſuſcipit & veneratur, qui titulis ſequentibus continentur. Quinque Moyſis, id eſt, Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Joſue, Judicum, Ruth; quatuor Regum, duobus Paralipamenon, Heſdra, Nehemia, Tobia, Judith, Heſter, Job, Pſalmis David, Parabolis, Eccleſiaſte, Canticis Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſtico, Iſaia, Jeremia, Baruch, Ezechiele, Daniele; Duodecim Prophetis minoribus, id eſt, Oſee, Joele, Amos, Abdia, Jona, Michea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggæo, Zacharia, Malachia; duobus Machabæorum; quatuor Evangeliis, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; quatuordecim Epiſtolis Pauli, ad Romanos, duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, duabus ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes, duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus, tribus Joannis, una Jacobi, una Judæ; Actibus Apoſtolorum & Apocalypſi Joannis. Propterea Manichæorum anathematizat inſaniam, qui duo prima principia poſuerunt, unum viſibilium, aliud inviſibilium, & alium novi Teſtamenti Deum, alium veteris eſſe Deum dixerunt.*

De libris canonicis.

Damnantur Manichæi.

De myſterio Incarnationis.

8. *Firmiter credit, profitetur & prædicat, unam ex Trinitate perſonam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri conſubſtantialem & coæternum in plenitudine temporis, quam divini conſilii inſerutabilis altitudo diſpoſuit, propter ſalutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariæ Virginis aſſumpſiſſe, & ſibi in unitatem perſonæ copulaſſe tanta unitate, ut quidquid ibi Dei eſt, non ſit ab homine ſeparatum; & quidquid eſt hominis, non ſit a Deitate diviſum; ſitque unus & idem indiviſus, utraque natura in ſuis proprietatibus permanente, Deus & homo, Dei Filius & hominis Filius, æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem: Immortalis & æternus ex natura Divinitatis, paſſibilis & temporalis ex conditione aſſumptæ humanitatis.*

9. *Firmiter credit, profitetur & prædicat, Dei Filium in aſſumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere paſſum, vere mortuum & ſepultum, vere ex mortuis reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe, ſedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine ſeculorum ad vivos mortuoſque judicandos.*

Damnantur Ebion, Cerinthus &c.

10. *Anathematizat autem, execratur & damnat omnem hæreſim contraria ſapientem. Et primo damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem.*

Pau-

Paulum Samoſatenum, Photinum, omneſque ſimiliter blaſphemantes, qui percipere non valentes unionem perſonalem humanitatis ad Verbum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum eſſe negaverunt, ipſum purum hominem confitentes, qui divinæ gratiæ participatione majori, quam ſanctioris vitæ merito ſuſtepiſſet, divinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichæum cum ſectatoribus ſuis, qui Dei Filium non verum corpus, ſed Manichæus. *phantaſticum ſumpſiſſe ſomniantes, humanitatis in Chriſto veritatem penitus ſuſtulerunt. Necnon Valentinum aſſerentem, Dei Filium nihil de Virgine* Valentinus. *matre ſumpſiſſe, ſed corpus cœleſte cepiſſe, atque ita tranſiſſe per uterum Virginis, ſicut per aquæductum defluens aqua tranſcurrit. Arium etiam, qui aſſerens, corpus ex Virgine aſſumptum anima caruiſſe, voluit loco animæ fuiſſe Deitatem. Apollinarem quoque, qui ſolam poſuit animam ſenſitivam, ſed* Apollinaris. *Deitatem Verbi vicem rationalis animæ tenuiſſe voluit. Anathematizat etiam Theodorum Mopſueſtenum atque Neſtorium aſſerentes, humanitatem* Theodor. Mopſveſt. *Dei Filio unitam eſſe per gratiam, & ob id duas eſſe in Chriſto perſonas,* Neſtorius. *ſicut duas fatentur eſſe naturas, cum intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypoſtaticam extitiſſe, & propterea negarent Verbi ſubſiſtentiam accepiſſe; nam ſecundum hanc blaſphemiam, non Verbum caro factum eſt, ſed Verbum per gratiam habitavit in carne: hoc eſt, non Dei Filius homo factus eſt, ſed magis Dei Filius habitavit in homine. Anathematizat etiam, execratur & damnat Eutychem Archimandritam, qui cum in-* Eutyches. *telligeret, juxta Neſtorii blaſphemiam, veritatem incarnationis excludi, & propterea oportere, quod ita Dei Verbo unita eſſet humanitas, ut Deitatis & humanitatis una eſſet eademque perſona, ac etiam capere non poſſet, ſtante pluralitate naturarum, unitatem perſonæ, ſicut Deitatis & humanitatis in Chriſto unam poſuit eſſe perſonam, ita unam aſſeruit eſſe naturam, volens ante unionem dualitatem fuiſſe naturarum, ſed in unam naturam in aſſumptione tranſiſſe, maxima blaſphemia & impietate concedens, aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem eſſe converſam. Anathematizat etiam, execratur & damnat Macharium Antiochenum, omneſ-* Macharius Antiochenus. *que ſimilia ſapientes, qui licet vere de naturarum dualitate & perſonæ unitate ſentiret: tamen circa Chriſti operationes enormiter oberravit, dicens in Chriſto utriuſque naturæ unam fuiſſe operationem, unamque voluntatem. Hos omnes cum hæreſibus ſuis anathematizat ſacroſancta Romana Eccleſia, affirmans in Chriſto duas eſſe voluntates, duaſque operationes.*

De peccato originali.

11. *Firmiter credit, profitetur & docet, neminem unquam ex viro fœminaque conceptum, a Diaboli dominatione fuiſſe liberatum, niſi per meritum mediatoris Dei & hominum Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus & mortuus, humani generis hoſtem, peccata noſtra delendo, ſolus ſua morte proſtravit, & regni cœleſtis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni ſucceſſione perdiderat, reſeravit: Quem aliquando venturum omnia veteris Teſtamenti ſacra, ſacrificia, ſacramenta, cæremoniæ præſignarunt.*

De legalibus veteris Teſtamenti.

12. *Firmiter credit, profitetur & docet, legalia veteris Teſtamenti, ſeu Moſaicæ legis, quæ dividuntur in cæremonias, ſacra, ſacrificia, ſacramenta, quia ſignificandi alicujus futuri gratia fuerant inſtituta, licet divino cultui illa ætate congruerent, Domino noſtro Jeſu Chriſto adveniente, ceſſaſſe, & novi Teſtamenti ſacramenta cœpiſſe. Quemcumque etiam poſt Paſſionem in legalibus ſpem ponentem, & illis velut ad ſalutem neceſſariis ſe ſubdentem, quaſi Chriſti fides ſine illis ſalvare non poſſet, peccare mortaliter. Non tamen negat, a Chriſti paſſione uſque ad promulgatum Evangelium,*

illa potuiſſe ſervari, dum tamen minime ad ſalutem neceſſaria crederentur, ſed poſt promulgatum Evangelium, ſine interitu ſalutis æternæ, aſſerit non poſſe ſervari.

A Circumciſione ceſſandum. De tempore Baptiſmi conferendi.

13. *Omnes ergo poſt illud tempus Circumciſionis & Sabbati, reliquorumque legalium obſervatores, alienos a Chriſti fide denunciat, & ſalutis æternæ minime poſſe eſſe participes, niſi aliquando ab iis erroribus reſipiſcant. Omnibus igitur, qui Chriſtiano nomine gloriantur, præcipit omnino, quocumque tempore, vel ante, vel poſt Baptiſmum, a Circumciſione ceſſandum; quoniam ſive quis in ea ſpem ponat, ſive non, ſine interitu ſalutis æternæ obſervari omnino non poteſt. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod poteſt ſæpe contingere, cum ipſis non poſſit alio remedio ſubveniri, niſi per ſacramentum Baptiſmi, per quod eripiuntur a Diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet non eſſe per quadraginta aut octoginta dies., ſeu aliud tempus, juxta quorumdam obſervantiam, ſacrum Baptiſma differendum, ſed quamprimum commode fieri poteſt, debere conferri, ita tamen quod, mortis imminente periculo, mox ſine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma Eccleſiæ, ſi deſit Sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur.*

An. 1419. De ciborum delectu. Matth. 15. 17. Actor. 15. 29.

14. *Firmiter credit, profitetur & prædicat omnem creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; quia juxta verbum Domini*, non quod intrat in os, coinquinat hominem: *Illamque Moſaicæ legis ciborum mundorum & immundorum differentiam ad cæremonialia aſſerit pertinere, quæ, ſurgente Evangelio tranſierunt, & efficacia eſſe deſierunt. Illam etiam Apoſtolorum prohibitionem* ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine & ſuffocato, *dicit illi tempori congruiſſe, quo ex Judæis atque Gentilibus, qui antea diverſis cæremoniis moribuſque vivebant, una ſurgebat Eccleſia, ut cum Judæis etiam Gentiles aliquid communiter obſervarent, & in unum Dei cultum, fidemque conveniendi præberetur occaſio, & diſſenſionis materia tolleretur, cum Judæis propter antiquam conſuetudinem ſanguis & ſuffocatum abominabilia viderentur, & eſu immolatitii poterant arbitrari, Gentiles ad idololatriam redituros. Ubi autem couſque propagata eſt Chriſtiana religio, ut nullus in ea Judæus carnalis appareat, ſed omnes ad Eccleſiam tranſeuntes, in eoſdem ritus Evangelii cæremoniaſque conveniunt, credentes omnia munda mundis, illius Apoſtolicæ prohibitionis cauſa ceſſante, etiam ceſſavit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam eſſe denunciat, quam ſocietas admittit humana, nec inter animalia diſcernendum per quemcumque, ſive virum, ſive mulierem, & quocumque genere mortis intereant; quamvis pro ſalute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & Eccleſiaſtica diſciplina poſſint & debeant multa non negata dimitti, quia juxta Apoſtolum*, omnia licent, ſed non omnia expediunt.

1. Cor. 6. 12. Ab Eccleſia diviſi damnantur. Matth. 25. 41.

15. *Firmiter credit, profitetur & prædicat, nullos intra Catholicam Eccleſiam non exiſtentes, non ſolum Paganos, ſed nec Judæos aut hæreticos atque ſchiſmaticos, æternæ vitæ fieri poſſe participes, ſed in ignem æternum ituros*, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus, *niſi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati. Tantumque valere Eccleſiaſtici corporis unitatem, ut ſolum in ea manentibus ad ſalutem Eccleſiaſtica ſacramenta proficiant, & jejunia, eleemoſynæ ac cetera pietatis officia & exercitia militiæ Chriſtianæ præmia æterna parturiant. Neminemque, quantaſcumque eleemoſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine ſanguinem effuderit, poſſe ſalvari, niſi in Catholicæ Eccleſiæ gremio & unitate permanſerit.*

Admittenda Synodus Nicæna.

16. *Amplectitur autem, approbat & ſuſcipit ſanctam Nicænam Synodum*

dum trecentorum decem & octo Patrum, temporibus beatiſſimi Silveſtri prædeceſſoris noſtri, & magni Conſtantini piiſſimi Principis congregatam, in qua impia hæreſis Ariana cum ſuo auctore damnata eſt & definitum eſt, Filium Dei Patri eſſe conſubſtantialem & coæternam.

17. *Amplectitur etiam, approbat & ſuſcipit ſanctam Conſtantinopolitanam Synodum, centum quinquaginta Patrum, beatiſſimi Damaſi prædeceſſoris noſtri & Theodoſii ſenioris tempore convocatam, quæ ipſum Macedonii anathematizavit errorem, qui Spiritum ſanctum non Deum, ſed creaturam aſſerebat. Quod damnant, damnat; quod approbant, approbat; & per omnia vult ibidem definita, illæſa & inviolata ſuſtinere.* Conſtantinopolitana.

18. *Amplectitur etiam, approbat & ſuſcipit ſanctam primam Epheſinam Synodum ducentorum Patrum, quæ tertia eſt in ordine univerſalium Synodorum, ſub beatiſſimo Cæleſtino prædeceſſore noſtro & Theodoſio juniore convocatam, in qua impii Neſtorii eſt damnata blaſphemia, definitumque eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei & veri hominis unam eſſe perſonam, & beatam Mariam ſemper Virginem non ſolum* Chriſtotocon, *ſed etiam* Theotocon; *hoc eſt, non tantum hominis, ſed Dei genitricem ab omni Eccleſia prædicandam.* Epheſina.

19. *Damnat autem, anathematizat & reſpuit impiam ſecundam Epheſinam Synodum ſub beatiſſimo Leone prædeceſſore noſtro & præfato Principe congregatam, in qua Dioſcorus Alexandrinus Antiſtes, Eutychis hæreſiarchæ defenſor, & ſancti Flaviani Conſtantinopolitani Pontificis impius perſequutor, execrandam illam Synodum ad approbationem Eutychianæ impietatis, arte & minis attraxit.* Damnatur Epheſina ſecunda.

20. *Amplectitur etiam, approbat & ſuſcipit ſanctam Chalcedonenſem Synodum, quartam in Ordine univerſalium Synodorum, ſexcentorum & triginta Patrum, temporibus præfati beatiſſimi Leonis prædeceſſoris noſtri & Marciani Principis celebratam, in qua hæreſis Eutychiana cum ſuo auctore Eutyche & Dioſcoro defenſore damnata eſt, & definitum eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem, & in una eademque perſona divinam humanamque naturas integras, inviolatas, incorruptas, inconfuſas diſtinctaſque manſiſſe, humanitate agente quæ hominis ſunt, & Deitate quæ Dei. Quos damnat, damnatos habet; quos approbat, approbatos.* Admittitur Chalcedonenſis.

21. *Amplectitur etiam, approbat & ſuſcipit ſanctam quintam Synodum, ſecundam Conſtantinopolitanam, tempore beatiſſimi Vigilii prædeceſſoris noſtri & Juſtiniani Principis celebratam, in qua ſacri Chalcedonenſis Concilii definitio de duabus naturis & una perſona Chriſti renovata eſt, multique Origenis errores, ſuorumque ſequacium, præſertim de Dæmonum aliorumque damnatorum pœnitentia & liberatione, reprobati atque damnati ſunt.* Conſtantinopolitana ſecunda.

22. *Amplectitur etiam, approbat & ſuſcipit ſanctam tertiam Conſtantinopolitanam Synodum, centum & quinquaginta Patrum, quæ ſexta eſt in ordine univerſalium Synodorum, temporibus beatiſſimi Agathonis prædeceſſoris noſtri & Conſtantini IV. hujus nominis Principis, congregatam, in qua Macharii Antiocheni & ſectatorum hæreſis condemnata eſt, & definitum eſt, in Domino noſtro Jeſu Chriſto duas eſſe perfectas integraſque naturas & duas operationes, duas etiam voluntates, licet eſſet una eademque perſona, cui utriuſque naturæ competerent actiones, Deitate agente quæ Dei ſunt, & humanitate quæ hominis ſunt.* Conſtantinopolitana tertia.

23. *Amplectitur etiam, veneratur & ſuſcipit omnes alias univerſales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas ac celebratas & con-* Et omnia legitima Concilia.

& confirmatas, & præſertim hanc ſanctam Florentinam, in qua inter alia Græcorum & Armenorum ſanctiſſima unio conſummata eſt, & multæ circa utramque unionem ſaluberrimæ definitiones editæ ſunt, prout in decretis deſuper promulgatis plenius continetur: quorum tenor in hunc modum ſequitur.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conſentiente ad infraſcripta cariſſimo filio noſtro Joanne Palæologo Romæorum Imperatore Illuſtri, & loca tenentibus venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarcharum, & ceteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.

Bulla unionis Græcorum. *Epheſ.* 2. v. 14. 20.

1. L*Ætentur cœli, & exultet terra: ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit, illo* angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum, *vinculo fortiſſimo caritatis & pacis utrumque jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante atque continente: poſt longam mæroris nebulam, & diſſidii diurni atram ingentemque caliginem, ſerenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & Mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus invicem diſſidentes, jam videt in unitatem pacemque rediiſſe: & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat, ex ipſorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio Omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, Matri catholicæ Eccleſiæ collætentur. Ecce enim Orientales Occidentaleſque Patres poſt longiſſimum diſſenſionis atque diſcordiæ tempus, ſe maris & terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum Oecumenicum Concilium, deſiderio ſacratiſſimæ unionis, & antiquæ caritatis redintegrandæ gratia, læti alacreſque convenerunt, & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim laborioſamque indaginem, tandem Spiritus ſancti clementia ipſam optatiſſimam ſanctiſſimamque unionem conſecuti ſunt.*

2. *Quis igitur dignas Omnipotentis Dei beneficiis gratias referre ſufficiat? Quis tantæ divinæ miſerationis divitias non obſtupeſcat? cujus vel ferreum pectus tantæ ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus divina opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & divinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum bonum ſponſæ tuæ Catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem divinumque munus nobis Deus largitus eſt: oculiſque vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aſpicere nequiverunt. Convenientes enim Latini & Græci in hac ſacroſancta Oecumenica Synodo, magno ſtudio invicem uſi ſunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus ſancti proceſſione, ſumma cum diligentia & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis vero teſtimoniis ex divinis ſcripturis, plurimiſque auctoritatibus ſanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium; aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibuſdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum ſanctum, & ad eamdem intelligentiam aſpicientibus omnibus ſub diverſis*

Differentia Latinorum & Græcorum circa proceſſionem Spiritus ſancti.

verſis vocabulis ; Græci quidem aſſeruerunt , quod id quod dicunt Spiritum ſanctum ex Patre procedere , non hac mente proferunt ut excludant Filium , ſed quia eis videbatur , ut ajunt , Latinos aſſerere Spiritum ſanctum procedere ex Patre & Filio tamquam ex duobus principiis & duabus ſpirationibus , ideo abſtinuerunt a dicendo, quod Spiritus ſanctus ex Patre procedat & Filio ; Latini vero affirmarunt , non ſe hac mente dicere Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere ut excludant Patrem , quin ſit fons ac principium totius Deitatis , Filii ſcilicet & Spiritus ſancti ; aut quod id , quo ſpiritus ſanctus procedit ex Filio , Filius a Patre non habeat , ſive quod duo ponant eſſe principia , ſeu duas ſpirationes , ſed ut unum tantum aſſerant eſſe principium , unicamque ſpirationem Spiritus ſancti , prout hactenus aſſeruerunt . Et cum ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis ſenſus , tamdem in infra ſcriptam ſanctam & Deo amabilem , eodem ſenſu , eademque mente unionem unanimiter concordarunt & conſenſerunt .

Definitio hujus articuli .

3. *In nomine igitur ſanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti , hoc ſacro univerſali approbante Florentino Concilio , definimus , ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur , ſicque omnes profiteantur : quod Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt , et eſſentiam ſuam ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre , ſimul & Filio , & ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio & unica ſpiratione procedit ; declarantes quod id , quod ſancti Doctores & Patres dicunt , ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum ad hanc intelligentiam tendat , ut per hoc ſignificetur , Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem* cauſam , *ſecundum Latinos vero* principium *ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti , ſicut & Patrem ; Et quoniam omnia quæ Patris ſunt , Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo , dedit , præter eſſe Patrem ; hoc ipſum , quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio , ipſe Filius a Patre æternaliter habet , a quo æternaliter etiam genitus eſt .*

De voce Filioque .

4. *Definimus inſuper , explicationem verborum illorum ,* Filioque , *veritatis declarandæ gratia & imminente tunc neceſſitate , licite ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam .*

De materia Euchariſtiæ .

5. *Item in azimo ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici , Sacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere , unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ , ſive Occidentalis , ſive Orientalis conſuetudinem .*

De Purgatorio .

De ſuffragiis pro mortuis .

De gloria Juſtorum .

De Inferno .

6. *Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint , antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis , eorum animas pœnis Purgatoriis poſt mortem purgari ; & ut a pœnis hujuſmodi releventur , prodeſſe eis vivorum fidelium ſuffragia , Miſſarum ſcilicet ſacrificia , orationes , eleemoſynas , & alia pietatis officia , quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta : illorumque animas , qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt , illas etiam quæ , poſt contractam peccati maculam in ſuis corporibus , vel eiſdem exutæ corporibus , prout ſuperius dictum eſt , ſunt purgatæ , in cœlum mox recipi , & intueri clare ipſum Deum trinum & unum , ſicuti eſt , pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius ; illorum autem animas , qui in actuali mortali peccato , vel ſolo originali decedunt , mox in Infernum deſcendere , pœnis tamen diſparibus puniendas .*

De primatu Pontificis .

7. *Item definimus , ſanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum , & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum , & verum Chriſti Vicarium , totiuſque Eccleſiæ caput , & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem*

rem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Conciliorum Oecumenicorum, & in ſacris Canonibus continetur. Renovantes inſuper ordinem traditum in Canonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Conſtantinopolitanus II. ſit poſt ſanctiſſimum Romanum Pontificem; tertius vero Alexandrinus; quartus autem Antiochenus, & quintus Jeroſolymitanus, ſalvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum. Datum Florentiæ in Seſſione publica Synodali, ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXIX. *pridie Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno* IX.

De ordine ſediũ Patriarchalium.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla unionis Armenorum.

1. EXultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob &c. Ut habetur ſupra anno MCCCCXXXIX. ubi tota Bulla unionis Armenorum exſcribitur.

2. *Verum, quia in ſupraſcripto decreto Armenorum non eſt explicata forma verborum, quibus in conſecratione Corporis & Sanguinis Domini ſacroſancta Romana Eccleſia, Apoſtolorum doctrina & auctoritate firmata, ſemper uti conſueverat, illam præſentibus duximus inſerendam. In conſecratione Corporis Domini hac utitur forma verborum*: Hoc eſt enim Corpus meum: *Sanguinis vero*: Hic eſt enim calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. *Panis vero triticeus, in quo Sacramentum conficitur, an eo die, an antea coctus ſit, nihil omnino refert; dummodo enim panis ſubſtantia maneat, nullatenus dubitandum eſt, quin per prædicta verba conſecrationis corporis, a Sacerdote cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Chriſti corpus tranſſubſtantietur.*

Forma Sacramẽti Euchariſtiæ.

Materia.

De ſecundis & ulterioribus nuptiis.
Rom. 7.

3. *Quoniam nonnullos aſſeritur, quartas nuptias tamquam condemnatas reſpuere, ne peccatum, ubi non eſt, eſſe putetur; cum ſecundum Apoſtolum*, mortuo viro, mulier ſit ab ejus lege ſoluta, & nubendi cui vult, in Domino habeat facultatem; *nec diſtinguat mortuo primo, vel ſecundo, vel tertio: declaramus non ſolum ſecundas & tertias, ſed & quartas atque ulteriores, ſi aliquod Canonicum impedimentum non obſtet, licite contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi ulterius a conjugio abſtinentes in caſtitate permanſerint; quia ſicut viduitati virginitatem, ita nuptis caſtam viduitatem laude ac merito præferendam eſſe cenſemus.*


Acceptatur reverenter decretum.

4. *His omnibus explicatis, præfatus Andreas Abbas nomine dicti Patriarchæ, ac proprio, & omnium Jacobinorum, hoc ſaluberrimum Synodale decretum cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quidquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, approbat cum omni reverentia & devotione ſuſcipit & acceptat. Illos quoque Doctores, quos Eccleſia Romana approbat, ipſe reverenter ſuſcipit; quaſcumque vero perſonas, & quidquid Romana Eccleſia reprobat & damnat, pro reprobatis & damnatis ipſe habet, profitens tamquam verus obedientiæ filius, nomine quo ſupra, ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter & ſemper obtemperare.*

5. Le-

5. *Lecto ſolemniter in præſenti Synodo hoc ſolemni decreto Latino ſermone, mox in Arabico, præfatus Andreas Abbas ipſum Jacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infraſcripta verba in ſcriptis ſubjunxit Arabice, quæ in continenti Latine recitata ſunt.*

6. *Beatiſſime Pater, Domine Eugeni, ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſumme Pontifex, vereque Chriſti Vicarie, ac beati Petri ſucceſſor, & ſanctiſſima univerſalis Florentina Synode, totum hoc ſanctum decretum, cum inſertis etiam ſanctis decretis unionis Græcorum & Armenorum, quod in noſtra præſentia publice lectum eſt: Ego Andreas humilis Abbas ſancti Antonii, orator Reverendiſſimi Patris Domini Joannis Patriarchæ Jacobinorum, habens ipſius decreti per plures dies plenam notitiam & inſtructionem, cognoſco confiteorque, omnia in ipſo decreto contenta divinæ ac Catholicæ veritati conſona exiſtere. Nomine igitur præfati Domini Patriarchæ, omniumque Jacobinorum, ac meo, quemadmodum veſtra ſanctitas atteſtatur, præfatum ſaluberrimum ſynodale decretum cum dictis inſertis decretis, omnibuſque ſuis capitulis & declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quidquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni devotione & reverentia ſuſcipio & accepto. Illos quoque Doctores & ſanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, reverenter ſuſcipio; quaſcumque vero perſonas, & quidquid ipſa Romana Eccleſia reprobat & damnat, pro reprobatis & damnatis habeo; pollicens nomine quo ſupra, ipſum Patriarcham, Jacobinoſque, & meipſum, tamquam veræ obedientiæ filios, veſtris & Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter & ſemper obtemperaturos. Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali, ſolemniter in Eccleſia Domus S. Mariæ Novellæ, apud quam nunc reſidemus, celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLI. *Pridie Nonas Februarii, Pontificatus noſtri, anno* 11.



De Carbonibus.

Ego EUGENIUS, *Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.*
Ego Antonius, Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Bononienſis, me propria manu ſubſcripſi.
Ego Branda, Epiſcopus Portuenſis nominatus Cardinalis Placentinus.

Ego

Ego Nicolaus, tituli ſanctæ Crucis Presbyter Cardinalis, manu propria me ſubſcripſi.

Ego Dominicus, tituli ſanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis, manu propria me ſubſcripſi.

Ego Franciſcus, tituli ſancti Clementis Cardinalis Presbyter, S. R. E. Vicecancellarius.

Ego Angelottus, tituli ſancti Marci Presbyter Cardinalis, manu propria me ſubſcripſi.

Ego Joannes, tituli SS. Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Nicolaus, tituli ſancti Marcelli Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Georgius, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Beſſarion, tituli ſanctorum duodecim Apoſtolorum Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Joannes, tituli ſanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis propria manu me ſubſcripſi.

Ego Guillelmus, tituli ſancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

B. Jacob. Picenus deſtinatur Inquiſitor contra Fratricellos.

VII. Toties a Sede Apoſtolica condemnata, & ferro, flammaque depreſſa, infamis ſecta Fratricellorum, ſub hoc tempus novas cepit vires in provincia Marchiæ Anconitanæ. Redierat hoc anno ex Boſnæ & Hungariæ regnis beatus Jacobus in Marchia natus, & jam pridem ſub Martino V. pravitatis hæreticæ Inquiſitoris contra hos ipſos nebulones ibidem officio functus, quo huic muneri neminem magis idoneum Pontifex reputabat. Dato ergo hoc Diplomate, injunxit, ut denuo mala hac ſobole provinciam illam repurgaret.

Tomo 10. anno 1416. n. 1.

Dilecto filio Jacobo de Monte Brandono, provinciæ Marchiæ Anconitanæ, Ordinis Minorum.

Ex lib. 20. Bullarum fol. 251.

VIII. *Illius ſummi Paſtoris, qui de ſummo cælo ad ima mundi hujus deſcendere dignatus eſt, ut humanum genus per crucis patibulum ab æterna morte liberaret, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad id cordis noſtri affectum deſideranter extendimus, ut oves nobis creditæ per veritatis callem ſecure incedant, amotiſque quibuſcumque erroribus, tamdem ad portum ſalutiferum vitæ æternæ perductæ, Beatorum cætibus adſcribantur. Sane ad noſtrum, non ſine maxima cordis noſtri diſplicentia, pervenit auditum, in provincia noſtra Marchiæ Anconitanæ, ac ei circumvicinis terris & locis, ſectam quorumdam pravorum hominum, qui* Fratricelli, *ſeu* de opinione *vulgariter nuncupantur, & quam hæreticæ pravitatis a* Romana *Eccleſia damnatam eſſe conſtat, pullulare, atque in dies creſcere, ejuſque venenum peſtiferum adeo ſerpere, ut, niſi de opportuno & celeri provideatur remedio, timendum ſit, ne peſtis hujuſmodi, inſtigante humani generis inimico, diffundatur latius, ac magnum gregi* Dominico, *contagio hujuſmodi afferat detrimentum. Nos igitur ipſum* Dominicum *gregem ab hujuſmodi peſtifera contagione intactum præſervare cupientes, devotioni tuæ, de cujus zelo & affectu erga fidem orthodoxam, & ipſam* Romanam *Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ſpecialem in* Domino *fiduciam gerimus, de hujuſmodi perſonis utriuſque ſexus, etiam cujuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, quæ in prædictis* Provincia, *terris & locis, quæ hujuſmodi hæreſis labe infectæ dicantur, inquirendi, & contra eas, & earum quamlibet procedendi etiam*

etiam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii; ac ipſas carcerandi, & prout earum exceſſuum qualitas exegerit, pœnis quoque debitis, & per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia Juris remedia; invocato etiam, ſi opus fuerit ad hoc, auxilio brachii ſecularis, puniendi, necnon alia & ſingula, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint ſeu etiam opportuna, faciendi & exequendi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium damus & concedimus facultatem: privilegiis ſeu exemptionibus, ſub quacumque verborum forma cuicumque talium perſonarum conceſſis, etiamſi talia fuerint, ut de iis plena & expreſſa, ac de verbo ad verbum ſpecialis in præſentibus habenda foret mentio, necnon quacumque alia commiſſione generali vel ſpeciali cuicumque alteri Inquiſitori hæreticæ pravitatis facta, ac aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLI. IV. *Idus Junii, Pontificatus noſtri, anno* XI.

IX. Sanctus Bernardinus Senenſis curis oppreſſus & ſenecta gravatus, Diplomate, quod diximus, fultus Pontificio, Joannem Capiſtranenſem in partem laborum adſcivit, & Viſitatorem ac Commiſſarium inſtituit Fratrum Regularis Obſervantiæ in provinciis Januenſi, Mediolanenſi & Bononienſi, datis hoc anno litteris in Cœnobio Capriolæ prope Senas, die XIV. Februarii, in quibus divini verbi ſeminatorem vocat eximium. Viſitatorem & Cuſtodem domorum omnium ejuſdem regularis Inſtituti in Caſtellæ & Legionis regionibus, petente Maria Regina, deputavit Pontifex fratrem Sancium de Canales: *Apoſtolicæ ſervitutis*, IV. Kalendas Julii. In provincia Aragoniæ, Pontifice inſinuante, nominavit Guillelmus Generalis Miniſter fratrem Bernardum Iſcoriolam Vicarium regularis Obſervantiæ, anno proxime elapſo ab officio amotum. Fratrem Joannem de Peruſio Provinciæ ſancti Franciſci alumnum, a Vicariatu provinciæ Pennenſis ad Tuſcanum tranſtulit, ejuſque regimini ſubjecit domos tres, quas frater Herculanus, de quo alias dixi, in urbe Lucenſi & partibus adjacentibus fabricari curavit, & perpetuo adnexas voluit provinciæ Tuſciæ, datis litteris, X. Novembris, anni præteriti. Illæ ſunt, Lucenſis, ſancti Cerbonii extra Lucam, & Carfaniani. In provincia ſancti Antonii Baltaſſarem de Monte Sancti Georgii Vicarium inſtituit. In provincia ſancti Angeli Jacobum de Seſſa, cui præcepit hoc anno XIII. Decembris, ut Conventum ſancti Salvatoris extra Luceriam a ſe dimiſſum, iterum reaſſumat. In provincia Portugalliæ fratrem Dionyſium. In Vicaria Boſnæ Joannem de Waya, quem diximus ſuperius inſtitutum ibidem Commiſſarium & Inquiſitorem. In Vicaria Corſicæ Jacobum de Placentia.

Joan. Capiſtran. coadjutor Bernardini Senenſis.

Vicarius in Caſtella & Legione Sancius de Canalibus.

Aliarum Provinciarum Vicarii.

Tom. 10. ann. 1427. n. 17.

Ann. 1439. n. 26.

X. Ex Miniſtris Provinciarum, quos ſupra recenſui, ſolos ſex invenio mutatos & recenter inſtitutos. In Romana Joannem Tyburtinum: in Tuſcana Scolarium de Monte Ilcino. In Provincia Pontium de Monte peſſulano. In Aquitania Jacobum Jalgia. In ſancti Jacobi Philippum Aſtoricenſem. In Hibernia, amoto Joanne White propter malum regimen, factus eſt primo Vicarius & Commiſſarius provinciæ Joannes Knoker, deinde Edmundus Geraldi.

Ann. 1418. n. 17. Miniſtri noviter mutati.

XI. Vicarius inſularum Fortunatarum erat frater Joannes de Logronio, cui Pontifex conceſſit, ut in loco aliquo maritimo regni Caſtellæ domum ædificaret, in qua Fratres ad Inſulas euntes, & inde redeuntes reciperentur, & res neceſſariæ Fratrum victui, & domibus conſtruendis in nova illa gentis idololatræ converſione, ex Hiſpania evehendæ, reponerentur:

Vicarius inſularum Fortunatarum.

Digitized by Google

Sacræ Religionis, v. Kalendas Julii. Sub hoc tempus ad Inſulas has tranſfretaſſe beatum Didacum, *Complutenſem* communiter ex ſepulturæ loco cognominatum, & ſub annum MCCCCXLIV. rediiſſe in Hiſpaniam, regiſtrum Ordinis, & vitæ acta MSS. recenſent. Primo hoc loco certa ſe offert occaſio ejus hiſtoriæ inchoandæ; neque enim nativitatis, aut rerum ab

Vitæ S. Didaci ſcriptores.

eo hucuſque geſtarum annus, aut determinatum tempus præfigitur. Vitam ejus, res geſtas, miracula copioſe ſcripſerunt, Latino idiomate Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus, & Franciſcus Penna ſacri Palatii Apoſtolici Auditor, prius in cauſa canonizationis Advocatus; Luſitanico Mar-

Marc. 3. p. l. 5. c. 1. Mariet. de Sanctis Hiſpan. l. 15. Salaz. de prov. Caſtell. lib. 3. cap. 13.

cus Ulyſſiponenſis; Caſtellano Joannes de Marieta & Petrus de Salazar. Ex quibus atque ex inſtrumentis, actiſque canonizationis ego præcipua per ſuos annos diſponam.

XII. Acta referunt, ingraveſcente peneque decurſa ætate deceſſiſſe, anno MCCCCLXIII. ex quo conficitur, ante annum MCCCC. lucem hanc aſpexiſſe. Parentibus humilibus iiſque obſcuris, quorum vel nomina inte-

Ejus ortus, parentes, patria.

rierunt, natus in oppido ſancti Nicolai de Portu, diœceſis Hiſpalenſis, Bæticæ provinciæ, inter Conſtantinam & Caſaliam, nomen accepit Jacobi, Hiſpanis ſacrum propter ſancti Jacobi Apoſtoli ſui tutelaris reverentiam;

Nomen.

quod vulgo *Diego*, Latine *Didacum* invertunt. Adoleſcentiori ætate mun-

Recedit in ſolitudinem.

di pericula declinaturus, ad ſolitariam Eccleſiam ſancti Nicolai non longe ab oppido ſitam, receſſit; ubi ſub pœnitentis habitu & magiſterio cujuſdam pii Sacerdotis, per annos multos, & continuas vigilarum, abſtinentiæ, continentiæ, orationis, aliarumque virtutum exercitationes, perfectioris vitæ firma jecit fundamenta. Per vicina oppida & caſtra victui mendicabat neceſſaria: &, ne otio difflueret, hortulum Eremitorio vicinum excolebat, vaſcula viminea contexebat, cochlearia, ſalina, aliaque minuta utenſilia conficiebat, quæ ſuis benefactoribus libere porrigebat. Si quod laboris aut munuſculi pretium offerebatur, reſpuebat dicens, eremicolæ præter tunicam, cucullam, palliolum, & meditationum libellum, cuncta eſſe ſuperflua.

XIII. Ex nativo oppido cum in Eremum rediret, crumenam nummis

Pecuniam contingere non vult.

tumentem offendit, quam nec contingere auſus, in oppidum reverſus vocavit, qui tolleret; exemplum ſecutus ſancti Franciſci, diſcipulus mox futurus. Ab incunabulis huic addictus Inſtituto, tanto ferebatur deſiderio Monachatus, ut cum quidpiam conſtanter affirmare vellet, non alio ſacramento, quam iis uteretur verbis: *Ita meis votis annuat Deus, ut Monachum velit Franciſcanum*. In humilitate, virtutum omnium fundamento, & Dei amore, chariſmatum ſupremo, ſolide enutritus, ægre tulit plurimam ſibi exhiberi per vicos & caſtella reverentiam, decrevitque alio proficiſci &

Induit habitum ſancti Franciſci.

diſcurrendi quo vellet, ſibi negare facultatem. Abiit itaque Cordubam, atque inde progreſſus ad religioſum cœnobiolum Arizafæ, ab urbe M. D. P. diſtantem, Regularis obſervantiæ tunc in Hiſpania celebris, habitum ſuſcepit ſub humili ſtatu Laicali, ſeu Converſorum. Ibi pietatis ardore, & progreſſione diſciplinæ aſſecutus eſt omnia, quæ ſibi maxime propoſuerat ad vitæ perfectioris imitationem. Etenim in domo religioſis & probis Viris in-

Religioſæ domus magnum magiſterium.

ſtructa, promptuarium quoddam conſpicitur exemplorum, quibus univerſi atque adeo ſingillatim quicumque in eo cętu adſcribuntur, inſtructiores fiunt ad egregia ſummarum virtutum officia. Sunt in bene conſtituto domicilio, qui humilitate & manſuetudine, qui caritate, qui abſtinentia, qui meditationis & orationis ſtudio alios antecellant: ſunt etiam nonnulli, qui aliorum cœleſtium donorum vario ſplendore præluceant. Quo fit ut in tanta bono-

norum copia religioſus advena opibus circumfluat documentorum, quibus in omnes virtutum partes conformari poſſit ad perfecte ſancteque vivendum.

XIV. Ubi ſolemni votorum nuncupatione ſacris Inſtitutis ſe devinxit, paratus in voluntates omnes Dei, celeriter cucurrit viam mandatorum cœleſtium, eoque cogitatum direxit, ut quam delegit vivendi rationem, verbis & factis adamuſſim obſervaret. Ne quidpiam præteriret, aut ex ignorantia peccaret, vivendi formulam, & Superiorum ſtatuta memoria complexus, omnia ad vitæ uſum & conſuetudinem quotidianam adaptavit. Ab his adeo ne minimum quidem ipſe diſceſſit, ut nec alios diſcedere perferret; in quidquam etenim horum offendentem, hortatu, monitis & claris exemplis ab errore revocabat. Humilitate, quam in eremo coluit, miris aucta incrementis, omnes ſibi præferebat, ſe nemini; quibuſcumque, etſi minimis, paratus obedire. Senes, pueros, adoleſcentes, omnes cujuſcumque ordinis, ac ſtatus, tanta humilitate ſtudebat adjuvare, quanta quidem maxima poteſt animo comprehendi. Auxilium aut conſilium numquam petentibus denegavit, nec pauperes aut mendicos aliquando contempſit, imo his ſerviebat humilius, qui majori indigebant adjutorio. Injurias, contumelias, maledicta patientiſſime ferebat & lucri loco ponebat, ſciens in patientia Chriſtiana tranquille animam poſſideri. Pannoſo & aſpero indutus amictu, ſummas reputabat divitias animum a cupiditate alienum, & paucis contentum, reliquis, quæ apud alios in pretio habentur, ſuperiorem.

Ejus exercitia in religione.

Ejus humilitas.

XV. Ad obedientiæ leges paratus & inſtructus, non attendit unquam, ut erat ſingulari animi ſimplicitate, quale eſſet, quod præciperetur, eo ſolo contentus, quod a Superioribus juberetur. Illa in exequendis mandatis videbatur dumtaxat differentia, ut facilius & hilarius humilia, quam honorifica, aſpera & difficilia, quam jucunda & levia perageret. Magnam itaque viri religioſi opinionem præter ſpem aſſecutus, apud omnes ſuſtinuit, qui aut in eodem domicilio permanerent, aut aliunde ex disjunctiſſimis provinciis illuc confluerent. Ex his plerique, peragratis multis regionibus, cum plurimorum Fratrum vitam moreſque exploratos haberent, illud intrepide aſſeverabant, ſe illorum, qui perfecte exequendis beati Franciſci præceptis Didaco par eſſet, vidiſſe uſquam neminem.

Obedientia.

XVI. Caſtitatem, inſigne animi & corporis ornamentum, aſſiduo ſtudio ſervavit illibatam. Si quando titillabat ſenſus & prurienti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggerebat, protinus ad tuta caſtitatis præſidia confugiens, fame corpus conficiebat & ſiti, ea dumtaxat admittens, quæ animam magis trahere, quam ſuſtentare, & corporis vires non augere, ſed mortem poſſent prohibere. Orans etiam & pſallens manum operi admovebat, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret. Interdum tam rigide corpus caſtigabat, a capite ad talos uſque vehementer cædens flagellis, ut humanas vires durum hoc ſupplicium videretur ſuperare. Gelidiſſimis aquis immerſus tamdiu inhærebat, quouſque per cooperantis gratiæ virtutem, carnalis concupiſcentiæ calorem reprimeret, membrorumque legem ſævo gelu conſtringeret. Laborioſo hoc ſtudio incendia voluptatum extinxit, edomitaque, libidine peſſimas evicit cogitationes, laſcivientis naturæ impetus compreſſit, caſtitatem ſervavit & invadentem ſæpe inviſibilem hoſtem ſubegit.

Caſtitas.

XVII. Alia excelluit virtute caſtitati germana, ſimplicitate quadam columbinæ ſimillima, quæ veram pietatem & Chriſtianam ſinceritatem mirabiliter illuſtrat. In ejus actis multi conſpirant teſtes, adeo hac fulſiſſe

Simplicitas.

virtute, ut omnes in ſui admirationem excitarit. Referunt inſuper, de aliis numquam præpoſtere judicaſſe, nullum verbum iniquum contra proximum protuliſſe, nullum ſermonibus aſperis contriſtaſſe, neque obmurmurantes, aut ſecreto aliis detrahentes potuiſſe patienter audire. Verba non ſolum lepida & hilarioris notæ, ſed & otioſa atque inania, quibus animus ab intenta in Deum cogitatione disjungitur, procul ſaciebat, ſemperque de rebus piis, honeſtis, & quæ ad aliorum ſpectabant ædificationem, ſermonem inſtituebat. Chriſti paſſionem mortiſque injurias jugiter meditabatur, & cum aliis de crucis aliiſque noſtræ redemptionis inſtrumentis frequenter pie colloquebatur.

Caritas. XVIII. Erga proximos ea æſtuabat caritate, ut per devia aberrantes in viam reduceret veritatis, legis divinæ violatores, & Regularis Inſtituti tranſgreſſores acriter objurgare, nullo unquam tempore deſtiterit. Mortali crimine irretitos, & ex hac vita abſque prævia confeſſione repente ſublatos, ubertim deflebat. Ac tunc quidem maxime orationi intentus; brachiis primum in crucis formam protenſis, deinde complicatis, divinam miſericordiam ardenter rogabat, ne ſe vel alios in tentationem induci, aut ſimiles exitus permitteret experiri. Pro culpis & negligentiis alienis aſperas ſubibat pœnitentias, & quod non deliquerat, frequenter exolvebat, ut Dei adverſus homines iracundiam averteret vel mitigaret. Profuſa caritate omnes ſummo ſtudio diligebat, animi corporiſque languoribus prompte occurrebat, pauperes miro modo variis cibariis reficiebat; eaque liberalitate, cum janitorem ageret Monaſterii, cuncta miſellis erogabat, ut Superiores frequenter ejus profuſam largitatem incuſarent. Sed Vir beatus eorum animos humilitate leniebat, monens id æquo animo ferendum eſſe, cum ex eleemoſyna copioſe tributa uberiores fructus ſoleant provenire. Neque eum ſua fefellit opinio, aut vana decepit ſpes, quam de divina conceperat miſericordia: etenim tam multa ad famem & ſitim, ceteraſque pauperum egeſtates ſublevandas undique deferebantur, tanta rerum copia abundabat, ut omnes admirarentur unde tam multa colligere, omnibus ſatisfacere, eis ubertim eleemoſynam impendere, egentes conſolari, eoſque ſaturos & hilares poſſet dimittere. Sed rerum quandoque premente inopia & benignæ largitatis deficiente materia, cum eleemoſynam petentibus, quod largiretur, non haberet, internum animi dolorem crebris ſingultibus & profuſis lacrymis indicabat.

Aſſidua oratio. XIX. Ne fortaſſis tædio, mentiſque deſidia reſolutus, ad antiquas animi perturbationes recurreret, in ſilentio mentis crebras ad Deum precea emittebat, familiariter ſuas curas cogitationeſque Domino referabat, cum Chriſto miſcebat colloquia, ut hoc divino clypeo munitus, inſidiantis inimici fraudes effugeret. Plorans & gemens genibus flexis, defixiſque in Chriſti crucifixi imaginem oculis, peccatorum veniam deprecabatur. Beatiſſimam Virginem ſingulari affectu, repetita per orbiculos ſalutatione Angelica, perpetuo venerabatur, aſſidue præ manibus habens precum illam menſuram, quam *Coronam* appellant. Præter cetera jejunia, quæ per anni circulum plurima exolvebat, omnibus ſacratiſſimæ Virginis vigiliis panem dumtaxat admittebat & aquam. Et cum, rebus omnibus mundi poſthabitis, mentem in una defigeret oratione, tanta ejus in deprecando Dominum pietas fuit & efficacia, ut ſæpe languentibus auxilia afferret: a multis etiam qui per ejus interceſſionem ſingularia a Deo beneficia poſtulabant, graviſſima amoliretur pericula.

Patientia. XX. Ceterum, cum variis calamitatibus concuteretur, ac pene intolera-

rabilibus laborum fluctibus ſubmergeretur, inſigni patientia ita confirmabat animum, ut nihil plane detrimenti ex adverſitatum colliſione perciperet. Qua de cauſa, cum eum aliquando ægritudo corriperet aut morbi vis dolorem intenderet, tam patienter cruciatus ferebat, ut in ipſo etiam mortis limine conſtitutus, nullum ſævientis doloris ſignum ediderit. Conſtantiſſima fide myſteria omnia ſacræ doctrinæ credebat, & ſacras Eccleſiæ reverenter obſervabat inſtitutiones. Prona inerat & facilis ad credendum propenſio, una cum ſingulari devotionis affectu conjuncta. Tantam enim confidentiam de divina miſericordia & bonitate conceperat, ut nihil de ejus virtute hæſitaret, ſed cuncta a Deo Patre miſericordiarum recte petentes poſſe crederet adipiſci. Quid ergo tantæ fidei merito non aſſequeretur Vir ſanctus, quaſve gratias tanta fiducia a perenni beneficiorum fonte non largiter exhauriret? Exhauſiſſe quidem, & multa ſupra humanas vires præſtitiſſe, quæ ſequuntur miracula, & quæ alias referentur, abunde probabunt. Duo, quæ hic ſubduntur, Penna præmittit navigationi Canarienſi, Marcus poſt regreſſum in Hiſpaniam recenſet.

XXI. E Cerragenſi oppido, quod Hiſpali XII. M. P. diſtat, ad aliud *San Lucar de Barrameda* nuncupatum, cum fratre Stephano ſocio proficiſcens, emenſis leucis quinque, cum ad pagum vulgo *los Palatios* perveniſſent, & fruſtra oſtiatim mendicarent, jejuni recedunt, reliquam itineris partem, leucas quatuor perfecturi. Stephanus inedia languens, Didacum interrogavit quid agerent; quid illo die erant comeſturi? Cui ille: *Jacta in Dominum cogitatum tuum, & ipſe te enutriet: qui tot millia hominum cibavit in deſerto, nobis non deerit in hoc itinere. Crede & manducabis.* Non fruſtra dixit: cum enim paulum proceſſiſſent, in vaſtiſſimæ ſolitudinis planitie candidum mundumque linteum, optimum panem ſuperpoſitum, piſces recenter coctos, malum citreum, & vini vaſculum mirabundi conſpiciunt. Etſi famelici contingere non audebant, donec omnem late patentem campum circumquaque colluſtrarent; nullumque circumſpicientes cujus hæc eſſe poſſent, primum in Dei laudes effuſi, cujus ope hæc ſibi miſſa judicabant, deinde ſuper virentem herbam læti conſedentes, abunde refecti, immolarunt denuo ſacrificium laudis, ac demum de puritate legis Evangelicæ, diviniſque præceptis ſervandis colloquentes, quod ſupererat itineris, hilariter confecerunt. *Cibus ei paratur in deſerto.*

XXII. Eodem ex oppido, eodemque comite Hiſpalim iturus, hoſpitio excipitur a probo quodam viro, Minorum benefactore. Prope habitabat paupercula furnaria, indomiti pueruli genitrix ſevera. Matris ille minas & verbera prætexens ſæpe fugiebat, ſed raro impune. Ad ſuas artes quodam die reverſus, petulantiæ pœnas dedit, ſolitaque fuga e domo receſſit. Sub Dominicæ noctis crepuſculum latenter regreſſus, timenſque matris ſævitiam, ne acerbius in regreſſu quam in profectu vapularet, ſe abdidit in furnum, ubi pavitanti & trementi gravis ſomnus irrepſit. Interim mater, ut ſummo mane proximæ feriæ furnum incenderet, eadem nocte ligna extruere, ſarmenta miſcere, flammæque fomentis furnum opplere. Aurora vix fulgente ignem admovit, ſtatimque per omnia vagabatur incendium, cum puer excitatus a ſomno exclamare cœpit, matris implorare auxilium, ſe flammis involvi. Mulier inopinato filii periculo prope exanimata, cum ſola feſtino malo occurrere non poſſet, foras egreſſa viciniam omnem ejulatu & vociferatione muliebri replevit. Fauſte adfuit Didacus, juſſitque ut ad propinquam Eccleſiam properaret, & coram beatæ Virginis ara ſui cordis anguſtias explicaret, firmiterque ſperaret filium e flammarum circuitu in- *Puerum liberat ex incenſo furno.*

Digitized by Google

incolumem erupturum. Recte monenti paruit illico mater; at ille cum ſocio ad furnum accurrens, & divinum implorans auxilium, puerum illæſum, ne levi quidem ignis afflatu contactum, mirabiliter brachiis excepit. Qui aderant, miraculo obſtupefacti, Deum in ſervis ſuis magnificabant, puerumque in Templum ad matrem, magna comitante caterva deduxerunt, ubi Canonici in Dei genitricis honorem albo amiculo exornarunt. Sacellum illud Virginis Mariæ majori cœpit haberi reverentia, & beati Didaci nomen circumquaque diffundi. Itaque hæc quidem Viri ſancti miraculorum fuere principia, & illuſtria quædam indicia claræque notæ virtutum, quas veluti primas lineas ſuæ perfectionis oſtendit.

XXIII. Porro ſub hoc tempus cum vir prudens in rebus gerendis, in periculis ſubeundis conſtans, in propulſandis fortis, in adverſis patiens, in proſperis ſapiens, a Superioribus quæreretur, qui ad inſulas Fortunatas, vulgo *Canarias*, paulo ante ſubactas, & adhuc ſuperſtitioſis idolorum cultibus infectas mitteretur, omnium ſuffragiis delectus eſt Didacus, qui & Gentilibus convertendis & Fratribus regendis amandaretur. Ille neque difficilis navigationis diſcrimine perterritus, neque barbaris Canarienſium moribus perculſus, ſolo obedientiæ religioſo ductus officio, navim cum ſocio Joanne a Santorcaſio Sacerdote, viro optimo, de quo nunc agemus, conſcendit, & ſuperatis infeſti ſæpe maris ventique reflantis periculis, divino appulit auxilio. Ex ſeptem Inſulis, quæ *Canariæ* vocitantur, una nomen habet *Fortis-venturæ*, ubi jam Minores obtinuerant domicilium, ut paulo inferius dicam, Didaci concreditum regimini. Hic Vir Dei meſſem nactus multam, admirandis exemplis, ſingulari vitæ ſanctimonia, igniti ſermonis efficacia, multitudinem innumerabilem, idolorum cultu & ſuperſtitionum tenebris circumfuſam, ad fidei lumen perduxit: inter quos Joannes Alphonſus idololatra, cum Chriſtianam religionem & ſacrum Baptiſma ſuſcepiſſet, adeo in ejus amorem exarſit, ut filios duos eidem traderet inſtruendos, qui fidem Catholicam ſimiliter amplectentes, Virum beatum ex animo coluerunt. A ſe converſorum curam ſuſcipiebat paternam; nobilibus conſilium, indigentibus vitæ neceſſaria largiebatur, ut eorum pietatem beneficentia & liberalitate foveret. Divinæ ſane erat munificentiæ inſigne, & ſanctitatis Didaci non obſcurum argumentum, ut pauper fraterculus dives eſſet in omnes, nec deeſſet quod ſuis impertiret diſcipulis.

Mittitur ad inſulas Canarias. — *Suorum Fratrum Rector.* — *Convertit multos ad fidem.*

XXIV. Ad fidem perductis univerſis ferme illius inſulæ habitatoribus, ſtatuit in Canariam magnam abire, & fidem invehere Chriſtianam. Dolebat vehementer copioſam gentem tantis perfidiæ tenebris involvi, & cupiebat occaſionem ſibi offerri poſſe Martyrii. Sed contrariis ventis, procelloſo mari, ſuadela ſociorum & nautarum, qui magnopere ſibi timebant a furore & ſævitia barbarorum, redire coactus eſt. Non itaque Martyrio voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit. Neque tamen omnino defuit: *Qui enim ad tolerandum omnem pro Dei gloria injuriam ſemel dicavit animum, is Martyrium mihi videtur impleſſe*, ſaltem inchoaſſe. *Summi meriti eſt ſemel fixiſſe ſententiam, atque ideo ſi ſors perpetiendi deneget facultatem, pertulit tamen cuncta, quæ voluit pati*.

Navigat in aliã Inſulam deſiderio martyrii. — *Non conceditur.* — *Joſeph lib. de Machabæis princip.*

XXV. Ad optimi patris & fidelis magiſtri regreſſum omnes lætabantur, & tamquam ad malorum omnium antidotum concurrebant, auxilium, conſilium, doctrinam, inſuper & ſalutem accepturi. Ille omnes conſolari, pauperes fovere, imperitos erudire, aberrantes a vitæ inſtituto in viam rectam reducere, nullum officii genus præterire. Illi omnium patrem, veræ Religionis doctorem, bonorum propugnaculum, aberrantium correctorem

Pia erga inſulanos officia.

Digitized by Google

rem, pauperum altorem, ſuæ ſalutis auctorem, & Dei adminiſtrum appellare. Eouſque proceſſit erga novella germina amoris vehementia, ut cum aliunde inopiæ occurrere non poſſet, cum ſuis ſodalibus ad ſegetes metendas & triticum in uſus pauperum congregandum ſæpe proficiſcererur.

XXVI. Interim tamen multa in ea inſula oportuit ſubire pericula, multas perferre calamitates, quas humani generis hoſtis inſerebat. Male dæmon habebat, pauperculi homuncionis ſtudio Chriſti auctum dominium, Chriſtianam latius patere Religionem, expiari ſceleribus conſcientias, Dei majeſtatem vindicari. Quapropter nullum non movit lapidem, ut invidiam conflaret, in multas calamitates impelleret, veramque Religionem in ludibrium transferret. At ille fidei galea & conſtantiæ clypeo munitus, omnes mali genii artes avertit, omneſque dolos ac fraudes, patientia & oratione ſuperavit. Contumelias & injurias non aliter quam humanitatis obſequiis rependit, convitia & improperia piis imprecationibus delinivit, ſævientes ſpumanteſque iras manſuetudine contrivit. Ita factum eſt, ut, depoſitis erroribus, verum Dei cultum admiſerint, a viro manſuetiſſimo erroris veniam poſtulaverint, & diabolus ſuis eluſus artibus, ibi damnum ſenſerit, ubi lucrum expectavit. Valde ei dæmon adverſatur. Sed fruſtra.

XXVII. Duo refertur hac in Inſula operatus mirabilia: primum, quod æditui, ſive Sacriſtæ negligentiam Angeli ſupplerint; cum enim ille oblivîſceretur nolæ tinnitu populum monere, ut Virginem Mariam Angelicis verbis ſalutaret, campana, nullo hominum movente, ſonum edidit conſuetum. Prudenter tamen Didacus monuit, ut omnes Fratri veniam exorarint delicti, quod eo gravius apparebat, quo digniori corrigebatur miniſterio. Deinde inſignis illic etiamnum Viri ſancti ſupereſt memoria, & notiſſimum ſanctitatis argumentum. Palmares eæ ſunt inſulæ Fortunatæ, & dactylis abundantes: contigit ut Didacus ex domeſtica palma unum comeſturus, incaute præſſerit, & dentis ſubierit jacturam. Dolorem paſſus vehementem Deo ſupplicavit, ne permitteret fructum alioquin ſuaviſſimum, ſuis ſervis fore nocivum. Mira res! Dominus precibus acquievit, nam qui ex illa colliguntur arbore dactyli, ſine oſſibus eduntur innocue. Campana nullo trahente edit ſonum.

XXVIII. E Canarienſibus in Hiſpaniam regreſſum anno MCCCCXLIX. ſcribunt Penna & Galaſinius, ſed Marcus & Marieta anno MCCCCXLIV. quod ex apotheoſis actis, & in Hiſpania geſtis ante iter Romanum, judico probabilius. Reliqua ejus facta ad illum annum ſuſpendo, quo in Urbem veniſſe & mira hic perpetraſſe, opportune referemus. Socius autem Canarienſis Santorcaſius ſupra indicatus, illic remoratus, feliciter diem clauſit poſtremum. Fuit ſiquidem divini verbi indefeſſus præco, ſui Inſtituti obſervantiſſimus, Evangelicæ paupertatis ardens zelator, & miraculorum patrator eximius. Epileuticis & febricitantibus opportune ſubvenit, multos a diverſis infirmitatibus liberavit, & pleroſque e mortis faucibus eripuit. Sibi etiam mirabiliter ſuccurrit; cum enim ex editiori colle in profundiſſimum lapſus fluvium per tres horas ſub aquis latuiſſet, prodiit illæſus. Habetur ejus corpus in veneratione ad dextram ſacelli præcipui illius Cœnobii, ſed cor aſſervatur inter ſacra magnifici templi Eſcurialis, a Philiqpo II. conſtructi. Joan. Santorcaſius pie obiit in Canariis.

XXIX. Erat hoc tempore Eugenio Pontifici a ſacris confeſſionibus frater Laurentius Romanus Regularis obſervantiæ, vir pius & doctus. Fratrem Petrum Lenet Joannes Dux Britanniæ ad ſanctiora admittebat conſilia, & Franciſcus de Britannia Comes Montis-fortis habebat Confeſſarium, eique horum intuitu Pontifex quædam indulſit. Henrico VI. Angliæ Re- Laurentius Romanus. Petrus Lenet. Henric. VI. Angliæ Rex addictiſſimus Ordini.

Digitized by Google

Regi, Ordini addictiſſimo conceſſum, ut quatuor Minoritas ſecum in Aula & in Palatio habere poſſit, & pro ſuis negotiis ad quoſcumque Principes & partes deſtinare. Multis Principibus & Dynaſtis ſimiliter hoc anno & ſequenti indultum eſt de uno vel altero Fratre ſecum retinendo. Pœnitentiarius inſtitutus eſt in Baſilica ſancti Petri, & in Romana Curia, & Capellanus Apoſtolicus frater Petrus de Migolla Hiſpanus, diœceſis Ovetenſis.

Petrus de Migolla.

Fr. Joannes Belmen.

Albertus Accien.

Fr. Joann. Lydden.

Fr. Nicol. Mauſian.

Fr. Joannes Philippolen.

Fr. Jacobel. Boven.

XXX. Hos invenio hujus anni Epiſcopos, fratrem Joannem de Platea Eccleſiæ Belmenſis in provincia Tyri III. Kalend. Februarii. Accienſis in Corſica ſub Archiepiſcop. Januen. fratrem Albertinum de Caſinis, per obitum fratris Agnelli VIII. Idus Februarii. Lydden. ſub Patriarcha Hieroſolymitano fratrem Joannem, Guardianum ſancti Æmiliani in provincia Aquitaniæ recentioris, per obitum Gaſulni XVI. Kalend. Junii. Maurianen. in Corſica ſub Archiepiſcopo Januen. fratrem Nicolaum de Campello, per obitum Ogerii V. Nonas Julii. Philippolen. in Arabia majori fratrem Joannem VIII. Kalend. Auguſti. Boven. in Calabria ſub Archiepiſc. Rhegino, fratrem Jacobellum de Seminaria, per translationem Sancii ad Eccleſiam ſancti Sabæ X. Kalend. Octobris.

Inquiſitores.

XXXI. Inquiſitores hos reperio. In Umbria frater Urbanus de Peruſio; in provincia ſancti Antonii, Venetiis, & in diſtrictu Marchiæ Tarviſinæ Hieronymus Aſſiſias, & Laurentius Juſti de Senis. Amandatur a Pontifice pro negotiis urgentibus Sedis Apoſtolicæ ad partes Dalmatiæ, Hungariæ & Boſnæ Nicolaus Raguſinus ſub finem Novembris. Et Simon de Verdeto provinciæ Burgundiæ, pro ſecretis negotiis ipſius Eugenii Pontificis & Eccleſiæ Romanæ, multis privilegiis munitus, mittitur ad partes Burgundiæ, Franciæ & Coloniæ. Curabat ille reſtaurationem Eccleſiæ Betlhehemitanæ, Chriſti nativitate celeberrimæ, ſed cura in ejus abſentia commiſſa eſt Marco de Duratio & Eliæ Romano, quibus magnas tulit Pontifex ſuppetias.

Nicolaus Raguſinus miſſus Apoſtolicus.
Et Simon de Verdeto.

Varia decreta circa res Scholaſticas.

XXXII. Circa res ſcholaſticas hæc præ ceteris occurrunt iſto anno decreta in Ordinis regiſtro. In Conventu Senarum inſtitutum eſt ſtudium Theologiæ pro exercitio & gradu Magiſterii, non obſtante quod ibidem eſſet ſtudium Philoſophiæ. In Cœnobio Inish-Cluanramada provinciæ Hiberniæ, de quo alias diximus, inſtitutus Theologiæ lector Thaddæus Macgillacundain vir doctus, cui etiam ampla conceduntur privilegia. In Aſchetinenſi deſtinatus eſt Lector & Prædicator Matthæus Machegan, poſtquam redierat ex ſtudio Bononienſi. In ſancti Michaelis de Monte provinciæ Caſtellæ & Cuſtodiæ Murciæ inſtituuntur Lectores frater Alphonſus Perua, & Didacus Conchenſis, de quo ſupra egimus. Ex provincia Hiberniæ adoleſcentes bonæ expectationis & ſelectioris talenti, miſſi ſunt ad ſtudia generalia Joannes Macharry, Joannes Ochal, & Gilbertus Ohallim ad Colonienſe. Cornelius Omolony creatus Baccalaureus deſtinatus eſt, ut pro curſu Magiſterii legeret Magiſtrum Sententiarum in Conventu Univerſitatis Cantabrigienſis. Jacobus de Monteſalcone Umber juſſus eſt legere in Eccleſia ſancti Stephani univerſitatis Bononienſis. Joannes Rogerii Anconenſis creatus eſt Baccalaureus pro curſu Magiſterii in collegio Domini Cardinalis Sabinenſis, nationis Hiſpanorum, in eadem Univerſitate. Georgius de Carpo provinciæ Bononienſis factus eſt ſimiliter Baccalaureus, pro exercitio in collegio ſancti Petri Epiſcopatus Bononienſis. Unde colligitur cathedras harum Eccleſiarum ad Ordinem ſpectaſſe. Eumdem gradum accepit Jacobus de Mozanica provinciæ Mediolanenſis, ut legeret in Conventu

Tom. 8. an. 1310. n. 19.

An. 1439. n. 38.

tu

tu Bononienſi. Hic per varios gradus aſcendit laudabiliter ad ſupremam Ordinis præfecturam.

XXXIII. Ex iis quæ ſupra diximus de ſancti Didaci incolatu & regimine in inſula Fortis-venturæ, manifeſte conſtat ante hunc annum habuiſſe illic Fratres domicilium. Nimis ergo ſero ſub annum MCCCCL. aſſerit Gonzaga & ſubactam inſulam, & Cœnobium conſtructum a Didaco de Ferreria. Fuiſſe Conventum hunc in ſui exordio religioſiſſimum, maximique nominis apud Hiſpanos, præſertim apud Reges Catholicos Ferdinandum & Eliſabetham, teſtantur ſacræ veſtes, pallæ linoſtimæ & corporalia, illuc ab ipſis tranſmiſſa. Alebat olim commode Religioſos triginta, ibique florebat ſtudium Philoſophiæ; ſed decreſcente inſulæ commercio, & attenuata ſubſtantia, etiam Cœnobium ab antiquo illo decidit ſplendore, Fratrum numero valde imminuto. Ex hoc Conventu prodierunt quinque illi Franciſcani Martyres, quorum glorioſo agone Fortunatæ inſulæ maxime gloriantur. Canariam magnam tentavit prædictus Didacus a Ferreria oppugnare, ſed dum infeliciter pugnat, canit receptui. Irruentibus & perſequentibus Paganis occurrerunt Fratres, & Canarica lingua, quam apprime callebant, fidem intrepide prædicabant. A barbaris comprehenſi, poſt ludibria & improperia, ex editiſſimo loco, qui *Caſtellani ſaltus* adhuc retinet nomen, in mare præcipitantur. Vixit hic Ludovicus a Lugo, vir venerabilis & pius, quo ſacrificante in altari ſancti Bonaventuræ anno MDLXXI. die XIII. Februarii, linteum ſacratiſſimi vultus Dominici, vulgo *Veronica*, copioſum emiſit ſudorem; qua de cauſa tranſlatum eſt ad altare præcipuum, & majori habetur in veneratione.

Conv. Fortis-venturæ. *Gonza. in Prov. Canaria Con. 1.*

Fratres quinque Martyres Canarienſes.

Ludovicus a Lugo.

XXXIV. Bernardinus Vicarius Generalis, juſſus a Pontifice & rogatus a populo, miſit ad civitatem Caſtelli Fratres duodecim, illius Urbis Conventum reformaturos, & ad ſui Inſtituti normam reducturos. Pontificia etiam poteſtate reformavit in Tuſcia Cœnobia tria: Montiſpolitiani, ſancti Proceſſi, & Cethonii. Miſit Conſtantinopolim fratres Gaſparem & Joannem Urbinates, architectos & fabros peritos, qui inchoatum a fratre Bartholomæo de Yano Conventum abſolverent. Urgebat opus Pontifex, ſcripſitque ad beatum Jacobum de Marchia, tunc in Piceno Inquiſitoris munus exercentem, ut quantocyus tranſmigrare juberet. Quatuor Cœnobia in provincia Mediolanenſi, ut Fratres admitterent vel acquirerent, indulſit. Hæc & alia, quæ ubique accedebant Obſervantibus Cœnobia, turbas non leves excitarunt, quibus ſedandis, & Patrum Conventualium contrariis auſibus repellendis, Bernardinus repetitis litteris Joannem Capiſtranenſem Mediolani concionantem, alioſque viros prudentes Senas convocavit. Non parum juvit Capiſtranus ea, qua pollebat, auctoritate apud Pontificem, apud Nicolaum ſanctæ Crucis, & Julianum ſancti Angeli Cardinales, necnon apud Chriſtophorum Epiſcopum Ariminenſem Pontifici gratiſſimum.

Reformatur Cōventus Civitatis Caſtelli. Et tria in Tuſcia. Conv. Conſtantinop.

XXXV. Onufrius Sinveſſanus Montis-faliſcorum Epiſcopus dederat, annuente Eugenio Pontifice, Fratribus Minoribus Obſervantibus inſulam Biſentinam in medio lacus Volſinii, Malaſſuntæ Gothorum Reginæ ejuſque filii tumulis inſignem. Circa hunc annum illic ædificaverunt Cœnobium ſub invocatione ſanctorum Jacobi Apoſtoli & Chriſtophori Martyris, eleemoſynis adjuti piorum fidelium, præſertim gentis Farneſiæ, quæ jure gaudet patronatus, multoſque ibidem ſepultos habet heroes. Adjunctis deinde ſeptem ædiculis, ſub ſanctorum Franciſci, Gregorii, Pii, Concordiæ, & aliorum Sanctorum titulis, viſitantibus eaſdem Indulgentias con-

Conv. Volſinii. *Gonz. in Provin. Romana Con. 26. Procop. de rebus Gothorum.*

ceſſit Pius II. quas lucrantur Romæ, qui ſeptem præcipuas ſtationes percurrunt. Indultum confirmavit Paulus III. Pontificatus anno VI.

Conv. Melfiæ. *Idem in Provin. S. Nicol. Con. 13.* Conv. Turſii. *Idem in Provin. Baſilic. Con. 6.*

XXXVI. Melfiæ, quæ Apuliæ civitas eſt, Senatus hoc anno ædificavit eiſdem Fratribus Conventum ſub nomine omnium Sanctorum, curandis infirmis opportunum. Prope Turſium, Anglonenſis diœceſis urbem, alium conſtruxit circa hunc annum Turſienſium Comes, qui cum prius ſpectaſſet ad provinciam ſancti Nicolai, adjudicatus eſt Baſilicatæ. Domum hanc aliaſque tres accipiendi poteſtatem fecit Eugenius Pontifex Vicario provinciæ Apuliæ: *Inter cetera deſiderabilia*. IX. Kalend. Martii.

Conv. Vilſoradi.

XXXVII. Conventum Vilſoradi, vulgo *Veloradi* in Hiſpania, Burgenſ. diœceſis, in ſpiritualibus & temporalibus deformatum, reſtituerat, ſui Superioris obtenta licentia, beatus Lupus de Salinis. Petiit & obtinuit hoc anno, ut hujuſmodi reformatio a Pontifice confirmaretur: *Ea quæ pro Monaſteriorum*. IX. Kalend. Martii. Propter bella inter Caſtellæ & Navarræ Reges ſævientia, dirutum hoc anno ſcribit Gonzaga, & Eugenii impetrata licentia, a Comite de Haro reædificatum. Nihil horum indicat diploma a me citatum, etſi hoc anno ab Eugenio ſcriptum.

Gonz. in Provin. Burgenſ. Con. 6.

Conv. de Linaribus. *Indid. Con. 22.*

XXXVIII. Similiter rogavit prædictus Lupus, ut ei ignoſceret Pontifex, quod Eremitorium ſeu Eccleſiam beatæ Mariæ de Linaribus, ejuſdem diœceſis, olim Eccleſiam Collegiatam admiſerit, reſtauraverit, Fratrum uſui deputaverit, & aliis quatuor Regularis Obſervantiæ domibus univerit, non obtenta prius Sedis Apoſtolicæ facultate: *Sacræ Religionis*. IX. Kalen. Martii. Situs eſt Conventus III. M. P. a prædicta villa Veloradi in loco ſilveſtri, ibique diu commoratus eſt Lupus præfatus. Auxiliares habuiſſe pro refurmandis & conſtruendis domibus Comites de Haro, Petrum Fernandum de Velaſco, & Beatricem Manrique conſortem, refert Pontificis diploma. Eodem modo indulſit Eugenius Fratribus Joanni & Petro de Medina, ac Petro de Spinoſa, qui Eremitorium beatæ Mariæ de Montibus claris, ejuſdem diœceſis, a Joanne Rege conceſſum, ſuis uſibus adaptatum incolebant: *Votis fidelium*. XV. Kalend. Julii.

Conv. de Montibus claris.

Conv. Capitis Auroræ. *Idem in Provin. S. Jacobi Con. 24.*

XXXIX. Pii viri Didacus Garſias & Ferdinandus Perez, ante aliquot annos quodam in nemore, tertio milliarii ab oppido Villæ Francæ, diœceſis Aſturicen. in Hiſpania Eremitorium conſtruxerunt, Gondiſalvo Epiſcopo annuente. Ibidem pie vixerunt uſque ad annum hunc, quo minabatur ruinam humile Cœnobium. Petrus Caprariæ & Ripariæ oppidorum Dominus ſtatuit ibidem Minorum domicilium conſtruere, obtenta ab Eugenio facultate, ſub nomine *beatæ Mariæ Capitis Auroræ*. Amœnus eſt locus, viginti & plurium incolarum capax, Philoſophiæ docendæ deſignatus. Per quinquennium vixit puella Beneventana cum Fratribus ementito ſexu, quæ paratas abhorrens nuptias, in virili fugerat habitu, adeoque in omni virtutum genere profecit, ut omnibus eſſet cariſſima. Venerat Antonius Guſmanius provinciæ ſancti Jacobi Miniſter, vir doctrina & ſanguine clarus, viſitationis muneri ſatisfacturus, & fictum adoleſcentem a pietate & ſufficienti eruditione commendatum, ad Subdiaconatum juſſit promoveri. Ille ſe hoc honore indignum humiliter cauſatus, inſtanter rogavit ad Laicorum ſeu Converſorum, quos vocant, ordinem reduci. Fruſtra hæc ſæpe deprecatus, tamdem ne magnum hoc ſubiret conſcientiæ diſcrimen, ſummo rubore pium mendacium revelavit. Miniſter retinendæ caſtitatis votum commendans, ſed dolum condemnans, transferri curavit ad Clariſſas Beneventanas; ubi per alterum quinquennium religioſiſſime vixit, & ſub magna ſanctitatis opinione deceſſit. Floruit in hoc Conventu frater Juſtus, vicino

Virgo Beneventana ſexum ementita inter Fratres.

Fr. Juſtus.

in

Digitized by Google

in oppido Capitis Auroræ natus, pœnitentiæ, humilitatis & paupertatis aſſiduus ſectator, quem dum noctu in nemore admirabili luce flammiſque igneis circumdatum, & in extaſi factum deprehendiſſet vir nobilis, qui in Conventu cum Fratribus hærebat, Dei ſervum veneratus, ſpiritu compunctus & ſeculi pertæſus, Religioſis nomen dedit, pieque vixit ſub fratris Juſti magiſterio.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conv. Ferrariæ in Hiſpania.

„ XL. Circa hoc tempus fertur ſanctum Bernardinum Compoſtellam
„ corpus ſancti Jacobi Apoſtoli veneraturum abiiſſe, & Ferrariæ, quæ Pa-
„ lentinæ diœceſis oppidum eſt, hoſpitio exceptum fuiſſe a Petro Fernan-
„ dex Velaſco, primo illius familiæ Comite-Stabuli Caſtellæ, atque hunc
„ cum uxore rogaſſe, ut pro illis apud Deum intercederet, ut poſt ali-
„ quot annos in conjugio jam tranſactos, prolem concederet. Promiſit Vir
„ ſanctus ſe facturum, & in regreſſu per eamdem viam monuit conjugem
„ concepti jam fœtus maſculini. Juxta ejus prædictionem infantulum pepe-
„ rit, & in prophetæ memoriam *Bernardinum* appellavit, necnon Fratri-
„ bus Obſervantibus Cœnobium poſuit, indicto Eccleſiæ titulo ſancti Ber-
„ nardini.

Idem in Provin. Concept. Con. 27.

S. Bernardini in Hiſpaniã profectio.

XLI. Hoc anno in latere Montis ad III. M. P. a Murciæ civitate in Hiſpania, Joannes mercator, vir opulentus, aſſentientibus Eugenio Pontifice & urbis Magiſtratu, Conventum conſtruxit, ſanctæ Catarinæ ſacrum, ubi & ipſe Franciſcanum ſuſcepit & ad mortem uſque obſervavit Inſtitutum. Locus eſt amœniſſimus & ſolitarius, vitæ contemplativæ perquam opportunus, & propterea Patribus Recollectis deſignatus. Propter religioſiſſimam, quam agunt vitam, ſumme beneficos erga ſe Murcianos ſentiunt cives, qui frequenter, maxime in Quadrageſima & feſtivis diebus, devotas ædiculas per montem ſparſas & Paſſionis Dominicæ myſteria repræſentantes, magno pietatis affectu & meritorum lucro, indulgentiis per Pontifices conceſſis, inviſunt. Vidi ipſe, dum illac in Italiam transfretaturus tranſirem & cum religioſiſſimis Viris per triduum converſarer, turmatim illuc confluentes, & per ſacella Chriſti doloroſum aſcenſum ad Calvariæ montem doloris æſtibus imitantes. Habent hic Carthaginenſes ſive Murciani Epiſcopi cubicula, in quibus, æſtivo præſertim tempore, Fratribus conveniunt, quæ pulchre ornavit & auxit Antonius a Trejo ejuſdem Inſtituti Epiſcopus digniſſimus, vir ſumme commendabilis & religioſus; inſignem bibliothecam, a religioſiſſimo viro Alphonſo de Vargas, provinciæ Carthaginenſis perito moderatore, optimis libris inſtructam. Solvebant antiquitus Fratres exiguum cenſum Senatui Murciano ex fundatoris pacto; ſed Joannes Caſtellæ Rex ab hoc onere redemit. Jacent hic frater Didacus Laicus & frater Blaſius de Vilalva, virtutibus illuſtres, de quibus alias dicentus.

Conv. S. Catarinæ in Monte.

Idem in Provin. Carthag. Con. 6.

Fr. Didacus; Fr. Blaſius de Vilalva.

XLII. Ad Charum fluvium & Borbonii fines in Gallia oppidum eſt Montis-Lucii, cujus incolæ domum circa hunc annum poſuerunt Minoritis, Odino Fabro venerabili Canonico locum præbente. Ut ita facerent, ſuis ſermonibus & religioſa vita excitavit frater Joannes Focaudi, Joanni Duci Borbonio, exercitus Caroli VII. Imperatori, in ſeculo carus: qui mundi gloriam & ingentia militiæ, quæ Borbonius promittebat, præmia contemnens, apud Patres Conventuales Salmurienſes Franciſcanum Inſtitutum profeſſus eſt, a quibus mox tranſiit ad Obſervantes Conventus Lavalenſis, ubi religioſa vita & doctrina inſignis evaſit. Carolum Borbonium, cui a ſacris erat confeſſionibus & concionibus, induxit, ut ſitum adjiceret ampliorem, & extruendi Conventus ab Eugenio impetraret facultatem. Præfuit

Conv. Montis Lucii.

Indid. in Provi. S. Bonavent. con. 15.

Fodere in deſcrip. hujus Provin.

ipſe Cœnobio ſex & viginti annis, obiitque die XVI. Maii an. MCCCCLXXII. ætatis LXVI. cum ab ipſa pueritia pie vixiſſet in Ordine annis ſeptem ultra quinquaginta. Eccleſiam ſanctæ Mariæ nuncupatam ſolemniter conſecratam fuiſſe anno MCCCCXLVII. ſcribit Gonzaga, ſed non niſi anno MCCCCLIII. abſolutam Jacobus Fodereus aſſeverat. Totius Cœnobii circuitum ſub-
Picq. in Cuſtodia Arverniæ. grandem eſſe ſcribit Picquet, viridarium ampliſſimum, hortulos plurimos, irriguis aquarum abundantes. Lanii protectionem Conventus ſibi vendicant; quia dum inchoaretur, contra Benedictinos Monaſterii Menatenſis, excubiis diſpoſitis, defenderunt. Ex adverſo, Guardianus illorum rixas & concertationes abſque ulla litis provocatione dirimit. Celebrata illic abunde Comitia provincialia anno MDXCV. & hic floruit Gilbertus Rondreux Doctor Theologus, vir prudens & pius.

XLIII. Nobili viro Nicolao Rolini militi, Domino loci de Genthnma diœceſis Biſuntinæ in Gallia facultatem conceſſit hoc anno Eugenius, ut
Conv. Æduen. Conventum Fratrum regularis Obſervantiæ ædificaret in civitate Æduenſi: *Exigit tuæ devotionis*, VIII. Idus Septembris. An tamen ille ædificaverit, incompertum eſt, præſertim cum circa fundatores hujus ædis alii diſcrepent auctores. Matthæum Bigornetum & Margaritam conjugem auctores incerto
Gonz. ibid. Con. 17. tempore facit Gonzaga. Fodereus & Picquet citati Guillelmum de Villiers, Dominum de Digornaii, & Agnetem de Achia conjugem, fundaſſe aſſerunt, orante fratre Joanne Moyrot viro docto & egregio Concionatore, ſed non niſi, anno MCCCCLXXIX. die II. Maii primum lapidem jeciſſe ait Fodereus. Decanum & Canonicos Eccleſiæ ſancti Joannis, fabricæ contradicentes, compeſcuit fundator, obtento præſidio Ducis Burgundiæ & Regis Ludovici XI. Diplomate, anno MCCCCLXXX. die XXIX. Aprilis. Eccleſiam conſecravit Joannes Roulinus Epiſcopus Æduenſis, anno MDI. die XIV. Aprilis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Pace. Floruerunt hoc in loco do-
Fr Joan. Tuſtanus. ctiſſimi viri, præſertim facundiſſimus Concionator Joannes Tuſtanus, qui Provinciæ gubernacula ſuſcepit anno MOLXIII. in Capitulo Charreriarum. Habitu donavit egregios adoleſcentes, atque inter hos fratrem Franciſcum Marcou, poſtea Doctorem Pariſienſem, vividi ingenii, virum indefeſſum hæreticorum inſectatorem, doctum Concionatorem, & morum Conſodalium
Regiſt. Ord. in prov. Turon. regimini aptiſſimum. Adjudicavit hoc anno Miniſter Generalis Conventui Sanctonen. parochias ſancti Laurentii de Vado & de Sales in Marepma, & Conventui Oleronis parochiam ſanctorum Saturnini & Juſti, ſicut antiquitus declaratum fuerat per Miniſtros provinciæ Turoniæ.

Variis Clariſſarum Monaſteria. XLIV. Invenio hoc anno mentionem Monaſterii ſancti Leonis Ordinis ſanctæ Claræ prope & extra muros Burgi, civitatis Caſtelli diœceſis, in quodam Diplomate, quo illi conceduntur domûs aliquot, relictæ Monaſterio beatæ Mariæ *della ſtrata* extra muros oppidi prædicti: *Ad ea per quæ*, VI. Non. Maii. Eccleſiam Monaſteril ſanctæ Agathæ urbis Papien. ſeu Ticinen. inviſentibus in feſtivitate ſanctorum Primi & Feliciani, quorum corpora illic requieſcere narratur, Indulgentias quaſdam Pontifex largitur: *Licet is de cujus*, VII. Kalend. Martii. Monaſterio Salamantino ſanctæ Claræ Viſitatorem & reformatorem dedit fratrem Franciſcum de Soria in his rebus exercitatiſſimum: *Injunctum nobis deſuper*, IX. Kalend. Octobris. In regiſtro Ordinis hæc occurrunt Monaſteria, quorum alibi exiguam aut nullam reperio notitiam. Sancti Pauli de Tuſcanella. Montis-calvi de Aretio,
Gonz. in prov. Tuſc. Conv. 15. neſcio an illud ſit quod a ſancta Clara nuncupat Gonzaga, a LX. Clariſſis inhabitatum. Montis-ſancti Florentiæ. Sanctæ Petronillæ de Senis. S. Martini de Piſis. Sanctæ Claræ de Plombino. Sancti Laurentii de Senis. San-

ctæ Mariæ de Pionta de Aretio. Sanctæ Mariæ de Thargia: omnia præter primum ſunt in Provincia Tuſciæ. Demum ſanctæ Claræ Ariſtani in Sardinia.

XLV. Tertii Ordinis occurrunt iſta Cœnobia vel devota receptacula. Una ſancti Michaelis in vico ſancti Romuli, vulgariter nuncupato *Alba Doccia*, Feſulanæ diœceſis, per Franciſcum Franciſci dicti Inſtituti profeſſorem ante aliquot annos conſtructam in fundo & domibus conceſſis per Nicolaum Roberti de Davanzatis Domicellum Florentinum, annuente Bindo Epiſcopo Feſulano: *Sinceræ devotionis*, VI. Idus Novembris. Domus hæc poſtea tranſivit ad Minores Obſervantes. Secundum ſancti Nicolai de Columbaria in territorio extra caſtrum *Belvedere*, diœceſis ſancti Marci in Calabria, a Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ conceſſum: *Solet Apoſtolicæ Sedis*, Idibus Novembris. Tertium Clua-cerenſe Cacrylli in Hibernia, diœceſis Clonfertenſis, prope Eccleſiam a Thoma olim Epiſcopo conceſſam: *Sedis Apoſtolicæ*, XVII. Kalendas Januarii. Et quartum ſanctæ Mariæ Paradiſi prope Faventiam, cui Lipus de Capironibus poſſeſſiones quaſdam legavit. Quintum Vallis Fabricæ Sororum de pœnitentia, diœceſis Peruſinæ, cui Pontifex quædam bona a Paulo Angeli legata jubet reſtitui: *A ſummo Patreſfamilias*, V. Idus Septembris. Sextum ſanctæ Eliſabethæ in urbe Laudenſi, ejuſdem Inſtituti Monialium, quibus varia largitur privilegia: *Sacræ Religionis*, XIV. Kalendas Decembris. In urbe Senarum frater Jacobus Senenſis Ordinis Minorum factus eſt viſitator & corrector Fratrum & Sororum illius urbis, & in Hibernia frater Nehemias Oyſſernayn omnium ejuſdem Inſtituti tertii Ordinis per univerſum Archiepiſcopatum Tuamenſem „ Cuidam Victoriæ Andreæ de Chriſpino mulieri „ Meſſanenſi hoc anno Pontifex facultatem fecit Monaſterium Clariſſarum „ ingrediendi: *Devotionis tuæ*, X. Kal. Julii.

Domus S. Michaelis ad S. Romulum. *Vide Tom. 9. an. 1414. n. 12.*

S. Nicolai de Columbaria.

Cluaceren.

S. Mariæ Paradiſi.

Vallis Fabricæ.

S. Eliſab. Lauden.

ADDITIO ALIORUM

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Ab obitu Alberti Imperatoris, in Hungaria & Boemia res male ſe „ hebebant; utrobique enim Proceres pro habendo Rege tumul„ tuabant, nec inter ſe facile conveniebant, unde tempus aptum fovendis „ & non extirpandis hæreſibus, utrinque noſtris laborem in opere Apoſto„ lico augebat. Eliſabetha Alberti relicta prægnans edidit in lucem La„ diſlaum, qui quatrimeſtris in urbe regia Albæ-Regalis ab Archiepiſco„ po Strigonii Regni Corona donatus fuit, & nihilominus Uladiſlaus Li„ tuaniæ Dux, Caſimiri Poloniæ Regis frater, nonnullorum Procerum fa„ vore & ope Regnum arripuit; unde coacta Regina Mater, infantulum & „ Coronam Friderico Imperatori hujus patruo detulit, ut utriuſque tute„ lam ſuſciperet. Boemi quoque diſtracti; modeſtius tamen agentes, recu„ ſantes habere infantulum Regem, Coronam Alberto Bojorum Duci ob„ tulerunt, qui tamen generoſus & probus, & etiam ab Imperatore exor„ tatus, eam reſpuit, perſuaſitque perſeverare ſub obedientia legitimi „ Regis. Hujuſmodi juſtæ reſponſioni acquieſcentes Boemi, auctoritate „ Imperatoris, nonnullos Proceres elegerunt, qui durante minori ætate „ Regis, Regni curam haberent.

„ II. Pontificis clementia, hujus anni temporibus diverſis, octo de no„ ſtris ſuſpirantes ad Benedictinos, nempe fratres Joannem, Petrum Mel„ chioris, Jacobum, & alterum Jacobum, Petrum de Paz, Dominicum, „ & Franciſcum; ſed Stephanum ad Ordinem Servorum, & Joannem ad „ Fratres beatæ Mariæ de Mercede, tranſire permiſit. Nec ſimilem gra„ tiam

Pontifex indulget tranſitum ad alias Religiones & alia plura.

,, tiam negavit Sorori Eliſabethæ, & alteri ſancti Guillelmi Ferrarienſis
,, mutationem ſtationis ſupplicantibus. Fratri Petro de Migolla Hiſpano,
,, diœceſis Ovetenſis, quem paulo ante Pœnitentiarium inſtituerat in baſi-
,, lica ſancti Petri, ut poſſet obtinere beneficium indulſit: *Religionis ze-*
,, *lus &c.* VI. Idus Maii. Pridie Idus ejuſdem menſis litteras pro quadam
,, terra relicta Mendicantibus & ſatisfactione Minorum Faventiæ expedi-
,, vit: *Dudum ſiquidem &c.* & alias pro fratre Paulo circa aliqua bona: *Vo-*
,, *tis ſupplicum &c.* IX. Kalendas Octobris. Octavo Kalendas Novembris
,, Minoritis Faventinis nonnulla privilegia conceſſit: *Ad ea per quæ &c.*
,, Quarto Nonas ejuſdem quoddam indultum fratri Joanni Nicolao: *Admo-*
,, *net nos &c.* Tertio Idus Decembris fratrem Marcum Inquiſitorem in
,, Provincia Romana inſtituit: *Licet ubilibet &c.*

Inſtituit Inquiſitorem Fr. Marcum.

,, III. A Vaticano expeditis nobis Trivillium occurrit, ſuæ Chriſtianæ
,, pietatis atque devotionis, in ſanctum Patrem Franciſcum ſincerum ze-
,, lum & devotionem in erectione Cœnobii pro ſuis Minoritis oſtentans.
,, Eſt autem Trivillium Galeræ Abduæ fluminis, in Ducatu & Diœceſi Me-
,, diolanenſi Oppidum perantiquum, diei unius itinere a Mediolano in
,, Orientem recedens, a tribus vicis, quorum uni Cuſarola, alteri ad Au-
,, ſtrum Priſgnanum, ac tertio ad Zephirum Portulum nomen erat, ab in-
,, vicem parum diſtantibus, temporibus Brenni Angli Senonum Ductoris
,, in Italiam, in unum redactis, appellatum. Ea enim tempeſtate, cum uni-
,, verſa Italia turbinibus bellorum vexaretur, variiſque incurſionibus &
,, diſcerptionibus vaſtaretur, Brenni præfati juſſu, penes quem erat ſumma
,, rerum, prædictorum vicorum incolæ Arcem in primis muro & foſſa tri-
,, buſque turribus munitam, in eo loco, qui nunc Oppidi medius eſt, con-
,, ſtruxerunt, ut haberent bellicis in tumultibus quo confugere poſſent.
,, Dein ſucceſſivis temporibus, majoris ſocietatis amore, ad arcem propius
,, contractis habitationibus, Trivillii Oppidum elegans & civile proſiliit.
,, Chriſtianam fidem a ſancto Barnaba Apoſtolo, cui erant ſocii ſancti Ana-
,, thalo & Cajus, edocti; ſubinde in argumentum originis ſimul & mo-
,, numentum ſoli natalis ſuorum majorum, in medio agrorum, unde origi-
,, nem traxerunt, tria templa adhuc extantia conſtruxerunt. Nam qui ab
,, Cuſarolæ vico orti erant, Templum in honorem ſancti Zenonis Epiſcopi;
,, ab Priſgnani altero vico, Templum beato Eutropio itidem Epiſcopo; ab
,, vico vero tertio Portuli, Templum beato Mauritio martyri dedicarunt.
,, Trivillienſes ergo ab origine pii & Religionis amatores, hoc anno Fratri-
,, bus noſtris Regularis Obſervantiæ locum decreverunt, ut mox authenti-
,, cis teſtimoniis oſtendam, licet Annaliſta ex Gonzaga in annum ſequen-
,, tem, ex conjectura Epiſtolæ ſancti Bernardini ad fratrem Baptiſtam de
,, Bononia, in Archivio Conventus loci ſervata, memoriam ejuſdem fun-
,, dationis rejiciat.

Trivillium deſcribitur.

[a] *Joann. Franc. Buzzon. in MSS. Fratris Franc. Trivillii.*

A quo Chriſtianam fidem accepit.

Wadd. ad ann. 1442.

,, IV. Acceptis S. P. Bernardini litteris datis Capriolæ prope Senas,
,, die XIII. Februarii, anno MCCCCXLI. frater Baptiſta de Bononia, loco-
,, rum devotorum Provinciæ Mediolanenſis Vicarius, Trivillium ſe contu-
,, lit, mandata ſui Majoris exequuturus. A primoribus reverenter exceptus,
,, Communitatis conſilio cauſam ſui adventus expoſuit, quæ cum eſſet ad
,, votum commune, cito deventum eſt ad publicum actum, cujus tenor
,, ſequitur.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

” V. *ANno Nativitatis ejuſdem* MCCCCXLI. *Indictione* IV. *die Domini-*
” *co*, XII. *menſis Martii, in Caſtro Trivillii, in ſedimine exte-*
” *riori DD. Monialium de ſancto Petro de Trivillio, ſito in Porta Nova, ubi*
” *nunc moram trahit infraſcriptus D. frater Baptiſta Vicarius cum certis*
” *Fratribus, conſtitutus in præſentia mei Notarii infraſcripti, & Notario-*
” *rum & Teſtium infraſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum & roga-*
” *torum.*
” *Venerabilis Religioſus frater Baptiſta de Bononia Ordinis Minorum,*
” *Vicarius devotorum locorum & Fratrum dicti Ordinis, Provinciæ Me-*
” *diolani, qui de Obſervantia nuncupantur, aſſerens ſe habere in promptu*
” *præſentes authenticas litteras Apoſtolicas, pendenti Bulla plumbea ſigil-*
” *latas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas,*
” *conceſſas per beatiſſimum in Chriſto Patrem, ac DD. Eugenium divina pro-*
” *videntia Papam IV. reverendo Patri Joanni de Capiſtrano dicti Ordinis,*
” *quatenus per ſe, vel per Vicarios Provinciarum dictorum Fratrum, perci-*
” *pere poſſit aliqua loca cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, hortis,*
” *hortalitiis, domibus, ac aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione*
” *ipſorum Fratrum, ad divinum cultum exercendum, ſi eis Fratribus a qui-*
” *buſcumque Chriſtifidelibus, pro ſalute animarum ſuarum ſuorumque*
” *prædeceſſorum, pie ac canonice ubilibet condonentur; prout in prædictis*
” *litteris Apoſtolicis plenius aſſeruit contineri. Quarum quidem litterarum*
” *tenor ſequitur, & eſt talis.*

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum,
de obſervantia nuncupatorum, profeſſori, ſalutem
& Apoſtolicam benedictionem.

Conceſſio facta D. Joann. Capiſtran. recipiendi loca pro novis Cœnobiis.

” 1. *INter Eccleſiaſticos Ordines in domo Domini militantes, id ex be-*
” *nedictione cœleſti Ordini tuo & illius Fratribus magis adſcribi-*
” *tur, ut efficax atteſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt,*
” *populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum*
” *& aliis nihilominus per exemplum.*
” 2. *Cum itaque, ſicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat,*
” *ſæpe contingat nonnullos Chriſtifideles ex devotione, quam ad dictum Or-*
” *dinem habent, tuiſque ſermonibus allici ad terreſtria in cæleſtia commu-*
” *tandum, qui pro ipſorum majorumque ſuorum animarum ſalute, loca*
” *quædam pro uſu & habitatione tui Ordinis Fratrum fundarent, conſtrue-*
” *rent & ædificarent, vel fundata, conſtructa & ædificata concederent, ſi*
” *ad id Sedis Apoſtolicæ ſuffragaretur auctoritas: & ſicut eadem petitio*
” *ſubjungebat, ſi quoque loca pro uſu & habitatione hujuſmodi fundandi,*
” *conſtruendi & ædificandi, aut fundata, conſtructa & ædificata recipiendi*
” *a Sede prædicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas lucriſa-*
” *cere ſperares Deo.*
” 3. *Nos igitur, qui Religionem, noſtris præſertim temporibus, adau-*
” *geri intenſis deſideriis exoptamus ac ſalutem quærimus ſingulorum,*

tibi

„ *tibi, necnon pro tempore exiſtentibus quarumcumque Provinciarum, juxta*
„ *morem Fratrum Minorum, de obſervantia nuncupatorum, Vicariis, quin-*
„ *que loca ubicumque conſiſtentia, cum Eccleſiis, campanilibus, campanis,*
„ *hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, ſi tibi aut illis alias cano-*
„ *nice conſignentur, vel in locis ad id congruentibus & honeſtis, vobis per*
„ *eoſdem Chriſtifideles forſitan aſſignandis domibus, Eccleſiis, cum campa-*
„ *nilibus, campanis, hortis, hortalitiis & neceſſariis officinis hujuſmodi*
„ *fundare, conſtrui & ædificare faciendi & recipiendi & perpetuo retinen-*
„ *di, Diœceſanorum locorum, in quibus hujuſmodi fuerint, aut ejuſdem*
„ *Ordinis ſuperiorum licentia minime requiſita, eadem auctoritate Apoſtoli-*
„ *ca, tenore præſentium concedimus facultatem.*
„ 4. *Et inſuper univerſis & ſingulis dicti* Ordinis *Fratribus, quos in*
„ *locis hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis*
„ *Indulgentiis, privilegiis, libertatibus & exemptionibus,* Ordini *præſato,*
„ *necnon ipſius domibus, locis & perſonis, per Sedem prædictam, vel alias*
„ *quomodolibet conceſſis, uti & gaudere libere liciteque valeant, aucto ri-*
„ *tate præſata concedimus; jure tamen parochialium Eccleſiarum, & cujuſ-*
„ *libet alterius ſemper ſalvo: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII.*
„ *prædeceſſoris noſtri prohibentis, ne Religioſi Ordinum Mendicantium loca*
„ *de novo recipiant abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, faciente ple-*
„ *nam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſti-*
„ *tutionibus Apoſtolicis contrariis, non obſtantibus quibuſcumque.*
„ 5. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis*
„ *infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare*
„ *præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & ſanctorum Petri &*
„ *Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ, anno*
„ *Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXV. III. *Idus Octobris, Pontificatus no-*
„ *ſtri anno* V.
„ Signat. intus. *Gratis: de Mandato D. PP. Joannes Acontani*. Exte-
„ riuſque. *Gratis: de Mandato D. PP. Joannes de Stecatis*.
„ VI. *Intendens igitur reverendus frater Baptiſta Vicarius antedictus*
„ *unum locum recipere, juxta continentiam dictarum litterarum, cum li-*
„ *centia & auctoritate Sedis Apoſtolicæ prælibatæ: necnon cum licentia &*
„ *voluntate reverendi in Chriſto Patris fratris Bernardini de Senis, Vicarii*
„ *Generalis locorum devotorum totius Italiæ, reverendiſſimi Patris & exi-*
„ *mii ſacræ Theologiæ Magiſtri fratris Guillelmi de Caſali, generalis Mi-*
„ *niſtri totius Ordinis Minorum, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirma-*
„ *ti; prout patere dixit per litteras patentes ſibi deſtinatas per prædictum*
„ *reverendum fratrem Bernardinum, ſigillatas ſuo conſueto ſigillo. Qua-*
„ *rum quidem litterarum tenor talis eſt videlicet.*
„ VII. *In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Baptiſtæ de Bononia Ordinis Mi-*
„ *norum, ac locorum devotorum provinciæ Mediolanenſis Vicario, frater*
„ *Bernardinus de Senis ejuſdem Ordinis, ac omnium devotorum locorum to-*
„ *tius Italiæ Vicarius Generalis, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.*
„ *Cum expediat &c.* Litteras habes in Waddingo anno ſequenti.
„ VIII. Percipiens igitur Vicarius antedictus devotionem & affectum
„ Univerſitatis & populi Caſtri Trivillii Ducatus Mediolani & Diœceſis
„ Mediolanenſis ad Seraphicum Chriſti Confeſſorem beatum Franciſcum,
„ necnon ad vitam, Religionem & mores Fratrum prædictorum; habita-
„ que notitia de aptitudine & idoneitate certi Territorii, ſeu certorum
„ bonorum dicti Caſtri, ad ædificandum locum congruum, pro uſu & ha-
bi-

„ bitatione Fratrum prædictorum; prædictus Vicarius aſſeruit ſe ſcripſiſſe „ reverendo in Chriſto Patri & D. D. Reverendiſſimo ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Epiſcopoque Cumano, quatenus de „ prædictis notitiam faceret; & pro abundantiori cautela ſpecialem licentiam poſtularet a prælibato ſanctiſſimo Domino noſtro Eugenio Papa IV. „ Qui prædictus R. D. Cardinalis Vicario prælibato ſcripſit, videlicet, „ ſanctiſſimum Dominum noſtrum conceſſiſſe, prout patet per litteras prædicti Domini Cardinalis, ipſi præfato Vicario deſtinatas, & ejus ſolito „ ſigillo ſigillatas: quas quidem litteras Apoſtolicas, litteras præfati reverendi patris fratris Bernardini, ac litteras prælibati R. D. Cardinalis, „ idem Vicarius ibidem in mei jam dicti Notarii infraſcripti ac dictorum „ teſtium infraſcriptorum præſentavit & produxit, ac in promptu oſtendit &c. ad oculum &c.

„ IX. Igitur Andriolus de Rapeis, dictus de Maróne, filius quondam „ Martini; & Antonius filius Jacobi de Carotis; Joannes .... filius quondam Antonii; & Cuminus de Panizolis, filius quondam Atandrini, „ omnes habitatores Caſtri Trivillii prædicti, Officiales ad hoc deputati „ per Concilium Generale Communitatis dicti Caſtri: quod Concilium, „ nemine diſcrepante, etiam voluit, conceſſit & ordinavit Ordinem prædictorum locorum devotorum & ejus Vicarium poſſe, ac eiſdem licitu m „ eſſe ſuper Territorio Caſtri Trivillii prædicti habere & acquirere & „ apprehendere uſque ad numerum perticarum viginti terræ, in quibus „ conſtruatur, & conſtrui & ædificari poſſit locus unus ſeu Monaſterium „ unum, cum Eccleſia & aliis neceſſariis, pro uſu & habitatione ipſorum „ Fratrum, exemptarum & quæ ſemper exemptæ ſint a quibuſcumque „ oneribus, conditionibus: & prout in ſcriptura deliberationis prædicti „ Conſilii jam dicti, ſcripta per Marcum de Andreis Notarium ipſius Communitatis Caſtri prædicti, anno MCCCCXL. die XIV. menſis Martii, plenius continetur, ad reverentiam & laudem Dei, remediumque ſalutis „ animarum Benefactorum & totius Communitatis jam dicti Caſtri & „ ſuorum Prædeceſſorum, & ad remedium felicitatis æternæ, ob ferventiſſimam devotionem, quam ſe habuiſſe & habere aſſerunt ad prædictam „ Religionem, ad quam etiam homines, ut perſonæ terrarum circumſtantium vicinarum affirmant, cordialiter & devote quamdam petiam terræ, „ jacentem ſuper Territorio dicti Caſtri, ubi dicitur in Cregiola, cui „ cohæret a mane & a nocte via communis, a meridie Rogia communis, a „ ſero D. Monialium ſancti Petri de Trivillio, & in parte ... perticarum „ viginti unius, pie, miſericorditer & benigne, mera, pura, libera, grata & ſpontanea voluntate, irrevocabiliter inter vivos donaverunt, dederunt, tradiderunt, ceſſerunt, atque conceſſerunt præfato venerabili „ fratri Baptiſtæ Vicario, ut ſupra, præſenti, ſtipulanti & recipienti per „ ſe & nomine, ac etiam nomine & vice, & ad partem & utilitatem aliorum Fratrum dicti Ordinis, dictæ provinciæ Mediolani, juxta dictarum „ litterarum Apoſtolicarum; necnon mihi Notario infraſcripto perſonæ „ publicæ recipienti & ſtipulanti, nomine & vice, & ad partem & utilitatem Fratrum prædictorum, & ipſa bona ſeu etiam petiam terræ cum „ omnibus & totis juribus, actionibus, rationibus & cauſis ad perſonas „ antedictas donatrices in dicto communi quomodolibet pertinentibus & „ ſpectantibus, & cum acceſſibus, aliis uſibus, uſantiis, ingreſſibus, regreſſibus neceſſariis & utilibus quibuſcumque, pro ædificio & conſtructione Eccleſiæ, Cœmeterii, Domorum & neceſſariarum Officinarum, pro

,, uſu & habitatione Fratrum prædictorum, ad divinum cultum, ut præ-
,, mittitur, exercendum: eo tenore, quod de cetero prædictus D. frater
,, Baptiſta, dicto nomine, & dicti Fratres dicti Ordinis, & eorum ſucceſ-
,, ſores in perpetuum habeant & teneant, & titulo donationis poſſideant
,, ipſam petiam terræ ſuperius donatam; & de ea cum omnibus ſuis juri-
,, bus, ingreſſibus, regreſſibus, viis, uſantiis & utilitatibus pertinentibus
,, & ſpectantibus in ipſa petia terræ, & ejus occaſione faciant quidquid vo-
,, luerint ſine contradictione ipſorum Donatorum, nec ulterius perſonæ,
,, quæ ceſſerunt, dederunt, tradiderunt, atque mandaverunt prædicti
,, Donatores ſupradicto D. Baptiſtæ Vicario, ut ſupra, ſuo & dictis nomi-
,, nibus recipienti, omnia jura, omneſque actiones, rationes, retentiones,
,, replicationes, uſus & effectus reales & perſonales, & utiles & directas,
,, mixtas atque expreſſas, & alias quaſcumque eiſdem Donatoribus perti-
,, nentia, & pertinentes in ipſis bonis ſuperius donatis, & eorum occaſio-
,, ne, & ipſum D. Vicarium Donatarium ſuo, & dictis nominibus, & eorum
,, proprium locum, jus & ſtatum poſuerunt & dimiſerunt, & Procurato-
,, rem in rem ſuam fecerunt & conſtituerunt in agendo, defendendo, ven-
,, dicando, alienando, excipiendo, proponendo & legando, cunctaque
,, alia perinde faciendo modis omnibus, & eiſdem actionibus & defenſio-
,, nibus; & quemadmodum poterant & potuiſſent ipſi Donatores ante hanc
,, donationem, transferentes ipſos Donatores in ſupradictum D. Vicarium,
,, ſuo & dicto nomine recipientem, omne dominium & poſſeſſionem ipſius
,, petiæ terræ, & ſeſe abinde abſentando. Inſuper prædicti Donatores
,, promiſerunt obligando ſeſe, & omnia eorum & cujuſcumque eorum
,, bona præſentia & futura pignori præfato D. fratri Baptiſtæ Vicario, ſuo
,, & dictis nominibus recipienti, quod ſemper & omni tempore ratam,
,, firmam & validam habebunt & tenebunt præſentem donationem, & om-
,, nia & ſingula ſupraſcripta, & non contravenient modo aliquo, qui dici
,, poſſet.

,, X. *Rogatum me Notarium infraſcriptum, & notum ſupraſcriptorum*
,, *Donatorem & Donatarium, ut publicum de prædictis conficerem inſtru-*
,, *mentum. Rogatum etiam emptioni non factæ hujus donationis, & omni*
,, *prædictorum, non ita actorum, & omnibus juribus, legibus, litteris,*
,, *decretis, ſtatutis & ordinationibus in contrarium editis & edendis.*
,, *Actum in Caſtro* Trivillii, *ut ſupra &c. præſentibus Laurentio filio quon-*
,, *dam Antonii de Donatis Notarii infraſcripti; Nicolao filio Perini de Fer-*
,, *randis, & Jacobo filio Andreoli de Rampeis, omnibus habitatoribus*
,, *ipſius Caſtri Trivillii Notariis; Domino Magiſtro Joanne Phyſico filio*
,, *quondam Guillelmi de Lermine; Butino filio quondam Martini de Rozo-*
,, *nibus; Jug. filio D. Don Joannis de Daybertis; Cumino filio Zanoli de*
,, *Amanis; & Joanne filio Ambroſii Cerri, omnibus habitatoribus ipſius*
,, *Caſtri Trivillii teſtibus notis, rogatis, vocatis & idoneis. Ego Antonius*
,, *filius quondam Laurentii de Donatis de Caſtro Trivillii, Imperiali aucto-*
,, *ritate Notarius, hanc cartam rogatus tradidi, & infraſcripto Laurentio*
,, *filio meo Notario, alias occupatus ad ſtudendum &c.*

,, XI. Ex præfato publico donationis inſtrumento Baptiſta Bononienſis
,, Vicarius, ut ædes ſuis Fratribus excitaret, diligenter incubuit, Oppida-
,, norum pia & fervida liberalitate fulfultus. Traditio eſt Fratres interim
,, eo in loco hoſpitatos fuiſſe, ubi quondam Seraphicus Pater in Franciam
,, iturus, commoratus fuerat: humilis erat parvaque domus, quatuor cellas
,, habens; quarum duæ infimæ ad terræ planum, ſecundæ vero illas deſu-

per

„ per conſtructæ: poſtea inferiores, ſublato pariete diviſorio, in unam „ redactæ, in Eccleſiolam ad honorem Seraphici Patris tranſierant: ibi „ ſanctus Bernardinus, cum ſibi occurreret eſſe Trivillii, una cum ſocio „ morabatur: ibidem pariter Fratres, dum conſtrueretur Cœnobium, ſumma cum ædificatione Incolarum & vicinarum gentium, moras traducentes in Dei famulatu, religioſarum virtutum odores, verbo & opere diffundebant.

„ XII. Fratres provinciæ Boemiæ & Poloniæ ſua Comitia Cracoviæ „ in Feſto ſancti Michaelis Archangeli celebrarunt; in iiſque in Cuſtodem „ Pragenſem inſtitutus fuit frater Jacobus Lector Carnoviæ: ſed Fratres „ Boemi perturbatam conditionem temporum in iis partibus imitantes, „ eum rejecerunt.

„ XIII. Venerabilis frater Blaſius Aquilanus, alias beati Joannis Capiſtrani cariſſimus ſocius, omni virtutum genere Sanctimoniaque vitæ „ famoſus, mirifice clarebat: divinis contemplandis myſteriis jugiter intentus eo pervenit, ut nullum verbum inane aut otioſum unquam protulerit; etenim obſervatum eſt, ſive inter ſeculares, ſive inter Fratres „ quovis tempore loqueretur, ſemper cum maxima gravitate & religioſitate in honorem Dei & proximi ædificationem loquutum fuiſſe: rara „ virtus hæc eſt; quam tamen a Jacobo Apoſtolo didicit, eo docente: *Si „ quis putat ſe Religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt „ Religio*: quamobrem beatus Vir, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo. „ Obiit tandem hoc anno MCCCCXLI. v. Kalendas Julii, ſepultus apud antiquum S.P. Franciſci Conventum extra mœnia civitatis Ortonæ, provinciæ ſancti Bernardini.

„ XIV. Venerabilis etiam frater Franciſcus *Marcou* ſacræ Theologiæ „ Doctor Pariſienſis, vir vividi ingenii, indeſeſſus hæreticorum inſectator, „ doctiſſimus Concionator, & morum Conſodalium regimini aptiſſimus, „ tamdem virtutibus & ſanctitate clarus migravit ad Dominum in Conventu ſanctæ Mariæ de Pace urbis Eduenſis, qui eſt XVII. Provinciæ „ ſancti Bonaventuræ, ut ſcribit Fodereus in deſcriptione provinciæ Burgundiæ de eo Conventu ad annum MCCCCXLI. XV. Kal. Martii.

„ XV. Ab eodem Auctore commendatur frater Gilbertus Rondreux ſacræ Theologiæ Doctor egregius, prudentia ac pietate inſignis, qui per „ hæc tempora floruit in Conventu ſanctæ Mariæ Montis Lucii, vigeſimo „ quinto præfatæ provinciæ D. Bonaventuræ. Frat. Gilbertus Rondreux floret

ARGUMENTUM.

Moritur Guillelmus Generalis Miniſter, & Vicarius inſtituitur a Pontifice Albertus Sartianenſis, qui in ſollicitudinis partem advocavit Joannem Capiſtranenſem: quem tamen, ut populum ſuum erudiret, invitavit Epiſcopus Bambergenſis. Controverſia Pariſienſis circa promovendos, decreto dirimitur Pontificio. Antonius Trojanus denuo mittitur ad Maronitas, aliaſque gentes. Moriuntur pii viri Angelus a Canoſa & Vincentius Senenſis, quem tenere dolet amiſſum ſanctus Bernardinus conterraneus. Inſtituuntur Epiſcopi. Male perit Alphonſus Mella. Multiplicantur domicilia.

Moritur Guillelmus Generalis Miniſter.

Marian. cap. 16. Marc. lib. 1. cap. 61.

I. INEUNTE hoc anno, Guillelmus Generalis Miniſter, laboribus & curis oppreſſus, ægrotare cœpit Florentiæ; paulatimque levis febricula in malignam converſa, eripuit e vita die 11. Februarii decumbentem in terra ſuper ſtramina, & humiliter male adminiſtrati regiminis veniam depoſcentem. Devotiſſime petiit & ſuſcepit Eccleſiæ ſacramenta, collacrymantibus omnibus, qui aderant Fratribus, tum Conventualibus, tum Obſervantibus, ſepultuſque eſt honorifice ante gradus ſacelli ſancti Franciſci, ſub lapide marmoreo, poſtquam Ordinem annis tredecim laudabiliter rexit, etſi aliquanto indulgentior laxiori diſciplinæ. Dilexit illum Eugenius, pios quoſque conatus fovit, familiari aditu ſemper admiſit; ægrotanti ſubmiſit Cardinales, qui ſuo nomine inviſerent; medicos, qui curarent; pharmaca, quæ ſumeret; & defunctum ſolemnibus cohoneſtavit exequiis. Succeſſorem non ſtatim deſignavit, ſed Miniſtris in ſuis provinciis jus ordinarium reliquit, & cauſas graviores Ordinis ad ſe voluit referri, inſtitutis viris quinque diſcretis, qui reliqua expedirent.

Bernardinus Senen. dimittit Vicariatum.

II. Bernardinus etiam Senenſis pertæſus Vicariæ poteſtatis, quam annis quinque in Obſervantes invitus exercuit & ægerrime admiſit, ſummis precibus rogavit Pontificem, ut exonerari permitteret, cauſas exponens gravis ſenectutis, liberæ prædicationis & mortis propinquæ. Quod alias negavit, conceſſit Eugenius, viro ſanctiſſimo complaciturus. Alteri noluit officium committi, donec eſſet qui univerſum Ordinem gubernaret. Interim delatæ fuerunt ad Pontificem litteræ a Miniſtro Aragoniæ, & a Senatu ac Conventu Fratrum Barchinonenſi ad Guillelmum Generalem, quem neſciebant obiiſſe, in quibus propter varias cauſas renunciabant deputationi Capituli generalis apud ſe celebrandi. Juſſit Pontifex differri in annum ſequentem, & haberi Patavii, provinciæ ſancti Antonii.

Albertus Sartianen. eligitur in Miniſtrum provinciæ S. Antonii.

Deinde in Vicarium generalem.

III. Moritur deinde Daliſmanus illius provinciæ Miniſter, indictiſque Comitiis provincialibus menſe Junio, miro omnium conſenſu ſubſtituitur frater Albertus Sartianenſis. Nihil gratius renunciari potuit Pontifici, qui exploratas habuit hominis virtutes & prudentiam; atque hinc agnoſcens omnium tum Obſervantum tum Conventualium erga eum propenſionem, Vicarium Generalem totius Ordinis inſtituit, ita ſperans animorum concordiam & perfectam Religionis unionem, quam valde cupiebat, ſecuturam. Omnia conſtabunt ex ipſius Pontificis litteris, in quibus ſummum erga Religionem affectum, & nobilem de Alberto conceptam exprimit opinionem.

EU-

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, Ordinis Minorum, provinciæ S. Antonii Miniſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IV. M*Eruit ardens tuæ religionis zelus, nobis pridem cognitus, & magna in nos ſanctamque Romanam Eccleſiam fides, probataque in tuo Ordine virtus tua ſingularis, non indubie promerentnr, ut ea tibi concedamus, per quorum impoſitum tibi onus, maxima Ordini tuo commoda confidimus proventura. Cum itaque defuncto proximis temporibus Miniſtro tui Ordinis, qui erat provinciæ ſancti Antonii, convenientes in locum ejuſdem provinciæ Vocales numero nonaginta tres, ſervatis ordinibus, ſtatutis & conſtitutionibus ſui Ordinis, te ita unanimiter in ſuum Miniſtrum elegerunt, ut tantummodo unus contrarium ſenſerit, prout in decreto ſuper inde in ipſo Capitulo ſolemniter juxta mores Ordinis facto, vidimus contineri. Nos eamdem electionem, quam, Domino adjuvante, Ordini & provinciæ antedictis ſperamus plurimum profuturam, ratam, gratam & acceptam habentes, in omnibus & per omnia, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica confirmamus: ea tibi erga Fratrum tuorum regimen, qui præſentes & qui futuri ſunt in eadem provincia, libere faciendi, auctoritate Apoſtolica plenius concedentes, quæ prædeceſſores tui Miniſtri ejuſdem provinciæ, ex quibuſcumque privilegiis, vel ex quacumque conſuetudine, aut reliqui ceterarum provinciarum Miniſtri in ſuis adminiſtrationibus de jure ſuo feciſſe, aut ex conſuetudine facere dignoſcuntur. Cum vero per generales conſtitutiones Ordinis tui, nobis plane compertas, ille Miniſter habeat in generali Capitulo præſidere, in cujus provincia ipſum generale Capitulum celebratur; Nos tibi eamdem auctoritatem plenius confirmantes, diſcretioni tuæ, ut Fratres omnes Vocales in generali proximo futuro Capitulo, per Dei gratiam congregandos, valeas ab omni vinculo excommunicationis, irregularitatis, peccatis atque cenſuris etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, necnon pœnis aliis quomodolibet inflictis vel infligendis, abſolvere, liberare, habilitare, promovere: & quos ex eiſdem Fratribus judicaveris puniendos, punire, omniaque alia & ſingula facere, quæ in prædictis & circa ea ad bonam & canonicam futuri Generalis electionem, aliaque, quæ ad bonum regimen Ordinis tui ſpectant & quomodolibet pertinent; conſtitutionibus Apoſtolicis ac ſtatutis & ordinationibus dicti Ordinis, etiam juramento firmatis, ſuper quibus, tenore & auctoritate ſimilibus diſpenſamus, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, plenam concedimus facultatem. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLII. XVI. *Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno* XII.

Ex autographo.

Deſtinatur Præſes Capituli generalis.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, Ordinis Minorum Vicario generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

V. O*Rdo tuus, in Seraphicæ caritatis ardore a principio fundatus, tamquam fœcundus plantationum hortulus, uberrimos huc uſque protulit fructus. Dum enim plantati ex prima beati Franciſci vite palmites in Religione, honeſtate, ſanctimonia, in primis ipſa caritate, exculti fuerunt, in tantum eſt ea plantatio propagata, ut per univerſum orbem diffuſa, maximiſ-*

Ex autographo.

Caritate & amore religio creſcit.

miſque ſacrarum litterarum veritatibus, humilitatis & patientiæ divitiis abundans, populos repleat ſaginetque divini eloquii pabulo, & pulſis ignorantiæ tenebris, ſanctæ converſationis amore deſiderioque inebriet. Nec alicui dubium, dilecte fili, eſſe debet, quin ſi ea, quæ tam bona fundavit caritas, inter vos durabit, & Ordo ipſe mirabili quodam pullulet multiplicetque incremento; & orbis terrarum, in cujus ſingulas pene particulas penetractis, illa ipſa, quam in vobis viderit, ſenſerit, odoraverit, ardeat caritate; faciatque exemplum a veſtra vita ſumptum, ut, quod vobis maximum & in intentione primarium eſſe debet, animas veſtras vel ea ratione ſalvas faciatis, quia proximos inde curabitis lucrifacere. Sed dicant nobis, qui majore inter vos ſcientia vel ſeculi prudentia illuſtrantur, qualia credunt popalos de beati Franciſci Ordine opinari, cum varias in eo ſectas, cum diſſidia, & prope certam inſpiciunt ſciſſuram; cum ex pacis, caritatis &

Diſſidiis & ſciſſura decreſcit.

ſanctimoniæ vetuſto ovili gregem prodire inſpiciunt ſeparatum? Magna profecto eſt diſcordia, dilecti filii, ipſa Ordinis veſtri labes, quam adeo ſemper poſtquam ad Apoſtolatus apicem, cui, Deo auctore, licet immeriti, præſumus, evecti fuimus, tollere & penitus exſinguere anbelavimus, ut nullas pro tanti operis perfectione evitaturi fuerimus moleſtias, nullos labores voluerimus declinore. Verum, quod nulla induſtria, quod nec ante potuimus vel ingenio conſequi, Deum noſtrum hoc tempore ſua miſericordia, nobis nullatenus tale quid cogitantibus, præparaſſe confidimus. Nam cum poſt mortem bonæ memoriæ fratris Guillelmi de Caſali Ordinis veſtri Generalis Miniſtri, ad quorumdam Miniſtrorum nonnullorumque bonæ exiſtimationis Fratrum inſtantiam, per litteras Apoſtolicas mandaverimus Ordinem veſtrum regi & gubernari per Miniſtros, ſecundum ſtatuta Papalia & generalia Ordinis, uſque ad electionem alterius Generalis, vel novam inſtitutionem Vicarii per Nos deputandi; atque etiam, exceptis ac nobis reſervatis quibuſdam in dicto Ordine gravioribus, alia voluerimus a quinque electis Fratribus expediri, accidit litteras ſcribi Generali, de cujus morte ignorabatur, a dilecto filio Provinciali Aragoniæ, manu ipſius Provincialis ſcriptas, & pariter alias a Conventu ac populo Barchinonenſe, in quibus quidem litteris omnes prædicti renunciabant Capitulo veſtri Ordinis generali, apud eos deputato antea: qua renunciatione per nos acceptata, dictum generale Capitulum pro futuro anno MCCCCXLIII. *die* IX. *Junii tranſtulimus ad provinciam & locum ſancti Antonii Paduæ; prout omnes Miniſtros de ea translatione tunc fecimus certiores. Item accidit Miniſtrum, qui erat dictæ provinciæ ſancti Antonii, ad Dominum migrare; quare omnium reſpectu dicti Capituli generalis, præſertim in ea Provincia celebrandi, juſſimus provinciale Capitulum congregari, in quo novus Miniſter more ſolito crearetur, convenerunt nonaginta tres Vocales ad Capitulum, juxta Ordinis decreta & conſuetudinem. Cujus quidem Capituli Fratres, poſt debitos neceſſarioſque tractatus, tamdem, unico tantum ex ipſis nonaginta tribus Vocalibus excepto, te concorditer elegerunt; eam vero electionem tanta Vocalium concordia factam, illico Nos libentiſſime confirmavimus: atque tunc conſiderare cœpimus, poſtquam Fratres dictæ Provinciæ ſtudium & indulgentiam adhiberent in eligendum virum præſtantem, qui neceſſaria Capitulo generali præpararet, decere Nos, imo incumbere Nobis ex debito, Vicarium Ordinis creare, qui plara poſſet quam Miniſter, auxilia Capituli neceſſitatibus exhibere; & tamen, habita ad id ſatis diu bona conſideratione, nullus occurrit magis idoneus, quam tu, ab eo ſatis amplo Fratrum numero, in quo multi fuerunt doctrina & prudentia præſtantiſſimi, in Provincialem, ſumma animorum concordia electus: quibus adducti rationibus,*

bus, te in Vicarium Generalem Ordinis uſque ad novam Generalis creationem elegimus, prout etiam tenore præſentium eligimus & creamus. Tribuit autem nobis Altiſſimus, ut quam primum tu a nobis in Vicarium Ordinis uſque ad novam Generalis creationem creatus fuiſti, magnam exinde habuerimus conſolationem; cœperimuſque intelligere te, præſtante Domino, futurum lapidem illum angularem, qui, quod ſæpe & diu diximus optaſſe nec unquam conſequi potuiſſe, utrumque parietem conjunges, & utraque unum facies. Nam præcipuus ille & nobis dilectus filius frater Bernardinus Senenſis Vicariatui Fratrum devotorum, quem dictus Generalis pridem ſibi invito & recuſanti ad bonum finem dederat, & Nos confirmaveramus, illico in manibus noſtris ſponte renunciavit: qua renunciatione acceptata, Nos, qui intendimus huic tam optatæ unioni modis quibuſcumque neceſſariis manum apponere, omnes litteras Apoſtolicas dictis Fratribus devotis, ut loca nova poſſent capere, conceſſas, vel quæ a generali Miniſtro exemptionem aliquam concernebant, penitus revocavimus, prout etiam tenore præſentium revocamus; volentes & harum ſerie mandantes, quod omnes prædicti Fratres devoti, uſque ad aliam determinationem noſtram, regantur per Vicarios Miniſtrorum, eligendos per majorem partem Fratrum devotorum. Confidimus autem de omnium Miniſtrorum bonitate, quod dictos Fratres devotos magna cum caritate regi curabunt, quemadmodum in Italia gubernantur. Quocirca te in Domino hortamur, tibi nihilominus mandantes in virtute obedientiæ ſalutaris, quatenus dictum Vicarii officium hilari, ut debes, animo acceptes. Nos autem de tua bonitate confiſi, devotioni tuæ publice ac privatim viſitandi, corrigendi, citandi, puniendi, privandi & ſuſpendendi, deponendi, & rebelles quoslibet aut quaslibet per cenſuram Eccleſiaſticam coercendi, carcerandi, & a carceribus liberandi, inſtituendi & deſtituendi, ad actus legitimos reſtituendi, atque ab eiſdem puniendi & privandi, auctoritate Apoſtolica ſubditos vel ſubditas abſolvendi ab omnibus peccatis & caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, Capitulum quoque generale tenendi & celebrandi, Miniſtros interim confirmandi, & Commiſſarios per Ordinem deſtinandi, ac ad libitum revocandi, ac omnia & ſingula faciendi, quæ idem Generalis, ſi ſupereſſet, facere & diſponere potuiſſet, auctoritate Apoſtolica, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLII. XV. *Kalend. Auguſti Pontificatus noſtri anno* XII.

Eligitur in Vicarium generalem.

Pontificis de Alberto opinio.

His per omnia ſimilem, mutatis mutandis, ſcripſit tertio poſt die ad omnes Ordinis Fratres, & ſanctæ Claræ Sorores, ſub hoc titulo: *Univerſis & ſingulis Ordinis beati Franciſci Provinciarum Miniſtris, Cuſtodibus, Vicariis, & locorum Guardianis, ceteriſque Officialibus & Fratribus, necnon Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ* &c.

VI. Paulo poſt aſſumptionem ſuam ad totius Ordinis Vicariatum Albertus, die primo Septembris in ſuæ ſollicitudinis partem & curarum conſortium vocavit per litteras, quas penes me habeo, dilectum conſocium & fidum amicum Joannem Capiſtranenſem; & Commiſſarium ſuum, Viſitatorem & Reformatorem inſtituit in provinciis Turoniæ, Franciæ, Burgundiæ, Angliæ, & Hiberniæ, aliiſque ultra-montanis, & nolentem coegit, ut grave hoc munus obiret. Probavit factum Eugenius, & ſub anni finem hoc munivit diplomate, injungens, ut illarum Provinciarum Fratres, qui Principum metu, & Baſileenſium ſuadelis Felici obediebant Pſeudo-pontifici, ad veri Papæ cultum revocaret.

Capiſtranus fit Commiſſarius in partibus Ultramontanis.

Di-

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, & Conventuum Ordinis Fratrum hujuſmodi in provinciis Turoniæ, Burgundiæ, Franciæ, & aliarum Provinciarum Ultramontanarum conſiſtentium, Viſitatori & reformatori, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Autographo.

VII. *INjuncti nobis oneris Paſtoralis officii quotidiana ſollicitudo mentis noſtræ aciem incitat ad dirigenda quæ divini cultus augmentum & ſalutem ovium nobis commiſſarum intentius conſpicere dignoſcuntur. Cum itaque, divina ſuffragante clementia, Græcos, Armenos, atque Jacobinos ad unum ovile Domini, ſub ſanctæ Romanæ Matris Eccleſiæ gremio reduxerimus; cor noſtrum flagranti deſiderio æſtuat, ut ſua ineffabili miſericordia dignetur Altiſsimus etiam de illis ovibus totius humani generis converſio ſequatur, & unum ovile ſub uno Paſtore efficiatur, & errantes ad viam veritatis reducamus, & reductos paternaliter foveamus. Sed longe magis proprias oves cogimur educare, & in gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ noſtro pallio tegere, noſtris brachiis amplexari, noſtris vigiliis & laboribus confovere, quibuſcumque neceſſariis favoribus & præſidiis cuſtodire, eas præcipue, quæ nullo medio, noſtro regimini ſunt ſubmiſſæ, ſicut ſunt oves Ordinis Minorum, quorum doctrina & exemplo vitæ, Eccleſia illuſtrata extitit, cujus Ordinis ſacra Regula proteſtatur, dicens:* Frater Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam D. Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus ejus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ, *& alibi:* Ut ſint ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, *& reliqua: hinc itaque, cum divina providentia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti fuerimus, diſcordias, varietates, diſſentiones, & ſectas dicti Ordinis per plurimos annos, omnibus conatibus extirpare deſideraverimus, & ad ſalutarem vivendi ac regendi modum dictum Ordinem reducere, conſervare, augere atque ampliare, quantum in nobis fuit; Domino diſponente & operante, hoc anno præſente, poſt deceſſum bonæ memoriæ Guillelmi de Caſali, ſacræ Theologiæ profeſſoris, & Generalis Miniſtri Ordinis prælibati, occurrente renunciatione futuri Capituli generalis facta per Fratres Conventus Barchinonæ, decrevimus generale Capitulum celebrari in civitate Paduanenſi circa feſtum Pentecoſtes proxime futuri, ſicut per noſtras litteras univerſis Miniſtris dicti Ordinis notum fecimus. Poſtmodum vero occurrit tranſitus ex hac vita mortalium Dalfinani, tunc Miniſtri provinciæ ſancti Antonii ſecundum morem Ordinis antedicti. Deinde non ſine diſpenſatione divina factum extitit, ut congregati Fratres Vocales in Capitulo provinciali pro electione Miniſtri, cooperante Spiritu ſancto, convenerint in unum, & tamdem, deliberatione matura, dilectum filium Albertum de Sartiano dicti Ordinis profeſſorem, dictæ Provinciæ Miniſtrum elegerint: cujus electio non parvam nobis conſolationem ac lætitiam attulit; cum vir comprobatæ*

Encomia Alberti Sartianen.

integritatis & præcipuæ doctrinæ ac prudentiæ exiſtat, & gravitate morum & conſilio præſtans, ut longa experientia nobis innotuit: de cujus vita, moribus, & doctrina, ac Religionis zelo, & reformationis Ordinis ardenti deſiderio, in Domino plurimum confidentes, eumdem Albertum non ſolum Miniſtrum dictæ provinciæ ſancti Antonii confirmavimus, verum etiam totius Ordinis prædicti, auctoritate certarum noſtrarum litterarum, Vicarium Generalem conſtituimus atque deputavimus. Ut itaque hæc noſtra conſtitutio juxta deſiderium cordis noſtri effectum aſſequeretur, mandavimus univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, ut dicto Alberto vero Vicario in omnibus obe-

obediant, ſicut eorum Generali, dum ſupererat, obedire tenebantur. Ne itaque quiſquam eorumdem Fratrum dicti Ordinis velamen excuſationis aſſumat, ſub ignorantia dictæ noſtræ inſtitutionis prædicti Vicarii Generalis, te, de cujus vita laudabili, ſufficienti ſcientia, doctrina utili, ſalutaribus exemplis, ac moribus regularibus ceteriſque virtutibus, quibus te Altiſſimus inſignivit, experientia plurima ab annis multis ex quadam antiqua notitia ac familiari converſatione, etiam dum eramus in minoribus conſtituti, fuimus & ſumus plenarie informati, ad provincias Turoniæ, Burgundiæ, Franciæ ceteraſque provincias Ultramontanas duximus deſtinandum, ad notificandum prædictam noſtram conſtitutionem, necnon ad procurandum, tractandum & concludendum pacem, concordiam, unionem Fratrum dicti Ordinis, & reductionem eorum ad obedientiam noſtram, & unius capitis dicti Ordinis, & pro præſenti prædicti Vicarii, & cujuſcumque Generalis Miniſtri, in dicto futuro Capitulo generali per eos, ad quos ſpectat, vel qui deputati fuerint, canonice eligendi. Et inſuper te omnium Conventuum & Fratrum dicti Ordinis provinciarum Turoniæ, Burgundiæ, Franciæ & aliarum provinciarum Ultramontanarum Viſitatorem & Reformatorem uſque ad dictum generale Capitulum, in prædicta civitate Paduana celebrandum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus & etiam deputamus; tibique viſitandi omnes & ſingulos Conventus dicti Ordinis in prædictis Provinciis conſtitutos & ſituatos, necnon de exceſſibus, criminibus quibuſcumque Fratrum dictorum Conventuum, etſi ſchiſmatis & hæreſis nomine ac labe polluti eſſent, inquirendi, procedendi, terminandi, reformandi, corrigendi, puniendi, carcerandi, privandi, inſtituendi, deſtituendi, deponendi, reſtituendi, juxta qualitatem & exigentiam eorum exceſſuum, & Canonicas ſanctiones & ſtatuta & conſtitutiones ipſius Ordinis, etiamſi Fratres prædicti Miniſteriatus, aut alio quovis modo fungantur officio vel honore, ligandi, abſolvendi; contradictores quoque & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas compeſcendi, &, cum opus fuerit, brachium ſeculare invocandi; necnon ab excommunicationibus & cenſuris ceteriſque vinculis in forma Eccleſiæ conſueta, abſolvendi & liberandi, etiamſi talibus vinculis tenerentur, quibus merito eſſet Sedes Apoſtolica conſulenda, & quorum abſolutio foret Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata; etiam ſi eſſent ſimoniaca labe reſperſi, ſchiſmatis romphæa aut hæretica pravitate diviſi, dummodo ſchiſmaticam & hæreticam pravitatem in manibus tuis, vel deputandorum a te, ſponte & libere abjurent, & quod talia in poſterum non committent, nec committentibus auxilium, conſilium vel favorem præſtabunt, juramentum in forma debita exhibeant; & aliis quibuſcumque criminibus irretiti, ſi velint reſipiſcere veraciter, & ad gremium & unionem ac obedientiam noſtram, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ rectis greſſibus remeare, exceptis dumtaxat homicidii voluntarii, mutilationis membri, vel bigamiæ irregularitatibus irretitis, plenam & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem; confirmantes etiam tibi nihilominus, eadem auctoritate omnem facultatem & commiſſionem tibi factas vel fiendas per prædictum Vicarium. Mandantes inſuper univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in omnibus & ſingulis ſupra dictis tibi debeant humiliter obedire, ac decenti reverentia obtemperare, ac perſonaliter aſſiſtere in omnibus, in quibus duxeris eos requirendos, opportunis favoribus cum effectu & realiter comparere, omni ſubterfugio, contradictione & appellatione remotis. Concedimus tibi inſuper, auctoritate præſentium, ut omnibus & ſingulis Fratribus dicti Ordinis in

Et Joann. Capiſtrani.

prædictis Provinciis commorantibus, quos devotos nobis, in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ unitate & noſtra & dicti Ordinis obedientia perſeverare cognoveris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ut quilibet eorum in mortis articulo eligere ſibi valeat idoneum Confeſſorem, qui eorum quemlibet abſolvat, auctoritate noſtra, cum plenaria remiſſione omnium peccatorum, ſecundum formam Romanæ Curiæ conſuetam. Volumus etiam, quod, ſi opportunum fuerit, juxta tuam diſcretionem, poſſis occurrentes ſubdelegare cauſas Fratrum dicti Ordinis in Provinciis prælibatis, & Commiſſarios deputare in qualibet de Provinciis ſupradictis, vel in aliquo particulari Conventu, ad cognoſcendum & exequendum, quæcumque tibi viſa fuerint committenda, cum auctoritate tibi ſuperius attributa. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac aliis ſtatutis, ac conſuetudinibus Ordinis & Conventuum prædictorum, necnon privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenoram exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus præſentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a prædicta ſit Sede induitum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi, ac eorum propriis nominibus & Ordine ac Conventibus, mentionem. Mandantes inſuper diſcretioni tuæ, quatenus injunctum tibi miniſterium laboris hujuſmodi, pro noſtra & dictæ Sedis reverentia, ſuſcipias devote, illudque juxta datam tibi a Deo prudentiam, ad ipſius Dei laudem, ac noſtrum & Eccleſiæ honorem & augmentum Ordinis prædicti exequaris, ut ſperati fructus proveniant, tuque apud nos & Sedem prædictam, dignam commendationem conſequi merearis. Nos enim ſententias quas rite tuleris, & pœnas quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus, eaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLII. *Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri, anno* XII.

VIII. Promiſerat Capiſtranus, ſe iturum Bambergam, nobilem Germaniæ urbem, ut prædicaret: Antonius Epiſcopus probe ſciens, quantum lucri perciperent populi ex ſalutari ejus doctrina, omnes ſibi ſubditos, propoſitis indulgentiis invitavit, ut concionibus & Miſſis ejus intereſſent, hac encyclica tranſmiſſa epiſtola.

Antonius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Bambergenſis.

Ex Autographo. Epiſcop. Bambergen. invitat ſubditos ad conciones Capiſtrani.

PRidem accepimus qualiter venerabilis in Chriſto & religioſus frater, Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, perilluſtraturus ſit civitatem & diœceſim noſtras Bambergenſes, ibique verbum Dei ſeminare proponat. Cupientes igitur ut Chriſtifideles tanto libentius, cauſa devotionis ad eumdem confluant, quanto ſe dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint refectos; omnibus Chriſtiani nominis ſubditis noſtris, vere pœnitentibus & confeſſis, qui ſermonibus ſeu prædicationibus ipſius Fratris ac Miſſis ejuſdem interfuerint in civitate & diœceſi noſtris, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, necnon ſanctorum Kiliani & Georgii martyrum, Henrici confeſſoris, & Radegondis virginis, Eccleſiæ noſtræ Bambergenſis patronorum, auctoritate & meritis con-

fiſi,

ſiſi, pro qualibet vice, auctoritate noſtra ordinaria, quadraginta dies Indulgentiarum, de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. In quorum teſtimonium præmiſſorum, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Bambergæ, feria IV. *poſt diviſionem Apoſtolorum, anno* MCCCCXLII.

IX. Orta magna controverſia inter quatuor Ordines Mendicantes, & Doctores Univerſitatis Pariſienſis circa promovendos ad gradus ſcolaſticos & lecturas Academiæ, litem hoc decreto Pontifex diremit. Lis inter Pariſienſes & Mendicantes Ordines.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD urgendam divinæ ſcientiæ & ſacræ Theologiæ propagationem, ut peculiare illius ſtudium ad ſalubrem fidelium ædificationem undique ſuos funiculos longiores efficiat, continuas noſtræ meditationis ſollicitudines impendimus, ac illis, quæ propterea, ſingulis ſublatis diſpendiis, profutura fore conſpicimus, favores Apoſtolicos diffuſius impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Generalium & Fratrum Minorum, Prædicatorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet juxta antiquas & laudabiles, dudum etiam a tanto tempore, cujus contrarii non exiſtit memoria, in facultate Theologiæ Univerſitatis ſtudii Pariſienſis inconcuſſe obſervatas conſuetudines, ſinguli dictorum Ordinum Fratres, qui pro felici dicti ſtudii Theologiæ continuatione & ſalutari conſummatione, per generalia cujuſcumque ex dictis Ordinibus Capitula, vel per ſuos Generales aut eorum Vicarios, ſeu alios ad id ſufficientem poteſtatem habentes, ad Univerſitatem Pariſienſem miſſi, & ad legendum Bibliam publice deputati & aſſignati fuerunt, ſi per deputatos facultatis Theologiæ dictæ Univerſitatis ad hoc reperti fuerint ſufficientes, ſolutis juribus ejuſdem facultatis, ſine mora alicujus præcedentis temporis, ad legendum Bibliam publice hujuſmodi ab eadem facultate admiſſi & recepti ſive acceptati fuiſſent, necnon illi, qui ſimili modo ad legendum ſententias deputati fuerunt, ſine alicujus præcedentis temporis acquiſitione, ſine Bibliæ lectura, ſine curſibus, & abſque ulla ipſorum curſuum perſolutione, ab ipſa facultate ad legendum ſententias, ſive librum ſententiarum admiſſi extiterant; & poſtquam dicti Fratres Baccalaurei formati in dicta Theologia facti fuerant, quilibet ex eiſdem Ordinibus Regens, unum ex dictis Baccalaureis, pro obtinenda licensia in dicta Theologia, Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis præſentare conſuevit, ipſeque Baccalaureus ſic præſentatus, ad immediatam ſequentem tunc licentiam, licet etiam ſtatuti temporis, videlicet quinque annorum, dum tamen bis de ordinario reſpondiſſet, ſpatium non complevißet, protinus admiſſi extitiſſent, & ex præmiſſis plurimi dictorum Ordinum Fratres in eadem Theologia legendo & diſputando multipliciter profecerunt, ac plura exinde Deo grata, & hominibus accepta bona ſucceſſerunt. Tamen a multis annis citra, nonnulli ex facultate Theologiæ Univerſitatis hujuſmodi, dictis Fratribus, ac Ordinibus, eorumque utilitati ſe opponentes, ita fecerunt, ut eis ex inde multa diſpendia provenire noſcantur. Pro parte Generalium & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune provideri, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque uberes & commendabiles, quos dicti Fratres dudum in Dei Eccleſia afferunt fructus, propenſius attendentes, ac eorum ſtatui ac indemnitati in præmiſſis opportune conſulere cupientes, necnon dictas conſuetudines velut legitimas & ra-

Reg. Vat. l. 1. de Regul. fol. 287.

rationabiles, Apoſtolica auctoritate approbantes & confirmantes, ac obſervandas fuiſſe, & in futurum perpetuo obſervari debere cenſentes ac decernentes, præſentis perpetuo valituræ & irrefragabiliter obſervandæ conſtitutionis edicto, eadem auctoritate ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, omnes & ſinguli dictorum Ordinum Fratres, qui pro continuatione & conſummatione ſtudii Theologiæ hujuſmodi, per aliqua ex generalibus dictorum Ordinum Capitula vel eorum aliquod, aut per ſuos Generales vel eorum Vicarios, ſeu quoſcumque alios, ſufficientem ad id poteſtatem habentes, ad dictam Univerſitatem miſſi, & ad legendum inibi Bibliam publice deputati & aſſignati fuerint, ac per dictos deputatos facultatis Theologiæ ad hoc ſufficientes & idonei reperti fuerint, ſolitis juribus eiuſdem facultatis, indilate & abſque alicujus præcedentis temporis mora, ad legendum Bibliam publice hujuſmodi, necnon illi, qui ſimili modo ad legendum ſententias deputati fuerint, nulla cujuſvis temporis expectata mora, ſine lectura Bibliæ, ſine curſibus, & abſque ulla ipſorum curſuum perſolutione, ad legendum ſententias ſive librum ſententiarum a dicta facultate, omnibus contradictione & difficultate penitus ceſſantibus, libere admittantur & admitti debeant; ac poſtquam dicti Fratres formati in eadem Theologia Baccalaurei fuerint, quilibet ex eiſdem Ordinibus Regens, unum ex dictis Baccalaureis, pro obtinenda licentia in dicta Theologia, prædicto Cancellario præſentet & præſentare debeat; ipſeque Baccalaureus ſic præſentatus, ad immediatam tunc ſequentem licentiam, licet ſtatuti temporis, videlicet quinque annorum ſpatium non compleverit, dum tamen bis de ordinario reſponderit, ſine aliqua contradictione protinus libere admittatur. Mandantes nihilominus Cancellario dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtenti, necnon univerſis Doctoribus, Magiſtris & Scholaribus dictæ facultatis, eiſque & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, ac in ſuorum remiſſionem peccaminum diſtricte præcipiendo injungentes, quatenus ſanctionem, ſtatutum & ordinem prædicta efficaciter obſervent & ab omnibus faciant obſervari: ac decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiæ, Univerſitatis, facultatis & Ordinum prædictorum, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate, hactenus vel in poſterum roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, quibus per præſentes volumus derogari. Nulli ergo &c. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLII. IX. *Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri, anno* XII.

X. Reverſus frater Antonius a Troja ab illa ſua commiſſione Orientali, *An. 1440. n. 6.* a Pontifice, ut diximus, injuncta, iterum hoc anno mittitur ad Maronitas & Druſullios, ut ſecundum ea, quæ cum illis pepigerat, & Pontifici in regreſſu retulerat, illos ad unionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ juxta exemplar *An. 1441. n. 3. & ſeqq.* aliarum nationum, quas ſupra retulimus, per illorum adduceret Legatos. Hoc anno ad gentem hanc rediiſſe mihi conſtat ex Ordinis regiſtro, in quo Guillelmi Generalis Miniſtri iſtæ litteræ habentur.

Dilecto in Chriſto & venerando Patri, fratri Antonio de Troja, Provinciæ ſancti Angeli, S. D. N. Eugenii Papæ IV. in Syriæ aliiſque partibus Commiſſario, frater Guillelmus de Caſale &c. ſalutem.

Anton. a Troja Cómiſſar. Apoſtolicus. Q*Uia ex commiſſione & mandato S. D. N. Eugenii Papæ, ad honorem Dei & ſanctæ matris Eccleſiæ, debes ad partes Syriæ, ad gentes Maronitarum & Druſilliorum proficiſci, ibique aliqua negotia ad fidem* Ca-

Catholicam ſpectantia peragere; & quia non potes ſolus omnia perficere, propterea, harum tenore litterarum concedimus, ut duos Fratres, ubicumque & quoſcumque videris idoneos, in ſocios aſſumas: quibus per obedientiam præcipimus, ut tibi in omnibus, tamquam mihi ipſi fideliter obediant. Inſuper concedimus, quod e quocumque loco vel Conventu noſtri Ordinis, ad quem perveneris, ſi neceſſe fuerit, duos Fratres ad præſentiam præfati S. D. N. poſſis deſtinare. Omnibus etiam Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, per quorum loca tu, vel prædicti ſocii, vel Fratres a te deſtinandi tranſierint, præcipimus, ut illos caritative recipiant, iiſque conſiliis, auxiliis & favoribus aſſiſtant opportunis. Vale ex Florentia, die VI. *Januarii, anno* MCCCCXLII.

XI. Apud Capiſtranum, oppidum Aprutinum, obiit circa hoc tempus beatus Angelus de Canoſa Laicus, cujus funus curarunt Presbyteri Eccleſiæ Collegiatæ: nullum enim tunc erat ibi Fratrum domicilium. In eadem Eccleſia, dum exequiæ celebrarentur, infirmum feretro approximantem, a gravi, quo laborabat, languore, ex tempore liberavit. Quapropter, ut Sanctus & vere Beatus in poſterum haberi cœpit: nec immerito, cum & alia multa ediderit miracula. Cum poſt aliquot annos, curante beato Joanne Capiſtranenſi, Minorum etiam acceſſerit habitaculum, Fratres ſæpe & diligenter inſtiterunt, ut ſui Conſodalis donarentur exuviis, nec aliquando potuerunt impetrare.

Gonz. in Prov. S. Bernard. Con. 16.
Moritur B. Angelus de Canoſa.

XII. Hoc anno, teſte Gonzaga, deceſſit beatus Vincentius Senenſis, ſancti Bernardini intimus amicus, fidelis ſocius, omnium conſcius ſecretorum. Sub incertum tempus mortem reponunt alii; ſed hoc ipſo, vel ſub initium ſequentis anni defunctum aperte colligitur ex operibus ipſius ſancti Bernardini; quippe in tractatu *de beatitudinibus Evangelicis*, quem ſimul cum epiſtola miſit menſe Aprili, anni ſequentis, ad Petrum Thomaſium, medicum Venetum, cujus opera e morbo convaluit, deplorat tamquam recens defunctum Vincentium. Ipſum pie & Chriſtiane lugentem expedit audire. Diſces lector, qualiter flere liceat in amicorum interitu; & qualis fuit Vincentius, pro quo tam amare planxit Bernardinus. Etſi aliquanto nimis in amoroſis querelis ſe diffudiſſe videatur, lege tamen, non tædebit: me fidejuſſore, lugubris hic cantus te ſuavi demulcebit harmonia.

Gonz. in Prov. Tuſc. Conv. 4.
Et Vincent. Senenſis.
Marian. & Marc. citati.
Cujus mortem deplorat S. Bernard. Senenſis.

XIII. *Cum de fraterna compaſſione ac pietate ſacras Scripturas attenta perſcrutatione conſidero, gladium doloris cordi meo acrius infigo, nec lacrymas ſcribendo continere valeo. Vis enim doloris adducit intentionem, & indignatio Domini ebibit ſpiritum meum. Subtracto ſiquidem illo, per quem mea in Domino ſtudia ubicumque libera eſſe ſolebant, ſimul & cor meum dereliquit me. Cujus enim vel ferreum pectus ſuper me non moveatur, ſi novit incommodum & damnum meum? Reluctor affectui, nitens vel invitus non moveri fruſtra a conditione naturæ univerſitatis, debito conditionis uſu, potentis juſſu, judicio juſti, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro hujuſmodi quidem exigo a meipſo non indulgere multo fletui, nec poſſum imperare triſtitiæ, dum impero lacrymis; ſed ſicut ſcriptum eſt,* turbatus ſum & non ſum locutus. *At ſuppreſſus dolor altius introrſum radices figit, eo, ut ſentio, acerbior factus, quo non eſt exire permiſſus: fateor, victus ſum. Exeat neceſſe eſt foras, quod intus patior. Exeat ſane per calamum, ut ſcientes incommodum meum, dulciori affectu mihi compatiantur. Scitis, dilectiſſimi fratres, quam juſtus ſit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Scitis profecto, quam fidus comes deſeruit me in hac via peregrinationis, qua ambulabam:*

Bernard. Sen. tom. 3. ſerm. 4. art. 2. c. 3.

quam

quam vigil ad curam, quam non ſegnis ad opus, quam ſuavis ad mores. Quis ita mihi perneceſſarius? cui æque dilectus ego? Patria erat amicus, religione frater, ſed caritate extitit alter ego. Dolete, quæſo, & vicem meam tenete vos, quibus hæc ſunt nota. Infirmus corpore & graviter multoties fui, & ille ſemper portabat & gubernabat me. Puſillus corde eram, & confortabat me. Piger & negligens in via Dei eram, & excitabat me. Improvidus & oblivioſus, & commonebat. Quomodo mihi avulſus es, Vincenti mi? Quomodo raptus e manibus, homo unanimis, homo ſecundum cor meum? Amavimus nos in vita, quomodo in morte ſeparati ſumus? Amariſſima ſeparatio, & quam non poſſet omnino efficere, niſi mors. Quando enim me vivus deſereres? omnino opus mortis horrendum divortium eſt. Quis enim tam ſuavi vinculo mutui noſtri non pepercieſſet amoris, niſi totius ſuavitatis inimica mors? Bene mors, quæ unam rapiendo, duos furioſa peremit. An non mors etiam mihi, imo plus mihi: cui utique omni morte infelicior vita ſervata eſt; vivo vivens, ut moriar, & hoc dixerim vitam? Quam mitius me privares, a auſtera mors, vitæ uſu, quam fructu! Nam vita ſine fructu gravior mors eſt. Denique duplex malum paratur ligno infructuoſo, ſecuris & ignis. Ergo meis laboribus invidens, elongaſti a me amicum & proximum, per cujus maxime ſtudium erant, ſi quando erant, fructuoſi labores. Satius proinde mihi ſuiſſet periclitari vita, quam tua, Vincenti, præſentia, qui meorum in Domino ſtudiorum eras ſolicitus incitator, fidelis adjutor, & cautus examinator. Cur, quæſo, aut amovimus, aut amiſimus nos? Dura conditio, ſed mea miſeranda fortuna, non autem tua. Nam tu care Frater, ſi caros amiſiſti, cariores, ut credo, jam recepiſti. Me vero quænam jam miſerum atque ſenem conſolatio manet poſt te unicum ſolatium meum? Per viginti duos annos & ultra in peregrinatione per Italiam, placita fuit utrique ſocietas corporum pro morum concordia; ſed ſolum me diviſio vulneravit. Commune, quod libuit; quod triſte & lugubre, meum: in me tranſierunt iræ, in me confirmatus eſt furor. Erat ambobus alterutrius grata præſentia, dulce conſortium, ſuave colloquium. Sed tantas utriuſque delitias ego perdidi: tu mutaſti quidem, in mutatis illis retributio multa. Quanto fœnore gaudiorum ac benedictionum tumulo gaudes hodie, ut credo, cariſſime Frater! Habes certe pro me tantillo repoſitam tibi Chriſti præſentiam, nec diſpendium ſentis abſentiæ a nobis tuæ, Angelorum admixtus choris. Non eſt igitur, quod cauſeris tu de noſtra quaſi ſubtracta tibi præſentia, cui affatim ſui ſuorumque copiam Dominus majeſtatis incluſit. At ego pro te quid? Quam vellem ſcire, quidnam ſentias nunc de me, illo unico tuo, mediis nutante curis, deſtituto, ſcilicet, te baculo imbecillitatis meæ; ſi tamen licet ad hæc cogitare de miſeriis ingreſſo abyſſum luminis, atque illo pelago æternæ felicitatis abſorto. Affectus proinde tuus non eſt imminutus, ſed immutatus; nec quia Deum vidiſti, noſtri cura te exuiſti. Etenim ipſi Deo cura eſt de nobis. Quod infirmum eſt, abjeciſti, ſed non quod pium; caritas denique numquam excidit. Non obliviſcaris me in finem: non expedit quidem. Scis ubi verſer, ubi jaceam, ubi reliqueris me. Non eſt, qui porrigat manum. Ad omne, quod emerſerit, reſpicio ad fratrem Vincentium, ut conſueveram, & non eſt. Heu! tunc ingemiſco miſer, ſicut homo ſine adjutorio. Quem conſulam in ambiguis? Cui in adverſis fidam? Quis portabit? Quis pericula propulſabit? Nonne ubique greſſus meos Vincentii oculi anteibant? Qui noviſtis eum, ſcitis vera eſſe, quæ loquor. Nonne tuum, Vincenti, pectus curæ meæ potius quam meum habebant, familiarias incurſabant acriuſque urgebant? Nonne lingua tua illa placabili & modeſta meam a ſermonibus ſeculi frequentiſſime

acrius vindicabas, amicæ reddebas quieti? Dominus dederat illi linguam eruditam, ut ſciret quando deberet proferre ſermonem. Ita denique in prudentia reſponſarum ſuorum, & in gratia ſibi data deſuper, domeſticis ſatisfaciebat & exteris. Occurrebat autem adventantibus, ſe opponens, ne ſubito meum otium incurſarent; ſi quibus ſane ſatisfacere per ſe nequibat, hos perducebat ad me, ceteros emittebat. O virum induſtrium! o amicum fidelem! o manſuetudo modeſta! & amico gerebat morem, & non deerat officiis caritatis. Nec quærebat quæ ſuæ ſunt, qui ſe meis ingerebat curis, ut ego vacarem. Sperabat enim, ſicut erat humillimus, majorem de mea quiete fructum, quam ſi vacaret ipſe: ſiquidem plus omnibus laborabat, & minus omnibus accipiebat, ita ut ſæpe cum aliis neceſſaria miniſtrabat, ipſe egeret in pluribus: cibo, veſtitu & loco ad quieſcendum. Gratias tibi ago, mi ſuaviſſime Frater, de omni fructu meorum, ſi quis eſt, in Domino ſtudiorum, mearum prædicationum, meorum laborum in toto diſcurſu per Italiam, tanto tempore frequentato: tibi debeo, ſi profeci, ſi profui. Tu occupabaris, & ego tuo beneficia feriatus ſedebam mihi, aut prædicationibus populi occupabar. Cur enim ſecurus intus non eſſem, cum te ſcirem agentem foris, manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum & linguam meam? Et quidem indefeſſa manus, oculus ſimplex, pectus conſilii, lingua loquens judicium, ſicut ſcriptum eſt. Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. Pſal. 36. *Quot defectus commiſiſſem in prædicationibus meis, niſi ſenſata tua ratio, & illuminatus ſpiritus atque diſcretio ſumma me inſtanter & ſollicite docuiſſet? Non cognovit litteraturam, ſed habuit litterarum inventorem Deum, habuit illuminantem ſpiritum, judicium rectum. Fateor me non habuiſſe in Ordine, in verbi Dei doctrina, præter te, alium præceptorem. Tu magiſter meus, tu doctor meus, tu ductor & rector meus. Quanta ſoliditate, veritate, diſcretione atque prudentia illa tua humanitate & manſuetudine docebas me, inſtruebas me, corrigebas me, laborabas pro me, mente invigilabas pro me, præmonebas me, cautum & circumſpectum faciebas me: ſi quid horum fuit in me, ex te fuit, a te proceſſit, per te originem & incrementum ſumpſit. Profecto hoc ſecurus addo: mihi utilis in omnibus præ omnibus fuiſti; utilis in parvis & in magnis, in publicis & privatis, intus & foris. Merito ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat. Solum pene reliquerat mihi Prædicatoris honorem & nomen, ſed ille præerat in ſollicitudine. Merito ergo requieſcebat in illo ſpiritus meus, per quem licebat delectari in Domino & in ſcripturis ſanctis, prædicare liberius, dictitare frequentius, pauſare quietius. Heu! ſublatus es, & hæc omnia. Tecum omnia pariter abiere, deliciæ & lætitiæ meæ; vivam quoad vivam in ſenectute, in amaritudine, vivam in mœrore. Etenim manus Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit & percuſſit, non illum, quem ad requiem evocavit. Me, inquam, occidit, cum illum ſuccidit. Numquam enim occiſum quis dixerit, quem Deus plantavit in vita. Exite lacrymæ, jam aperiantur cataractæ miſeri capitis mei, & erumpant fontes aquarum, ſi forte ſufficiant diluere ſordes culparum, quibus iram merui. Luctus meus, quæſo, humano atque pio penſetur affectu, non uſu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos ſuos, fletum multum & fructum nullum. Non culpamus affectum, niſi cum excedit modum, ſed cauſam. Ille nimirum naturæ eſt, & ejus turbatio peccati pœna, hæc vanitas & peccatum. Etenim ibi ſola, ni fallor, plorant damna gloriæ, carnis, vitæ præſentis incommoda: & hi plorandi, qui ita plorant. Numquid ego ſic? ſimilis mihi affectus, ſed altera cauſa diſſimiliſque intentio. Mirabantur profecto multi, qui præſenti funere dilecti fratris*

mei

mei cernebant erumpere lacrymas ab oculis cordis mei. Diſſimulabam; ſed ignis, qui erat abſconſus in corde meo, adurebat & depaſcebat interiora mea: clauſus ſerpebat latius, ſæviebat acrius, & tamdem in lacrymas erumpebat. Nulla profecto mihi querela de omnibus, quæ ſunt mundi. In his profecto, quæ Dei ſunt, ademptum doleo, fidele auxilium, ſalutare conſilium. Vincentium lugeo; Vincentius eſt in cauſa, proximus ſpiritu, ultra XXII. annos ſocius in propoſito Evangelii verbi Dei. Adhæſerat anima mea animæ illius, & dilectio unam fecerat e duabus. Cum ergo eſſemus cor unum & anima una, hanc meam pariter & ipſius animam pertranſivit gladius; & ſcindens, mediam partem locavit in cœlo, atque aliam partem reliquit in cœno. Ego, ego illa portio miſera, in luto jacens, truncata potiori parte, & dicitur mihi, Ne fleveris? Avulſa ſunt viſcera mea a me, & dicitur mihi, Ne ſenſeris? Sentio, ſentio, licet invitus, quia nec fortitudo lapidis, fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. Sentio prorſus & doleo, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Non ſane nos poterit inſenſibilitatis arguere ille ver-
Jerem. 5. berans, quomodo illos, de quibus ait: Percuſſiſti eos, & non doluerunt. Non ſum, fateor, inſenſibilis ad pœnas. Mortem horreo, meam etiam & meorum: meus Vincentius erat, meus plane. An non meus, cum fuerit profeſſione filius, ſollicitudine pater, peregrinatione ſocius, magiſterio doctor, caritate mater, conſors ſpiritu, intimus affectu? Is receſſit a me! Sentio, læſus ſam & graviter: ignoſcite Fratres & filii, vicem dolete paternam. Miſeremini mei ſaltem vos amici mei. Non reprehendo judicium Dei, quo recipit quiſque quod dignum eſt. Ille coronam, quam meruit: ego quam debeo, pœnam. Numquid quia ſentio pœnam, reprehendo ſententiam? humanum eſt illud, hoc impium: humanum, inquam & neceſſe affici erga caros; ſive delectabiliter, cum præſto ſunt; ſive cum abſunt, moleſte. Non erit otioſa converſatio ſocialis, præſertim inter amicos; & quid effecerit mutuus amor in ſibi præſentibus, ſeparationis indicat horror & dolor de invicem ſeparatis. Plango denique, mi Vincenti, etſi non ſuper te, propter te tamen. Hinc prorſus, hinc afficior graviter, quia vehementer amo. Et nemo mihi moleſtus
1. Reg. 15. ſit, dicens, non deberes ſic affici, cum benignus Samuel ſuper reprobo Rege, & pius David ſuper filio patricida ſatisfecerint affectioni, non ad injuriam fidei, non inſuper in ſuggillationem judicii: Abſalon fili mi, ait ſanctus David, fili mi Abſalon; & Vincentius pluſquam Abſalon eſt. Salvator quo-
2. Reg. 18. 33. que videns civitatem Hieraſalem, & prævidens ruinam ejus, flevit ſuper
Luc. 19. 41. eam: & ego propriam, & quæ in præſenti eſt, deſolationem non ſentiam? plagam meam recentem & gravem non doleam? Ille compatiendo flevit, & ego patiens non audebo? Profecto ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec
Joann. 11. 35. a fletu prohibuit: inſuper & cum flentibus flevit, & lacrymatus eſt, inquit, Jeſus. Fuerunt enim lacrymæ illæ teſtes naturæ, non indices diffidentiæ. Deinde & prodiit mox ad vocem ejus, qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præjudicium, dolentis affectum. Sic nec fletus utique noſter infidelitatis eſt ſignum, ſed conditionis indicium. Nec quia percuſſus ploro, arguo ferientem, ſed provoco pietatem, ſeveritatem flectere ſatago. Unde & verba mea
Pſalm. 100. 1. dolore ſunt plena, non tamen & murmure: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Cantet tibi miſericordia, quam feciſti cum ſervo tuo Vincentio. Cantet tibi judicium, quod portamus: in altero bonus, in altero lau-
Pſal. 118. 137. dabilis, juſtus. An ſolum laus bonitatis tibi convenit? Inſuper & juſtitiæ: Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Vincentium tu dediſti, Vincentium tu abſtuliſti. Etſi dolemus ablatum, non tamen obliviſcimur, quod datus fuit, & gratias agimus, quod habere illum meruimus. Dominus igitur il-

illum dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

XIV. Vel ipſo teſte Bernardino, ſecretorum omnium & vitæ univerſæ conſcius erat Vincentius; adeo tamen taciturnus ex Bernardini imperio, ut univerſa celarit, & arcana divina, quibus abundabat, nemini auſus ſit propalare. Sub mortem ingemiſcens, dixit Fratribus: *Mortem non horreo, ſed doleo mecum ſepeliri Bernardini virtutes, & divinos, quos abunde excepit, favores: ſi tantillum huic ſancto Viro ſupervixiſſem, ſacramento, quo me conſtrinxit, ſolutus, talia propalarem, quæ univerſo orbi admirationem parerent & ſtuporem.*

Erat hic omnium arcanorum Bernardini ſecretarius.

XV. Matthæum Agrigentinum, de quo ſæpe diximus, cognomine Cimena hoc anno voluit Pontifex ſuæ Urbis Epiſcopum, populo deprecante, per obitum Laurentii. xv. Kalend. Octobris. Paulo poſt x. Kalend. Novembris, ſocium pro ſuo arbitrio ei concedit ex Ordine Minorum. Conſecratus eſt die Dominico ultimo Junii, anni ſequentis ab Epiſcopo Mazarienſi & alio Vices-gerente Archiepiſcopi Panormitani. Cleri mores reformaturus, odium multorum incurrit & invidiam: quare tamquam diſſipator bonorum Eccleſiæ, quæ profuſe diſtribuebat pauperibus, accuſatus apud Pontificem, Monaſticæ quietis perquam cupidus, infulam Pontificiam, quam ægre ſuſcepit, libenter depoſuit; quod ſuo tempore amplius referemus. Antequam ad hanc eveheretur dignitatem, commiſſionem accepit ab Eugenio, ut ſimul cum Petro Hieremiæ, Ordinis ſancti Dominici, & Thoma Priore ſancti Nicolai de Arena, viſitaret & reformaret Monachos ſancti Placidi Meſſanenſis. Ad Eccleſiam Granatenſem promotus eſt frater Joannes de Laterana, per obitum Gondiſalvi etiam Minoritæ, XIV. Kalendas Januarii.

B. Matthæus Epiſc. Agrigenti.

Fr. Joann. Granat.

XVI. Incidit hoc tempore in errores & turpitudinem Fratricellorum frater Alphonſus Mella, Joannis Mellæ Epiſcopi Zamorenſis, & S. R. E. Cardinalis Germanus frater: quæ dum Durangi in Cantabria ſeminat, mittitur a Joanne Rege, ut comprehendat, frater Franciſcus a Soria vir doctiſſimus, & piiſſimo Regi gratiſſimus, quem ſæpe laudant hiſtoriæ Hiſpaniæ, & conſiliarium adhibuiſſe Regem in arduis negotiis Comitis-ſtabuli Alvari de Luna commemorant. Fugit Alphonſus Granatam, ubi male periit. De infectis ea perſuaſione, quæſtiones tormentis habitæ ſunt, plerique vivi combuſti. „ Porro Franciſcus ſummopere commendatur ab illius „ ætatis ſcriptoribus, maxime a Ferdinando Perez de Guzman, qui Joan„ nis Regis ſcripſit hiſtoriam; appellat enim virum doctrina inſignem & „ vita commendabilem, & vere potuiſſe canonizari propter multa, quæ pa„ travit ſub mortem miracula. Ea juſſit diligenter examinari Joannes Rex „ in Monaſterio ſanctæ Claræ de Carrion, ubi ſanctiſſime vitam abſol„ vit.

Alphonſus Mella male vivit & perit. *Chronic. Joann. Regis II. Carib. l.16. c.16. & 31.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Guſman. c. 36. ad annum 1442.* Franciſcus a Soria vir ſanctus.

XVII. Reductis Conventualium & Obſervantum familiis ſub uno capite, & Vicario generali totius Ordinis ex Obſervantibus, uti diximus, inſtituto, ad uniendos omnes in fraterna caritate, univerſa, quæ pacem turbare poſſent, removere conſtituit Eugenius. Nihil ægrius ferebant Patres Conventuales, quam ut multiplicarentur domicilia Obſervantum, iis præſertim in locis, in quibus ipſi habitabant, timentes, ne ſibi invicem facerent anguſtias, & ne minueretur erga ipſos populi devotio. Revocavit ergo pius Pontifex facultates omnes, quas conceſſerat hujuſmodi novas ædes conſtruendi vel admittendi. Sed dum aliunde perſpexit hæc minime conduxiſſe paci & concordiæ, ſed potius obfuiſſe, priſtinas reſtituit licen-

tias: *Tanta eſt noſtra ad Ordinem*. III. Kalend. Auguſti. Conceſſit Fratribus de Obſervantia, ut Monaſterium ſancti Petri, oppidi de Muro-alto, Diœceſis Camerinenſis, olim Ordinis ſanctæ Claræ, repararent, ſuo uſui accommodarent, & provinciæ Marchiæ Conventibus aggregarent, commiſſa informatione Epiſcopo Camerinenſi: *Æterni Paſtoris*. v. Idus Maii. Non invenio mentionem hujus loci apud Gonzagam.

Conv. Muri-alti.

XVIII. Vexillifero, Prioribus & Communitati urbis Firmanæ facultem tribuit eiſdem Religioſis domum conſtruendi, & Vicario provinciæ Marchiæ, ſive Jacobo Aſculano, communiter a Marchia nuncupato, tradendi: *Piis fidelium votis*. Pridie Nonas Aprilis. Inchoaſſe ſub titulo Annunciationis Virginis Mariæ refert Gonzaga. D. P. ab urbe an. MCCCCL. & ad perfectum uſque perduxiſſe anno MCCCCLX. pecunis legatis ab Antonio Lucenſi cive & Syndico Firmano. Eccleſiam conſecravit MCCCCLXXIII. D. Reatinus ejuſdem urbis Epiſcopus. Ibidem habetur in veneratione quædam beatæ Virginis imago, crebris miraculis illuſtris, & a beato Luca Evangeliſta, ut fertur, depicta. Sub eodem titulo Annunciatæ Virginis circa hæc tempora conſtructa eſt domus altera in urbe Aſculana, eo in loco, quo olim Polimii Regis Aſculani erat palatium, amœno valde & eminenti, unde major pars proſpicitur civitatis. Prius inhabitarunt quidam Monachi, ſed derelictam domum, cives communibus facultatibus adaptarunt habitationi Minorum.

Conv. Annunciationis Firmi. *Gonz. in Provin. Marchiæ Con. 8.* Conv. Annunciationis Aſculi. *Indid. Con. 2.*

XIX. Nicolao de Tragurio conceſſit, ut domum prope muros Jaderenſ. ſub titulo ſanctæ Crucis, a Theodoro de Brandino de Vicentia conſtruendam, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de Obſervantia admitteret: *Sacræ Religionis*. v. Nonas Julii. Et Fratribus Conventus Vicheriæ, diœceſis Terdonenſis, reclamantibus parochiarum Rectoribus, liberam concedit ſepulturam: *Sacræ Religionis*. xv. Kalend. Auguſti.

Conv. S. Crucis Jaderen. Conv. Vicheriæ.

XX. Hoc anno vel præcedenti originem accepiſſe Conventum Trivillii in Ducatu Mediolanenſi conjicere licet ex his litteris ſancti Bernardini, ibidem aſſervatis.

Conv. Trivillii.

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Baptiſtæ de Bononia Ordinis Minorum, ac locorum devotorum provinciæ Mediolanenſis Vicario, frater Bernardinus de Senis ejuſdem Ordinis ac omnium locorum devotorum totius Italiæ Vicarius generalis, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

XXI. *Cum expediat, divinum cultum & religionem ad Dei honorem & animarum profectum ampliari, cumque ſuper his etiam mandatum Apoſtolicum nuper receperimus; ne ex penuria & defectu locorum, prædicta quomodolibet impediantur, tenore præſentium & auctoritate Domini Papæ, per quoddam Breve, a ſua Sanctitate anno proxime præterito, die x. Novembris deſtinatum, mihi conceſſa, tibi ſucceſſoribuſque tuis concedo, ut poſſis capere pro uſu & habitatione Fratrum, more aliorum devotorum locorum noſtræ Religionis, locum apud terram Trivillii vel alibi, ubi congruum viſum fuerit, reſpectu unius loci dumtaxat, cum bulla Apoſtolica conceſſa venerabili patri fratri Joanni de Capiſtrano, vel alia quacumque bulla Apoſtolica; non obſtantibus quibuſcumque litteris, etiam Apoſtolicis, in contrarium a quocumque impetratis, prout plenius patere poteſt ex tenore dicti Brevis, ſic eſſe de intentione ſummi Pontificis, Domini Eugenii Papæ IV. Vale in Chriſto Jeſu, & ora pro me. Ex loco noſtro Capriolæ prope Senas, XIII. Februarii MCCCCXLI.*

XXII.

XXII. Incerto tempore, ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ, ait Gonzaga, communi ære Trivillenſium conſtructum, hortante ſancto Bernardino. Illic enim habitaſſe aliquando, & beatum Joannem Capiſtranum, ſubjungit: de poſteriori minus dubito, de priori magis; difficile enim eſt excogitare tempus incolatus Bernardini in Conventu, hoc tempore inchoato, cum ille poſt biennium diem obierit, nec referatur aliud ejus iter ex Tuſcia poſt hunc annum, præter Aprutinum poſtremum, in quo deceſſit. *Gonzag. in Provin. Mediolanen. Conv. 12.*

XXIII. Illic ſervatur ſuggeſtum portatile, quo Vir ſanctus longe ante conſtructam ædem prædicavit in aperto campo, dum pacem ſuadebat inter Trivillianos & Caravaggianos, hoſtiliter ſe invicem oppetentes. Ex pace illic ſtabilita nomen adhæſit loco medio inter utrumque oppidum *Campus pacis*. Illic per quindecim dies magno cum fœnore prædicaſſe, anno MCCCCXIX. commemoratur in libro ſocietatis Diſciplinatorum, quam Bernardinus fundaverat, in quo hæc verba leguntur: *Anno* MCCCCXX. *facta & conſtructa fuit Eccleſia Ordinis Diſciplinatorum ſanctæ Marthæ Caſtri Trivillii: qui Ordo Diſciplinatorum inceptus fuit de anno* MCCCCXIX. *per prædicationes venerabilis, honeſti & religioſi viri, Domini fratris Bernardini de Senis, Ordinis Fratrum Minorum: qui Dominus frater Bernardinus mirifice prædicavit in Trivillio diebus quindecim, incipiendo in feſto ſancti Martini anni ſupraſcripti* MCCCCXIX. *& a dicto die ſummo mane prædicavit uſque ad finem dictorum dierum quindecim*. Aſſervatur in prædicta Eccleſia tabella nominis Jeſu deaurata, quam ex ſuggeſto monſtrabat; & familia Rozona, Ordini addictiſſima, ſervabat penes ſe capitium ſancti Viri, cingulum Joannis Capiſtranenſis, & alias reliquias, a Bonaventura Calatagironis, Miniſtro Generali, dono accepta, propter beneficia Ordini prædicto collata.

Trivilii prædicavit S. Bernardinus.

Ubi fundat Ordinem Diſciplinatorum.

XXIV. Conventus eſt omnibus numeris abſolutus; irriguos habet hortos, ſacrarium & bibliothecam bene inſtructam, egregios libros chorales, pulchro minio, miris figuris, optimoque charactere a fratre Bernardino Buttinone conſcriptos. Eccleſia conſecrata fuit anno MCCCCLXV. die XV. Septembris a Pagnarino Dulcinen. Epiſcopo. Hic jacere quemdam religioſum anonymum vitæ beatæ narrat Gonzaga; & monumenta ad me miſſa illic ſepultum referunt virum optimum, Franciſcum Torniellum, de quo diffuſius ſuo loco agemus, ac Cherubinum Torniellum miræ pœnitentiæ hominem, qui ſæpiſſime per triduum nihil manducabat, nullatenus intermiſſa lectoris & prædicatoris Evangelici functione. Hic diu vixit Jacobus a Gandino electus in Capitulo Comenſi provinciæ Miniſter, ſed ſponte cedens officio, ſtrictioris obſervantiæ fuit ardens zelator. Dum Bergomi Apoſtolicum ageret Viſitatorem, interfectus eſt. Trivilliani aſſerunt apud ſe hoſpitio receptum ſanctum Franciſcum, noſtrum Inſtitutorem, in duabus cellulis prope Eccleſiam parvulam, poſtea ab ejus nomine nuncupatam, quam nobiles Fratres de Graſſis Battaleis refecerunt & auxerunt.

Franciſcus Torniellus. Cherubin. Torniellus.

Jacobus a Gandino.

Trivillii receptus hoſpitio S. Franciſcus.

XXV. Fratri Ægidio de Tavira, Alphonſi Regis Luſitaniæ confeſſario, permiſit Pontifex, ut pro quibuſdam prædictæ ſuæ patriæ Taviræ, Silven. diœceſis, matronis & honeſtis mulieribus, Ordini ſanctæ Claræ addictis, Monaſterium ædificaret ex earumdem facultatibus: *Votis fidelium*, XVII. Kal. Februarii. Hoc anno nonnullæ gentes armigeræ, *excoriatores*, ſeu *Arminibiacæ* nuncupatæ, diœceſim Trevirenſem aliaſque partes Germaniæ deprædantes, omnia incendio, rapinis & crudeli hoſtilitate devaſtarunt; atque inter hæc Epternacenſe Monaſterium Ordinis ſactæ Claræ expilarunt & combuſſerunt, Moniales quaſdam occiderunt, alias male habuerunt,

Ægidius de Tavira. Monaſt. Taviræ.

Monaſt. Epternacen.

runt: quæ ſuperfuerunt, ad Trevirenſe Cœnobium tranſierunt, tranſitum approbante Pontifice, & quibuſdam permittente, ut in Monaſterio ſanctæ Agnetis, ejuſdem urbis, Ordinis ſancti Auguſtini remanerent.

Domus S. Agathæ Burgi. * Al. *Cerratanæ.*

Mutinen.

Lovanien. Arſcoten.

Gabiani.

XXVI. Occurrunt hoc anno, quæ ſequuntur, Tertii Ordinis domicilia. Unum ſanctæ Agathæ Burgi, oppidi Ferracanæ, * Syracuſanæ diœceſis, a Rogerio Epiſcopo conceſſum, ut conſtabit ex Bulla anni ſequentis, & pro reparatione Eccleſiæ alteram edidit hoc anno Eugenius: *Licet is, de cujus*, xi. Kal. Julii. Alterum urbis Mutinen. cujus alumni ſimul cum Fratribus Tertii etiam Ordinis Humiliatorum, & Rectore Eccleſiæ ſanctæ Birgittæ erant adminiſtratores & diſtributores bonorum, quæ pauperibus legabantur: *Ad ea per quæ Eccleſiarum*, xi. Kal. Maii. Tertium Lovanii, per quod reformandum erat Arſcotenſe, Leodienſis diœceſis: *Humilibus ſupplicum votis*, vi. Kal. Octobris. Quartum ſanctæ Barbaræ de Gabiano, Lucanæ diœceſis, reſtituendum per Fratres domus *della Doccia*, diœceſis Feſulan. *Ad ea per quæ*, xvi. Kal. Aprilis.

Monaſt. S. Mariæ Gratiarum Parmen. *Gonz. in Prov. Bonon. Mon. 70*

XXVII. Sororibus Tertii Ordinis urbis Parmenſis conceſſit hoc anno Pontifex, ut ex bonis, quæ legaverat, & in domibus, quas inhabitaverat Gaſpar de Caſtaneto, civis Parmenſis, Monaſterium ſibi conſtruerent, ſub titulo ſanctæ Mariæ Gratiarum: *Expoſcit veſtræ devotionis ſinceritas*, Idibus Decembris. Circa annum MCCCCLIV. inchoatum fuiſſe ædificium ſcribit Gonzaga, & Sorores ſuſcepiſſe primam regulam ſanctæ Claræ, acceptis e Monaſterio ſancti Guillelmi Ferrarienſis primis magiſtris. At ante annum MCCCCXLVI. domum fuiſſe conſtructam, & ad Monaſterii formam redactam probat Diploma, ſub illum annum in Regeſto producendum. Primæ Inſtructrices Tertii Ordinis, ſub Joanne Capiſtrano, Vicario Generali evocatæ ſunt ex urbe Placentina, ſed ex Ferrarienſi, quæ Inſtitutum docuerunt ſanctæ Claræ, ad quod Sorores tranſierunt. Nobile eſt ſacrarum Virginum reclusorium, ibique jacet Margarita Luſitana, Sereniſſimi Principis Alexandri Farneſii conthoralis.

Sorores Tertii Ordinis habebãt plures Miniſtras generales.

XXVIII. Ex quibuſdam litteris Apoſtolicis hujus anni comperio, non unam dumtaxat habuiſſe Miniſtram Generalem Sorores omnes Tertii Ordinis, quod alii autumant, ſed domos aliquas uni Miniſtræ, alias alteri fuiſſe ſubjectas. Magdalenæ Miniſtræ Generali domorum Vallis-ſabricæ, ſanctæ Agnetis & ſanctæ Urſulæ, Peruſinæ & Florentinæ diœceſum, quædam privilegia conceſſit Pontifex: *Paſtoralis officii*, viii. Kal. Novembris. Domibus ſancti Hieronymi, Florentinæ, Prati, Piſtorien. diœceſum, & Aretinæ ac Cortonienſi, ut aliam ſibi præficerent, & ſuas congregationes celebrare liceret, indulſit & privilegia inſuper conceſſit: *Paſtoralis officii*, pridie nonas Octobris. Fratribus ejuſdem Tertii Inſtituti per Legionis & Caſtellæ regna conſiſtentibus conceditur, ut ad Capitulum generale poſſint convocare, & Viſitatorem generalem eligere, qui æqua cum aliis Generalibus gaudeat auctoritate: *Injunctum nobis deſuper*, viii. Idus Februarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. HUngarorum diſſidia & bellici rumores Amuratem Imperatorem
„ Turcarum excitarunt ad arma contra ſe ipſos: ſed lupus hac
„ vice non rapuit ovem: a Joanne ſiquidem Unniade Valachiæ Satrapa,
„ viroque primo Uladiſlai, qui nunc primum coronam arripuerat, bello,
„ devictus eſt, cæſis plurimis de ſuis; alium quoque Turcarum Ducem,
„ qui ferus omnem Daciam diripiebat ac depopulabatur, fortiter contrivit
ac

ANNO CHRISTI 1442.	EUGENII IV. ANNO 12.	FRIDERICI III. IMP. ANNO 3.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 235.

„ ac ita Hungarico regno, quidquid Amurates ſubtraxerat, reſtituit: at
„ ira excandeſcens Amurates, octoginta millibus armatis iterum in Daciam
„ irruit, omnia peſſundaturus. At ira in iraſcentem verſa eſt, ut Unniadis
„ invincibile pectus offendit; hic enim iterum commiſſo prælio, armorum
„ pondere illius furorem ſuppreſſit, magna data clade: inter hæc autem
„ pietas & religio iis in partibus reflorere non poterat, obſiſtente Marte,
„ qui quamvis amicus, nihilominus nec pietatem, nec religionem, nec
„ etiam fidem in ſocietatem admittit.
„ II. A ſummo Pontifice fratres Paulus & Hilarius ad Benedictinos; *Indulget Pontifex plura.*
„ Petrus vero ad Ordinem ſanctiſſimæ Trinitatis hoc anno dimiſſi fuere:
„ fratri Franciſco poſſe recipere beneficium indulſit v. Idus Januarii: *Reli-*
„ *gionis zelus &c.* Pridie Idus Januarii Auguſtæ Trevirorum, ſive Trevi-
„ ris Archiepiſcopalis urbis ad Moſellam, Clariſſis Monialibus noſtris ſe ad
„ aliud Monaſterium transferre poſſe conceſſit: *Ad ea per quæ &c.* Fratri *Indic. ex Vatic.*
„ Joanni deſideranti ſolitudinem, ut commodius propriam ſalutem venari
„ poſſet, Eremitorium colere permiſit: *Vacantibus ſub Religionis &c.*
„ xv. Kal. Februarii, xiv. Kal. Martii inter fratrem Ægidium, Minori-
„ tam, & Andream quamdam controverſiam vigentem Pontifex benigne *Litteræ Pontif.*
„ diremit: *Humilibus &c.* vii. Kal. ejuſdem menſis pro fratre Joanne
„ Gaſco Miniſtro provinciæ Aragoniæ nonnulla mandavit: *Religionis ze-*
„ *lus &c.* In Hiſtria Italiæ totius regione extrema, & quaſi peninſula in
„ Hadriaticum mare excurrente, intra duos ſinus Tergeſtinum & Flanati-
„ cum intercepta, Fratres moleſtias patiebantur non paucas aut leves a
„ Joanne Petro & aliis; quamobrem Pontifex, ut eos a vexationibus libe-
„ raret, x. Kal. Aprilis contra præfatos Joannem Petrum & alios litteras
„ expedivit: *Conqueſti ſunt &c.* xii. Kal. ejuſdem ad ſanctum Audoma-
„ rum, oppidum in Belgio, diœceſis Morinenſis Sanctimoniales Clariſſas
„ Miniſtri Generalis regimini commiſit: *In ſupernæ &c.* Porro ſanctus Au-
„ domarus priſcis erat pagus Tarvanenſis, poſtea oppidum a ſancto Audo-
„ maro appellatum. Sanctus Omer tamdem in civitatem Epiſcopalem
„ exaltatum, Sancti Audomari nomen retinet. Kalendis Aprilis fratrem
„ Joannem de ſancto Georgio ad magiſterium dimiſit: *Viri ſacræ &c.* Tri-
„ bus ante annis Corporis Chriſti fundato Monaſterio Piſauri Hoſpitale
„ ſancti Georgii univit: *Apoſtolicæ &c.* vi. Nonas Maii, & v. Nonas ejuſ-
„ dem Conventum Papienſem a ſolutione quartæ funeralis exemit: *Paſto-* *Lege Topogr. Ferrer. in Padeburna.*
„ *ralis officii &c.* & paulo poſt pro reparatione Eccleſiæ ejuſdem Conven-
„ tus litteras expedivit: *Sacræ religionis &c.* vii. Kal. Junii: ſubinde
„ iii. Kal. ejuſdem conceſſa quadam diſpenſatione fratri Michaeli de Pi-
„ ſtorio: *Apoſtolicæ &c.* & Kal. Julii Indulgentia pro Conventu Siracuſa-
„ no Tertii Ordinis: *Licet is &c.* vi. Kal. Octobris Victoriæ conceſſit poſſe
„ ingredi Monaſterium Meſſanenſe: *Exigit tuæ &c.* & Matthæo Minoritæ
„ Epiſcopo poſſe eligere fratrem ſibi in ſocium: *Devotionis tuæ &c.* x. Kal.
„ Novembris; iii. vero nonas ejuſdem, Conventus Piſani ſancti Franciſci
„ pro reparatione litteras dedit: *Debitum &c.* ac tamdem vi. Kal. De-
„ cembris domum de Brenco Calagurris voluit frui omnibus privilegiis
„ Ordinis: *Quoties a nobis &c.* ſed nota Calagurim eſſe oppidum, diœceſis
„ Palentinæ prope Carionis fluvium, diſtans a Palentia quatuor leucis;
„ & non Calagurium urbem, vulgo Calahora.
„ III. In provincia Boemiæ & Poloniæ magnam fuiſſe diſcordiam in-
„ ter Fratres lego, a fratre *Goczalkam* Lectore ſuſcitatam, qui abſque
„ licentia Miniſtri Provincialis ad Miniſtrum Generalem profectus, omni

arte

„ arte depoſitionem Joannis Kmitæ a ſuo miniſteriatu procuravit : qua „ obtenta, regreſſus in provinciam cum ſuis partiariis, litteras depoſitionis „ Cracoviæ publicari fecit : idcirco hoc anno duæ convocationes capitulares in ea provincia fuerunt ; una Cracoviæ, in qua Kmita Miniſter cum „ ceteris Patribus provinciæ potioribus eas litteras Generalis ab exequutione ſuſpenderunt, & in Archivo Cracoviæ depoſuerunt : Miniſter tamen provinciæ Kmita ob amiſſum ex infirmitate viſum, Vicarium ſuum „ Provincialem fratrem Andream *Strzelec* inſtituit, & ſigilla provinciæ in „ Sacrario Cracoviæ repoſuit ; quæ poſtea una cum regimine, ſuaſu amicorum reaſſumpſit : altera Congregatio Opolii per Boemos coacta fuit, „ in qua ſine conſenſu potiorum Patrum ſigilla jubebantur reſtitui Kmitæ : „ hinc ſchiſma & diſcordia in Provincia emerſit, ut non immerito de hoc „ tempore pronunciaverit Rodulphus. Periculoſum fuit ſchiſma & graves inimicitiæ ſuccrevere : ſiquidem fuerunt duo Pontifices, duo Concilia, duo Generales, duo Capitula generalia, & duo Provinciales Miniſtri in Boemia.

Rodul. fol. 243.

„ IV. De pauperum Clariſſarum Monaſterio a beata Coleta fundato „ Gandavi, in quo ſepulturam habuit, ſcribens Waddingus ſub anno „ MCCCCXXIX. occaſione cujuſdam Pontificii diplomatis, quo Sororibus „ Margaritæ & Mariæ *Vits* & Margaritæ *Trieſt* certum privilegium confertur, arguit etiam ante illum annum illiuſmodi Monaſterium fundatum „ fuiſſe ; ceterum tempus certum fundationis, ſicut & fundatorum nomina „ ſe latere, ſicut & Gonzagam latuerant : ſed id non eſſe oſtendunt noviſſima Monumenta Provinciæ ſancti Joſephi Recollectorum in Comitatu „ Flandriæ : verumtamen aliud ante Coletaneum ibidem præfuiſſe, ex „ alibi dictis, ſatis apparere poteſt. Nunc dicamus de pauperum Clariſſarum reformationis Coletaneæ Monaſterio Gandavenſi. Fama ſanctitatis „ Virginis Coletæ omnium animos in admirationem attrahente, voluerunt & ipſi Gandavenſes regularem extruere domum, in qua, ſub ejuſdem „ magiſterio juvenculæ Virgines affectantes ſervire Deo, ferventius poſſent in via perfectionis proficiſci. Quamobrem nobilis Domina Helena „ *Selappers*, relicta Domini *Van Voorbout*, egregia liberalitate fundum „ obtulit, ædificando Cœnobio aptum ; & nobiliſſima Matrona Barbara, „ Domina de *Hallevins* anno proxime præterito MCCCCXLI. die XXVI. „ Aprilis, ædificii primum lapidem poſuit, adjuvantibus Joanne *Hols*, „ Joanne *Kerbeghe*, Daniele *Vuaur neut*, Joanne *Vevens*, Jacobo *Van Beſſeude* & Joanne *Onris* ; quorum munificentia copioſa pecunia ad id „ opus perficiendum collecta fuit, ac tanto fervore laboratum, ut hoc anno beata Mater Coleta, die III. Auguſti, in eam domum jam conſummatam, ſuas Veſtales introduxerit, & Bethleem locus dictus, ut infantulum Jeſum ulnis Virginis Matris amplexum in Bethleemitico diverſorio, vel reclinatum in Præſepio, & a jumentis fotum, jugiter ſacris Virginibus incolis commemoraret : ſpirat undique ſanctitatem hæc ſacra „ domus, tum ob Sanctimonialium perfectionem, cum etiam quod ibidem „ Corpus beatæ Coletæ quieſcat.

Monum. MSS. Prov Recoll. S. Joſeph in Flandria.

AR-

Anno Christi 1443.	Eugenii IV. anno 13.	Friderici III. Imp. anno 4.	Religionis Minorum anno 236.

ARGUMENTUM.

Eugenius Florentia Romam revertitur, exercitum cogit contra Turcas auxiliarium, ſuaſoribus Minoritis. In plenis Comitiis Conventualium & Obſervantum eligitur in Miniſtrum Generalem Antonius a Ruſtonibus, conſtitutis Vicariis Obſervantum Joanne Capiſtranenſi, & Joanne Mauberto. Aliquæ provinciæ Germaniæ adhærent Felici Pſeudo-Pontifici, & conſtituunt ſibi Miniſtrum Matthiam Doringum. Multas Italiæ calamitates prædicit ſanctus Bernardinus. Recenſentur viri graves, & Epiſcopi. Propagatur Inſtitutum.

Romani rogant Pontificẽ ut redeat.

I. CUM Eugenius Pontifex annis ſerme novem urbe abſuiſſet, & Romani ſuo malo probaſſent, Romam ſine Pontificis Curia, non tam urbem, quam vaſtam ac deſertam ſpeluncam videri, miſſis Florentiam legatis, Pontificem magnis precibus rogaverunt, ut in ſuam urbem & majeſtatis ſedem regrederetur. Itaque Florentia ad VII. diem Martii relicta, tertio poſt die, eoque Dominico, Senas cum XXIV. Cardinalibus & magno Prælatorum numero ingreſſus, regio plane honore a Senatoribus ſuit exceptus. Tamdem poſt ſtabilitam cum Alphonſo Rege Aragonum pacem, poſt auditos aliorum Regum & Principum Oratores, circa graviſſima Reipublicæ Chriſtianæ negotia, comitante Clero & Magiſtratu Senenſi, ad XIV. Septembris Senis egreſſus, Romam pervenit die XXVIII. effuſa obviam urbana multitudine, nullo non adhibito honoris genere & congratulationis indicio.

Redit.

Exercitum & claſſem inſtruit contra Turcas.

II. Sarracenis magno impetu & formidabili potentia, effuſis agminibus diverſis, eodem tempore Græcorum imperium, & Hungarorum Cyprorumque regna debellantibus, occurrendum cenſuit Eugenius, convocatis in auxilium Chriſtianis Principibus, collectoque magno exercitu in Hungaria, Imperatore Juliano tituli ſanctæ Sabinæ Cardinale *ſancti Angeli* communiter nuncupato, & ingenti præparata claſſe, præfecto Franciſco tituli ſancti Clementis Cardinale S. R. E. Vice-cancellario, Legatis Apoſtolicis. Auxiliis congregandis & ſtipendiis præparandis viros graves miſit ad præcipuas Europæ regiones, Antonium de Neapoli ad regnum Siciliæ, Albertum Sartianenſem, perſunctum Ordinis Vicariatu generali, & Jacobum Picenum, ſive de Monte Brandono, ſuos Nuntios inſtituit in Patriarchatu, provincia & diœceſi Aquilegienſi, datis ampliſſimis privilegiis & magno diplomate, hoc anno V. Kalendas Junii. Eidemque Alberto in hujus anni limine injunxit, ut fratri Jacobo de Primaditiis, a ſe Conſtantinopolim nuper amandato, in omnibus adeſſet, reformationi Conventuum Caphenſis & Conſtantinopolitani neceſſariis.

Auxiliis congregandis mittit Minoritas.

Capitulum Generale 82. Patavii.

III. Habita ſunt hoc anno Comitia generalia bis mille Fratrum, utriuſque familiæ Conventualium & Obſervantum, in urbe Patavii, Præſidente Alberto Sartianenſi, Ordinis Vicario Generali. Hunc cupiebat valde Pontifex Eugenius in Miniſtrum Generalem aſſumi, judicans neminem utrique parti prudentius & amabilius imperaturum, quam qui inter primos annis multis educatus, inter ſecundos abſque querela ſit laudabiliter converſatus: Illi tamen non potuerunt adduci, ut ex his quemquam ſibi vellent præficere, indecorum putantes, ex nupera familia ſibi Superiorem adſciſcere, & aſſuetæ licentiæ noxium rigidioris diſciplinæ zelotem præfectura donare. Tumultuantes cobibuit Bernardinus Senenſis, conſtanter aſſerens neque Albertum

Eligitur in Generalem Miniſtrũ Anton. de Ruſconibus.

tum dignitatem ambire, neque ex ſua familia alterum aſſumendum. Electus tamdem, etſi turbulente, Antonius de Ruſconibus, Novocomenſis, doctrina & ſanguine illuſtris. Id factum XIII. Aprilis die, habet Rodulphus, ſed minus vere. Etenim concionem doctam ipſius Alberti die VIII. Maii habitam ad electores, ut idoneo viro ſuffragarentur, inter ejus ſcripta perlegi.

Et inſtituuntur duo Vicarii Obſervantum.

IV. Delatam ad Pontificem electionem, etſi diſplicuerit, confirmavit tamen, ne Philippum Mariam Ducem Mediolanenſem, paulo ante reconciliatum, offenderet, ſi ſubditum ſibi, nobili natum familia, a ſuis Conſodalibus electum, gravi famæ jactura rejiceret. Juſſit porro, ut familiam Obſervantum ipſis regendam committeret, & in duas partes diviſam, citra montes traderet Joanni Capiſtrano, ultra Joanni Mauberto. Congregatis in Conventu Senenſi utriuſque generis partibus, diſceptatum eſt de menſura poteſtatis, hujuſmodi Vicariis tradendæ; ſed commiſsa cauſa Cardinalibus Morinenſi, Firmano, Tarentino & Cumano, ſtatutum eſt, ut univerſa, quam Miniſter Generalis habebat in omnes Fratres, fungerentur illi auctoritate in cetus Obſervantum. Dedit itaque Antonius commiſsæ poteſtatis, quæ ſequuntur inſtrumenta, mutatis mutandis, utrique.

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Joanni de Capiſtrano, Ordinis Minorum, provinciæ Pennenſis; frater Antonius de Ruſconibus, ſacræ Theologiæ Magiſter, ac totius ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Ex autographo Joan. Capiſtran. citra montes.

V. *Cum pridem, v. videlicet Idus Julii ſanctiſſimus Dominus noſter Eugenius Papa IV. de ſalute & conſervatione Fratrum in debita obedientia ac regulari, quam voverunt, obſervantia, conſiderans, mihi, cum mandare poſſet, ſua benignitate ſuaſerit, aſſiſtentibus ſibi RR. Patribus S. R. E. Cardinalibus, videlicet Tarentino, Cumano, Morinenſi & Firmano; necnon R. P. D. Joanne Siculo Abbate ſancti Pauli de urbe, & quampluribus reverendis Miniſtris, ac venerabilibus ſacræ Theologiæ Magiſtris & aliis probatiſſimis Fratribus dicti Ordinis, quatenus conſiderata multitudine Fratrum & diverſitate virorum, pro bono regimine & gubernatione ac manutentione & augmento omnium & ſingulorum, præſentium & futurorum in Conventibus, domibus, vel locis devotis ejuſdem Ordinis, qui de* Obſervantia *nuncupantur, præſertim in partibus citra-montanis commorantium, Vicarium unum generalem conſtituerem, cum plenaria facultate & auctoritate in omnibus provinciis citra-montanis, ad quam Generalatus officii, cui indignus præfectus ſum, auctoritas ſe extendit, & ad te, nomine proprio expreſſo, oculum mentis ſuæ direxerit; hinc eſt, quod ego, ut teneor, ſuaſionem hujuſmodi & omnem aliam ſuæ ſanctitatis pro mandato accipiens, cupienſque mandatis Apoſtolicis obedire, ac etiam inſpecta tuæ vitæ ſinceritate, morum gravitate, ſufficientia multa, prudentia circumſpecta, diſcretione præcipua, ferventi caritate ad bonam Ordinis reformationem, in commiſſis fidelitate, in exequendis promptitudine, in regendis ac ad meliorem frugem reducendis Fratribus aptitudine, tua denique multiplici probitate, quibus omnibus te inſigniter decoravit Altiſſimus, nihilominus confiſus in Domino, communicato etiam conſilio cum pleriſque Miniſtris, ac ſacræ paginæ profeſſoribus, & aliis probis noſtri Ordinis Fratribus, qui reverenter hoc ſanctum S. D. noſtri propoſitum laudarunt, & inſtitutioni de te fiendæ conſenſum præbuerunt. Te meum Vicarium generalem in omnibus & ſingulis provinciis,*

Digitized by Google

ciis, ac Vicariis, & eorum Conventibus, ac locis partium citra-montanarum ſuper omnes Fratres de Obſervantia nuncupatos, præſentes & futuros ad Capitulum uſque proximum generale, Inſtituo & inſtitutum denuncio per præſentes; committens tibi plenarie vices meas, & dans tibi liberam auctoritatem & poteſtatem, ac omnimodam facultatem meam ſuper omnes & ſingulos dictos Fratres in præfatis citra-montanis partibus commorantes ac commoraturos, tam in capitibus quam in membris, viſitandi, publice & private vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, procedendi, judicandi, admonendi, terminandi, decidendi, ſententiandi, approbandi, reprobandi, corrigendi, arctandi, detinendi, puniendi, carcerandi, & a carceribus liberandi; ad actus legitimos reſtituendi, Fratres provinciarum & Vicariarum hujuſmodi collocandi & commutandi, expellendi & revocandi; Fratres de ultra-montanis partibus cum bona licentia venientes recipiendi; apoſtatas omnes ad Ordinem redire volentes, cum pœnitentia, quæ tibi videbitur injungendu, reducendi & acceptandi; Fratres Conventuales, dummodo ſuis Miniſtris non ſint rebelles, & ab eis licentiam petierint, ac pœnitentium non effugiant delictorum, veraciter cupientes ad meliorem frugem ſe transferre & vivere regulariter, recipiendi; Officiales & Prælatos quoslibet tibi ſubjectos, cum opus fuerit aut caſus exegerit, privandi, abſolvendi, deponendi & reſtituendi, vel alios loco eorum, ſi tibi videatur, inſtituendi, de conſenſu tamen Fratrum eorumdem locorum, in quibus hujuſmodi Officiales aut Prælati exiſtunt, vel ſaltem majoris partis eorumdem; Fratres, Conventus, domos & loca prædicta præſentia pariter & futura tibi ſubjecta, informandi & reformandi; abſque ſocio, vel ſine licentia de ultra-montanis partibus venientes puniendi, & quos noveris habiles ac idoneos, etiam ad ſacros Ordines uſque ad Sacerdotium incluſive promoveri faciendi, ad confeſſionis & prædicationis officia promovendos & promotos, ſi tibi videbitur, privandi vel ſuſpendendi; omnes & ſingulos Fratres hujuſmodi ab omnibus peccatis ſuis, pœnis ſpiritualibus vel temporalibus, excommunicationibus, ſuſpenſionibus, tranſgreſſionibus Regulæ & ſtatutorum, caſibus, irregularitatibus & cenſuris mihi conceſſis vel reſervatis, libere abſolvendi, liberandi & diſpenſandi, quoties opus fuerit; Te quoque ab hujuſmodi abſolvi, liberari & diſpenſari faciendi &c. quoties tibi videbitur oportere; ad omnes provincias & Vicarias Ordinis ſimiliter, quoties & quando tibi viſum fuerit, & ad meam præſentiam, ac Romanam Curiam accedendi & mittendi; fugientes a ſeculo, & quoſcumque volentes Deo in noſtro Ordine deſervire, tam pro laicis, quam pro Clericis ad habitum & profeſſionem noſtræ Religionis recipiendi: gratias a me conceſſas eiſdem Fratribus vel in poſterum concedendas, ſi tales, quod abſit, inadvertenter conceſſi, aut in poſterum concedere contigerit, per quas ab obſervantia Regulari diſtraherentur Fratres hujuſmodi, aut quæ ſcandalum in regimine tibi commiſſo parerent, haberi volo pro infectis; Contradictores inſuper quoslibet & rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris & dicti Ordinis remedia &c. per invocationem brachii Eccleſiaſtici vel ſecularis, ſi opus fuerit, compeſcendi; Congregationes in provinciis & Vicariis omnibus tibi ſubjectis, ſive pro electione Vicariorum ſive pro aliis utilibus negotiis & occurrentibus opportunis faciendi, ſive fieri faciendi; petita tamen licentia a Miniſtro illius provinciæ, in qua hujuſmodi congregationem fieri contigerit, ipſam celebrandi & faciendi, quoties per Vicarium ipſius Miniſtri eamdem fieri contigerit. Proviſo, quod Vicarii a Fratribus provinciarum, ſeu pro tempore eligendi, præſententur Miniſtris earumdem, qui Miniſtri infra triduum teneantur eoſdem confirmare, ac etiam

 quod

quod Guardiani, quoties eoſdem ab ipſis Fratribus eligi contigerit, more conſueto a Miniſtris provinciarum præſententur, & in tabula diffinitionis Capitulorum deſcribantur: Congregationem inſuper generalem omnium provinciarum vel Vicariarum tibi, ut præmittitur, ſubjectarum, in loco convenienti, quoties tibi, tuo durante officio, fuerit viſum opportunum, de licentia tamen mei, qui ex nunc me ad hoc tibi propitium & favorabilem exhibeo, aut alterius Miniſtri Generalis, ſi quem, hujuſmodi tempore durante, fieri contigerit, congregandi & faciendi; & generaliter & ſpecialiter omnia alia & ſingula in ſpiritualibus & temporalibus, circa Conventus, Fratres & loca hujuſmodi faciendi, gerendi, exercendi, ordinandi, diſponendi, adminiſtrandi & ſtatuendi, quæ ego ipſe facere poſſem, ſi perſonaliter intereſſem. Quæ omnia præſentibus haberi volo pro ſufficienter expreſſis & declaratis. Eaſdem inſuper auctoritates & gratias, poteſtates & facultates per me tibi conceſſas, vel earum partem aliis Fratribus, quos ad hoc judicaveris idoneos, ſuper quo tuam onero conſcientiam, committendi vel concedendi; necnon per ipſos tuos Commiſſarios mitti & concedi faciendi, cum tibi videbitur opportunum. Mandans propterea omnibus & ſingulis Fratribus, in præfatis citra-montanis partibus commorantibus aut commoraturis, Prælatis & ſubditis, ad mandatum obedientiæ ſalutaris, in virtute Spiritus ſancti, quatenus, omni appellatione poſtpoſita, quam nullo modo facere liceat, toto tempore dicti tui Vicariatus officii, tibi tamquam perſonæ meæ, in omnibus & per omnia firmiſſime & humiliter pareant & intendant; & nullo colore vel cauſa quæſitis poſſint ipſi Fratres ad fugiendam pœnam excommunicationis & carceris ac privationis officiorum & omnium actuum legitimorum latæ ſententiæ, aut ad ſubterfugiendum correctionem, examinationem, reformationem, & tuam ſive Vicariorum tibi ſubditorum obedientiam, ad Conventus & loca tuæ curæ non commiſſa confugere; neque ſi jam confugerint, vel deinceps confugere contingeret, Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani ſeu quicumque alii Fratres tibi non ſubditi, cujuſcumque conditionis, gradus & dignitatis exiſterent, ſub pœna privationis officii ſui & excommunicationis latæ ſententiæ & privationis omnium actuum legitimorum, minime audeant illos recipere aut forte receptos, vel in poſterum, quod abſit, recipiendos retinere contra tuum velle, vel Vicariorum tibi, ut præmittitur, ſubjectorum. Nolentes propterea, quod aliquis me inferior &c. quacumque dignitate & auctoritate præfulgeat, de cura & regimine ac gubernatione omnium Fratrum, tibi, ut præmittitur, in citra-montanis partibus ſubditorum, durante tempore præfati Vicariatus tui, in aliquo te quomodolibet impedire, aut te aut quibus commiſeris, inquietare ſeu quovis modo moleſtare præſumat, ſub pœnis & cenſuris prælibatis. Reſervata tamen mihi poteſtate, te, & alios Vicarios & ſubditos, quoties caſus exegerit & opportunum videbitur, perſonaliter dumtaxat viſitandi, corrigendi, puniendi & alia faciendi, quæ circa hujuſmodi videbuntur opportuna; ſalvo quod contra te, nonniſi de conſenſu Vicariorum, ad aliquam pœnam, ſaltem gravem, procedere intendo, non tamen ſimiliter contra alios earumdem partium. Non intendo tamen per conceſſionem hujuſmodi, quod tu aut Fratres præfati de Obſervantia nuncupati loca Conventualium poſſis ſeu poſſint recipere. Tu vero tam diligenter, tam provide & ſollicite ac vigilanter ſtudeas præfatum Vicariatus officium exercere, ut præter æternæ vitæ præmia, valeas apud ſanctam Sedem Apoſtolicam, me & totum Ordinem, merito commendari. Vale in Domino Jeſu & ora pro me. Datum Senis die XIII. Julii, anno Domini MCCCCXLIII.

EIDEM.

VI. *Cum te meum Vicarium inſtituerim in omnibus & ſingulis devotis locis, domibus & Conventibus partium citra-montanarum, quo ad Fratres, qui* de Obſervantia *nuncupantur; & in litteris hujuſmodi inſtitutionis nulla mentio facta fuerit de Monaſteriis & Monialibus ſanctæ Claræ adhærentibus Obſervantiæ regulari: ne propter taciturnitatem præfatam, Monaſteria prælibata & Moniales ac familiæ in eiſdem commorantes aut commoraturæ patiantur aliquod in ſuo regimine detrimentum: te meum Vicarium & Commiſſarium, in omnibus & ſingulis Monaſteriis prælibatis, in ſpiritualibus & temporalibus, præſentium tenore inſtituto, & inſtitutum denuncio per præſentes, cum omni plenitudine poteſtatis, auctoritatis & facultatis tibi traditæ per me in inſtitutione ejuſdem Vicariatus, quoad Fratres antedictos. Volens omnia & ſingula in litteris inſtitutionis ejuſdem contenta haberi in præſentibus pro ſufficienter expreſſis. Mandans nihilominus ad meritum obedientiæ ſalutaris, in virtute Spiritus ſancti, & ſub pœnis in præfatis litteris tuæ primæ inſtitutionis contentis, omnibus & ſingulis Monialibus tam Abbatiſſis aut Prælatis, quam ſubditis & aliis quibuſcumque perſonis in eiſdem Monaſteriis reſidentibus, tam præſentibus quam futuris, quatenus tibi tamquam mihi in omnibus pareant & intendant. Vale in Chriſto Jeſu, & ora pro me. Datum Senis* MCCCCXLIII. *die* VIII. *Auguſti.* Ex autographo.

VII. Eugenius Pontifex Maximus ſecuritatem & robur deputationi hujuſmodi additurus, priores litteras Generalis Miniſtri Apoſtolico diplomati inſeruit in hunc modum. Confirmat Pontifex prædictam inſtitutionem.

Ad perpetuam rei memoriam.

Fratrum Ordinis Minorum, in vinea Domini Sabaoth Altiſſimo jugiter famulantium, merita promerentur, ut eis in his, quæ divini cultus & Religionis ac Regularis Obſervantiæ augmentum reſpiciunt, præcipuos favores & ſpecialia præſidia, quantum cum Deo poſſumus, impendamus. Sane pridem ex noſtra diſpoſitione, dilectus filius Antonius de Ruſconibus ſacræ Theologiæ profeſſor, & Generalis Miniſter ipſius Ordinis, ex certis ac rationabilibus cauſis animum noſtrum ſuumque moventibus, dilectos filios Joannem de Capiſtrano domorum, locorum & Conventuum citra-montanarum, necnon Joannem de Mauberto ejuſdem Ordinis profeſſores, domorum, locorum & Conventuum omnium & ſingulorum ultra-montanarum partium dicti Ordinis, ſub ſacro Obſervantiæ *nomine conſtitutarum, Vicarios Generales fecit, conſtituit & deputavit, prout in litteris prædicti Generalis Miniſtri plenius continetur, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur & talis eſt:* In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Joanni de Capiſtrano &c. uti ſupra habetur. *Nos igitur ſalubrem & neceſſariam & plurimum fructuoſam ipſi Ordini & Obſervantiæ Regulari diſpoſitionem, a prædicto Generali Miniſtro de dicto Joanne de Capiſtrano factam attendentes, ac ipſam Apoſtolicis favoribus & præſidiis ſtabilire cupientes, Vicariatus hujuſmodi conſtitutionem & deputationem de prædicto Joanne de Capiſtrano factam, ut præmittitur, motu proprio, non ad ipſius Joannis vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate & ex certa ſcientia, ſupplendo omnes & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patro-* Ex autographo.

cinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis & communitionis infringere &c. Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIII. *Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri, anno* XIII.

Egregie ſuum munus peragit Capiſtranus.

VIII. Commiſſum munus, quo difficilius ſuſcepit, eo diligentius exercuit Capiſtranus, per omnes Provincias diſcurrens, vitia eradicans, virtutes infundens; bonos præmiis, malos ſuppliciis afficiens: & quod caput eſt, religioſiſſimæ vitæ ſuæ exemplo omnes ad ſuſcepti Inſtituti obſervantiam ſuavi cogens virtute: *Sermo vivus & efficax, exemplum operis eſt, plurimum faciens ſuadibile, quod monſtratur factibile.* Ut vero ſcirent quibus tenebantur legibus, & ordinate omnia procederent, per aliquot dies abiit in ſolitudinem Montis Alvernæ, ibique ſalutares ſcripſit conſtitutiones, adhibitis in Regulam commentariis, per quas quid oportebat, quid expediebat ad ſalutem, aperte declaravit. Qui legere voluerit, reperiet in libro nuncupato *Trium ordinum Firmamentum*.

Bern. in ſerm. de S. Benedicto.

Rodulph. fol. 191. & 241. Chron. antiqua. Schiſma in Religione.

IX. Magnum aliunde invexit malum in Religionem noſtram & reliquas ſchiſma Pontificium. Etenim adhærentibus Felici V. aliquibus Principibus & Provinciis, oportuit etiam ſubeſſe, ſive per vim, aut metum, ſive per errorem, omnes illarum regionum Eccleſiaſticos, non aliter, quam ſub illo Urbani VI. & Clementis VII. diſſidio. Qui ex noſtris obſequebantur Baſileenſibus, præſertim Germani, hoc anno Conventum indixerunt Bernæ apud Helvetios, in quo Primicerium ſibi ſtatuerunt fratrem Matthiam Doringum, provinciæ Saxoniæ Miniſtrum, virum alias doctum, qui defenſionem Nicolai Lyrani ſuſcepit contra Paulum Burgenſem. Utriuſque concertationes habentur in poſterioribus editionibus Gloſſæ ordinariæ in ſacram Scripturam. Duravit annis ſex in pſeudo-præfectura, ſed auctoritate & ſubditorum numero quotidie decreſcens.

Codex 5356. pag. 13.

Prædicit S. Bernard. calamitates Italiæ.

X. In bibliothecæ Vaticanæ codice MSS. invenio, Ferrariæ hoc anno ſanctum Bernardinum multa prophetaſſe de miſerrimis excidiis & cruentis bellis Italiæ, de Principum diſcordia, de Romæ ſolitudine, militante in caſtris Pontifice Julio II. Ipſa ejus verba ex illo libro tranſcribo: *Hæc omnia venient populo Italico propter peccata ſua de annis* MDX. *&* MDXI. *Sol faciet eclipſim ultra curſum ſuum, & de anno ejuſdem milleſimi iterum faciet ſignum, & per horam Luna non dabit lumen ſuum, & totus curſus illius anni mutabitur, & tunc ſtellæ dabunt ſigna, & regnante hoc milleſimo, tum incluſive erunt omnia iſta in Italia. Principes erunt diviſi, fraudes & duplicia verba inter ipſos regnabunt. Væ tibi, Italia, in illis annis, quia venient ad te gentes munitæ in valitudine & impetu magno, & linguam earum non intelliges. Tunc propter inundationem ſanguinis, quæ fiet, lacrymæ tuæ inundabunt terram; clamabis, & Dominus non exaudiet. Væ tibi, Italia, in die illa: ſi ad civitates munitas ibis, circumdabo inimicis, & pereutiam te fame: ſi ad caſtra pinguia & fortia, vel ad montes ibis, percutiam te aere peſtifero & mortali, & non ceſſabunt iſta, donec ſolveris cor tuum. O Italia! væ civitati gentium, quia tunc humiliabitur & perdet filios innumerabiles. Væ civitati populorum, quia flagellabitur morbo, & quaſi ad terram proſtrata erit. Væ civitati Tuſciæ, quia mutabitur, & effundet ſanguinem inauditum. Tunc Roma quaſi vidua fiet, & crudelitas per totam Italiam regnabit. Væ, væ, væ, o Italia, in illa die: ſed orate Deum in hoc exemplo, ut fecerunt Ninivitæ, in jejunio & fletu & planctu, ſcindite corda veſtra, & miſerebitur Dominus, qui regnat in ſecula ſeculorum.* Omnia hac adamuſſim completa eſſe aperte docent illius temporis hiſtoriæ, collectis undi-

undique magnis exercitibus Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Helvetiorum, Germanorum, Pontifice, Cæſare, Regibus, Veneta Republica, & Italiæ Regulis inſtabili fœdere, varia fide, perpetuo bello colludentibus, & multa cœde collidentibus.

Moritur Julianus Verrochius.

XI. Sub hoc tempus deceſſit Florentiæ frater Julianus Verrochius, anno ætatis XLII. Theologus inſignis, celeberrimus per Italiam & Galliam concionator. Ne memoria excideret, & oſſa neglecta jacerent, frater Antonius de Medicis, provinciæ Tuſciæ Miniſter, mox Epiſcopus........ pulchro lapide marmoreo in medio Eccleſiæ ſanctæ Crucis contexit. Ex variis monumentis Vaticanis exhibeo quorumdam Patrum notitiam. Erat hoc anno in Curia Romana Procurator frater Manganus de Mangano ſacræ Theologiæ profeſſor, quem Franciſcus conſanguineus præceſſit. Pœnitentiarius in Eccleſia Lateranenſi frater Ludovicus Villani. Sacellanus Apoſtolicus frater Ægidius de Tavira, de quo alias diximus, Alphonſi Regis Luſitaniæ confeſſarius, cui Pontifex commendavit Monaſterium ſancti Joannis de Alpenderada Ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Portugallenſis. Vicarius Obſervantum in provincia Tuſciæ frater Angelus a Civitella; in provincia Caſtellæ citra portus Cuſtos Obſervantum deputatus a fratre Joanne a ſancta Anna, Miniſtro ejuſdem Provinciæ; & Vicarius ac Viſitator quarumdam domorum in provincia ſancti Jacobi inſtitutus a fratre Philippo de Aſtorica, Miniſtro, Doctore Salamantino, frater Ludovicus de Saya. Paulo de Quillionis Bergomati, docto & timoratæ conſcientiæ viro, nolenti ſacros Ordines ſuſcipere, quia viduam duxerat in ſeculo, conceditur facultas ubique prædicandi; & frater Joannes de Baldironibus cum aliquot ſociis Nuncius deſtinatur ad varias orbis partes, negotia Pontificis, S. R. E. & Chriſtianæ Religionis tractaturus: *Cum te, quem nuper*, X. Kalendas Julii.

Florent viri illuſtres.

Tom. 10. ann. 1436. n. 17. & ann. 1442. n. 25.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Zurita lib. 15. c. 23.

„ Connumerat hoc anno Hieronymus Zurita a Violante Regina, Joannis
„ Aragoniæ Regis uxore, præſcriptos ſui teſtamenti executores, Archie-
„ piſcopum Cæſarauguſtanum, Epiſcopum, Capitulum & Magiſtratum
„ Barcinonenſem, fratrem Nicolaum Quilez Minoritam, alioſque heroes.

Frater Nicolaus executor teſtamenti Reginæ Violantis.

XII. Hoc anno creatus eſt Epiſcopus Gallipolitanus in regno Neapolitano ad mare Adriaticum, ſub Archiepiſcopo Hidruntino, frater Antonius de Neotaro, per obitum Donati, XIII. Kalendas Aprilis. Segnienſis in Dalmatia, ſub Archiep. Spalatenſi, frater Andreas de Duratio, per tranſlationem Nicolai ad Arben. IX. Kal. Auguſt. Dolien. in Sardinia, ſub Archiep. Calaritano, frater Joannes Anade, per obitum Nicolai, VIII. Idus Septembris. Civitaten. ibidem ſub Arboren. frater Antonius Fontanes, per obitum Auguſtini, III. Kalendas Novembris. Ruben. in Calabria, ſub Archiep. Baren. frater Chriſtophorus, per obitum Petri, III. Idus Decembris.

Fr. Anton. Epiſc. Gallipolitan.

Fr. Andreas Segnien.

Fr. Joan. Dolien.

Fr. Anton. Civitaten.

Fr. Chriſtophor. Ruben.

XIII. Circa hunc annum, ait Gonzaga, extra oppidum Montis-falci, diœceſis Spoletanæ, populi communitas ſacellum ſancti Fortunati in religioſum templum erexit, & Cœnobium adjecit pro Fratribus Regularis Obſervantiæ, ex legatis in hunc finem ab Almerico oppidano bonis, adjectis ex ærario communi, quæ deerant. Porro non niſi anno ſequenti obtenta eſt ab Eugenio facultas domum conſtruendi, & bona Almerici pauperibus relicta, huic operi applicandi, cujus Diploma dabimus in Regeſto. Et domus inchoata eſt poſt aliquot annos, uti conſtabit ex Bulla Eugenii a nobis, ſub annum MCCCCXLVI. producenda. Erat autem prædictum ſacellum in magna veneratione propter duo Sanctorum corpora, quæ illic jacebant, Fortunati & Severi a Martanis, ſacelli ſtructoris, quos Patronorum cultu veneran-

Gonz. in prov. S. Franciſc. Con. 31.

Conv. Montis-falci.

Corpora SS. Fortunati & Severi ibidem conduntur.

Et Franciſci a Stronconio.

rantur Montis-falcenſes. Adjectum eſt in novo templo tertium viri optimi fratris Franciſci a Stronconio, per quem Deus multa miracula patravit.

Conv. Sulmonen. *Gonzag. in prov. S. Bernard. Conv. 8.* B. Philip. Aquilanus.

XIV. Extra Sulmonem Pelignorum civitatem, Ovidii Naſonis patriam, hoc anno ædificatus eſt Conventus ſancto Nicolao ſacer, pro ejuſdem Inſtituti ſectatoribus. Jacet hic beatus Philippus Aquilanus, acerrimus vitiorum inſectator, & meliorum chariſmatum diligentiſſimus æmulator, cujus meritis, divina opitulante gratia, plurima contingunt miracula.

Lucen. *Idem in prov. Tuſciæ Conv. 21.* *An. 1443. n. 9.* Chriſtophor. Crivellus.

XV. Miliari ſecundo ab urbe Lucenſi diſtabat Monaſterium ſancti Cerbonii, Sororum Ciſtercienſium, reditibus & inhabitantium numero valde imminutum. Translatis pauciſſimis, quæ ſupererant, coaptata eſt domus uſui Fratrum Minorum Obſervantum, in gratiam fratris Herculani, inſignis Eccleſiaſtes, de quo ſupra diximus, qui urbem a gravi obſidione Florentinorum liberavit. Eam admiſit anno MCCCCXL. frater Joannes cognomento *Excalceatus*, Vicarius Obſervantum provinciæ Etruriæ, accedente facultate Apoſtolica Eugenii IV. quam hoc etiam anno confirmavit, additis quibuſdam terræ portionibus: *Regularem vitam profeſſis*, VI. Idus Julii. Jacet hoc in loco beatus Chriſtophorus Crivellus Mediolanenſis Minorita, Dux aliquando cohortis Eccleſiaſtici exercitus, per ſanctum Bernardinum initiatus: qui tantopere virtutibus humilitatis, pœnitentiæ, obedientiæ & orationis acquirendis ſtuduit, ut qui in ſeculo ſtrenui militis nomen obtinuerat, inſignior Chriſti athleta evaſerit in Cœnobio. Impetravit aſſidua prece delictorum ſuorum remiſſionem, & multa edidit miracula. Corpus annis multis præ valvis Eccleſiæ, ſtillicidiis ſubjacebat aquarum; effoſum tamen, integrum, incorruptum, ac ſuavem ſpirans odorem, mirabiliter apparuit.

Multiplicantur domus Obſervãtum.

XVI. Cum diuturna experientia probaret Pontifex, ut ipſe præfatur, Fratres Regularis Obſervantiæ, exemplo ſuo & doctrina, ubicumque degebant, populis profuiſſe, ſuſpendit litteras, quibus alias inhibuit, pacis conciliandæ gratia, ne Obſervantes domos multiplicarent: *Tanta eſt noſtra ad Ordinem*, Pridie Idus Auguſti. Deinde amplam conceſſit facultatem, exorante Capiſtrano, univerſis Provinciarum Vicariis ejuſdem Inſtituti, domos ſex vel admittendi vel conſtruendi in ſuis diſtrictibus: *Inter Eccleſiaſticos Ordines*, III. Idus Septembris. Nicolao Polliſano & Nicolao de Tragurio Dalmatinis indulſit, ut inter fines ſuæ patriæ duas conſtruerent: *Magnæ devotionis ſinceritas*, III. Idus Julii. In Polonia & Cuſtodia Opolienſi jam obtinuerant duos Conventus Fratres regularis Obſervantiæ, quos Pontifex commendavit protectioni Epiſcopi Wratiſlavienſis; conceſſitque facultatem alios tres acquirendi in regno Boemiæ: *Religioſam vitam*, III. Idus Septembris: *Sacræ Religionis*, VIII. Idus Septembris. Ut in provinciis Franciæ & Coloniæ ſenos acquirerent, impetravit Ludovicus de Holle, inſignis prædicator: *Inter Eccleſiaſticos ordines*, Idibus Septembris. Et in eadem provincia Coloniæ hoc anno reformatus eſt Conventus Horzenſis.

Conv. ſan Lucar. *Gonzag. in prov. Bæticæ Conv. 11.* *An. 1441. n. 11.*

XVII. Circa hunc annum M. P. ab oppido ſan Lucario, diœceſis Hiſpalenſis, ubi celebre Bætis flumen in Oceano exoneratur, ditionis Ducum Methymnæ Sidoniæ, ope devotæ fœminæ, Mençiæ Alphonſi, aliorumque quinque oppidanorum erectum eſt Minorum Cœnobium, ſub invocatione ſanctæ Mariæ a Jeſu; ea tamen lege, ut ſemper ibi vigeret ſacrarum litterarum ſtudium, & deſerviret Fratribus euntibus & redeuntibus in miniſterium recentis converſionis & miſſionis inſularum Canariæ. Fortaſſis hæc illa ædes eſt, quam conſtruxit frater Joannes de Logronio Vicarius inſularum, virtute privilegii quod accepiſſe retulimus.

XVIII. Leuca una ab oppido, quod Aulas Infantium, vulgo Hiſpanico

Digitized by Google

nico *Salas de los Infantes*, vocant, diœceſis Burgenſis, inter montuoſos ſaltus, loco deſerto, *Alveinte* nuncupato, Petrus Fernandes de Velaſco, Caſtellæ Comes-ſtabuli, Minoribus domum ædificavit, ſub titulo *Dominæ noſtræ de Liliis*, eamque ait Gonzaga vigeſimam ab illo ſive pro Fratribus, ſive pro Sororibus conſtructarum. Præerat illic Eccleſia ruralis, ſpectans ad Monaſterium ſancti Petri de Arlanza, Ordinis ſancti Benedicti, in qua ſepulti fuerant fortiſſimi illi heroes, quos *Infantes de Lara* vocant Hiſpani, necnon duo religioſiſſimi Patres Benedictini, Februarius & Camillus, in odium fidei a Sarracenis trucidati, quorum reliquiæ magna veneratione coluntur in ſacello Crucifixi.

Conv. Alveinte.

Gonz. in prov. Concept. Con. 10.

Februar. & Camillus martyres.

XIX. Fratri Franciſco de Boſco, provinciæ Aragoniæ conceſſum eſt, ut in civitate Ilerdenſi, & oppidis Balagarii & Villæ-francæ, Urgellenſis & Barchinonenſis diœceſum, Cœnobia Fratrum Obſervantum ædificaret: *Inter Eccleſiaſticos Ordines*, v. Idus Auguſti. In Villafranca non obtinuit; Ilerdenſis domus poſt aliquot annos extructa eſt: Balagarii circa hoc tempus non procul ab oppido, ad marginem fluvii Sicoris, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, miniſtratis ſumptibus ex communi ærario. In oppido Sluſarum, Tornacen. diœceſis, Joannes Capiſtranus hoc anno domum inchoavit, Burgimagiſtris & populo lætanter auxiliantibus, de quo etiam ſcripſit Pontifex ad Epiſcopum & Ducem Burgundiæ: *Retulit nobis*, v. Septembris: *Ad ea libenter*, pridie Idus Septembris. Fuit funditus deſtructa ab hæreticis; Eccleſia invocationem habebat ſanctæ Mariæ.

Conv. Balagarii.

Idem in provinc. Catalon. Conv. 8.

Conv. Sluſarum.

Idem in prov. Fland. Conv. 9.

XX. Ad preces Raphaelis Adurni Ducis Januen. & aliorum, exemit hoc anno Eugenius a juriſdictione Minorum inſigne alias Monaſterium ſanctæ Catarinæ Januen. Ordinis ſanctæ Claræ, propter malum regimen eorumdem, & ſubjecit Archiepiſcopo; approbans inſuper mutationem habitus ſanctæ Claræ in Monachalem, inductam per Philippum Adurnium, Abbatem Monaſterii ſancti Venerii de Tyro, Portus Veneris, Lunen. diœceſis, & Joannem de Gaetis Priorem ſancti Theodori Januen. Ordinis ſancti Benedicti, quibus ad prædicti Ducis votum cauſa fuit commiſſa. Propter ſimilem rationem amotus fuit a regimine Monaſterii Valliſoletani frater Sancius a Canalibus, qui paulo antea inſtitutus eſt Monaſterii Viſitator, corrector & reformator. Multoties in his prævalet ſtudium partium, & adverſus conatus aliorum, qui Religioſorum imminui cupiunt poteſtatem, vel ſuam adaugeri. Sæpe etiam accidit, ut ipſæ Moniales contrarias ſibi ſtatuant acies, & novæ ferantur præfecturæ deſiderio, præſertim ſi, quos habent Superiores, ſentiant rigoroſos præceptores, aut noxiæ libertatis adverſarios. Sed dum ſupradictæ Sorores Januenſes laxius viverent ſub habitu Monachali, reductæ ſunt ad priſtinum ſtatum & regimen Minorum, anno MCCCCXLVIII. Bullam reſtitutionis dabimus eo anno in Regeſto.

Mon. Januen. S. Catarinæ transfertur ad Archiepiſcopum.

Sed iterum reſtituitur.

XXI. In Cantabriæ regione multiplicata ſunt valde domicilia Sororum Tertii Ordinis. Viginti unum breviter enumerat Gonzaga; quinque in ſuo Diplomate recenſitis, in dominiis oppidorum Bilbao, Uribe, Bermei, Durangi, & Caſtri de Urdiales, Burgen. & Calaguritanæ diœceſum: indulget Pontifex, ne cogantur a Superioribus Ordinis Minorum, quibus ſubjiciebantur, evocari extra ſua oratoria ad ſuam præſentiam, titulo Viſitationis aut correctionis, eaſque committit correctioni & viſitationi Superiorum Conventuum ſanctæ Mariæ de Uziaro & ſancti Sebaſtiani de Baretta regularis Obſervantiæ: *Sedis Apoſtolicæ*, VI. Non. Maii.

Monaſteria Sororum Tertii Ordinis in Cantabria.

Gonz. in prov. Cantabr. in fine.

Subduntur Obſervantibus.

XXII. Abbatiſſæ & Sororibus Monaſterii ſanctæ Roſæ, ita habet diploma, Viterbien. conceditur facultas vendendi quædam bona & poſſeſſio-

Monaſt. Viterb. S. Roſæ.

Digitized by Google

ſiones in territorio civitatis Vetulæ, ejuſdem diœceſis, ſpectantia ad Eccleſiam ſancti Eugenii, illarum Monaſterio unitam, & pretio accepto, alia utiliora comparandi. In urbe Spoletana invenio mentionem domus *de pauperibus ſancti Franciſci*, Sororum prædicti Ordinis. Et in civitate ac diœceſi Leodienſi variarum domorum Fratribus & Sororibus concedit Joannes Epiſcopus auctoritatem, quem vellent Presbyterum in Confeſſarium, & pro ſuo arbitrio alterum in Viſitatorem eligendi.

Domus Spoletan.

Leodienſes.

XXIII. Confirmavit Eugenius Innocentii litteras, jubentes ne ultra triennium Minorum & Clariſſarum Superiores ſua protraherent officia, & præcepit Alberto Sartianenſi & Tuſciæ Miniſtro, ut ita obſervari curarent: *Diſpoſitione Divina*, IV. Idus Maii. Pacis conditiones initas inter Fratres Conventus Bernei, Calaguritanæ diœceſis, & inter Archipresbyterum & Clericos Eccleſiarum Parochialium prædicti oppidi, circa quartam funeralem & ſepulturas, voluit firmiter obſervari: *Apoſtolicæ ſervitutis*, IV. Nonas Maii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. MOrtua Eliſabetha Alberti Imperatoris relicta, Matre poſtumi „ Ladislai Regis Hungariæ, Pannonum procerum in contrarias „ factiones ſciſſorum, armatæ diſcordiæ inteſtinæ deſerbuere paulatim; cum „ interea Amurates Turca ab Joanne *Unniade* Valacho illatarum cladium „ vindictam ſumme oppetiens, Græcos, quibus hucuſque blanditus fue- „ rat, Hungaros, ac etiam Cyprios, formidabili collecta potentia, debel- „ lare, & ſuo Imperio ſubjicere decreviſſet. Strepitoſæ præparationis tot „ armorum terrificus rumor Pontificis feriit aures, eumque docuit Domi- „ nicum gregem ab Hircana tigride & peſſima & crudeli, non tantum „ evangelicis canibus, ſed etiam armatorum ferro pugnaci defendendum „ eſſe. Itaque miſſis in Hungariam Juliano tituli ſanctæ Sabinæ Cardina- „ le ſancti Angeli, vulgo Cæſarino nuncupato, & Franciſco tituli ſan- „ cti Clementis S. R. E. Vice-Cancellario, Legatis Apoſtolicis, ad ani- „ mos procerum reconciliandos, iiſdem exhortantibus, ibidem validum „ præparavit exercitum. Joannes *Unniades* in Thracia Macedoniæ, atque „ Theſſaliæ Regione finitima apud Sophiam caſtra poſuit, conflixitque cum „ hoſte ſexies uno die juſto prælio decertans, & ſemper victor evaſit, cæ- „ ſis quadraginta millibus inimicorum, ut Hungari ad Imperatorem ſcri- „ pſerunt, licet Cæſarinus ſex tantum millibus ſcripſerit. Capta ibi ho- „ ſtium millia quatuor, ſigna novem, Duces tredecim Bertius fuiſſe nota- „ vit. Tanta clade coactus Amurates, humilis decem annorum treugam „ petiit & obtinuit. Interea auxiliis congregandis & ſtipendiis præparan- „ dis, ex noſtris ad præcipuas Europæ Regiones viros graves expedivit, „ ut in noſtris Annalibus quiſque legere poteſt.

Pontifex mittit legatum ad armandum contra Turcam Principes.

Degl. cit. fol. 441.

„ II. Summus Pontifex, Kalendis Februarii expeditis quibuſdam lit- „ teris: *Sacræ Religionis &c.* pro Monialibus Tertii Ordinis Fulginii in „ Umbria, & pridie nonas ejuſdem menſis aliis executorialibus circa „ quamdam diſpenſationem: *Dudum videlicet &c.* ad fratrem Antonium „ de Neapoli; Idibus ejuſdem præfati ad beatum Joannem de Capiſtrano, „ quem anno præterito Viſitatorem & Reformatorem Ultramontanarum „ provinciarum Toroniæ, Burgundiæ, Franciæ & aliarum deſtinaverat, „ tenoris ſequentis Apoſtolicum Breve direxit.

Wadd. ad ann. 1442. n. 7.

EU-

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Fratri Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, in partibus Ultramontanis Vicario Generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

,, *Cum ex noſtra deliberata maturaque diſpoſitione fueris inſtitutus*
,, *Vicarius Generalis in omnibus partibus Ultramontanis quoad Fra-*
,, *tres de Obſervantia nuncupatos; & non ſine diſplicentia audimus, quod*
,, *nonnulli ex dictis Fratribus ſubditis tuis, ſimulatis coloribus, tamquam*
,, *Filii prodigi extra curam patrisfamilias vagantes, tuam obedientiam effu-*
,, *giunt, tuaſque ordinationes & mandata contemnunt.*
,, *Nos capientes tuum officium nec infructuoſum, nec aliqualiter fru-*
,, *ſtratorium fore, omnibus & ſingulis Fratribus tam præſentibus quam*
,, *futuris, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis*
,, *latæ ſententiæ, præcipimus & mandamus, quatenus omni appellatione*
,, *& contradictione remotis, in cunctis licitis & honeſtis, quæ tuam Regu-*
,, *lam, Ordinem, Statum & Officium concernentia jam ordinaſti, vel in*
,, *poſterum ordinabis, tibi pareant æquanimiter ac intendant: nihilominus*
,, *tibi, harum ſerie, concedendo, ut omnes & ſingulos evagantes hujuſmodi, &*
,, *a tua obedientia ſe palliantes, revocare, reducere & reformare valeas ac*
,, *punire cum plenitudine auctoritatis tibi traditæ in tui Vicariatus inſtitu-*
,, *tione; contradictores & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris*
,, *remedia compeſcendo, invocando etiam ad prædicta, cum tuæ diſcretioni*
,, *videbitur opportunum, auxilium brachii ſecularis. Conſtitutionibus Apo-*
,, *ſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, ſtatutis, ordinationibus & conſuetudini-*
,, *bus ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.*
,, *Datum &c. anno Incarnationis Domini* MCCCCXLIII. *Idibus Februarii,*
,, *Pontificatus noſtri, anno* XIII.

,, III. Joannem igitur Capiſtranum, in Vicarium Generalem Ciſmon- **Joan. Capiſtran. edit Conſtitutiones.**
,, tanæ familiæ Fratrum Regularis Obſervantiæ nuper electum, ſuo muneri
,, ſatisfacturum, abiiſſe in ſolitudinem montis-Alvernæ, ibique ſalutares
,, conſcripſiſſe conſtitutiones, adhibitis in Regulam commentariis, Anna- *Orbis Seraphic. tom. 2. pag. 95.*
,, liſta commemorat. Qui eas legere anhelat, videat Orbem Seraphi-
,, cum, ubi integre referuntur.
,, IV. Ex illis conſtitutionibus, quam regiminis ideam haberet Joan-
,, nes, prudens addiſcere poteſt, & qui ejuſdem gubernium ſcrutabitur,
,, verum a propoſito non deficientem, immo perſeveranter proficientem
,, admirabitur: diſcurrens per Italiam vigil, exemplo maxime ſui, Fratres ad
,, regularem Obſervantiam, a qua nominabantur, alliciebat atque confor-
,, tabat; quamobrem mores religioſos dulciter in Ordinem introduce-
,, bat, & eliminatis ſumma dexteritate abuſibus, jam virtutes emicabant;
,, & ubique erectis ſtudiis ſapientialibus, in obſequium S. R. E. Chriſti
,, milites præparabat. Interea dum omnes ſatagerent ſanctas Ordina-
,, tiones tanti Patris obſervare, nullis parcebant ſtudiis, ut plene confor-
,, mes ſuo Paſtori fierent: nonnullæ tamen difficultates ſuper iis ordina-
,, tionibus exortæ ſunt; quas ſanctus Pater, dum eſſet apud ſanctam Mariam *Ubi ſupra p. 205.*
,, de Angelis prope Aſſiſium, enucleavit; unde ab eodem declarationes

emanarunt, quas aſſert pater Dominicus de Gubernatis in orbe Seraphico.

Pontifex concedit Sorores ex Tertio Ordine admitti a Clariſſis.

V. Erant quædam Tertii Ordinis S. P. Franciſci Sorores, quæ deſiderabant admitti a Monialibus Clariſſis Spoleti, quibus ſupplicibus libenter annuit Pontifex, datis litteris: *Humilibus &c.* x. Kal. Martii. Cum annis ferme novem abſuiſſet urbe, Florentia diſceſſit cum vigintiquatuor Cardinalibus, eamdem repetiturus; ac tertio poſt die, eoque Dominico, Senas, regio plane honore exceptus, ingreſſus & aliquandiu ibidem commoratus eſt: quibus diebus xvi. fratri Angelo in Abbatia ſibi allata reſidenti, ut habitum Fratrum Minorum deſerre poſſet, clementer indulſit: *Religionis zelus &c.* quo pariter die per aliud breve: *Apoſtolicæ ſollicitudinis &c.* vi. Kal. Aprilis, Oratorium ſanctæ Victoriæ Monaſterio Monialium de Begia univit. Begiam ut legi, eam perquiſivi curioſus, ut regionis & loci, in quo præfatum Monaſterium eſſet, qualemcumque notitiam adipiſcerer: ſed pro Begia *Beja* undique occurrit, oppidum Luſitaniæ, ab Ebora tunc Epiſcopali, & a Paulo III. poſtea Archiepiſcopali, in cujus diœceſi recenſetur, ad xi. m. p. regionis in Meridiem recedens: inventa conferens noſtrorum Annalibus, Begiam nonniſi anno mccccLix. hujuſmodi Monaſterio, ſub titulo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ & Regula ſanctæ Claræ donatam fuiſſe, reperio, & Begiam pro *Pace Julia* ſumi; quod iis conſonat ſcriptis a Waddingo ſub anno mccxc. de Conventu Juliæ Pacis in Luſitania Tranſtagana, vulgo *Beja*, ut ait ipſe & ſubjungit. Quam ita olim a Romanis colonis nuncupatam peculiari probat tractatu vir doctus Andreas Reſendius. Præſatis edoctus, *Begiam & Bejam* idem eſſe novi; & pennæ Scriptoris vitium attribuendum eſſe, quo differre videntur: conſulens autem Elium Antonium Nebriſſenſem, ab eo diſco Pacem Juliam, quæ & Pax auguſta dicitur, Hiſpanis eſſe *Badajoz*, Urbem in Extremadura, ad ripam Guadianæ fluviæ, in confinibus Luſitaniæ regni, quæ Orientalior ab Ebora xvi. & a *Beja* xxiii. m. p. Hiſp. recedit: nunc ergo Reſendio Nebriſſenſem conciliet quivis; mihi enim ſufficit noſſe Monaſterium *Bejæ* etiam ante hunc annum extitiſſe, ut ex allato diplomate conſtat; nec quidquam ſcrupuli *Begiam* pro *Beja* ſcriptam inferre. viii. Idus Maii certum beneficium Eccleſiaſticum fratri Gomeſio decrevit: *Religionis zelus &c.* & pridie Idus ejuſdem, confirmatis privilegiis locorum Tertii Ordinis S. P. Franciſci, diœceſis Leodienſis: *Gratiæ Sedis &c.* fratrem Manganum ad beneficia Eccleſiaſtica habilitavit: *Religionis zelus &c.* Tertiariis Terræ Tanaten. poſſe eligere Confeſſores, xi. Kalend. Junii conceſſit: *Injunctum nobis &c.* Ubi autem hic locus ſit, hucuſque non novi: Ceterum a vii. Kal. Junii ad viii. Idus ejuſdem menſis plures expeditæ ſunt litteræ Apoſtolicæ pro colligendis ſubſidiis eleemoſynariis ad ſubſtentandum in Turcas exercitum; cujus rei gratia noſtris etiam Fratribus Alberto Sartiano, & Jacobo a Monte Brandono, inter alios ad id muneris electis, particularia brevia ſcripſit, indicta a Petro de Alva & Aſtorga.

Indic. ex Vatic.

Wadd. ad ann. 1290. n. 25.

Vide ſup. ad an. 1439.

Indic. ex Vatic.

VI. Provinciarum autem Burgundiæ & Aquitaniæ noſtrorum Religioſorum fines ſeu limites incerti, cum diſſenſionis materiam præberent, viii. Idus Junii definivit: *Ea, quæ pro &c.* vi. Kal. Julii diſpenſationem fratri Paulo de Zilionis Bergomenſi expedivit: *Religionis zelus &c.* nonis Julii noſtras Moniales Fulginatenſes exemptas voluit: *Humilibus &c.* xvi. Kal. Auguſti dimiſſa Sorore Franciſca ad Auguſti-

Indic. ad hunc ann. & ex Vat.

Aliæ.

nia-

nianas: *Sacræ religionis &c.* fratrem Simpericum Parochum ſancti Marini inſtituit: *Religionis zelus &c.* pridie nonas Septembris Fratribus Aſſiſienſibus conceſſit poſſe abſolvere a quibuſcumque caſibus reſervatis: *Injunctum nobis &c.* VI. Idus ejuſdem menſis ad Conſervatorem Fratrum Cuſtodiæ Opitienſis litteras expedivit: *Religioſam vitam &c.* quæ Cuſtodia omnino me latet; niſi forte legendum ſit Optenſis, Cuſtodia Murcienſis aliquando nuncupata a Conventu Optæ: inter hæc autem bello impar Philippus Maria Dux Mediolani paci ſtudens, in ſuas attraxit partes Franciſcum Sfortiam, tradita ei in conjugem Blanca Maria, quam ex Agnete Maini genuerat, ac ita pacem dedit & habuit, quam omnes (excepto Pontifice) gratam habuere; quamobrem ut liberius Eccleſiæ rebus conſuleret, XVIII. Kal. Octobris, comitante Clero & Magiſtratu Senenſi, Senis egreſſus, IV. Kal. ejuſdem menſis Romam perventus, maximo cum honore exceptus fuit. Pridie Idus ejuſdem menſis fratrem Alphonſum de Andria ad Hoſpitale ſancti Spiritus tranſtulit: *Solet Sedes &c.* fratrem Ludovicum Pœnitentiarium Lateranenſem inſtituit pridie nonas Decembris: *Religionis zelus &c.* XIX. Kal. Januarii Benedicta Alagona ad Abbatiſſæ officium habilitata: *Digna reddimur &c.* eodem die, pro quadam hæreditate Fratribus Minoribus ſancti Sepulchri Hieroſolymitani relicta, litteras expedivit: *Probatæ tuæ &c.*

Vita Catal. Piſan.

Dogl. cit. fol 440.

Senis egreſſus Pontifex Romã regreditur.

VII. Dum per annum præfata contingerent noſtris ab Apoſtolica Sede, ob Eccleſiæ ſchiſma, mala & indecora Ordini Seraphico, quæ privatim in dies experiebantur, in publica ſcandala, ſi non ubique, alicubi erumpebant: Seraphicus Pater initio Regulæ ſcripſerat, ad certam & infallibilem normam omnium ſuorum, pro quibus vovebat: *Frater Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio & Succeſſoribus ejus canonice intrantibus*: hac vice erraverunt a ſcopo ex ſuis Fratribus nonnulli, ii ſcilicet, qui Felicem V. ut verum Pontificem adorabant, Patribuſque Baſileenſibus obſequebantur; ſive (ut loquitur Waddingus) per vim aut metum, ſive per errorem: quamobrem haud aliter, quam ſub Urbano VI. & Clemente VII. cum Patavii celebrarentur Comitia totius Ordinis, & ii Bernæ apud Helvetios indixere Conventum, in quo fratrem Matthiam Doringum, provinciæ Saxoniæ Miniſtrum, virum alioquin laudatum & doctum, in Miniſtrum Generalem, qui convenerant, elegerunt: in provincia Boemiæ & Poloniæ in vigeſimum nonum Miniſtrum ejuſdem, Dominica *Reminiſcere* electus frater Nicolaus de Carnovia, Lector Comitiis Patavinis adfuerat, & confirmatus in officio ad propria regreſſus eſt; interim vero frater Vincentius de nova domo ad Conventum Bernenſem properavit, & litteras a Doringo confirmato in officio a Concilii Patribus, pro fratre Joanne Kmita, de quo ſæpe loquuti ſumus, ſecum in Provinciam detulit; unde ſi prius in partes Fratres Factionarii aliquantiſper abibant, inde totaliter in aperta & omnino irreligioſa diſſidia devenerunt: ad quæ tollenda & unionem inducendam Miniſter Generalis Antonius de Ruſconibus fratrem Joannem de Fulna provinciæ Auſtriæ Miniſtrum, virum prudentem, Commiſſarium miſit, ſed perperam: etenim in eam Provinciam ingredi minime quivit.

Reg. Fr. Min.

VIII. Paulominus a Boemis & Polonis procedebant in Hungaria Fratres in Vicaria Boſnæ conſcripti: ad cujus rei intelligentiam præmittendum eſt, Guillelmum de Caſali Miniſtrum Generalem Jacobo Piceno in regno Hungariæ laboranti ſubſtituiſſe Commiſſarium in Vicaria

Monum. MSS. Provin. Hungar. S. Salvat. fol. 2.

„ Boſnæ fratrem Joannem Hungarum, de Waja oppido oriundum, anno „ MCCCCXXXIX. quem etiam Pontifex voluit Inquiſitorem hæreticæ pra„ vitatis, & ſubinde anno MCCCCXLI. inſtituiſſe Vicarium: hic, vigente „ bello inter Hungariæ Regem & Principem Boſnæ, ut eos componeret „ impigre laborabat; unde Boſna in Hungariam proficiſcens, convocatos „ Fratres exhortatus eſt, eiſque dilationem Comitiorum celebrandorum „ ad annum proxime futurum, donec negotium pacis inter Principes ad „ optatum deduceret finem, perſuaſit: audiverunt, ſed non omnes ſuis „ perſuaſionibus acquieſcebant; cum imo nonnulli rem in deteriorem par„ tem ſumentes, palam contradicerent: hac ex occaſione Hungari ad Ma„ gnates regni confugientes, eorum favore & opera Vicariam in Hungaria a „ Boſnenſi diſtinctam & omnino diviſam, obtenta legitime, vel verius „ ſubrepta (non enim ſubſtitit) facultate ab Eugenio, ſibi & confinxerunt; „ & convocatis Fratribus ad Comitia in oppido *Teneo*, *ſeu Teneco*, a quo „ quarta Cuſtodia provinciæ Hungariæ denominabatur, in primum Vica„ rium de regulari Obſervantia hoc anno electus fuit frater Fabianus *de* „ *Keuyeres*, ut habent Monumenta illius provinciæ, ſeu de *Bacchia*, ut ſcri„ pſit Waddingus. Julianus Cardinalis Legatus Cœnobium ſancti Joannis „ in urbe Regia Budæ ad Danubium, a Bela IV. Rege conſtructum an„ no MCCLXVII. ad inſtantiam Regis & Dynaſtarum, & aliud ſancti Petri „ Peſthenii in diœceſi Vacienſi, Fratribus de Obſervantia, amotis prio„ ribus Clauſtralibus, ſeu Conventualibus, hoc anno dedit; ut patet ex „ litteris ejuſdem Cardinalis; factum poſtea approbante & confirmante „ Alexandro VI.

„ IX. Sed interea Gebennæ ſeu Genevæ, ad Lacum Lemanum in fini„ bus Helvetiorum, cum Monaſterium noſtrarum Clariſſarum vetuſtate „ pene collaberetur; nobilis vir Guillelmus Bolomerius Fabius, Ludovici „ Ducis Sabaudiæ, filii Felicis V. Cancellarius & Miniſter primus, illud „ hoc anno proprio ære a fundamentis inſtauravit, ut ſequens inſcriptio „ docet.

„ *PATRONUS NOSTER MILES GUILLELMUS BOLO-*
„ *MERIUS FABIUS IN ANNO M. CCCC. XLIII. NOS*
„ *FUNDITUS INSTAURAVIT.*

Ex histor. Genua tom. 2. fol. 164.

„ Tantam nobilis viri pietatem aulæ culpa commaculavit; etenim quod „ Dominum de *Varembon* de alto proditionis crimine falſo apud Ludovi„ cum Principem integerrimum & criminum vindicem juſtum accuſaſſet, „ lapide ad collum ſuſpenſo, Judicis ſententia, Thononi in Lacum Lema„ num, tribus poſt annis, vivus demerſus eſt: *

* *Quam hic expungimus de Religioſo adoleſcente Anconitano narrationem habes a Waddingo Tomo 10. ad ann. 1412. n. 28.*

AR-

ARGUMENTUM.

Bernardinus Senenſis moritur in urbe Aquilana, virtutibus & miraculis illuſtris. In regnis Septentrionalibus inſtituitur Inquiſitor Fabianus de Bachia. Mittuntur plurimi Minoritæ, auxiliares collecturi contra Turcas; & alii ad partes Orientis, ut cogitent de Terra ſancta recuperanda. Joannes Capiſtranus Vicarius generalis ubique ſacrarum litterarum ſtudia inſtituit. Moritur beatus Felix de Meda, pietate & virtutibus inſignis. Creantur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

I. POSTQUAM Deo placuerat Bernardini Senenſis laboribus finem imponere, extremo hoc vitæ anno illam indidit cogitationem, ut inviſeret patriam ſuam, Cives & Conſodales, eoſque excitaret ad excellentiora chariſmata divini amoris & obſequii. Profectus ad eam, in qua natus eſt, urbem Maſſanam, toto Quadrageſimæ tempore, multo ardore & labore prædicavit, minime ſibi parcens, ut civitati, quæ vitæ dederat exordium, æternæ vitæ conciliaret auctorem. Accidit ut e ſuggeſto domum redeunti occurreret quidam miſer Hiſpanus, & calceos peteret, quibus tumentes & morbidos pedes contegeret. Ille adinſtar ſui Inſtitutoris Franciſci, qui ſe nudavit, ut pauperem militem veſtiret, quibus incedebat, dederat ſandalia. Non prius illa pedibus obduxit paululum ab urbe egreſſus, quam videretur ſibi ſcrupulis & calculis offendi. Detractos ut excuteret calceos, plenos conſpexit lepræ cruſtulis, quæ e genibus deorſum, mundatis tibiis & pedibus, in calceos deciderant. Denuo calceatus, Deum laudans & magnificans, iter proſecuturus eadem ſenſit offendicula, & ſe ad renes uſque curatum. Tertio eadem expertus impedimenta, toto ſe vidit corpore mundatum. Exiliens & pſallens, in urbem rediit, & quas potuit gratias habuit Bernardino. At ille laudem omnem & honorem in Deum refundens, juſſit ſevere ne ſibi beneficium adſcriberet, neque dum ipſe viveret, aliis propalaret.

Legend. MSS. Anon. apud Surium. Bernard. Senen. prædicat Maſſæ. Sanat leproſum. *Vide apparat. ad Annal. §. 5. n. 5.*

II. Abſoluto concionum curriculo, poſt feſta Paſchalia Senas abiit, ubi magno caritatis incendio ſenſit in ſenili corpore animum excitari juvenilem, ingenſque deſiderium proximis benefaciendi, in regno præſertim Neapolitano. Multi id improbabant, atque ut domi jam feſſam ſenectutem deponeret, ſollicite rogabant; præcaventes, ne, quod poſtea contigit, ad longinqua profecti ſacris carerent exuviis. Quibus ille, non ignorare ſe quidem ſenem, ad tolerandoſque labores haud amplius idoneum, ſed caritatis æſtu cieri, ut quamdiu poſſet linguam movere, numquam ab annunciando Dei verbo, a populo inſtruendo, a neceſſaria quaque, etſi longa & moleſta, peregrinatione ceſſaret. Concionatus deinde ferventer de Juſtitiæ virtute & boni regiminis æquitate, bene omnibus precatus, tenero affectu ſupremum *Vale* dixit, certo ſciens, ſe deinceps numquam apud illos concionaturum. Fratres Cœnobioli Capriolæ, quod ipſe conſtruxit, ſuper collum ejus procumbentes & flentes, blande conſolatus, juſſit ut mœſtitiam deponerent, nec Dei contrairent voluntati: *Potius*, inquit, *rogate Dominum meſſis, ut qui me indignum miſit operarium in meſſem ſuam, dirigere dignetur propter nomen ſuum pedes meos in viam rectam, per quam ambulem, & det voci meæ vocem virtutis, ut digne valeam ejus mirabilia populis enunclare.*

Iter cogitat Neapolitanum. Patriæ valedicit.

III. Aſſumptis ſociis quatuor, vitæ laudabilis & probatæ virtutis, Bartho-

Aſſumptis ſociis quatuor pervenit Aſcianum. Inde abit ad lacum Peruſinum.

tholomæo Mariani, Petro Caturnino, Dominico Guidoccii Presbyteris Senenſibus, & Felice Mediolanenſi laico, Aprilis penultimo, media nocte, ut præparatos honores & populi fugeret comitatum, clam ab urbe receſſit, perveniitque eodem die ad Conventum Aſciani Patrum Conventualium, quem regebat Petrus de Travandâ. Illinc ſub diei ſequentis auroram perrexit ad inſulam lacus Peruſini, ubi cum beato Jacobo Piceno triduo commoratus, multa egit de Religionis profectu & proximorum ſalute; ac præfatum Petrum ad cœtum Obſervantum, qua pollebat auctoritate recepit, miſitque ad Ludovicum Senenſem provinciæ Tuſciæ Vicarium, de cujus virtutibus & miraculis ſuo loco dicemus. Die Dominico ſermonem habuit

Mox Peruſium.

ad populum, & ſequenti Peruſium acceſſit; ubi ad Templum ſancti Franciſci de Monte paraverant Cives nobile ſuggeſtum marmoreum, & Fratrum neminem conſcendere permiſerant, donec Bernardinus, quem aliquando expectabant, adveniret. Aſcendit ille & riſit, videns tantam cariſſimorum Civium, quos frequenter inſtruxerat, erga ſe affectionem; & prædicare nolens, propter pericula ex populi concurſu certo oritura, deſcendit & di-

Aſſiſium. Fulgineum.

xit: *prima, quæ dedit donum, dies abſtulit.* Statim namque abiit Aſſiſium, inde Fulgineum, reverenter a Civibus exceptus; qui ingenioſe, connivente etiam Petro comite, funem cinctorium, quem in pretio habent, ſubtraxe-

Spoletum, ubi multos curat infirmos.

runt. Mox Spoletum, applaudente Clero & Magiſtratu, conceſſit. Hic triduo hæſit, die Dominico prædicavit, & importune irruentes infirmos multos crucis ſigno a variis infirmitatibus liberavit.

Contractam ſanat.

IV. Referam paucos. Mulierem, cui Martha nomen, annis ſex, univerſis contractam membris, corporis viribus deſtitutam, vegetam & ſanam

Sterilem prolificat.

effecit, & immanibus cruciatibus afflictam, liberavit. Polixenam Honorii Chriſtophori nobilis viri uxorem, annos natam viginti quatuor, cum novennii conjugio ternis ſemper menſibus abortiret, neque fœtum ullum perficeret, & ad ſua genua ploraret, in ſpem bonam pulchræ prolis erexit; hortatus inſuper, ut Deum Chriſtiane coleret & pudice perageret jura conjugii. Non eſt fraudata mulier deſiderio ſuo, ſed ſtatim concepit &

Puerulum a tyſi liberat.

feliciter peperit menſe Januario pulchrum infantem. Thomæ Chriſtophori conjux filium Angelum, tyſi conſumptum, in nutricis brachiis expoſuit, & ipſa humi proſtrata flens, rogabat ut ſanaret. Obducto crucis ſigno, juſſit domum reduci, ubi florenti apparuit forma, perfecte ſanatus.

Incipit ægrotare.

V. Spoleto XI. die Maii recedens, ægre potuit, undique ſtipatus populi multitudine, & alvo fatigatus; ſequenti die prædicavit in caſtro Pedis-Luci

Abit Reatem.

magno cum fœnore. Deinde Umbros relinquens, per Sabinos iter aggreſſus, ſub noctis crepuſculum ad Reatinam pervenit civitatem, obviam procedente urbis Gubernatore & Magiſtratu, facibus accenſis, qui circumfuſo populo deduxerunt ad ſancti Franciſci, ubi lauta præparata cœna fuerunt ipſi convivæ. Inter tot fercula, panem dumtaxat gelidæ intinctum ille admiſit, etſi in gratiam tantorum hoſpitum jucunda alacritate confabularetur, cibaria aliqua delibans, non manducans. Poſtero die ſummis precibus rogarunt Optimates, ut per aliquot dies hæreret, & arentem avideque ſitientem populum ſalutari irriguo ſuæ doctrinæ recrearet. Votis annuit Gubernatoris, ſibi amiciſſimi, ſermonemque clauſit paterna & familiari exhortatione, filios omnes appellans: *Etſi*, inquit, *ab annis ferme viginti, quando per diuturnam apud vos Evangelii annunciationem, filios procreavi, jam mihi ſuccreverint nepotes, uno tamen ego vos ſemper filiorum nomine & amore complector.* Abſoluta concione, Joannes Antonii Petratii & con-

Puellæ vulnera ſanat.

jux occurrentes ei in clauſtro, Annam filiolam, duo habentem vulnera, omnem

omnem chirurgorum operam eludentia (nam per unum erumpebat flatus ex ubere, per alterum videbantur inteſtina) obtulerunt, deprecantes ut vellet miſereri. Compatiens infantulæ & afflictis parentibus vir Dei, oculos placide furſum erexit, cruce miſellam ſignavit, juſſitque bono eſſent animo parentes, & in Domino ſperarent liberatum iri a malis infantulâm. Poſtridie illa incolumis apparuit, remanentibus ſolis in corpore veſtigiis cicatricum.

VI. Sciens autem quia appropinquabat hora, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, acceſitum fratrem Bartholomæum, comitem fidum & individuum, qui feriem hujus ſcripſit itineris, multa docuit arcana, ſecreta quæ a Deo acceperat beneficia, & quæ ſuperventura erant orbi flagella. Quaſdam ſancti Viri ipſe vidi in vetuſto codice prophetias, ad unguem ſane completas; teſtaturque prædictus arcanorum teſtis, plurima ex iis, quæ ſibi prædixit, ipſo rerum eventu fuiſſe comprobata. Poſt biduum ad civitatem Ducalem antiquam, ut aliqui rentur, Phalacrinam, in Samniis vico modico ſitam, Veſpaſiani patriam, perrexit, exceptus ingenti honore feria quinta ante feſtum Dominicæ Aſcenſionis. Die ſequenti, deprecante vehementer populo, in aperto prædicavit foro, doctiſſime diſſerens de neceſſaria obſervantia divinorum mandatorum. In fine rogavit, ut omnes Deum pro ſe orarent, quatenus dignaretur vitæ exitum largiri felicem, & quos commiſit reatus, condonare. Adeo ferventi ſpiritu, adeo dulci & grato dixit eloquio, ut omnium ad ſe corda traxerit; & tamquam cygnus morti propinquior, dulcius canens, videretur ſacris cantibus & ſalutiferis ſermonibus finem impoſuiſſe. Vere ille fuit omnium poſtremus; correptus enim majori ventris profluvio, febricitare cepit & viribus deſtitui. Convocatis ſociis dixit, ſe concionibus finem poſuiſſe, brevi ex hac vita diſceſſurum, & in urbe Aquilana miſelli corporis exuvias relicturum.

Socio multa revelat.

Iter proſequitur.

Corripitur febre.

VII. Iter proſecuturus, Antrodoccum oppidum vicinum abiit, ubi invaleſcente etiam morbo, voluit præſcriptum in ſua regula illius diei jejunium obſervare, etſi comites paraverint cibos, morbo opportunos. Die Sabbati ſtrato aſello, interrogatus an urbi appropinquans, pedeſter incedere vellet aut poſſet, reſpondit equitem ingreſſurum, feſtiva ratione ſimulans neceſſitatem: *Dum pedeſter*, inquit, *incedo, unus dumtaxat honoris gradus, dum equeſter, decem, cumulato majori ſucceſſu mihi exhibentur, atque hoc quod equiti magis quam pediti tribuitur, totum aſelli mei eſt; quo plane intelligi poteſt, quanta ſit hujus meæ beſtiolæ dignitas, cujus cauſa longe mihi major reverentia deferatur*. Magno labore, magniſque doloris anguſtiis reliquum iter perfecit, vi cogente morbi multoties ſiſtere, humique quieſcere. Paululum aquæ petenti, ut febris ardorem aliquantiſper temperaret, reſpondit Bartholomæus, in terra deſerta, arida & inaquoſa, neque ſpem quidem eſse aquæ reperiundæ. Juſſit, ut paululum procederet & obvium interrogaret, ubi ſcaturiret? Occurrit ſtatim vir campeſtris, qui gelidum fontem monſtravit; prope quem dum Vir ſanctus ſederet, apparuit ei ſanctus Petrus Cœleſtinus, amplexus ſalutavit, dixitque, Deum Optimum Maximum, piam Aquilæ urbem utriuſque fidei & tutelæ commiſiſſe, ſeque tanto ſocio & compatrono valde lætari.

Facete dictum.

Apparet ei beatus Petrus Cœleſtinus.

VIII. Deſcendit tamdem in vicum quemdam ſancti Silveſtri IV. M. P. ab urbe diſtantem, ubi tota nocte gravioribus morbi incrementis valde fatigato, ſocii collacrymari & vehementer triſtari ceperunt. Brevi apud eos ſumma illa permanſit lætitia, qua videbant ſuum Patrem & Ducem triumphali honore in populoſas urbes admitti, & ab omnibus reverenter haberi,

con-

conſpicientes nunc mœſti & gemebundi viribus deſtitutum ad mortem proficiſci. Non aliter ac olim Apoſtoli, cum pro triumphali, qui exhibitus eſt Chriſto, palmarum honore lætarentur, paulo poſt ignominioſæ morti adjudicatum videntes, æquo vel majori dolore ſunt perculſi. Sed ita fit, ut magna gaudia, magni ut plurimum dolores ſtatim ſubſequantur. Die Dominico tamdem pervenerunt Aquilam, & rogantibus ſociis, ad Patres Conventuales deflexit, apud quos facilius & commodius languori poſſent adhiberi remedia, quam in Cœnobiolo Obſervantum ab urbe remoto.

Aquilam pervenit.

IX. Magna populi devotione & gratulatione exceptus, cellulam accepit beati Joannis Capiſtranenſis, qui in magno Conventu curavit concedi peculiare Obſervantibus hoſpitium. Familiare hoc erat, excipi in urbanis Cœnobiis Conventualium, cellulis deſtinatis, Fratres, quos dicebant locorum devotorum, extra urbes erectorum, ut vel negotia peragerent ſani, vel a morbis curarentur infirmi. Statim advenerunt Priores urbis & viri nobiles, adventui congratulaturi & infirmum viſuri, curaruntque accerſiri medicos peritiſſimos, ſed nullo fructu; non enim potuerunt diarrhœam ſeu ventris fluxum coercere.

X. Sciens Vir Dei mortem imminere, commiſit fratri Bartholomæo, ut adventantibus reſponderet, & pridie Aſcenſionis ſumma pietate & circumſtantium admiratione, Eccleſiaſticis ſe communivit Sacramentis. Hora nona, cum jam præ foribus mortem eſſe ſentiret & loqui non poſset, quibus potuit ſignis impetravit, ut e lecto in terram nudum deponerent, ut nudus cum nudo hoſte poſset luctari; ubi luminibus in cœlum erectis, facie hilari & ſigno edito, quaſi reportati de hoſte triumphi, ridenti ſimilis ſanctiſſimam efflavit animam die xx. Maii, eo tempore, quo Fratres concinebant in Veſperis illam Antiphonam: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Vixit annis ſexaginta quatuor, demptis aliquot menſibus; viginti duobus in ſeculo, reliquis in Religione feliciter inſumptis, quadraginta in aſſidua verbi Dei prædicatione. Ita felix illa anima, quæ perpetuo arſerat deſiderio ex corporis hujus vinculis emigrandi & cum Chriſto æternum regnandi, vitæ temporiæ nexibus expedita eſt; atque ex mundi hujus inopia ad cœleſtes divitias, ex hac miſeria ad infinitam beatitudinem, ab hac morte corporis ad vitam evolavit ſemper duraturam.

Pie ſe parat morti.

Moritur.

XI. Mœrentes & lugentes ſocii funus curarunt; corpus pro veteri more abluerunt, alio induerunt habitu, quem gerebat miſsuri ad Monaſterium Capriolæ, quod extruxerat, multis libris, partim ſua manu ſcriptis, & re neceſsaria inſtruxerat. Loculo deinde ligneo, goſſipio involutum cadaver incluſerunt, bitumine & pice arcam linierunt, & rudi involucro lineo obduxerunt, clam diſceſsuri, & corpus patriæ ſuæ, ſive urbi Senenſi reddituri. Id ubi a quibuſdam animadverteretur, in urbe proclamatum eſt, virum ſanctum Bernardinum diem obiiſse. Mox accurrerunt turmatim viri, fœminæ, pueri, ut ſacrum corpus viderent, tangerent, oſcularentur. Magiſtratus ſacrum pignus e Fratrum manibus quam primum rapit, & ex capſula extractum decenter exornat, fidiſque civibus tradit cuſtodiendum. Poſtero die Aſcenſionis in Eccleſia exponitur ſpectandum omnibus & contrectandum.

Socii cogitant de aſportando corpore.

Prohibet Magiſtratus.

XII. Plurimis porro vir Dei ſtatim cœpit coruſcare miraculis; eadem enim hora, qua corpus in Eccleſiam delatum eſt, puerulus novennis Paſchalis, filius Matthæi civis Aquilani, utroque pede claudus miſereque contractus ad feretrum provolutus, ſancti Viri opem imploravit, ſtatimque exiliit ſanus, magnificans Deum in ſervo ſuo Bernardino. Solebat ſedere cum

Plurimis coruſcat miraculis.

cum aliis miſellis præ foribus templi mendicans, & lychnulos offerens tranſeuntibus, unde in notiſſimo puero manifeſtius & glorioſius evaſit miraculum, majorque factus eſt concurſus populorum. Frater Benedictus a Narſico, Ordinis Minorum, una ſurdus auricula, appoſito linteo, quo exterſum eſt corpus dum lavaretur, ad feretrum proſtratus perfecte auditum recuperavit. Perna filia Chriſtophori de Sinitio, uxor Matthæi Petruccii de Forſona, annis quinque, medio corpore, a cingulo deorſum, virtute naturali deſtituta, eo ſemper jacens loco, quo aliorum ponebatur auxilio, ad ſanctum corpus delata, integram obtinuit ſanitatem. Antonella ſeptennis, filia Angelini Berardi, adeo clauda, ut nullatenus ambulare valeret, incolumis domum regreſſa eſt. Puer Aſcentius, filius Rutii Ciccarelli Aquilani, duodennis, uno claudicans latere, poſt humiles preces ad feretrum effuſas, recto gradu receſſit. Antonius de Balneo civis Aquilanus ab ipſo ortu contractus & claudus, in corpus exanime incubuit, videbaturque ei contractius crus ad modum alterius extendi: mox rectus inceſſit, nihil prorſus claudicans, populum invitans ad beati Bernardini venerationem. Audiens hæc prodigia Maſſius quidam, Bon-Joannis filius, etiam Aquilanus, quatuor annis graviſſimos in pedibus & tibiis propter tumorem, ulcera erumpentemque ſaniem, dolores perpeſſus, audita fama tantarum rerum, ſancti Viri opem invocavit, delatuſque ad feretrum, tacto corpore, ſtatim ſanatus eſt.

Solemnes celebratur exequiæ.

XIII. Poſt horam Veſperarum omnes religioſæ Sodalitates, unico concentu in medio Eccleſiæ, accenſis candelis, officium mortuorum ſolemniter decantarunt; deinde Epiſcopus cum univerſo Clero, munificentiori apparatu juſta perſolvit. Expleto officio, ſub noctis crepuſculum, curavit Epiſcopus & Magiſtratus in ſacrarium ferri, adhibitis militibus, qui comprimentem populum continerent, & corpus tota nocte cuſtodirent. Die Veneris, ſummo mane repoſuerunt in Eccleſia, neque vero ſatisfieri potuit tot undique concurrentium votis, qui ſanctum corpus videre & oſculari cupiebant. Tanta fuit adventantium frequentia, ſeſe comprimentium, perſtrepentium & clamantium, ut Epiſcopus cum Clero vix potuerit divina officia peragere, & Pontificalia in Miſſæ ſacrificio exercere. Inito ergo conſilio, Magiſtratus decrevit corpus ab illa æde, quæ tanto capiundo populo videbatur anguſta, per civitatem & forum, ad ſancti Maximi primarium templum efferre. Sequebatur funus ingens hominum turba, quibus plena erat urbs illa inſignis, veterum Samnitum nunc præcipua, certatim cohoneſtantibus corpus omnibus ordinibus & delubris. Præferebantur variarum Religionum, parochiarum, Sodalitatum cruces, argenteæ quadraginta quatuor, ligneæ tres, & immenſa multitudo cereorum. Omnes ejus opem invocabant, ſanctum proclamabant, & Deo gratias agebant, quod tanti Viri patrocinio ſuam commendarit Civitatem. Concinebat Clerus, populi pars præ gaudio exultabat, pars pro tanti Viri obitu lamentabatur: ſumma omnes coierunt pace & conſenſione, qui prius inter ſe acerbiſſime diſſentiebant, trucidatis paulo antea quatuor plebeiis & ſeptem urbis primariis. Diſcordiam omnem abolevit incredibilis hæc exultatio, & per beati Bernardini merita inſtaurata eſt amicitia & mutua benevolentia; ita ut laudes Deo referrent, qui deſolatæ civitati tam fidum contulerat ſequeſtrum & interceſſorem.

Circumfertur corpus.

Tolluntur urbis diſſidia.

Inhumatum corpus omnes honorificant.

XIV. Reportatum inde corpus ad ſancti Franciſci Eccleſiam, noluerunt terra condere, ſed depoſuerunt in ſacello ad dextram ingredientis prope templi portam, cancellis munito, adhibitis excubitoribus, qui die no-

noctuque cuſtodirent, donec arca ferrea, duodecim inſtructa feris pararetur. Adventabant ex vicinis oppidis & pagis, omnis generis infirmi, ut ſacro propinquantes corpori revaleſcerent, quod multi impetrarunt. Per illos dies crebro pulſabantur campanæ Civitatis: populus, ſupra quam dici queat, lætabatur: cerei & faculæ ardebant nocte ac die in æde ſancti Franciſci, ubi cæleſte illud ſervabatur pignus: urbs tota exultabat. Homines mechanici ceſſabant ab operibus, agricolæ non colebant agros, ſed omnes pariter feſtos celebrabant dies; atque eum in modum manſit ſacrum corpus inhumatum ad dies ſex & viginti; non ſolum nihil male olens, ſed ſuaviſſimos etiam ſpirans odores.

Orta contra nobiles ſeditio mirifice tollitur.

XV. Interim dum ſic in lignea arca jaceret corpus inſepultum, orta eſt diſſenſio magna inter plebem & urbis Senatores. Vulgus in Magiſtratum, ſeditione excitata, alios poſt alios ad quæſtionem vi abripuit, eaque furebat inſania, ut rationem nullam admitteret, ſed lata ſententia viros nobiles ac Rectores ſuos, perinde ac tetros nebulones juſſerit occidi. Viri innoxii, veluti fures producuntur e carcere ad ſupplicii locum, obligantur oculi, in genua demittuntur, & flexis cervicibus carnificis ictum expectant; quando cunctis audientibus perſonat pueri vox in aere terribiliter clamantis: *Ceſſate ab effundendo innoxio ſanguine: ſed ocyus ite ad Franciſcanorum templum, affatim illic reperturi, quod tam pernicioſe expetitis*. Territus populus ob flagitioſum animi ſui propoſitum, rapido curſu contendit ad ædem ſancti Franciſci: & ecce vident omnes e naribus exanimati corporis ſancti Bernardini tanta copia manare ſanguinem, ac ſi e duobus fontibus largiſſima aqua proflueret. Arca corpus continens tam erat plena ſanguine, ut corpus ipſum in illo nataret, ſanguiſque redundans operimentum arcæ elevaret: veſtes, quibus corpus indutum erat, cruentæ eſſent, ſanguiſque magis ac magis circumcirca diffueret, donec populus cum ingenti humilitate & devotione veniam & miſericordiam tanti peteret facinoris. Ex eo ſanguine collegerunt multi in ampullas & vitra, eoque mirabiliter curati ſunt morbi diverſi. Beatus Joannes Capiſtranenſis annis multis ſecum deferebat hujus cruoris vaſculum, omneſque ſanabat languores.

Præcipuæ Italiæ urbes juſta perſolvunt.

XVI. Diffuſa obitus & miraculorum fama per Italiam & Galliam Togatam, omnes ſanctum clamabant & invocabant, præſertim urbes illæ, in quibus fuerat concionatus. Omnes pararunt ſolemnes exequias, concurrente ſumma exultatione populo & Magiſtratu, ita ut potius feſtus dies agi videretur, quam juſta funeri perſolvi. Primi omnium cœperunt Peruſini, magnoque & ſumptuoſo apparatu per triduum parentarunt, ſingulis diebus celebrante Epiſcopo, & vitam ſancti Viri pro concione explicante ejus diſcipulo fratre Paulo Aſſiſiate. Senenſes, ſimiles ſive majores adhibuerunt honores triduanos in aperto foro, propter immenſam populi accurrentis multitudinem. Omnes adſuerunt ſacræ Religiones, etiam Cartuſiana, alias hujuſmodi congreſſibus inſueta. Horum exemplum ſecuti ſunt Florentini, Veneti, Tarviſini, Vicentini, Patavini, Mediolanenſes, & populoſa quæque oppida, ejus doctrinis aliquando inſtructa. Neminem, quod legerim, tanto honore & publicis indiciis, ſtatim poſt obitum proſecutæ ſunt integræ Provinciæ, nobiles civitates, regnorum imperia, & omnium ordinum mares & fœminæ, affatim & ubique ſanctum acclamantes & opem ejus, tamquam inter Cœlites regnantis, ſuppliciter implorantes.

Magna miraculorum frequentia.

XVII. Excitavit & fovit omnem hanc opinionem & cultum, ultra vitæ integritatem & doctrinæ virtutem, miraculorum frequentia, quæ eo creverunt numero, ut ſeptem millia in publicas tabulas redegerint Aquilani, refu-

ſuſcitatis tredecim mortuis. Nos aliqua ſuis locis opportune referemus: nunc dabimus ſub compendio, quæ uſque ad duodecimum Julii patravit, & Oratoribus a Magiſtratu Senenſi Aquilam, ut hæc inveſtigarent, amandatis, in forma probanti exhibita ſunt, atque illi Eugenio quarto detulerunt. Exemplar accepimus ex urbe Senenſi, appoſitis ad ſingula miracula diebus, & teſtibus pleriſque, quos brevitatis cauſa duximus omittendos. Suo ordine, quo ſcripta ſunt, abſque contextura miraculorum aut materiæ connexione, ſincere exhibemus. Præter ea, quæ paulo antea retulimus, Angelellam, Antonelli Barthalmutii de Caſtro-Franco, Reatinæ diœceſis, filiam, annis tribus paralyticam, morbi gravitate perpetuo cubantem, ad feretrum devectam, repente ſanavit. Colam Laurentii de Foſſa, urinæ & magni calculi dolore; Merutiam uxorem Matthutii Nannis Aquilanam, nervorum & juncturarum pœna, & a cingulo deorſum emortuam; Chriſtophorum Antonii de Montopulo de Farſa, annis tredecim maleficiis tabeſcentem, ad omnia ineptum, paralyſi aliiſque malis liberavit; necnon Sebaſtianum Sabinenſem a pueritia paralyticum & aridum & ſiniſtro latere claudicantem. Cole, Dominici de Rocha de Vocte filio, a nativitate cæco viſum; Carutiæ, uxori Franciſci Colettæ, ex Caſtro lacus, diœceſis Spoletinæ, uſum brachii ſiniſtri & vigorem lateris, quibus a juventute carebat; Caſſandræ Antonii Joannis de Monte Aſula, Sabinenſi, annorum quinque, tibiarum debilitate claudicanti perfectum greſſum donavit. Berardi Jacobi Hetruſci, pueri ſeptennis, obliquum pedem ad terram non pertingentem direxit. Apparentiam, M. Jotti Interamnenſis filiam, annis tribus genua tumentia & tibias curvas dolentem; Raynaldum Colæ de Verchiano Fulginatem, ſex annis obmuteſcentem; Andream Andreæ de Torrita prope Rajavum de Sabellis, fœdo oculo, contorto ore, & moleſtiſſima micranea laborantem, perfecte ſanavit. Lucia Jacobi de Seppa, Ducatus Spoletani, uno claudicans latere, & ad terram dum incedebat, propendens; Narda Dominici Paſcalis de Robiano annis quatuordecim utroque latere declinans, inſtar naviculæ in aqua fluctuantis, rectum liberumque inceſſum receperunt. Ricca filia Antonii Sabelli, ex Populo, oppido Valvenſi, quæ triginta quatuor annis ambulare non poterat, ſed ſerpentis more repebat, aſello vecta & feretro adjuncta, innumerabili conſpiciente hominum multitudine, cum aliquantulum ſibi obdormiſcere videretur, quaſi ex ſomno experrecta, recto ſurgens corpore convaluit. Simile conſecuta eſt beneficium Vanna, Benedicti de Cella filia, ex caſu incurvata. Paula Gabrielis Juliani de Tuſcanella, annos nata undecim, pede brevi, latere ſiniſtro contracto deformis, perfecte curata eſt. Ciccus, Blaſii Jacobi de ſancto Gregorio Aquilanus, puer quinquennis, menſes quatuor morbum paſſus indefinitum, per omnes corporis partes vagantem, integre convaluit. Butia Thomaſii de Adria per ſeſquiannum brachio dolens ſiniſtro, quippe paralytico, exangui & ſemimortuo; Aloiſia Antonii de Petra-ſicca prope Caſtrum Cellarum, dextro latere, tibia & pede obliqua; Antonius Collato Benedicti de Thono, Comitatus Aquilæ, ab humeris ad renes attractus, ſedens moleſte, difficulter ſtans, deſideratam conſecuti ſunt ſalutem. Paulum Ciardi Nepeſinum, pedibus & tibiis dolentem, ægre ambulantem; Bartholomæum Jacobi Mediolanenſem, regionis Portæ Vercellinæ, latere ſiniſtro deformiter inclinatum, fuſte pondus corporis regentem, Aquilam evectum; Andream Antonii de plebe Tarmi, de Camerano, ab inguine deorſum luxatum, ſublicis ligneis pedes per terram trahentem, ſanos & vegetos reddidit. Dominico Lucæ Baſterii, de Podio ſancti Jacobi, territorii Flo-

Quæ patravit uſque ad menſem Julium ſequentem.

Florentini, oculi dextri, ex vulnere ante quinquennium læſi, viſum reſtituit. Jacobo Veneto, adoleſcenti annorum viginti, muto & ſurdo a nativitate, auditum dedit & loquelam.

XVIII. His miraculis diffuſius narratis, ita erat in autographo ſubſcriptum: *Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, Camerarius quinque artium & Univerſitas civitatis Aquilæ, fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, omnia ſupraſcripta miracula per omnipotentis Dei clementiam facta meritis religioſiſſimi quondam beati Patris Bernardini, inclytæ civitatis Senarum oriundi, Ordinis Obſervantiæ Minorum, cujus ſacrum corpus hac in urbe & merito colendiſſimum requieſcit, eſſe clariſſima, veriſſima & manifeſta, nullamque dubietatem habere; hujuſmodi profecto ſcimus, tum quia partim noſtris oculis ſubjecerunt, & uſque adeo, ut nullatenus decipi potuerimus; tum quia tanta cura tantaque diligentia ex his atteſtationes accepimus, ut ea certiſſima & exploratiſſima cenſeamus. Plura etiam ſigna fecit in dieſque facit, quæ ſcribere longum eſſet. Hæc autem ſcripta ſunt, ut omnes, qui ſub vexillo ſanctæ Crucis militant, plene credant, denique gloriam Deo, qui tanta clementia ductus, nos ceteroſque Ortodoxæ fidei imitatores dignatus fuerit tam immenſo veritatis lumine illuſtrare. In cujus rei teſtimonium has litteras fieri fecimus, noſtrique ſoliti ſigilli impreſſione muniri. Datum in Camera Aquilana, die* XIX. *menſis Julii, indictione ſeptima,* MCCCCXLIV. *Antonius de Baccano Cancellarius, de ſupradictorum Dominorum mandato ſubſcripſi.* Triginta ex his miraculis docto quidem carmine celebravit anonymus Poeta, quod ſub hoc ipſum tempus dedicavit Joanni Taleacotio Urſino Epiſcopo Præneſtino, Card. Tarentino, Venetiis impreſſum, anno MDLXXII.

Tom. 9. an. 1380. num. 1.
Alia miracula.

XIX. Præter hæc, alia multa hujus temporis proſequitur miracula Maffæus Veggius, nobilis, quod alias dixi, auctor, & Bernardino familiaris, & alius anonymus, cujus opus apud Minoritas Aquilæ aſſervatur; quæ ne pereant in codice MSS. cujus rarum, aut nullum eſt exemplar, huc transfero ſub compendio. Antonella filia Angeli ex Thiano, oppido Aquilæ, ante annos quinque, claudo ſiniſtro latere nata, a parentibus beati Viri meritis commendata & tumulo applicata, ab omni greſſus deformitate liberata eſt: ſimile contingit Margaritæ, filiæ Antonii Marini, civis Aquilani, eodem malo affectæ; Catarinæ, filiæ quinquenni Franciſci etiam Aquilani, loripedi, ſeu diſtortas habenti tibias; Mariotto, filio Michaelis Contis, civis Aretini, a nativitate claudo & ſpaſmatico, ſed emiſſo prius voto, ſi ſanaretur, Inſtitutum ſancti Viri ſe ſuſcepturum. Paſcha, filia Pauli, ex Furcella, Aquilæ oppido, annorum circiter ſeptem, cum dies multos graviſſimis articulorum doloribus torqueretur, ut nec pedibus aut cruribus ullo modo ſe movere poſſet, ſupra tumulum poſita, incolumis evaſit. Joannes Dalmatinus, nauta, ex intemperato frigore areſacta dextra tibia, octo jam menſes non niſi ligneis adminiculis incedens, Bernardinum invocans, curatus eſt. Felix Raynaldi filius ex Podio Picentiæ, oppido Aquilæ, a graviſſimis doloribus utriuſque tibiæ; Jacob filius Joannis ex Carpenico, oppido Spoleti, a moleſto & diuturno morbo convaluerunt. Cæcilia, filia Franciſci, civis & negotiatoris Spoletani, cum amiſſis totius corporis viribus, uſu omnium membrorum, ſola lingua excepta, penitus deſtituta, annis tredecim lecto decubuiſſet, infirmo ſemper & faſtidiente ſtomacho; Angelus bimulus, Thomæ Chryſoſtomi etiam Spoletani filius, pelle tantum & oſſibus conſtans, hectica febri conſumptus; & Martha, uxor olim Mariani, ejuſdem urbis, longa infirmitate decumbens, ſancti Viri meritis integram ſalutem ſunt conſecuti.

Claudos, attractos, luxatos ſanificat.

XX. His

XX. His adjungi poſſunt, Maſſia, uxor Angeli; Matria conjux Antonii Aquilanorum; Matria altera, filia Antonii Spoletani, fœmina religioſa, cum nec tibiis, nec brachiis, nec toto denique corpore ſe aliqua harum movere poſſet; Amicus, puer ſeptennis, filius Amici Palleotæ, ex Aſſerico, oppido Aquilæ, una claudus tibia, brachiis duobus ita luxatus, ut e ſpatulis evulſa viderentur, urinæ inſuper laborans ſtillicidio; Joannes, filius Micutii, civis Aquilani, ſpaſmum paſſus in tibia. & brachio ſiniſtris; Antonius, puer trium annorum, filius Jannutii, ex ſancto Angelo, diœceſis Tudertinæ, ita inferioris partis corporis viribus deſtitutus, ut nec ambulandi, nec ſe erigendi haberet facultatem; Ciccus filius Blaſii Aquilani, qui ob nimium ſiniſtri genu dolorem, animam aliquando agere videbatur; Antonia Micci Aquilani conjux, graviſſimos longo tempore dolores in ambobus brachiis paſſa, ita ut neque manus capiti poſſet admovere; Leonora, puella ſeptem annorum, filia Nicolai Joannis, ex caſtro Vulterrano, habitans Maſſæ, pedibus & cruribus ex nervorum convulſione dolens vehementer; Magdalena, puella quinquennis, filia Bartholomæi civis Reatini, ſimili morbo affecta, quadrupedis modo per terram incedens; Franciſca, filia Jacobi Danielis, ex Aſtiano, oppido Senarum, eodem modo ſummopere debilitata; Apollonius, filius Dominici ex Segiano, etiam Senarum oppido, propter laterum ſpaſma per terram reptans, cum moveri vellet; Matthæus, filius Aloyſii Senenſis, telo, ſeu laterum immani dolore miſerrime laborans. Hi omnes per invocationem & merita ſancti Bernardini mirabiliter ſalutem ſunt conſequuti.

Ab apoſtemate, ulcere, nocivo tumore, pleroſque ſanat.

XXI. Alios abſceſſu, apoſtemate, fiſtulis laborantes curavit; Matthiam, uxorem Petri Jacobi, civis Aquilani, ab apoſtemate lateris dextri, ex quo continua ſcaturigine pus fluebat; Vanutiam conjugem Matthæi Romanelli, civis etiam Aquilani, ab ulcere, quod ſub ala ſiniſtra ſanicm & flatus imi corporis emittebat. Colam, filium Antonii Aquilani, ab ulceribus multis tibiæ ſiniſtræ, noxio humore tumentis, annis tredecim medicinas reſpuentis; Paulum, puerum decennem, filium Onofrii, ex Urſaria, oppido Cortonæ, ab apoſtemate ſub auricula; Laurentiam, uxorem olim Urbani Senenſis, habitantem Bonconventi, a fiſtula in oculo ſiniſtro; Antonium, filium Gratioſi, civis Reatini, a ſtruma, ſub genu ſiniſtrum ad ovi magnitudinem ſex annis obdurata; juvenculum quindennem ex Montemilonis oppido Piceni, a cancro mandibulam inferiorem depaſcente, ſanavit. Salomæam, puellam annorum quatuordecim, filiam Thomæ civis Spoletani, ab ulcere gravi & peſtilenti in pectore dextro, putrefactis oſſibus ex putida materia, extractiſque ſeptem fragmentis, alias Medicorum judicio incurabilem, & ſpaſmo ſæpiſſime deficientem, noctu apparens, infirmam tangens & ſigno Crucis obſignans, magna parentum exultatione, qui ſummis precibus opem ejus pridie imploraverant, liberavit. Fluxum ſanguinis in Ganutia, uxore Joannis Theutonici, Aquilæ habitantis, annis multis extenuatum, & Petrucia, conjuge Pauli Aquilani, annis quindecim paſſa, reſtinxit.

Alios a variis curat affectionibus.

XXII. Plurimos a ventris profluvio, ab hernia, a tabe, a pleuritide, a doloribus iliacis, ab aſthmate, ab hydropiſi, præſertim Margaritam, uxorem Petrucii Amati, civis Peruſini, adeo ventre tumentem, ut neque baculi adhibito ſuſtentaculo ambulare poſſet, ſalvos effecit. Alios a morbo comitiali, inter quos memorabilis videtur Petrus Angelus, filius Petri Senenſis, non ſolum epilepticus, ſed & maniacus & cæcus; Richardus Micutius Aquilanus, annis tredecim miſerabiliter afflictus; Blaſius Petri de Rocca Cuceti, quotidie in terram colliſus; Frater Ambroſius Hungarus Minorita,

ter

ter aut quater in menſe arreptus; Alios ab angina, & tonſillis, gutturis affe-ctionibus, ex quibus majori periculo laboraſſe viſa eſt Joanna, uxor Orandi, ex Felicola prope Senas, ad mortem ferme præfocata.

Ab apoplexia. XXIII. Apoplecticos a mortis faucibus eripuit; Nicolaum Fiſcaranum Senenſem, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, qui ſenſatione omni amiſſa, ſæpe in terram collidebatur; Antoninm filium Blaſii Ptolomæi Senenſis, latere etiam e dextro emortuum & elinguem; Antoniam, Lucæ filiam, ex Monte-ſiano oppido Senarum, ſequente apoplexiam ingenti totius corporis tremore; Agnetem, filiam Joannis Albanenſis, ancillam Antonii Baptiſtæ civis Aquilani, quæ cum loqui, nec deguſtare quidquam poſſet & morti propinqua videretur, a domeſticis commendata eſt ſancto Bernardino, & intincta ejus lingua guttula ſanguinis ipſius, quem reverenter aſſervabant, paulatim reſumptis viribus, tamdem convaluit.

A lepra. XXIV. A lepra; præter alios mundati ſunt, Catarina, uxor Antonii Luſignani Senenſis; Angelus, filius Michaelis ex Ciſiſano oppido Senarum; Antonius Camers, ſed incola Bitontinus, fœda lepra percuſſus, & extra urbem factus; Dominicus de Caſtro-Franco, apud civitatem Conſentinam, corpore a mordente lepra exeſo. Mulieres abortiri ſolitas, integra prole, hilares matres fecit: maxime Hieronymam, filiam Jacobi civis Romani, e regione Regulæ, quæ ex abortu ita graviter ægrotabat, ut nuſquam ſe movere valens, lecto ſemper ſupina jaceret; Cæciliam, filiam Franciſci Spoletani, a dolore ſtomachi cibum omnem faſtidientis, lecto ex ſumma debilitate decumbentem; & Antoniam, filiam Cechi ex Monte Politiano, oppido Aretino, difficultate reſpirandi, anguſti pectoris vitio male habentem, integra donavit valetudine.

Cæcos fecit videre. XXV. Oculis læſos, ut viderent, effecit: Rodulphum Venantii Camertem; Petrum Paulum urbis Theatinæ, & Juvenalis de Monte-leonis filium, ex infirmitate luce privatos; Nicolaum Peruſii ſpiculo in oculo dextro vulneratum; Catarinam, uxorem Nicolai Pilech Pannonii, & Petruciam filiam Amici Leoniſſæ, Romæ habitantis in Campo Martio; Joannam puellam, filiam Gherii civis Senenſis, quibus obductæ erant ungula pupillæ; Eliſabeth puellam quadrimulam, filiam Joannis Caſſinæ Senenſis; Andream, filium Franciſci tinctoris, habitantis Senis, diebus quindecim viſu omnino privatos; Bartholomæum filium Dominici Montis-Alti ex Berardinga, oppido Senarum, qui parum dextro oculo, ſiniſtro autem nihil, annis duobus de viginti, poterat videre; Benedictam Columnenſem, quæ neque quidquam conſpicere, neque oculos aperire valebat; Cæciliam puellam ſeptennem, filiam Gerini, ex Vulſinio, oppido urbis veteris, varorum ſeu quos vocant, morbillorum, multitudine excæcatam.

Surdos audire, mutos loqui. XXVI. Surdos fecit audire & mutos loqui: Fridericam, filiam olim Nannis, civis Aretini, ſurdaſtram; Sanctam, uxorem olim Joannis Cloni Reatini, lingua perforata balbutientem; Bartholomæam, infantulam trium annorum, filiam Petri Joannis Turchi Senenſis, uſque ad illud tempus nullum verbum proferentem. Filius Angeli de Anagnia, provinciæ Campaniæ, a nativitate mutus; Jacobus Venetus; Simon, filius Vanis, ex Plano Caſtagnani, territorio Senenſi; Petrus filius Antonii Vaſelli ex Barbarano oppido, diſtrictus Romani, ſurdi & muti ad tumulum delati, ſani & integris ſenſibus redierunt. Juvenis alter, annis quatuordecim mutus, attactu chordæ ſancti Viri, perfectæ loquelæ beneficium obtinuit. Febricitantes convaluerunt; Eliſabetha puella ſeptem annorum, filia Dominici Senenſis; & Paulus ſeptennis etiam, filius Petri ex Monte nigro oppido Senarum, colliquante febre longo tempore affecti.

XXVII.

XXVII. Morti propinqui, a medicis deſtituti, inſperatæ incolumitati reſtituti: Joannes juvenis viginti quatuor annorum, filius Colæ Pedoni, ex Mareno, oppido Aretii; & Bernardina, filia Nicolai Porcinarii Equitis & Juriſconſulti, civis Aquilani; & Giloiſia uxor Franciſci civis Senenſis; Ivo Brittanus, in Romana Curia cauſarum Procurator, gravi infirmitatis incremento, deperdita loquela & deliquium paſſus, jam mortuus videbatur, & funeralia parabantur: audientes vero domeſtici plurima, quæ referebantur Bernardini miracula, voverunt quod ſi per ſancti Viri interceſſionem valeret, ſepulcrum inviſeret, donum offerret, & ſolemne in ejus honorem Miſſæ ſacrificium curaret cantari. Emiſſo voto, continuo cœpit loqui, reſumptis viribus convaluit & promiſſa complevit. Soror Duciſſa pro filio extreme laboranti, elingui & ſpe omni humana deſtituto, ferventer oravit, promiſitque ſancto Bernardino, ſi incolumem reciperet, ducturam ad ejus ſepulcrum, ibique per duos menſes relicturam ad corporis cuſtodiam, quam diximus Aquilanos conſtituiſſe. Levi ſopore correptæ apparuit Vir ſanctus, læta promittens. Mox ingreſſus nuncius dixit, puerum loqui, & bene habere. Retulit illa coram marito & filio, quæ fecit, dixit, vidit, & votum exolvit. Simili uxoris pollicitatione a morte liberatus eſt Nicolaus Teutonicus, ex urbis Peruſinæ mœnibus prolapſus, contuſus, confractus, ſuo ſanguine involutus, quem omnes judicabant defunctum. *Plerique liberantur a morte.*

XXVIII. Spiritus immundos abegit: a Jacoba, uxore Butii de Nurſia, annis triginta poſſeſſa, mirum in modum cruciata, fremente & ſe totam diſcerpente; a Moniali quadam Monaſterii ſanctæ Agnetis de Monte-leonis, Ordinis ſancti Auguſtini annis undeviginti arrepta; a Paciutia eodem oppido nata, quæ multis repleta ſpiritibus, altero laterum claudicabat, miſerabileſque mugitus & clamores edebat, utroque malo ad ſancti Viri tumulum liberata eſt. Flora de Caſſia adeo vexabatur hujuſmodi malis geniis, ut quaſi amens in obliquum collum & os torqueret, ad ſanctum corpus delata, fugatis hoſtibus, etiam luxatæ dextræ ſanitatem reportavit. Genutia uxor Marii Aquilani, quæ annis ſex obſeſſa, corpus quandoque in terram collidebat, capite parietes impetebat, tortuoſo flexu humi repebat, & exanguis apparebat, ad ſepulcrum e crudelis tortoris poteſtate erepta eſt. *Liberat a ſpiritibus immundis.*

XXIX. Joannes Antonius Tornanus, quodam veſpere in gutture & ſiniſtra ſcapula mortiferis fuit affectus vulneribus, ita ut nulla ejus vitæ ſpes relicta videretur, nec ulla pharmaca vel cataplaſmata quidquam conferrent: ſed ubi humanum non ſuppetit auxilium, non ſolet deeſſe divinum. Miſer iſte tam immaniter vulneratus, ut ægre ſpiritum traheret, præ doloribus nocte mortem impendentem expectans, viſus eſt ſibi ſentire quemdam manu ipſum in latere percutientem, dicentemque: *Non audiviſti miſer, quam præclara & ſtupenda Deus miracula perpetret per ſancti Bernardini merita? Cur ergo ejus non imploras opem?* Ille hæc verba diligenter auſcultans, animum erigens, commendavit ſe ſancto Bernardino, orans ferventer ſalutem reſtitui. O mirabilem Deum in Sanctis ſuis! Audivit pium hominis deſiderium & bonæ voluntatis propoſitum. Dixit enim æger: *ſi ſanus ſurrexero, ſancte Bernardine, viſam corpus tuum, & ceream imaginem offeram.* Vix ea dixerat, cum ecce ſentit cieri corporis fluxum quemdam tetri & concreti ſanguinis, qui ab inflicto manarat vulnere, ſanitatem impediens. Attulit fluxus cordi levamentum & robur, cœpitque habere melius. Perſtitit in implorando ſancto Bernardino, promiſitque ſe profecturum ad ſepulcrum in veſtibus lineis. Tum vero etiam plus noxii humoris a corpore diffluxit: ſurrexitque homo confeſtim ſanus, exiguis in corpore relictis cicatricibus vulne- *Periculoſe vulneratus integrā recepit ſalutem.*

neris. Abiit ocyus in lineis veſtimentis ad ſepulcrum beati viri; obtulitque illic effigiem viri e cera confectam; narravitque populo omni miraculum, quod in ſe expertus fuerat, laudibus efferens Deum & ſanctum Bernardinum.

Moribūdus puer attactu panni integre ſanatur.

XXX. Dominus Nicolaus Galiardinus filium habuit Benedictum, annos natum quindecim, valde a peſte, febre & aliis exitialibus morbis afflictum: ita ut medici omnem ei vivendi ſpem præciderent. Allatum eſt ad eum de panno, quo opertum fuerat ſancti Bernardini corpus. Eo ad corpus appoſito, fricabat male affecta membra, ſtatimque ſe in lecto erigens: *Gratias*, inquit, *Deo & ſancto Bernardino*; *liberatus ſum a morbis omnibus, & totus recte valeo*. Impoſuerunt deinde pannum capiti, moxque arctiori eum complectente ſomno, obdormivit, cum jam multo tempore nulla potuiſſet quiete potiri. Medici eo mane advenientes ſanum conſpiciunt, quem pridie pene mortuum reliquerant.

Mortui reſuſcitantur. Gregor. in Pſal. 4. pœnitent.

XXXI. Poſtremo majora refero prodigia, manifeſtiora Dei potentiæ argumenta, mortuos videlicet reſuſcitatos: *Virtus namque Chriſti eſt gloria Reſurrectionis; licet enim opera fecerit, quæ nemo alius fecit, & miraculorum ſigna divinitatis ejus fidem aſtruant, credendi tamen in eum nulla potentior, aut condecentior via extitit, quam quod a mortuis reſurrexerit.* Neque Sanctorum excellentia aliunde afficacius comprobatur, quam quod illorum precibus ad vitam reducantur, qui e vita deceſſerunt. Tredecim, Bernardini meritis reſuſcitatos ſcribunt hiſtoriæ auctores; aliquot exſcribo. In civitate Aquilæ Amicus puerulus, menſes natus octodecim, matrem Buturellam ſequutus ad vicinam Mariæ Burgenſis domum, præ foribus manſit, & incidit in vas aqua plenum, in terram cubitis tribus demiſſum. Capite depreſſo, pedibus ſurſum verſus, ad dimidiam horam præfocatus manſit, priuſquam id quiſquam perſentiret. Domum reditura genitrix filium inclamat, perquirit in angulis, & in vicis; & tamdem a Maria, quam inviſerat, reperitur indicio panni ſupernatantis. Extractum vident atrum, ab aqua tumefactum, exanimem: Matre ejulante, capillos vellente, genas unguibus lacerante, accurrunt vicinæ aliæ, & vicem ejus dolent. Forte inter alios aderat Dominicus Vaſanus, tertium ſancti Franciſci Inſtitutum profeſſus, perſuaſitque circumſtanti populo, ut in honorem Dei & ſancti Bernardini pariter orationem Dominicam recitarent, poſſe, inquiens, Deum ſancti Bernardini precibus flexum, puero vitam reſtituere: & prece completa puer cœpit oſcitare, ejectaque aqua per meatus, ſanus & incolumis ſurrexit.

XXXII. Obierat Benedictus infans, Corradini Fabrianenſis filius; mater plorans ægre ſentiebat filium, etſi defunctum efferri: rogavit virum, ut pari conſenſu ſancto Bernardino commendarent, & promitterent, ſi ad vitam rediret, Aquilam ducturos, ut præſens veneraretur beneficii auctorem. Cui maritus: *fac quod tibi magis placet, mihi penitus interiit*, abiitque funus curaturus. Regreſſus invenit infantulum matris ubera ſugentem: voverat enim per annum in habitu ſancti Franciſci inceſſurum, & ad ſancti Viri ſepulturam gratias redditurum. Haud diſſimili emiſſo voto a parentibus Antonii Martini de Ceporanica, pueri quadriennis, huic vitæ reſtitutus eſt.

XXXIII. Joannes & Margarita conjuges Baſileenſes Aquilam profecti, commorabantur in Xenodochio ſancti Ludovici, ubi fœmina periculoſo correpta puerperio, poſt dolores multos ferme exanimis cœpit edere fœtum ordine inverſo. Prodierunt pedes dumtaxat, reliquo hærente corpore, brachiolis tranſverſis. Obſtetrices omnem navabant operam, ut mitiori matris cruciatu partus abſolveretur, & demum aliquot intervallis ſanctum Bernardinum invocantes, ut ſaltem genitricem ſervaret incolumem, fœtum

mor-

mortuum eduxerunt. Rurſum divinæ fidentes potentiæ, ſcientes non eſſe abbreviatam manum ejus, reliquas, quæ adſtabant, fœminas hortabantur, ut Divum deprecarentur, quatenus impetraret infantulo vitam & gratiam baptiſmalem. Orabant omnes cum gemitibus & lacrymis, cœpitque puer incaleſcere & moveri, & aqua ſalutari intinctus amplius recuperare ſpiritum ocelloſque aperire. In dies vegetior incolumis evaſit & in virum excrevit. Aliud ferme ſimile accidit in oppido Caſtillionis, Comitatus Aquilani, emiſſo voto a patre de Bernardini nomine imponendo, & habitu ſancti Franciſci per annum deferendo. Sæpe opitulatus eſt Vir ſanctus in partu laborantibus ipſumque invocantibus, aut ex reliquiis quidpiam apud ſe habentibus.

XXXIV. In civitate Regali, Gentileſca, trium annorum puella, rupto aggere, ab aquis, quæ per foſſas urbem circumdabant, arrepta & per rupes agitata, in foveam decidit, ubi præfocata ſub fimo & cœno deſuper irruente ſepulta eſt. Tamdem extracta & ad matrem delata, poſt invocatum magna fide ſanctum Bernardinum, revixit. Antonius Mei Sublacenſis, puer tredecim annorum, ſimili infortunio abreptus, flumine rapido curſu decurrente prope Eccleſiam Sublaci, magnoque deportatus ſpatio in loca colliſus eſt ſaxoſa. Abſque vita & ſpiritu extracto applicuerunt quidam Minoritæ panniculum intinctum ſanguine, quem ſanctus Bernardinus, uti diximus, ex naribus emiſit, pollicentes, ad vitam ſi reſtitueretur, ſe Aquilam ducturos. Statim puer convaluit, tamquam ſi a ſomno excitaretur.

XXXV. Auguſtinus Interamnenſis dolens unicum infantulum ſeptimo a nativitate die expiraſſe, cubiculum ingreſſus, cœpit ſancti Bernardini opem implorare & promittere, ſi incolumis reſtituatur, ſe ad ejus tumulum pulchram imaginem appenſurum. Suavi correptus ſopore vidit aſtantem Bernardinum, filium ſuum manu tenentem & dicentem: *Tolle tibi filium incolumem*. Expergefactus dum hæc narrat lacrymanti uxori, filius oſcitare cœpit, & bene habere.

XXXVI. Matthia filia Jacobi de caſtro Ripæ Theatinæ in flumine Alentino demerſa, a patre diligentiſſime perquiſita, tamdem miraculoſo indicio inventa eſt exanimis. Accurrentes quam plurimi mares & feminæ vicem dolebant patris, & collacrymantes magnis vocibus Bernardinum invocabant. Exauditi ſunt confeſtim, ſpiritu puellæ in priſtinam ſedem redeunte. Carinus puer Aquilanus, annorum decem, triticum tulerat ad molendinum. Abiturus fortuito rotam calcavit pede, ab eaque circumductus decidit in undas: in ipſo caſu Bernardinum invocavit haud inaniter, nam etſi mortuus eductus ſit ex aquis, ſancti Viri meritis revixit.

XXXVII. His adjungi poteſt ſimile conſervatæ, ſi non reſtitutæ vitæ prodigium. In Monaſterio ſancti Hieronymi urbis Senenſis, Soror quædam Tertii Ordinis ſancti Franciſci decidit in puteum altum cubitos quadraginta, atque interdum capite, nonnumquam pedibus eminebat. Inter cadendum memor illuſtrium miraculorum ſancti Bernardini, ingeminatis vocibus invocabat. Venientibus quibuſdam ad hauriendam aquam apprehendit funem, & prodiit veſte ſicca, corpore illæſo.

XXXVIII. Omnia hæc miracula, ex multis auctoribus collecta, hic adſcribere & in ſuas claſſes redigere placuit, non quod omnia ſtatim ab obitu patrarit, ſed ne variis partitionibus diſtincta, ingratum eſſet lectori ſingula inveſtigiare. Magnis iiſque crebris prodigiis mirum in modum ſanctitatis crevit opinio, & pervenit ad omnes gentes feliciſſimi tranſitus notitia. Joannes Capiſtranus diſcipulus, in Sicilia Nuncii Apoſtolici fungebatur officio, au-

Joan. Capiſtranus ſtatim agit de ejus canonizatione.

audienſque magiſtrum obiiſſe, magnis itineribus Aquilam contendit, acturus ſtatim de canonizando homine, quem ultra commune hominum genus virtute & ſanctitate noverat conſpicuum. Id Deo placere manifeſte novit ſigno cœleſti ſtellæ fulgentiſſimæ, per omnia ſimilis alteri, quam ipſi Bernardino ea in urbe diximus apparuiſſe. Ipſum produco teſtem ſive hiſtoriæ ſcriptorem. Verba ipſius ſunt: *Nec parvipendendum eſſe conſidero, quod cum felicem ſancti Bernardini obitum, in inſula Siciliæ tunc exiſtens ex mandato ſanctæ memoriæ Eugenii Papæ IV. ſenſiſſem, ad Aquilanam civitatem pergens feſtinanter, ut tanti viri ſignis magnificis coruſcantis, diligentia quanta poſſem, canonizationem bene merito procurarem; pari modo in platea, & campo Eccleſiæ, & Monaſterii ſancti Franciſci, aſtante etiam multitudine populorum, hora quaſi eadem, videlicet inter tertiam & ſextam, ibidem apparuit ſtella præfulgida: in quam aſpicientes qui aderant, cum admiratione alter alterum excitabat, nec tamen eam tunc ego ipſe, qui indignus thalamo præſidens, etiam de beata Virgine prædicabam, ſtellarum differentiam & varietatem conſiderans, cum non haberem etiam de apparitione dictæ ſtellæ notitiam per relationem fide dignam, de commotione aſtantium admiratus; quid intra ſe quærerent perſcrutabar, cum ſtellam ſupra caput aſpicere non valerem; tunc mihi indicaverunt apparentiam ejuſdem ſtellæ, quæ ſuper caput ſancti Bernardini coruſcaverat, ibidem evidentiſſime declaratam. Cumque caput erexiſſem, eamdem ſtellam limpidiſſime conſpexi, Deo gratias agens & Virgini benedictæ, ſperans & confidens ex divina bonitate & Virginis benedictæ præſidiis, me f. licem ſucceſſum & lætum effectum in canonizatione ſancti Dei viri infallibiliter obtenturum. Itaque factum eſt, Domino diſponente, ut mane ſequenti ex Aquila ad ſanctam Romanam Eccleſiam greſſus dirigens, præfatam ſtellam tamquam ducem itineris & comitem pluries in itinere non ego ſolus aſpexerim, ſed quamplures ſocii, qui mecum erant, inter quos frater Matthæus de Rhegio de Calabria, frater Philippus, frater Joannes Teutonicus de Auſtria & plures alii.* Quid vero egerit & quam ſedulo laborarit Capiſtranus pro hujus ſancti Viri canonizatione, annis ſequentibus referemus.

Tom. 10. anno 1433. n.6.

Capiſtr. in vita S. Bernardini.

Stellæ ſigno excitatur.

De effigie S. Bernardini.

XXXIX. Addam tamdem pro coronide, aliquid de illius effigie. Pingi ſolet macer & ſenex, quia in ſenectute bona mira corporis maceratione vires attenuarit. In dextra habet ſacratiſſimum nomen Jeſu, in tabella expreſſum, cinctum coronatumque vibrantibus Solis radiis, quale deauratum a concionibus auditorio ſolebat adorandum exponere. Adſcribitur aliquando illud Joannis: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*. Cujus ratio eſt, quod mortuus ſit pridie Dominicæ Aſcenſionis, cum in Veſperis, uti diximus, illa verba præcinerentur cantico Virgineo. Tres Epiſcopales mitræ ad pedes ponuntur, contemptum indicantes totidem Epiſcopatuum nobilium, præter alios ſibi oblatorum, videlicet Senenſis, Ferrarienſis & Mediolanenſis. Alii adjungunt ſtellam capiti ſuperpoſitam, propter eam quæ apparuit fulgentiſſima, dum Aquilæ concionaretur, quam beatus Joannes Capiſtranus interpretatur fuiſſe Divam Virginem Mariam, cujus virtutes tunc magnopere extollebat. Joannes Molanus ſcribit aliquos affirmare, Romæ ſupra caput ejus concionantis, nomen Jeſu in Sole poſitum conſpectum fulſiſſe, ut ritus ille comprobaretur, quo ſolebat a concione nomen Jeſu in tabula pictum populis oſtendere, quod nonnulli, uti narravimus, calumniati ſunt immerenter.

Molan. lib. 3. de Imaginib. c.18.

Tom. 10. anno 1427. num. 1. & ſeqq.

XL. Eugenius Pontifex laudabiliſſimo ſtudio, animarum ſitiens ſalutem, poſt unionem Græcorum, Armenorum & Jacobitarum, in Concilio Floren-

rentino, & Syrorum ab Antonio Trojano conductorum, in Concilio Lateranenſi hoc anno admiſſorum, & poſt reductionem aliorum populorum ad ſincerum Catholicæ fidei cultum, ut ipſe præloquitur in Diplomate ſtatim a nobis producendo, etiam hoc anno ad partes Septentrionales, Moldaviæ, Valachiæ, Bulgariæ, Raſciæ, aliorumque regnorum miſit fratrem Fabianum de Bachia Vicarium, aliosque Fratres Vicariæ Boſnæ, qui populos multos Sarracenorum incurſibus, hæreticorumque libere graſſantium erroribus, a tramite recto fidei declinantes, ad veritatis Catholicæ ſemitas reducerent: ipſumque Fabianum, & in Vicariatu ſucceſſores inſtituit perpetuos Inquiſitores in prædictis regnis, necnon in partibus Sclavoniæ & in Scythia, Moldavia, Buda, Zegedino, in ſeptem Sedilibus, & foro Siculorum (gens eſt in ea Daciæ parte, quæ Tranſilvania appellatur, per ſeptem caſtra diviſa; quæ ſupererat ex reliquiis Hunnorum in bello illo celeberrimo Sicambrico, & Pannoniam ingreſſa, relicto minus grato nomine Hunnorum, ſe ex Siculis denominavit) aliiſque locis ſuos & Sedis Apoſtolicæ Commiſſarios. Inſtitutionis produco inſtrumenta, ſub exordium anni ſequentis conſcripta. Fabianus de Bachia Inquiſitor in partibus Septentrionalibus, & futuri Vicarii Boſnæ.

Cariſſimis in Chriſto Filiis, Regibus, & cariſſimis in Chriſto filiabus Reginis, ac venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon dilectis filiis Abbatibus, & aliis Eccleſiaſticis Prælatis, ac perſonis, & Vayvodis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Civitatum communitatibus, ac Terrarum, Caſtrorum, Oppidorum, Villarum aliorumque locorum Univerſitatibus, eorum civibus, incolis & habitatoribus univerſis Moldaviæ, Valachiæ, Bulgariæ & Raſciæ aliorumque regnorum & partium ubilibet conſiſtentium, ad quos præſentes litteræ ſeu eorum tranſumpta pervenerint, Salutem.

XLI. *Inter deſiderabilia cordis noſtri illud intentis deſideriis affectantes, ut vinea Domini Sabaoth, ad cujus curam & cuſtodiam ſumus, licet immeriti, conſtituti, debitum reddat ſuis temporibus fructum, libenter ejus culturæ intendimus, & ad eam vigiles ac fideles operarios tranſmittimus, per quorum ſollicitudinem diligentem, & diligentiam ſollicitam, vinea ipſa ab omni immunda ſorde purgata, in conſpectu Regis æterni ſe gaudeat devictis hoſtibus triumphaſſe. Ineffabilis ſiquidem divinæ Majeſtatis clementia efficere dignata eſt, ut noſtris temporibus Græci, Armeni & Jacobini a ritu Romanæ Eccleſiæ diſſidentes, iteratis diſputationibus per graviſſimos in Theologia Magiſtros, & tam divini quam humani Juris Doctores hinc inde editis, nobis in Ferrarienſi & Florentino Oecumenico Concilio præſidentibus, nobiſcum & cum ipſa Eccleſia in eadem divinæ veritatis ſententia unirentur, ac doctrinam ſanctorum Patrum, necnon Evangelicam veritatem, quam ſemper ſancta Romana Eccleſia tenuit, docuit & prædicavit, ac tenet, docet ac prædicat, debita cum reverentia acceptarent: quorum exemplo provocati nonnulli alii Orientales populi, poſtquam ad almam Urbem redivimus, Spiritus ſancti lumine illuſtrati, hujuſmodi ſalutarem & veram ſanctæ Eccleſiæ doctrinam, ejuſque ſancta dogmata præcipuis devotione & reverentia complexi fuere. Eſt quippe ineffabilis hæc Dei Omnipotentis miſericordia, quæ nullo modo explicari poteſt; hac nimirum miſericordia, qua, menſura penitus carente, effectum eſt, ut Græcorum natio, quæ ſub atrociſſimo Turcarum jugo & immani eorum tyrannide languebat, & jam prope extincta fuerat, per terreſtrem, cui venerabilis frater noſter Julianus Epiſcopus Tuſculanenſis, & maritimum, fidelium exercitus, cui dilectus filius noſter* Ex lib. 24. Bullarum fol. 4.

 Fran-

Franciſcus tituli ſancti Clementis Presbyter Cardinalis S. R. E. Vice-cancellarius, Apoſtolicæ Sedis Legati præſunt, fere liberata eſſe dignoſcitur; inducti pariter ac confiſi, & ſperantes quod, illa uberiorem dextræ ſuæ clementiam porrigente, quælibet errantes oves ad unum ovile reducantur. Attendentes quoque quod dilecti filii, Fabianus de Bachia Vicarius & Fratres Vicariæ Boſnæ nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ, qui in partibus præſertim Septentrionalibus honorem Dei & propagationem Chriſtiani nominis diligenter ac fideliter proſequentes, pro Orthodoxæ fidei, necnon divini cultus & religionis augmento, plurimos labores & ſtudia fructuoſa impendere poterunt, ac libenti animo impendent; ipſos Fabianum ac illius ſucceſſores, qui pro tempore erunt, Vicariæ Vicarios, in Hungariæ, Boſnæ, Moldaviæ, Valachiæ, Bulgariæ, Raſciæ, necnon Sclavoniæ, ac omnibus & ſingulis regnis ſeu partibus, ad quæ ſeu quas Vicaria Boſnæ hujuſmodi ſe extendere dignoſcitur, Inquiſitorem & Inquiſitores hæreticæ pravitatis perpetuo fecimus & etiam deputavimus. Et ut facilius populos illarum partium ad divini nominis cognitionem, ac ſanctæ Eccleſiæ unitatem reducere, & errantes ab erroribus revocare poſſent, quam plurimas diverſas eis gratias, conceſſiones, facultates & indulta, præſertim divinum cultum & animarum ſalutem concernentia, conceſſimus per diverſas noſtras litteras, prout in illis, quarum tenores de verbo ad verbum præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Cupientes igitur, ut Fabianus & alii Vicarii ac Fratres prædicti pro tempore exiſtentes, quibus etiam tenore præſentium injungimus, ut ſanctiſſimam Græcorum, Armenorum, Jacobinorum & aliorum populorum cum Romana Eccleſia unionem hujuſmodi, in regnis ſeu partibus prædictis publice nuncient & prædicent, ac quoſcumque non recte de fide ſentientes, ſeu alios diverſis erroribus inquinatos ad hujuſmodi unionis ſuſceptionem verbo & exemplo, prout illis Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, exhortentur in Domino & requirant, ut abjectis penitus erroribus, prædictæ Eccleſiæ doctrinam & ſanctorum Patrum dogmata, præcipua devotione & reverentia ſuſcipiant, ac per mandatorum D. N. Jeſu Chriſti ſemitam incedant, ut tandem æternam beatitudinem, Dei miſericordia conſequantur, Inquiſitionis officium & alia per nos eis injuncta hujuſmodi facilius exequantur; Vos univerſos & ſingulos prædictos obſecramus in Domino, ac per aſperſionem Sanguinis D. N. Jeſu Chriſti exhortamur, vobiſque in remiſſionem peccaminum injungimus, ut Fabiano, Vicariis & Fratribus prædictis pro tempore, in præmiſſorum executione, quoties pro illorum parte fueritis requiſiti, aſſiſtentes, opportuna eis auxilia, conſilia & favores impendatis, nec permittatis ipſos vel eorum aliquos, per quoſcumque ſeculares vel Eccleſiaſticos, fideles aut infideles, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, ſuper executione hujuſmodi impediri, moleſtari ſeu perturbari; impeditores, moleſtatores ſeu perturbatores quoſlibet, vos cariſſimi in Chriſto filii Reges, & cariſſimæ in Chriſto filiæ Reginæ, Vayvodæ, Principes &c. & aliæ ſeculares perſonæ per privationis bonorum temporalium & coercitionis perſonarum; necnon vos venerabiles fratres noſtri Archiepiſcopi, Epiſcopi & dilecti filii Eccleſiaſticæ perſonæ prædictæ, quoties opus fuerit, aggravando & reaggravando, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia Juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato ad hoc &c. Nos enim pro efficaciori & faciliori præmiſſorum executione, Fabiano, Vicariis & Fratribus prædictis, vos & quemlibet veſtrum, ſi per eos requiſiti, ipſis, ut prædictum eſt, aſſiſtere recuſaveritis vel neglexeritis, ſeu aliquis veſtrum recuſaverit vel neglexerit, ad id per cenſuram Eccleſia-

ſti-

ſticam & alia Juris remedia, etiam cum ſimili invocatione brachii ſecularis, appellatione remota, compeſcendi, necnon in præmiſſis & circa ea quæcumque neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam, tenore præſentium, concedimus facultatem. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. illis præſertim, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim &c. quod interdici, ſuſpendi &c. Et inſuper ut vos aliique Chriſtifideles prædicti ipſis Fabiano, Vicariis & Fratribus prædictis, in executione præmiſſorum, eo promptius aſſiſtatis & aſſiſtant, eis auxilium, conſilium vel favorem pro viribus ſubminiſtrantes, ut prædicitur, qua ex hoc dono cæleſtis gratiæ vos conſpexeritis & ſe conſpexerint eſſe refectos; vobis omnibus & ſingulis, aliiſque perſonis utriuſque ſexus, vere contritis & confeſſis, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, trecentos dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus per præſentes, ipſis præſentibus perpetuo valituris. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIV. XIV. *Kal. Martii Pontificatus anno* XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

XLII. *SUper gregem Dominicum, noſtræ curæ, divina providentia, commiſſum, ſedulo vigilantes, illis potiſſime, juxta paſtoralis officii debitum occurrere volumus, per quæ grex ipſe ſcandalizatur a fide, ſine qua nemo proficit ad ſalutem, eaque de medio tollere: & illorum fluxum peſtiferum reſtringere, ne virus inſanabile ac perpetuum inferant nocumentum. Cum itaque, ſicut ad noſtrum, non ſine diſplicentia grandi, pervenit auditum, quod ad præſens in regno Moldaviæ, hæreticæ pravitatis, & præſertim cujuſdam ſectæ abominabilis Huſſitarum nuncupatæ, ſatore malorum operum id procurante, numeroſa perſonarum multitudo conſiſtat, quæ non modo regnicolarum, verum etiam ab ipſo regno diſtantium, & præcipue non paucorum regni Hungariæ incolarum animas ſui perverſi dogmatis veneno peſtifero infecerunt ac in dies per amplius inficere omni ſtudio ſatagant & conentur, timeaturque, niſi quantocius eorum pernicioſis auſibus opportune providebitur, etiam ad ceteras fidelium partes tranſeuntes, ac mortiferum venenum ſuæ erroneæ doctrinæ effundentes, quamplurimos inficiant, in ſuorum & plurimorum aliorum evidens animarum periculum, diſpendium quoque pernicioſiſſimum & exemplum. Nos igitur ſuper his, quantum nobis ex alto permittitur, totis providere viribus intenti, & firmam ſuper eo, quod hactenus dilecti filii, Ordinis Minorum profeſſores,* de Obſervantia *nuncupati, & præcipue Vicariæ Boſnæ, qui, ut celebris & publica fama inſinuat, ſe murum facientes pro domo Domini & Orthodoxæ propagatione fidei, ad confundendas eliminandaſque hujuſmodi hæreſum ſuperſtitiones, opem & operam efficaces ſolertius adhibere, quantum in eis fuit, ſtuduerunt & ſtudent, prout tantæ rei neceſſitas exigit, in convincendis eliminandiſque dictis erroribus, ſuas impertiri partes debeant, fiduciam in Domino, ut congruit, acceptantes; motu proprio, non ad dilectorum filiorum Fabiani de Bachia Vicarii & Fratrum dicti Vicariatus, vel alicujus pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, prædictum Fabianum, quem, ſicut fide dignorum teſtimoniis accepimus, religionis & fidei ſinceritate ac maturitate morum, necnon litterarum ſcientia aliarumque virtutum donis, earum largitor Dominus inſignivit, & illius ſucceſſores, qui pro tempore erunt,* Ex arch. Vatic. ſuperio. lib. 19. Bullar. fol. 281.

præ-

prædictæ Vicariæ Vicarios, in Hungariæ & Boſnæ prædictis, ac Moldaviæ, Valachiæ, Bulgariæ, Raſciæ, necnon Sclavoniæ, ac omnibus & ſingulis aliis regnis ſeu partibus, ad quæ ſeu quas Vicaria hujuſmodi ſe extendere dignoſcitur, Inquiſitorem & Inquiſitores hæreticæ pravitatis perpetuo facimus, conſtituimus & etiam deputamus: eis per Apoſtolica ſcripta mandantes, & in remiſſionem peccaminum ſuorum injungentes, quatenus hujuſmodi officium Inquiſitionis, per Nos ipſorum impoſitum humeris, omnibus odio, timore, favore pariter & amore poſtpoſitis, ſic fideliter & ſollicite eorum quiſque exequatur, ut per ipſorum ſollicitudinis operam, zizaniis perverſi germinis e medio tritici extirpatis, hæreticæ ſcilicet pravitatis venenoſis dogmatibus propulſatis, in regnis ſeu partibus prædictis fidei ſinceritas vigeat, divinus cultus augeatur, & populus Chriſtianus in Dei cognitione ac ſuæ ſalutis acquiſitione non decreſcat; ipſique Fabianus & Vicarii Domino virtutum placidi, nobiſque & dictæ Sedi, necnon ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus reddantur, gratioſe proceſſuri in hujuſmodi inquiſitionis negotio tam ſecundum Indulgentias & privilegia Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem a prædicta Sede deputatis, ſeu officiu Inquiſitionis hujuſmodi ab eadem Sede habentibus conceſſa, quam etiam ſecundum Canonicas ſanctiones. Verum ne ex Inquiſitionis officio hujuſmodi, pacis æmulo procurante, inter Diœceſanos Ordinarioſque locorum ex una, & Fabianum ac Vicarios prædictos ex altera partibus, diſſenſiones & ſcandala ſuſcitentur, volumus & motu, deliberatione, ſcientia ac auctoritate prædictis decernimus, quod in prædicto Inquiſitionis officio juris ordo, de hujuſmodi Inquiſitione conditi, per Fabianum & Vicarios prædictos perpetuo obſervetur. Ita tamen, quod ſi Diœceſani & Ordinarii, vel vacantibus ſedibus, Capitula ſeu Collegia aliqua ſe de ipſo officio intromittere nollent, vel negligenter quomodolibet ſe haberent, ſeu ubi Catholicorum Epiſcoporum copia pro tempore non erit aut haberi non poterit, ad hujuſmodi officium exequendum dicti Fabianus & Vicarii pro tempore officium prædictum per ſe ipſos libere valeant exercere. Et inſuper Fabiano & Vicariis pro tempore prædictis etiam contra notorios incantatores & notorias incantatrices, & in regno Moldaviæ, Epiſcopis aliiſque Ordinariis locorum irrequiſitis, auctoritate noſtra officium Inquiſitionis hujuſmodi exercendi, necnon in omnibus & ſingulis regnis ac partibus, ad quæ ſeu ad quas Vicaria hujuſmodi ſe extendet, antedictis, quotieſcumque ſibi opportunum videbitur, perpetuo eorum nomine, unum vel duos aut tres, ſeu tot quot pro hujuſmodi officii neceſſitate opportuni videbuntur, idoneos Fratres,

Facultas alios ſubſtituendi Inquiſitores.

de conſilio tamen aliquorum diſcretorum Fratrum ordinis & Vicariæ prædictarum, qui eiſdem & prorſus ſimilibus auctoritate & poteſtate fungantur, ſubſtituendi, ſicque ſubſtitutos ad ipſorum nutum revocandi, plenam & liberam, tenore præſentium licentiam concedimus pariter & facultatem. Ita tamen, quod tam Fabianus & Vicarii, quam ſubſtituti pro tempore prædicti, de iis, quæ in hujuſmodi Inquiſitionis officio ſæcularia concernunt judicia, ſe intromittere aut eis quoquomodo immiſcere nullatenus præſumant. Præterea univerſos & ſingulos cariſſimos in Chriſto filios noſtros Reges, ac venerabiles Fratres noſtros Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Principes, Duces, Comites Palatinos, Vayvodas, Barones, Milites, Nobiles, Communitates & ceteros quoſcumque Chriſtifideles, Eccleſiaſticos & ſeculares in prædictis regnis ſeu partibus & alibi ubilibet commorantes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, obſecramus in Domino & per aſperſionem Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti exhortamur, eiſque in remiſſionem peccatorum ſuorum injungimus, quatenus dum pro parte Fabia-

biani, Vicariorum & ſubſtitutorum prædictorum vel alicujus eorum parte fuerint requiſiti, ipſis in exercendo Inquiſitionis officio hujuſmodi aſſiſtentes, eis auxilium & favorem præſtent opportuna .... vel per ſe vel per alium ſeu alios, ſub excommunicationis pœna (quam ſecus facientes ipſo facto incurrere volumus, & a qua nonniſi in mortis articulo conſtituti, per alium quam per Romanum Pontificem, aut Fabianum vel Vicarios & ſubſtitutos prædictos, vel eorum aliquem abſolvi nequeant) dictos Fabianum, Vicarios & ſubſtitutos prædictos, vel eorum aliquem ſeu aliquos, quominus officium hujuſmodi libere exercere poſſint & exerceant, per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, moleſtare, perturbare aut quomodolibet impedire præſumant. Nos enim, qui dudum voluimus, quod litteræ non expedirentur ſuper indulgentiis ad inſtar, niſi ſpecificarentur, ut Reges, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Principes, Duces, Comites Palatini, Vayvodæ, Barones, Milites, Nobiles, Communitates ac ceteri Chriſtifideles, qui Fabiano, Vicariis & ſubſtituendis prædictis in exercendo Inquiſitionis officio hujuſmodi eo promptius auxilium, conſilium & favorem præſtent, quo ſe ex hoc dono cœleſtis gratiæ refectos fore conſpexerint, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui auxilium vel favorem ipſis Fabiano, Vicariis & ſubſtituendis pro tempore, in hujuſmodi exercendo officio præſtiterint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, quod illas & prorſus ſimiles peccatorum ſuorum remiſſionem & relaxationem & Indulgentias conſequantur, quæ alias in ſubſidium ſeu defenſionem Terræ ſanctæ, auxilium, conſilium & favorem præſtantibus, hactenus per Sedem Apoſtolicam conceſſæ fuerunt. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon voluntate prædicta, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento &c. Ceterum, quia difficile foret hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferre, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto manu publica &c. plena fides &c. adhibeatur &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. X. *Kal. Februarii, Pontificatus anno* XIV.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Vicariæ Boſnæ nuncupatis, Ordinis Minorum præſentibus & futuris, ſalutem.

XLIII. *Sacræ religionis, ſub qua mundanis abjectis illecebris &c. Attendentes igitur, quod vos, qui in partibus præſertim Septentrionalibus, honorem & propagationem Chriſtiani nominis diligenter ac fideliter proſecuti eſtis & in dies proſequimini, etiam in Scythiæ, in quibus Paganorum multitudo conſiſtit, ad quas partes ſuffulti auctoritate Apoſtolica, pro lucrifaciendo Chriſto animas, & innumerabiles populos ſanctæ Matris Eccleſiæ gremio uniendos, dum tempus extiterit opportunum, ſicut accepimus, omni poſtpoſito timore, libenter intenditis ſeu aliqui veſtrum intendunt proficiſci, & in Moldaviæ, in quibus tam a longis, peſtiferum virus ſchiſmatis, quod adhuc nonnullos illarum partium populos, qui ad Romanæ Eccleſiæ unitatem nuper redierunt, inficere non deſinit, quam a paucis temporibus citra, hæreticæ pravitatis, & potiſſime Huſſitarum lethifera peſtis, in maximum Chriſtianæ fidei detrimentum, quam plura germinarunt perverſa germina, quæ dietim, niſi deſuper opportune provideatur, abundantius ſuccreſcent, ac in ſeptem ſedilibus Siculorum partibus, in quibus, licet hæretica peſtis hujuſmodi notorie non appareat, propter tamen Eccleſiaſticarum perſonarum curæ animarum intendere debentium paucitatem, necnon Diœceſani ni-* Ibid. fol. 285.

nimiam diſtantiam ab eiſdem, populi quaſi doctrinæ Chriſtianæ fidei, cum ibidem admodum pauci vel quaſi nulli ſint, qui illis verbum dominicum annuncient, in dies magis redduntur ignari, pro fidei hujuſmodi, necnon divini cultus & religionis augmento, plurimos labores & ſtudia fructuoſa impendere poteritis, & libenti animo impendetis; ut eo ferventius ipſis laboribus & ſtudiis inſiſtere valeatis, quo vos Apoſtolicis favoribus & gratiis amplioribus per nos & Sedem prædictam, noveritis circumfultos, ac inhærentes nonnullis gratiis & indultis per nos quondam Dionyſio de Wilat, veſtri Ordinis profeſſori, in dictis Scytiæ, Moldaviæ & ſeptem ſedilibus Siculorum, inibi Commiſſario noſtro, & ab eo pro tempore ſubſtitutis dudum conceſſis: Motu proprio, non ad veſtram vel alicujus pro vobis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, omnia & ſingula in eiſdem Scythiæ, Moldaviæ & ſeptem ſedilibus Siculorum partibus exiſtentia & quæ in poſterum erunt, necnon Budæ & poſthac Zegedini, atque fori Siculorum, & ubilibet conſiſtentia, quæ venerabilis frater noſter Julianus Epiſcopus Tuſculanenſis in certis partibus dictæ Sedis Legatus, vobis jam aſſignavit, & in poſterum forſan aſſignabit alia, Conventus, domos & loca dicti Ordinis quæcumque, quotcumque & qualiacumque ſint, cum omnibus perſonis, privilegiis, gratiis, indultis, juribus & pertinentiis ſuis, prædictæ Vicariæ in perpetuum ſubjicimus, unimus & incorporamus; ita quod ſint ſubjecta, unita & incorporata, ac in eis pro tempore degentes Fratres omnibus & ſingulis exemptionibus, immunitatibus, privilegiis, indulgentiis, gratiis & indultis in ſpecie ſeu genere, per nos vel Sedem prædictam aliis domibus & locis dictæ Vicariæ, ipſorumque Fratribus hactenus quomodolibet conceſſis, ſeu in poſterum concedendis, utantur & gaudeant, ac uti & gaudere poſſint: Necnon dilectum filium Fabianum de Baebia, ac omnes alios & ſingulos Vicarios dictæ Vicariæ, qui pro tempore erunt, & ab eis pro tempore ſubſtitutos, tam in ſubjectis, unitis & incorporatis prædictis, quam aliis Conventibus, domibus & locis prædictæ Vicariæ, noſtros & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, qui pro tempore erunt, ac Sedis prædictæ Commiſſarios facimus, conſtituimus & etiam deputamus; ipſiſque Fabiano, Vicariis & ſubſtitutis, quod noſtro & ſucceſſorum noſtrorum ac Sedis prædictæ nominibus, in omnibus & ſingulis ſubjectis, unitis & incorporatis, ac aliis Conventibus, domibus & locis Vicariæ prædictis, eorumque perſonis illas prorſus & ſimiles ac eaſdem in omnibus, tam gratiam quam juſtitiam concernentibus, & aliis quibuſcumque, omnimodam juriſdictionem, poteſtatem & facultatem habeant & exercere poſſint, quas Generalis Miniſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens in illis habet, &, ſi in dictis partibus præſens foret, habere & exercere poſſet: Præterea quod Fabianus ſeu Vicarius pro tempore & ſubſtituti prædicti, ac omnes & ſinguli Fratres in ipſis Scythiæ, Moldaviæ & ſeptem ſedilibus Siculorum partibus pro tempore commorantes, omnium & ſingulorum fidelium, & ſi ad Chriſtianam fidem converti voluerint, ac converſi & baptizati fuerint, infidelium ad eos pro tempore undecumque confluentium, confeſſiones audire, & pro commiſſis ab eis, etiam quantumcumque gravibus & enormibus criminibus & delictis, etiam ſi Simoniæ, vel alias talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, debitam abſolutionem impendere & pœnitentiam injungere ſalutarem: Necnon illos a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, tam a Jure, quam ab homine latis, & promulgatis, etiam dictæ Sedi reſerva-

Dionyſ. de Wilat Commiſſarius Apoſtolicus.

Fabianus de Bachia & Vicarii futuri Boſnæ Vicariæ inſtituuntur Commiſſarii Apoſtolici.

*vatis caſibus, in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis ſibi &c. pœnitentia ſalutari & aliis quæ de Jure fuerint injungenda, abſolvere; & cum eis ſuper quibuſcumque irregularitatibus, homicidii voluntarii, bigamiæ & mutilationis membrorum caſibus dumtaxat exceptis, diſpenſare, omnemque ab ipſis inhabilitatis & infamiæ maculas &c. penitus abolere; ac illis Euchariſtiæ, Baptiſmatis, Chriſmatis ſeu Confirmationis, Extremæ-unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare; apoſtatas a fide, ſeu religione ad pœnitentiam ſalutarem, & habitum ſuæ Religionis, necnon omnia alia jura parochialia eis miniſtrare, regere & exercere; capellas quoque, altaria, necnon calices & paramenta Eccleſiaſtica, oleum ſanctum & chriſma conficere * & benedicere, ac reconciliandas Eccleſias & reconcilianda cœmeteria reconciliare; de matrimonialibus & aliis ſpiritualibus cauſis cognoſcere, illaſque decidere, & in eis illam prorſus juriſdictionem habere & exercere, quam Diœceſanus Epiſcopus, ſi ibidem eſſet, haberet & exercere poſſet; cum ſchiſmaticis quoque, hæreticis, excommunicatis, ſeu interdictis quibuſcumque, quantumcumque notoriis, niſi Fabianus & Vicarius pro tempore, aut ſubſtituti prædicti eos vitari mandaverint, in quibuſcumque eorum negotiis, etiam in divinis officiis & extra, dum tamen in crimine non participent, participare: Et inſuper, ut veſtrorum bonorum operum fructus valeant amplius propagari, quod Fabianus & Vicarius pro tempore, ac ſubſtituti prædicti non modo in dictis Scythiæ, Moldaviæ & ſeptem ſedilibus Siculorum partibus, quæ Vicariæ prædictæ ſubjecimus, annexuimus & incorporavimus, ut poſſint non modo jam conſtructa ad Obſervantiam prædictam reducere, ſed etiam alia, Conventus, domos & loca, unum, duo, tria & plura, & tot quot ipſi Vicario expediens videbitur, pro veſtris uſu & habitatione de novo acquirere, & in eis Eccleſias cum campanilibus, campanis, cœmeteriis, dormitoriis &c. & aliis neceſſariis officinis fundare & conſtruere: Præterea, quod quotieſcumque Confeſſor ſeu Confeſſores, quem vel quos vos & veſtrum quilibet præſentes & futuri pro tempore, de dicti Vicarii vel inferioris ſuperioris veſtri, ſi ejus copia commode haberi poterit, licentia, duxeritis ac duxerit eligendum ſeu eligendos, veſtros & veſtrum cujuslibet confeſſiones audire, ac pro commiſſis criminibus, exceſſibus & delictis, etiam in reſervatis prædictæ Sedi caſibus, vobis & cuilibet veſtrum debitam abſolutionem impendere, ac injungere pœnitentiam ſalutarem: Necnon vos & quemlibet veſtrum a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdictionis &c. a Jure ſive ab homine promulgatis, etiam in caſibus prædictæ Sedi reſervatis, quoties ſimiliter opportunum fuerit, abſolvere, & cum vobis & veſtrum quolibet ſuper irregularitatibus, ſi quas hujuſmodi ſententiis ligati, Miſſas & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium &c. voluntarii homicidii, mutilationis membrorum &c. dumtaxat exceptis, diſpenſare, omnemque a vobis & quolibet veſtrum inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, per vos & quemlibet veſtrum quomodolibet contractam abolere: Necnon vobis in ſinceritate fidei, unitate S. R. E. & devotione noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus plenariam remiſſionem, in mortis articulo, quam etiam quemlibet veſtrum, quem in hujuſmodi articulo Confeſſoris copiam non habere continget, dummodo in vera contritione decedat, conſequi volumus, concedere valeant: Et inſuper, quod Fratres Vicariæ prædictæ, qui ſunt & pro tempore erunt idonei ad annunciandum verbum Dei, cum licentia tamen Fabiani aut Vicarii pro tempore hujuſmodi, qui etiam abſque Capitulari congregatione, de conſilio aliquorum Fratrum Diſcretorum, quoties opus fuerit, eos inſtituere*

An ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentũ conferre poſſent, etiam ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, olim valde controverſum fuit. Vide de his Doctores in 4. d. 7. & ad 3. part. D Thom. q. 72. art. 2. ubi Suarez diſput. 36. ſect. 1. & 2. & alii. Vide infra ann. 1447.

** Major eſt hæc difficultas; poſſe tamen ita concedere Pontificem docent Suarez citatus diſp 33. ſect. 1. Cajet Soto, Vict. & alii.*

& deſtituere poſſit, verbum Dei publice, tam in veſtris quam aliis Eccleſiis, & locis publicis civitatum, terrarum & locorum prædictæ Vicariæ, Ordinariorum locorum, Prælatorum Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque licentia deſuper minime requiſita, publice proponere; ita tamen, quod ſi in Metropolitanis, aut aliis Cathedralibus, ſeu Collegiatis, vel aliquorum Ordinum Eccleſiis prædicare voluerint, Prælatorum eorumdem licentiam obtinere teneantur: quodque vos & quilibet veſtrum ex transgreſſione quarumcumque conſtitutionum prædicti Ordinis præſentium & futurarum, dummodo, inquantum fragilitas humana patitur, regulam dicti veſtri Ordinis ſtudeatis obſervare, peccatum aliquod minime incurratis: Præterea omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui de bonis ſibi a Deo collatis, unum pro centenario, ideſt centeſimam partem bonorum ſuorum, pro liberatione fidelium captivorum de manibus infidelium, ſeu pro erectione & manutentione domorum & locorum in Scythiæ, Moldaviæ, & ſeptem ſedilibus Siculorum partibus prædictis dumtaxat, pro tempore conſiſtentium, & ſuſtentatione vitæ Fratrum, qui ad infidelium & præſertim dictas Scythiæ partes pro tempore tranſire voluerint, pie erogaverint, quod Confeſſores ſeculares & Regulares, etiam ex vobis, quos duxerint eligendos, confeſſionibus eorum diligenter auditis, eis pro commiſſis &c. & prædictæ Sedi reſervatis caſibus, ſemel tantum debitam abſolutionem impendere &c. Necnon eis in ſinceritate fidei, unitate &c. perſiſtentibus plenariam remiſſionem, in mortis articulo concedere valeant; ita tamen, quod Confeſſores ipſi de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam dictis fidelibus &c. faciendam injungant, quam dicti fideles &c. facere teneantur; Quodque per unum annum, a tempore, quo ſibi conceſſio hujuſmodi conceſſa fuerit, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent &c. & ſi prædictis diebus ex præcepto &c. una alia die &c. Porro ſi forſan alias prælibatum jejunium in toto vel in parte &c. eo caſu Confeſſor idoneus jejunium ipſum in alia pietatis opera, quæ pari modo adimplere teneantur, alioquin hujuſmodi conceſſio &c. eadem auctoritate concedimus pariter & indulgemus. Volumus autem ne, quod abſit, vos & fideles erogantes prædicti, ex confidentia remiſſionis hujuſmodi &c. Quodque per quaſcumque litteras Apoſtolicas dicto Generali Miniſtro, ſeu aliis quomodocumque conceſſas vel in poſterum concedendas, gratiæ, indulta & alia ſupra dicta nullatenus intelligantur revocata. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii VIII. & Clementis V. Roman. Pontific. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: præſentibus quoad ſub Obſervantia hujuſmodi vixeritis, dumtaxat valituris. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, an. Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIV. IV. *Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno* XIV.

Multi Minoritæ mittuntur Nuncii ad diverſas Provincias & regna.

XLIV. Exhauſto pridem ærario Apoſtolico, immenſis collatis ſumptibus, ingenti collecto exercitu, inſtructaque nobiliſſima claſſe contra Turcas, univerſæ Europæ excidium minantes, cum quibus tamdem induciæ favorabiles pactæ ſunt; novas curas, novas expenſas oportuit ſubire Eugenium Pontificem contra Sultanum Cayri Dominum, infenſiſſimum fidei Chriſtianæ hoſtem, Rhodi inſulam, Joannitarum militum Sedem munitiſſimam, firmiſſimum Europæ & maris Mediterranei propugnaculum, tertio aggredi parantem. Miſſa numeroſa claſſe cogitavit Eugenius & Rhodianis auxiliari, & fugatis hoſtibus, Terræ ſanctæ recuperationem intentare. Ad fœdera vocandis Principibus & colligendis ſubſidiis Chriſtianorum, Nuncios

cios deſtinavit hoc anno & ſequenti pleroſque Minoritas Obſervantes ad varias Provincias: In Siciliam ultra Farum & Liparis ac Maltæ inſulas, Bartholomæum Fulginatem, Seraphinum Siculum, Laurentium Panormitanum: In Apuliam, Matthæum Rheginum: ad Terram laboris, Franciſcum de Agropolo: Ad provinciam ſancti Angeli in regno Neapolitano, Ceccum de ſancto Jonnne Rotundo & Robertum Mediolanenſem: In Calabriam, Paulum de Sinopolo: ad Exarchatum Ravennatenſem, Jacobum de Primaditiis, quem paulo ante Bononienſes volebant ſuæ urbis Epiſcopum, uti narrat Sigonius, Franciſcum de Platea, & Jacobum Piſanum: Ad Patriarchatum Gradenſem & totam provinciam Aquilegienſem, Silveſtrum Senenſem & Richardum de Reſtis: Ad regnum Caſtellæ, Petrum de Piſtoria, Virarium Vandaliæ, Alphonſum de Borox, Ferdinandum de ſancto Iſidoro, Petrum de la Penna, Franciſcum de Orgaz & Ferdinandum de Salamantica: Ad Caſtellam veterem, Ludovicum de Saya, de quo alias dictum eſt: Ad Legionis, Navarræ, Aragoniæ, Portugalliæ & Algarbii regna, Petrum Cordubenſem virum doctiſſimum: Ad regnum Hiberniæ, fratrem Cornelium Epiſcopum Imelacenſem. Do unum aut alterum hujus inſtitutionis inſtrumentum, quibus aliorum etiam litteræ per omnia aſſimilabantur. Datæ ſunt ſub principium annis ſequentis. *Sigon. de Epiſc. Bonon. ſub hunc annum.*

Univerſis & ſingulis cariſſimis in Chriſto filiis quorumcumque regnorum Regibus; venerabilibus quoque Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus &c. Necnon Marchionibus, Comitibus &c. ac univerſis & ſingulis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XLV. *Poſt graves expenſas diutinoſque labores a nobis perpeſſos in Græcorum unione primum, & poſtea in Armenorum, Jacobitarum, Maronitarum, Æthiopum, Boſnenſiumque, & aliarum diverſæ nationis populorum reductione ad ſincerum fidei Catholicæ cultum, non parvo nobis impenſa opus fuit, ut Legatum Apoſtolicæ Sedis anno nunc tertio mitteremus ad inducias in regno Hungariæ conſtituendas, quarum occaſione factum eſt, ut cariſſimus in Chriſto filius noſter, Hungariæ & Poloniæ Rex, poſt multas victorias de Turcis, Chriſti hoſtibus habitas, illos jam, ut ſperamus, ab Europæ partibus expulerit. Quod quidem nulla ratione idem Rex potuiſſet efficere, niſi claſſis noſtra, quam magna cum impenſa noſtra duxit ad ſtrictum Gallipolis dilectus filius Cardinalis Venetiarum, nepos noſter, probibuiſſet alios Turcas, opem illis ex Aſia allaturos. Nunc vero alia premimur expenſa, noſtros humeros ſuperante, mittendi aliam claſſem ad defenſionem Rhodi, aliorumque locorum a Chriſtianis poſſeſſorum in Mediterraneo mari, a perfidis Sarracenis, qui poſt trinum inſultum in Rhodienſes factum, novam parant claſſem, cum qua minantur non ſolum Rhodi loca, ſed omnes alios Chriſtianos uſque in Italiam invaſuros: quamquam noſtra claſſis, quam prædicta ratione paramus, non ſolum Sarracenos a Rhodo & aliis Chriſtianorum locis repellere, ſed uno eodemque in negotio, poſſet Terræ ſanctæ ab illorum perfidia liberandæ principium modumque exhibere: Cujus liberationis, dante Domino, obtinendæ talem tantamque ſpem habemus, quæ vos omnes, honoris Dei noſtri & propagationis fidei Chriſtianæ avidos, debeat merito lætos facere. Cupientes itaque, quod veſtra omnium devotio tanti meriti particeps efficiatur, commiſimus aliqua dilectis filiis Fratribus Bartholomæo de Fulgineo Commiſſario dilecti filii fratris Joannis de Capiſtrano, Seraphino de Sicilia & Laurentio de* *Ex arch. ſuperior. lib. 21. Bullar. fol. 272.*

de Palermo Ordinis Minorum, qui dicuntur pauperes, ſive de Obſervantia regulari, per ſeipſos aut alios vobis referenda, quibus velit unuſquiſque veſtrum fidem in dicendis per ſe aut nuncios, plenam fidem præſtare, & favores pro facultatum omnmque & potentiæ qualitate liberaliter exhibere. Inhibentes expreſſe ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omnibus & ſingulis Prælatis, ad quorum diœceſim ſive præſentiam, prædictos fratres Bartholomæum, Seraphinum & Laurentium, ac ab eis ſubſtituendos, contigerit declinore, ne ipſis aliqualiter contradicant, aut aliter ſint moleſti. Datum Romæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIV. VIII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno XIV.

Dilecto filio Petro de Corduba, Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, in Legionis, Valentiæ, Aragoniæ, Navarræ, Portugalliæ & Algarbii regnis & Comitatibus, ac omnibus aliis Hiſpaniarum partibus Nuncio & Oratori noſtro &c.

Ibid. fol. 177. XLVI. Dudum innumerabiles fidelium ſtrages & Chriſtianorum lacrymas, ac varia & inaudita calamitatum genera, quæ a Turcis & aliis Chriſtiani nominis inimicis patiebantur, ex ſpecula ſummi Apoſtolatus, non ſine acerbiſſimo mentis dolore, perſpicientes, ac cogitantes his imminentibus fidei periculis, pro viribus deſuper nobis conceſſis obviare, & quod hæc Dei & fidei cauſa minime negligenda eſſet, ſed ceteris rebus anteponenda; de venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, miſimus venerabilem fratrem noſtrum Julianum Epiſcopum Tuſculanenſem Cardinalem ſancti Angeli nuncupatum, ad regnum Hungariæ & partes regni finitimas Apoſtolicæ Sedis Legatum: qui inter Principes illarum partium, diſcordiis & gravibus inimicitiis diſſidentes, facta prius & ſtabilita concordia, maximum Catholicorum Principum & aliorum Chriſtifidelium exercitum adverſus Turcas & alios infideles, plurimis iteratiſque vicibus, auctoritate noſtra parari fecit: cui exercitui, noſtro & Sedis Apoſtolicæ nomine præſidens, plurimas victorias cum ingenti infidelium ſtrage, divina ſuffragante clementia, ſæpius reportavit; proſecutuſque victorias hujuſmodi, univerſam pene Græciam, ab immani Turcarum tyrannide diutius oppreſſam, liberavit; quod Deum Omnipotentem ſua miſericordia effeciſſe credendum eſt, ut Græci tot ſeculis a ritu & doctrina Romanæ Eccleſiæ diſſidentes, unionem inter Occidentalem & Orientalem Eccleſias in Florentino Concilio, nobis præſidentibus, editam, ſalutaria ipſius Romanæ Eccleſiæ dogmata & Evangelicam veritatem, ac ſanctorum Patrum doctrinam debita reverentia recognoſcentes, eaque dogmata devote complexi, fructum unionis prædictæ, & cognitionis divinæ veritatis, pro eorum meritis aſſequerentur. Hæc dum agerentur, ut ipſi Turcæ & infideles, animis & viribus fracti, ab Europæ partibus penitus extirparentur, parari fecimus magnam claſſem & multitudinem galearum & navium, cui dilectum filium noſtrum Franciſcum tituli ſancti Clementis Presbyterum Cardinalem S. R. E. Vicecancellarium, nepotem noſtrum, de eorumdem Fratrum conſilio præfecimus, eumque illarum partium Apoſtolicæ Sedis Legatum etiam deputavimus: qui maria illa latrociniis infidelium & piratarum diſcurſionibus infeſta liberavit, plurimaque operatus eſt & continuo operatur ad laudem divini nominis & fidei incrementum. Cum autem Soldanus, Crucis Chriſti inimiciſſimus, hujuſmodi calamitatem cervicibus infidelium imminentem, ab ipſis deducere & amovere conatus, magna claſſe & plurimis navibus ac galeis inſulam Rhodi, ac religionem ſancti Joannis Hieroſolymitani, ad tutelam

lem ipſius inſulæ & fidei ab Eccleſia deputatam, iis duobus proximis annis aggredi, eamque diutius obſideri fecit, quibus dilecti filii Magiſter & Conventus Rhodi, ac ceteræ religioſæ perſonæ hujuſmodi Religionis & Ordinis, vix reſiſtere potuerunt. Cumque (ut vera relatione percepimus) infideles ipſi hoc futuro anno dictam inſulam majori potentia, majoribuſque viribus & odiis aggreſſuri ſint; Nos, qui ex debito paſtoralis officii nobis injuncti, Chriſtifidelium periculis obviare & providere conamur, ne dicta inſula & religio prædicta, quæ in partibus illis ab Eccleſia tamquam fidelium propugnaculum & obex adverſus infideles conſtituta & collocata eſt, in poteſtatem infidelium perveniat, quod ſine maximo fidelium dedecore & graviſſimo detrimento evenire non poſſet; provocati inſuper piis nonnullorum Catholicorum Regum & Principum ſupplicationibus, hunc terribilem caſum reformidantium, inſtituimus hoc futuro anno longe majorem claſſem, ac plures galeas ac naves parare facere, ut non modo infidelium claſſi reſiſtat, ſed Deo propitio, cujus cauſa agitur, vires infidelium exterminet & diſſipet, & exoptatam victoriam de ipſis reportet. Inſtituimus inſuper ſepulcrum Dominicum & alia loca Terræ ſanctæ, quantum nobis auxilii deſuper conceſſum erit, cum Catholicorum Regum & Principum & aliorum fidelium ſuffragio, ab immani Soldani & aliorum infidelium tyrannide liberare, ne diutius tantum fidelibus periculum immineat, cum graviſſima fidei Chriſtianæ ignominia atque jactura: cui futuræ claſſi præfecimus venerabilem fratrem noſtrum Marchum Patriarcham Alexandrinum, ex ſanguine & proſapia noſtra exortum, eumque ad partes illas, de eorumdem Fratrum conſilio, Apoſtolicæ Sedis Legatum, cum omnimoda Legati de latere poteſtate conſtituimus atque deputavimus: virum ſiquidem, ob rerum experientiam & præcipuam prudentiam & animi magnitudinem, & devotionem & ardens deſiderium erga ampliandam Catholicam fidem, ad id idoneum. Verum quamvis deſideremus ut hæc ſancta Dei opera ſine aliquo fidelium onere ac ſuffragio per nos ipſos proſequi poſſemus, tamen, quia pro reductione Græcorum, Armenorum, Jacobitarum & plurimarum aliarum nationum ad doctrinam Romanæ Eccleſiæ, ac exercitibus pluries in dictis partibus paratis, ac maritima claſſe, & aliis neceſſariis quam plurimis expenſis, innumerabiles pene pecunias expoſuimus, ac propterea iis exhauſtis, ſine fidelium ſuffragiis hoc ſanctum negotium pro communi omnium fidelium utilitate & neceſſaria fidei Catholicæ cauſa perficere non valemus. Cupientes igitur ut hoc ſalutare opus fructus in fide Catholica & Eccleſia pariat exoptatos, te, de cujus integritate ac vitæ honeſtate, fide ac prudentia, & ſacrarum litterarum peritia ac ſcientia & augendæ Chriſtianæ religionis ardore plurimum in Domino confidimus, in Legionis, Valentiæ, Aragoniæ, Navarræ, Portugalliæ & Algarbii regnis, Comitatibus & omnibus Hiſpaniarum partibus Nuncium & Oratorem noſtrum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium conſtituimus atque deputamus, teque ad regna & partes prædictas pro hac ſancta fidei Catholicæ cauſa deſtinamus; omnes alios & ſingulos executores & Nuncios Apoſtolicos, quoad facultates inferius denotatas, per nos & Sedem Apoſtolicam in dictis regnis & partibus, ex quavis cauſa eis conceſſas, durante tempore infra ſcripto, tenore præſentium ſuſpendentes &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIV. XIV. *Kal. Februarii, anno Pontificatus noſtri* XIV.

XLVII. In partibus Orientis multos inſtituit Sedis Apoſtolicæ Miniſtros, ampliſſimis conceſſis facultatibus, ut Chriſtianis animos adderent, qua- *Varii Minoritæ per Orientem Sedis Apoſtolicæ Miniſtri.*

quatenus exercitibus mittendis aſſiſterent, opem ferrent, & de recuperanda Terra ſancta diligenter cogitarent: In provincia Syriæ apud nationes Maronitarum, Druſilitarum & Surianorum, Commiſſarium deputavit Petrum Ferrarium, in Conventu ſancti Salvatoris de Baruto, provinciæ Damaſcenæ, commorantem: In partibus Orientalibus Indiæ, Æthiopiæ, Ægypti & Hieruſalem, Commiſſarium voluit Gandulphum de regno Siciliæ, qui tunc præerat Conventui Montis Sion & aliis Terræ ſanctæ locis: Vicarios inſtituit Miniſtri Generalis cum plenaria poteſtate in provincia Orientali, Ludovicum Senenſem, & Bartholomæum de Yano: Ad regnum Daciæ, Provincia Saxoniæ aliaſque partes Germaniæ, Nuncium deſtinavit fratrem Antonium Trojanum. Dabo exemplar aliquorum diplomatum, reliquis ſuperſedeo, quia ſunt ſimilia.

Venerabilibus univerſis & ſingulis Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipresbyteris, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, Vicariis & aliis Eccleſiarum Prælatis & Rectoribus, ac Capitulis & Conventibus, ceteriſque perſonis Eccleſiaſticis, Ciſtercien. Cluniacen. Præmonſtraten. SS. Benedicti & Auguſtini, & aliorum quorumcumque Ordinum; necnon Magiſtris & Præceptoribus ſancti Joannis Hieroſolymitani, & beatæ Mariæ Theutonicorum: Dilectis quoque filiis nobilibus & potentibus viris Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus & Baronibus: Inſuper Capitaneis, Gubernatoribus, Conſulibus, Antianis, Populis, Communitatibus & Univerſitatibus Civitatum, Caſtrorum & aliorum quorumcumque locorum, atque omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, ad quos præſentes advenerint, ſalutem &c.

Ibid. fol. 253.

Teſtatur Pontifex Antonium Trojanum multa peregiſſe in S.R.E. obſequium.

XLVIII. *Cum dilectum filium fratrem Antonium Trojanum, Ordinis Minorum, quem virtute & fidelitate ſuis, ad ea ſimilia aptum & inſignem plurimum cognovimus, diverſarum jam rerum experientia dudum patefacta, ad varias mundi partes & nationes ſæpenumero deſtinare contingat, & nonnumquam ad ſacroſanctam Hieruſalem civitatem & ad alia ſacra loca ibidem circumſtantia & Orientalia transferre, ob nonnulla noſtra & S. R. E. negotia, ardua quidem, & totius Chriſtianitatis ſalutem maxime attingentia, fideique Chriſtianæ augmento ſumme neceſſaria & opportuna. Nos affectantes eumdem fratrem Antonium ea tam opportuna, noſtri parte peracturum, in eundo, ſtando, practicando, pernoctando, diſcedendo & redeundo, plena & ampla ubique ſecuritate, immunitate & favorabili tractatione gaudere, Univerſitatem veſtram & ſingulos veſtrum in Domino requirimus, monemus & hortamur, ſubditis vero & officialibus noſtris ac prædictæ Romanæ Eccleſiæ ubilibet conſtitutis, necnon Capitaneis armigerarum gentium ad noſtra & dictæ Eccleſiæ ſtipendia militantibus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſum fratrem Antonium una cum aliquibus Fratribus ejuſdem Ordinis, ſociis ſuis & duobus ſecularibus ultra, tam equeſtribus quam pedeſtribus, cumque ſuis libris, pannis, arnetis, peris, rebus & bonis quibuſcumque neceſſariis ſibi & opportunis, per omnes civitates, terras, oppida, caſtra, villas, territoria, paſſus, pontes, portus, flumina & loca qualibet, tam per mare quam per terram, abſque ſolutione alicujus angarii, perangarii, telonii, fundi, navis, pedagii, datii, gabellæ, paſſagii, vel tranſitus aut alterius cujuſcumque oneris indicti vel indicendi exa-*

exactione, perſtare, redire, practicare, tranſire & pernoctare, pro noſtra & Sedis Apoſtolicæ contemplatione & reverentia, libere & expedite permittatis; nec eidem ejuſque comitivæ, nec in rebus & bonis ſuis, moleſtiam, injuriam & offenſam, aut aliam noxam novitatem inferatis, nec ab aliis, quoad poteritis, ſinatis inferri. Quinimo potius eumdem fratrem Antonium, & quos ſupra, cum omni benevolentia, caritate & humanitate benigne ac favorabiliter recolligatis recipiatiſque; de paſſagio quoque maritimo tuto aut navigio, cum guidis, ſcortis & ſalvis conductibus; denique de ſocio aut ſociis prædicti Ordinis, ſi eguerit aut duxerit requirendum, liberaliter providere curetis; & taliter in præmiſſis vos geratis, quod præter æternæ beatitudinis præmia, quæ hujuſmodi bonorum operum factores conſequuntur, noſtram etiam benedictionem & Sedis Apoſtolicæ gratiam mereamini, & exinde veſtra devotio apud nos & ipſam Sedem merito veniat commendanda pariter & extollenda: durantibus præſentibus ad noſtrum beneplacitum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIV. *Idibus Januarii, Pontificatus noſtri anno* XIV.

Dilecto filio Antonio de Troja Ordinis Minorum Profeſſori, Nuncio noſtro &c.

XLIX. *Pia mater Eccleſia de fidelium ſalute ſollicita, ſicut in palmitibus fidei Catholicæ dilatandis accenſa caritatis ardoribus ſolerter invigilat, & fructuoſi operis proſecutione laborat, ſic vias & modos diligenter exquirit, quibus & hoſtium ipſius fidei conatibus obviet, & vias eorum concordet, ut Chriſtifideles a noxiis impugnantium incurſibus, juvante Domino, tuti in devotionis fervore & pacis plenitudine conſerventur. Cum itaque Nos, pro evidenti Chriſtianæ religionis utilitate & fidei Catholicæ exaltatione, necnon pro civitate Conſtantinopolitana, ac Hungariæ & Cypri regnorum, necnon Inſulæ Rhodi, quam Soldanus Cayri Dominus, efferata rabie expugnare conatur, aliarumque provinciarum Chriſtianarum tutela & conſervatione, quam plures ac maximos ſumptus ſubire oporteat, quos ſine Chriſtifidelium ſuffragio tolerare non poſſumus; propterea ad partes regni Daciæ ac provinciæ Saxoniæ, & alias Germaniæ partes, Provincias, Civitates, Diœceſes, terras & loca Nuncium noſtrum & Apoſtolicæ Sedis te perſonaliter pro hujuſmodi cauſa deſtinemus, omnes alios & ſingulos executores & Nuncios Apoſtolicos, quoad facultates inferius annotatas, per nos & Sedem Apoſtolicam in eiſdem partibus, ex quavis cauſa eis conceſſas, durante tempore infra ſcripto, tenore præſentium ſuſpendentes &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLIV. *pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* XIV. *Ibid. fol.* 255.

Dilecto filio fratri Gandulpho de regno Siciliæ Italiæ, Ordinis Minorum, in Conventu Montis Sion & aliis locis Terræ ſanctæ Guardiano, in partibus Orientalibus, Indiæ, Æthiopiæ, Ægypti & Hieruſalem, Commiſſario noſtro, ſalutem &c.

L. *Dum onus univerſalis gregis Dominici, ſuperna nobis diſpoſitione injunctum, diligenter attendimus, & noſtrum proſpicimus imperfectum, videntes quod nequimus circa ſingula per noſmetipſos exolvere debitum Apoſtolicæ ſervitutis, nonnumquam viros ſanctimonia & ſcientiæ fulgore præclaros, in quibus fervor orthodoxæ fidei, ac timor Domini ſanctus per-* *Ibid. fol.* 256. Fr. Gandulphus Siculus inſtituitur in partibus Oriental Commiſſarius Apoſtolicus.

permanet, in partem laboris noſtri vocamus, ut, ipſorum ſalubri cooperatione,
miniſterium nobis injunctum, favente divina gratia, facilius & efficacius
exequi valeamus. Sane licet cunctorum Chriſtifidelium ſalutem, intentæ men-
tis acie proſequi & curare, ex Apoſtolicæ ſervitutis officio tenemur, divinis
tamen edocti ſermonibus, ex centum ovibus unam amiſſam, ceteris fere negle-
Matth. 10. *ctis, reducendam præcipue curare debemus, cum &* ad oves eas, quæ perie-
rant, *miſſam ſe Sapientia ipſa declaret. Attendentes itaque quod ex omni*
genere humano, multi ſub Dominici *gregis titulo & nomine non requieſcunt,*
ſed per devia quæque longe a lucis veritate aberrantes, per tenebras evagen-
tur, & ſic in magna meſſe pauciſſimos operarios eſſe videamus; ad perſonam
tuam, quæ quidem potens opere & ſermone, in magnis & arduis, nobis fa-
miliari experientia comprobata eſt, dirigentes aciem mentis noſtræ; & ſpe-
rantes quod ea, quæ tibi committenda duxerimus pro honore Dei *& propa-*
gatione Chriſtiani *nominis, diligenter & fideliter exequeris, te in partibus*
Orientalibus*,* Indiæ*,* Æthiopiæ*,* Ægypti *&* Hieruſalem *Commiſſarium*
noſtrum facimus, conſtituimus & etiam deputamus: tibi nihilominus, noſtro
& Romanæ Eccleſiæ *nominibus, omnia & ſingula, quæ dilectus filius Ge-*
neralis Ordinis *tui facere poſſet, ſi perſonaliter in partibus prædictis intereſ-*
ſet, faciendi & agendi tenore præſentium .... ſtatuentes, quod tu & qui
pro tempore fuerit in dictis partibus a te ſubſtitutus, ſuper Conventus *& per-*
ſonas Conventuum*, illam poteſtatem, facultatem & arbitrium habeatis,*
quæ Generalis *ipſe, ſi adeſſet, habere dignoſcitur: ſic tamen quod tu & ſub-*
ſtituti prædicti & vobis ſubjecti Fratres *per omnia* Generali *obedire & ſu-*
beſſe teneamini, præterquam in his, quæ huic mandato & commiſſioni noſtræ
derogare & obviare cenſeantur. Societates inſuper ſeu fraternitates, ſi quas
pietati idoneas eſſe perſpexeritis, cum opportunis conſtitutionibus ordinare,
& ad Tertium Ordinem *beati* Franciſci*, ad habitum & profeſſionem recipere,*
& in eodem Ordine *Viſitatores & alios officiales inſtituere valeatis, quorum*
unus tam dicti Tertii Ordinis *quam congregationum, ſingulis perſonis in*
dictis congregationibus perſeverantibus, omnium peccatorum remiſſionem in
mortis articulo, ac vere pœnitentibus & confeſſis, auctoritate Apoſtolica im-
pendere valeas & valeant: necnon Fratribus*, de quibus tibi aut eis videbi-*
tur ut ad partes prædictas vadant, qui etiam tibi & illis obedire teneantur,
præcipiendi & mandandi, ipſoſque ad alias quaſcumque mundi partes, cum
facultatibus & auctoritatibus ſupradictis dirigendi, ac notarios ad actus
publicos in favorem fidei conſcribendos creandi & inſtituendi; quodque tu &
qui pro tempore fuerit ſubſtitutus, ſeu per aliquem veſtrum deputatus, ſuper
omnia Monaſteria*, curæ* Fratrum Minorum *in dictis partibus hactenus com-*
miſſa vel committenda, eamdem poteſtatem habeatis, quam Generalis *ipſius*
Ordinis Miniſter *habere dignoſcitur, tenore ſimili concedentes. Volumus*
autem, quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas Generali Miniſtro *dicti*
Ordinis*, ſeu aliis quoquomodo conceſſas ſeu concedendas in poſterum, gratiæ,*
indulta & alia ſupradicta, nullatenus intelligantur revocata. Non obſtan-
tibus Apoſtolicis ac in generalibus vel ſpecialibus Conciliis editis conſtitutio-
nibus & ordinationibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus Ordinis *prædicti,*
ceteriſque contrariis quibuſcumque, etiam ſi de ipſis in præſentibus deberet
fieri mentio; quibus, quantum præſentibus adverſantur, prorſus volumus hac
vice dumtaxat derogari, ipſis alias in ſuo robore permanſaris. Nulli er-
go &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ
MCCCCXLIV. *Kal. Novembris Pontificatus noſtri anno* XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ LI. P*Aſtor bonus, qui propter nimiam caritatem ſuam ad ima terra-*
„ *rum a cœlorum ſummitate deſcendit, factus pro nobis obediens*
„ *uſque ad mortem & mortem crucis, ad oves, quæ perierant domus Iſrael,*
„ *perſonaliter ipſe perveniens, cum alias haberet oves, quæ de illo ovili non*
„ *erant, illaſque adducere oporteret, ut fieret unum Ovile & unus Paſtor,*
„ *Apoſtolos ſuos direxit per univerſum mundum, ut omni prædicarent Evan-*
„ *gelium creaturæ, quatenus qui crediderint & baptizati fuerint, ſalutis*
„ *gloriam reportarent: Nunc autem hora inſtante noviſſima, ſacrum Mino-*
„ *rum Ordinem perduxit in lucem, ut imbre divini Verbi micantiumque*
„ *exemplo virtutum, cæleſtis agricolæ plantulas irrigaret, perfectoque opere*
„ *evellat & deſtruat & diſſipet plantas atque zizaniam, quæ Pater ſuus*
„ *minime complantavit. Cum igitur, caritate frigeſcente, iniquitas abun-*
„ *det, dormientibuſque hominibus, malus homo divino bonoque ſemini erro-*
„ *ris Zizaniam ſuperſeminare non deſinat, adeout in pleriſque mundi parti-*
„ *bus, creſcentibus loliis, pene ſint ſemina ſuffocata: Nos ad noſtri Redem-*
„ *ptoris pium affectum amoremque mentis noſtræ aciem erigentes, cujus*
„ *vices licet immeriti in terris gerimus, ea potiſſimum agere cupimus toto*
„ *corde, non modo, ut fidelium pietas augeatur, verum etiam velata*
„ *gentium corda ignorantiæ cæcitate, veritatis lumen agnoſcant: quamo-*
„ *brem cum Ordo Minorum, potiſſime vero qui in eo ſunt ſacræ obſervantiæ*
„ *zelatores, & exemplo vitæ ac ſcientiæ lumine perficere illa deſiderent,*
„ *quæ noſtra cupit intentio & eorum profeſſio perſuadet, eoque ferventius*
„ *perfectiuſque ea ipſos adimplere poſſe credamus, quo magis Apoſtolicis pri-*
„ *vilegiis reddiderimus præmunitos. Hinc eſt, quod Nos, qui per alias no-*
„ *ſtras certi tenoris litteras, dilectum filium Bartholomæum de Tano presby-*
„ *terum, in provincia Orientali Generalis Miniſtri dicti Ordinis Generalem*
„ *Vicarium ſuper omnes Fratres, in omnibus partibus tam fidelium quam in-*
„ *fidelium conſtituimus .... in provincia Orientali, poſſit & poſſint ſingulorum*
„ *Chriſtifidelium civitatum quarumcumque, diœceſum & locorum, ad ipſos pro*
„ *tempore confluentium, confeſſiones audire, & pro commiſſis, etiamſi talia*
„ *fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, pœnitentiam*
„ *ſalutarem injungere, ac beneficium abſolutionis a quibuſcumque cenſuris,*
„ *ſententiis excommunicationis tam a jure quam ab homine latis, ac aliis cen-*
„ *ſuris ac pœnis Eccleſiaſticis, quomodocumque illas incurrerint, abſolvere; nec*
„ *non a quibuſcumque irregularitatibus, exceptis caſibus voluntarii homi-*
„ *cidii, bigamiæ ac mutilationis membrorum, diſpenſare; necnon Eucbari-*
„ *ſtiæ, Baptiſmatis ac extremæ Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica ſacramenta*
„ *miniſtrare; Inſuper quod ſinguli Confeſſores præſentes & futuri, quos*
„ *Vicarius & Fratres partium prædictarum dicti Ordinis pro tempore exi-*
„ *ſtentes duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde*
„ *contriti & ore confeſſi fuerint, plenariam remiſſionem in mortis articulo*
„ *invicem, necnon aliis Fratribus dicti Ordinis impendere valeant: Aut ſi*
„ *Vicarius & Fratres ipſi Confeſſoris copiam habere nequiverint, dummodo*
„ *contriti exiſtant, eamdem indulgentiam conſequantur; quodque Confeſſo-*
„ *res ipſi ſingulorum Fratrum confeſſiones audire, & pro commiſſis, quoties*
„ *ipſis videbitur, etiamſi talia ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica foret conſu-*
„ *lenda, debitam abſolutionem impendere ac pœnitentiam injungere ſaluta-*
„ *rem; necnon ipſorum Fratrum ſingulos a quibuſcumque ſententiis, cenſu-*

,, ris & pœnis, in ipſos, quavis auctoritute, a jure vel a judice promulgatis,
,, abſolvere, ac prædictis tribus caſibus exceptis, ſuper irregularitate, per
,, ipſos quomodolibet contracta, diſpenſare poſſint & valeant: Quodque
,, Fratres ipſi ſchiſmaticos, excommunicatos ſeu interdictos quoſcumque,
,, quantumcumque notorios, niſi quos Vicarius ſeu per eum deputati evi-
,, tari mandaverint, evitare in quibuſcumque eorum negotiis minime te-
,, neantur: Inſuper ut ipſorum Fratrum bonorum operum fructus valeant
,, amplius propagari, ut Vicarius cum diſcretorum Fratrum conſilio, vel
,, quibus ipſe commiſerit, nova loca in partibus illis acquirere pro habita-
,, tione & uſu Fratrum dicti Ordinis, & in illis domos, Eccleſias, Campu-
,, nilia cum Campanis, Dormitoriis, Choro & aliis neceſſariis officinis
,, erigere, necnon loca & Conventus alios dicti Ordinis recipere. Volumus
,, etiam ut in Europæ partibus, quas Græci incolunt, Græcia, Macedonia,
,, Illyrico, Epiro, loca capere & conſtruere, prout dictum eſt, poſſit & poſ-
,, ſint, eaque loca intelligantur Provinciæ Orientali applicata; volumus
,, ſimiliter, ut capere poſſit & poſſint, quibus commiſerit, loca ſimiliter
,, conſtruere in Aſiæ partibus & ædificare, quæ loca ſic conſtructa & ædifi-
,, cata, intelligantur Provinciæ Orientali applicata: Quæ omnia nova &
,, antiqua ac Fratres in eis pro tempore exiſtentes omnibus & ſingulis pri-
,, vilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus & libertatibus per
,, omnia gaudeant, quibus utuntur & gaudent religioſi Conventus & Fra-
,, tres Ordinis prædicti; nec ſolum illis, ſed quibuſcumque gratiis, quibus
,, gaudent Vicarius & Fratres dicti Ordinis Boſnæ & Terræ ſanctæ &
,, Conventus eorum, & ipſi ſimiliter poſſint per omnia frui & gaudere:
,, Quodque Vicarius præfatus præſens & qui pro tempore erit, vota emiſſa
,, viſitandi ſepulcrum Dominicum, limina Apoſtolorum, ſanctorum Jacobi
,, & Antonii, necnon & alia vota, exceptis votis caſtitatis & religionis,
,, in alia pietatis opera commutare, eamdemque poteſtatem & permutandi
,, licentiam Fratribus eorum, prout ipſorum Vicariorum diſcretioni videbi-
,, tur; necnon omnibus & ſingulis tam ſecularibus quam religioſis, præfa-
,, tum Dominicum ſepulcrum viſitandi concedere poſſint; ac in partibus illis,
,, in quibus dicti Fratres ſunt ſoliti habere inquiſitores & loca, aut ubi alii
,, religioſi habent Inquiſitorem & non loca, ſeu haberent loca & non Inqui-
,, ſitores vel Vicarios, valeant Vicarii hujuſmodi Inquiſitionis officium exer-
,, cere ſeu alios deputare Inquiſitores, & inſuper inſtituere ac deſtituere
,, alios quoſcumque officiales dicti Ordinis: Similiter illos, qui forte mitte-
,, rentur per Generalem Miniſtrum, quos idem Vicarius judicaret non eſſe
,, idoneos & utiles reformationi factæ vel faciendæ in illis partibus; qui
,, etiam licentiam concedere Fratribus canendi in Eccleſia tantummodo in di-
,, vinis officiis cantum figuratum poſſint & valeant Vicarii ſupradicti: Si vero
,, neceſſe foret, ut Miniſter in præfata Orientali Provincia crearetur, poſ-
,, ſint iidem Vicarii, cum conſilio diſcretorum Fratrum de Obſervantia, illum
,, eligere, & mittere debeant generali ad confirmandum; quem præfatus
,, Generalis infra octo dies a die præſentationis ſibi fiendæ, confirmare tenea-
,, tur: Quod ſi forte confirmationem hujuſmodi infra dictum terminum fa-
,, cere diſtulerit, ut præfertur, ipſo jure talis Miniſter intelligatur eſſe, &
,, ſit auctoritate Apoſtolica confirmatus. Eximentes etiam quæcumque loca
,, & Conventus in dictis partibus provinciæ Orientalis, conſtituta ſub gu-
,, bernatione præfati Vicarii, ab omnibus & ſingulis dicti Ordinis gravami-
,, nibus & oneribus quibuſcumque, necnon ſubjacentes Vicariis hujuſmodi
,, omnes & ſingulos Fratres Ordinis præfati ſtantes extra ipſum Ordinem,
li-

„ *licentia aut prætextu litterarum Apoſtolicarum, venerabilium Fratrum*
„ *noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium aut Generalis Miniſtri,*
„ *quos omnes Fratres compellere valeant prædicti Vicarii ad redeundum ad*
„ *Ordinem, nec dictæ litteræ, quo ad præmiſſa, eis ullatenus ſuffragentur,*
„ *ſed potius ſint nullius roboris vel momenti: Inſuper omnibus & ſingulis*
„ *Chriſtifidelibus, qui de bonis ſuis a Deo collatis unum pro centenario, vel*
„ *centeſimam partem bonorum ſuorum pro liberatione fidelium captivorum*
„ *de manibus infidelium, ſeu pro erectione & manutentione domorum, vel*
„ *ſuſtentatione vitæ ipſorum Fratrum, vel altera quavis ſpeciali ſubventio-*
„ *ne erogaverint, poſſint ſibi eligere Confeſſores idoneos, qui, confeſſionibus*
„ *eorum diligenter auditis, eos poſſint ab omnibus eorum peccatis, etiam*
„ *Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſemel tantum & deinde quoties fuerit opportu-*
„ *num, dummodo talia non ſint, propter quæ foret dicta Sedes merito conſu-*
„ *lenda, abſolvere & pœnitentiam injungere ſalutarem: necnon plenariam*
„ *omnium in mortis articulo remiſſionem peccatorum impendere valeant, au-*
„ *ctoritate Apoſtolica ſingulis prædictis, prout eis indigere contigerit, tenore*
„ *præſentium indulgemus. Volentes nihilominus quod Fratres, qui moran-*
„ *tur & pro tempore morabuntur in hoſpitali Caphæ, dedicato nomini*
„ *omnium Sanctorum, vel quovis alio nomini, juxta Monaſterium ſan-*
„ *ctæ Mariæ de Bazario, ſubjiciantur prædicto Vicario Ordinis Minorum de*
„ *Obſervantia, in omnibus & per omnia, ſicut prædicti Fratres provinciæ*
„ *Orientalis. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis conceſſis vel conce-*
„ *dendis in futurum, etiam ſi de eis oporteret fieri mentio ſpecialis de verbo*
„ *ad verbum. Inſuper quod Fratres qui ſunt & pro tempore erunt idonei*
„ *ad pronunciandum verbum Dei, cum licentia tamen Vicarii pro tempore*
„ *exiſtentis, qui eos inſtituere poſſit atque ſuſpendere, poſſint verbum Dei*
„ *publice, abſque cujuſvis Prælati licentia vel confirmatione, tam in eorum-*
„ *dem Eccleſiis, quam in aliis locis publicis civitatum atque Terrarum pu-*
„ *blicare & proponere; ſic tamen quod in Cathedralibus, Metropolitanis ac*
„ *parochialibus Eccleſiis, vel alterius Ordinis locis, ſine conſenſu Prælatorum*
„ *eorumdem prædicare non præſumant, ſimili auctoritate concedimus per*
„ *præſentes; Nos enim ſingulis fidelibus, qui prædicationi dictorum Fra-*
„ *trum intervenerint, ſingulis vicibus quibus eos intereſſe contigerit, unius*
„ *anni indulgentiam elargimur. Inſuper concedimus, quod Fratres præ-*
„ *ſentes & futuri, qui ſecundum eorum fragilitatem, regulam obſervare co-*
„ *nantur, ex tranſgreſſione quarumcumque conſtitutionum Ordinis præfati,*
„ *peccatum mortale non incurrant. Volumus autem quod per quaſcumque*
„ *litteras Apoſtolicas, Generali Miniſtro prædicti Ordinis ſeu aliis quoquo*
„ *modo conceſſis vel concedendas in poſterum, gratiæ, indulta & alia ſu-*
„ *pradicta nullatenus intelligantur revocata. Non obſtantibus Apoſtolicis*
„ *ac in generalibus & ſpecialibus editis conciliis conſtitutionibus &*
„ *ordinationibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus Ordinis prædicti,*
„ *ceteriſque contrariis quibuſcumque, etiam ſi de ipſis in præſentibus de-*
„ *beret fieri mentio ſpecialis, quibus, quantum præſentibus adverſantur,*
„ *prorſus volumus hac vice dumtaxat eſſe derogatum. Nulli ergo omnino*
„ *hominum liceat hanc paginam noſtræ inſtitutionis, conceſſionis & volun-*
„ *tatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc at-*
„ *tentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Pe-*
„ *tri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud*
„ *ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLIV. *pridie nonas*
„ *Januarii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Guardian. Hieroſol. refert rerum ſtatum in Oriente.

LII. Miſerat hoc anno prædictus Gandulphus e Hieroſolymis ſocium ſuum fratrem Seraphinum Siculum ad Pontificem, qui de rerum ſtatu, & ſpe acquirendæ ſacræ urbis informaret. Scripſit etiam Pontifici gratiſſima; nimirum Imperatorem Æthiopum cum ſuis Principibus unionem in Concilio Florentino decretam ſolemniter admiſiſſe, & ingenti auctoritate virum ad Sultanum amandaſſe, ut ageret de templis Chriſtianorum in ejus dominio reſtaurandis, & de favore fidelibus ſibi ſubditis impendendo. Ipſam exſcribo epiſtolam, etſi ſtylo inculto & humili exaratam: placebit fortaſſis legere gentis barbaræ modum agendi peregrinum.

1t Æthiopes unionem unanimiter admiſiſſe.

LIII. *Pater beatiſſime, & ſanctiſſime Domine, poſt pedum oſcula beatorum & omnem in Chriſto Jeſu gloriæ ſplendorem: hora eſt jam, ut ſicut ego toties meis litteris contriſtavi Sanctitatem veſtram, ex meo & eorum, qui mecum ſunt Fratres in Terra ſancta, aſſiduo perſecutionis relatu, eiſdem litteris eamdem ſanctitatem lætificem, & relatu meo, gaudio ſpirituali repleam. Gaudeat igitur Beatitudo veſtra, Pater ſanctiſſime, gaudeat & exultet mater Eccleſia, quoniam filii ſui, tempore digniſſimi veſtri Pontificatus de longe venerunt ad eam. Iterum gaudeat & lætetur in Domino, Paſtor optime, cura & ſollicitudo veſtra, quoniam oves Meridionalis plagæ aberrantes per devia, intraverunt ovile: Si enim illa, quæ ſuper nos eſt, triumphans Hierusalem, tantum gaudet & exultat,* uno peccatore pœnitentiam agente, *merito noſtra militans Sion, pœnitenti innumerabili multitudine, immenſe gaudere & exultare debet: Et ubi minor erat ſpes lætitiæ, major debet eſſe materia gaudii. Sed ne diu ſuſpenſam congreſſione mea teneam veſtram Sanctitatem, Pater vigilantiſſime; cum enim penitus decidiſſem ab ea, quam conceperam, ſpe unionis Eccleſiæ Romanæ cum lato illo diffuſoque Imperio Æthiopiæ, eo quod inde venientes percunctati, mihi nemo juxta votum reſponderet, ex inſperato inſonuit fama, quod Ambaſſiatores Principis Æthiopum ad Soldanum veniſſent, pro Eccleſiarum, anno proxime elapſo, in Ægypto & Terra ſancta, tempore illius perſecutionis validæ, deſtructarum reædificatione, & oppreſſorum Chriſtianorum ſublevatione: quo lætanter audito, revixit, quam parum antea ſepelieram, ſpes mea; & maxime cum percepi quod eſſent in Hieruſalem venturi. Sitque divina ordinatione actum eſt, ut in feſto Epiphaniæ Domini intraverunt Bethleem. Ibidemque ſitut quemdam tres Magi venerunt adorare Dominum; qui mox juxta præceptum veſtræ Sanctitatis, per quoddam ejus breve, alias mihi factum, a Fratribus meis cum omni caritate, humanitate, gaudio & honore in domum noſtram fuerunt recepti, & de omnibus, prout tunt frigida & pluvioſa nox, penuria deſerti, & viæ laſſitudo expoſcebant, per gratiam Dei fuerunt peroptime recreati. Venientes autem in Hieruſalem, quidquid honoris, caritatis, gratitudinis, liberalitatis, humanitatis, obſequii & familiaritatis mihi poſſibile fuit, intuitu & nomine veſtræ Sanctitatis, illis impendi. Cum autem ipſis ſecreto exponerem ea, quæ per Beatitudinem veſtram mihi fuerant injuncta, eos efficaciter exorans, quod vellent pro hujuſmodi facto ſacræ unionis, & pro nonnullis aliis honorem Dei & Principis ſui concernentibus, Sanctitatem veſtram adire, aut ſaltem hic expectare, quouſque ego intimarem eorum adventum Beatitudini veſtræ, & reſponſum ejus acciperem: reſponderunt in ſe hoc facere non poſſe, cum non haberent id in commiſſione, dicentes non fore neceſſarium pro facto unionis eos illuc ire, aut hic præſtolari debere; quoniam Thomas, & Georgius jam applicuiſſent ad Imperatorem ſuum tum Bulla unionis, & quod univerſi Patriarchæ, Epiſcopi & Prælati, ac Principes & Domini ſtatus utriuſque, fuerunt edicto Imperatoris ad hoc ſimul congregati.*

Luc. 15.

Et

Et quod ab omnibus unanimiter, nemine diſcrepante, præfata unio cum ſummo gaudio & devotione fuerat acceptata, ſuperaddentes, quod Georgius & Thomas præfati, cum quibuſdam aliis, remittendi erant per Principem eorum ad veſtram Sanctitatem cum prædictæ unionis aſſenſu & receptione, arbitrantes eos in proximum Paſcha debere hic nobiſcum eſſe. In quorum aſſertionem & confirmationem dixerunt, ſe velle ſequenti die Miſſam noſtram audire: quam in Eccleſia ſancti Sepulcri, gratias immenſas divinæ miſericordiæ de hoc referentes, gaudio ingenti, cum illis ſolemniter celebravimus. Quod ego Beatitudini veſtræ pro ejus conſolatione ſingulari, & Eccleſiæ univerſalis exultatione, duxi ſignificandum; illud etiam non omittens, a quo incepi, videlicet cauſam adventus eorum & modum & conditionem. Et ab ultimo incipiens: ut de omnibus ſimul dicam: is, qui caput erat Ambaſſiatæ, prout ab ejus eloquio geſtiſque, & quorumdam fide dignorum aſſertione comprehendi, vir erat non minus ingenio, quam nobilitate & potentia præclarus: tredecim millia quingentos triginta equites ſub ſe habens, qui ducentos viros de familia ſua ſecum ducens, quorum quinquaginta cum itinerariis rebus apud Thebaidas dimiſſis, cum centum quinquaginta, completis quatuor menſibus itineris incepti, intravit Chayrum. Statuto autem die ſuæ Ambaſſiatæ, expectatus ante auroram a Soldano, evocatus ter per majores Curiæ, renuit ire, niſi in die clara, dicens, ſe non in tenebris & latenter, ſed palam & in lucem veniſſe. Cum autem ivit, fecit ſecum apportari ſedem, in qua Soldano, dum ipſum alloqueretur, conſederet. Crucem vero auream ſuper prætioſiſſimum indumentum, latam longamque ad modum Prutenorum militum in præſentia ejus portans, ejuſdem ſanctæ Crucis inſigniis decoratum equum, pretioſe coopertum conſcendens, in munus quoddam myſticum, aureum parvum equum, enſem, lanceam, galeam, thoracem, ſcutum, arcum, pharetram & decem ſagittas, omnia ex puro auro, valorem tamen octo millia ducatorum non excedentia, ſervoſque promiſcui ſexus ſeptuaginta eidem ex parte Imperatoris ſui obtulit, cum his verbis: Hæc tibi dicit, Soldane, potentiſſimus & excellentiſſimus & glorioſiſſimus Imperator, Dominus meus Conſtantinus. Intellexi quoniam Eccleſias ſub dominio tuo conſiſtentes deſtruxeris, & Chriſtianos tibi ſubditos valde oppreſſeris; ait enim, ut melius noſti, Propheta tuus, quod malum reddatur pro malo, unde ſecundum eum jam poſſem juſte tibi vicem reddere eorum, quæ feciſti. Sed quoniam Chriſtus Jeſus, Dominus meus, dicit quod reddarur pro malo bonum, & ſine admonitione correptionis non procedatur ad punitionem; ego pro malo bonum reddens, te deliberavi prius admonendum; unde ex nunc conteſtor te & admoneo cum pace & caritate, quæ per aurum hoc, nequaquam tibi in munus ſed in myſterium miſſum, deſignantur, ut Chriſtianos omnes ſub te oppreſſos continuo eleves, & cum omni pietate & humanitate eos tractes, Eccleſiaſque dirutas permittas & jubeas reædificari. Quod quidem ſi feceris, ſtabunt moſquetæ, quæ in Imperio meo ſunt, Sarracenique mihi ſubjecti, pie & humane, ut hactenus, a me tractabuntur. Et hoc aurum tibi miſſum non convertetur in aliam ſpeciem, nec perdet virtutem ſuam: Sin autem hoc facere neglexeris, in chalybem & ferrum contra te indubie convertetur. Quoniam mittam contra te innumerabilem multitudinem gentium belligerarum, diverſe, ferociter, indefeſſe dimicantium, cui tua parvitas non valebit reſiſtere; cum Admiraldus minor, qui ſubeſt Principibus dominantibus ſub me, ſit longe potentior te: Sarracenoſque omnes ſubditos mihi, qui innumerabiles pene ſunt, in eorum ſanguine baptizabo, & moſquetas eorum funditus deſtruam. Auferam tibi

Me-

Mecham & illius, quod veneraris ſepulcrum prophetæ tui. Tollam ab Ægypto alluvionem Nili, ut ſimul & ferro & ſame ac ſiti cum populo tuo pereas; quæ diſtuli uſque nunc auferre tibi, propter Eccleſias & Chriſticolas ſub tua ditione degentes, ne ipſi ſimul tecum perirent, aut quidquam ſiniſtri paterentur abs te. Nunc ergo elige, quid magis tibi vis, an quod aurum hoc maneat in ſua materia, aut in ferri materiam convertatur: *Finiente vero Ambaſſiatore cuncta ejus dicta, quodam magno Sarruceno de genere impii Mahometi, quem ad hoc ſecum duxerat, teſtificante & approbante, Soldanus pollicitus fuit ſe poſt dies aliquot eidem plene reſponſurum. Juſſitque ſtatim ſibi afferri veſtem quamdam valde pretioſam, ut juxta morem ſuum continuo indueret, & a facie Principis glorificatus abſcederet. Quod ille facere renuens, dixit ſe nullatenus debere eam ſuper crucem aut induere aut portare, quam * Torquiniano ſuo illic tradidit ſubito induendam; fuitque poſt ejus digreſſum a præſentia Soldani datum generale præconium, quod omnes Chriſtiani bene & humane tractarentur a Sarracenis, prout antea ſolebant tractari, & nemo eos auderet perſequi aut moleſtare. In ingreſſu vero eorum in hanc ſacram civitatem, factum fuit ſpectaculum quoddam, ſatis memoria dignum, & a multis annis ſimile in Terra ſancta non viſum; quoniam glorioſum ſanctæ Crucis vexillum, coram plurimis & majoribus Sarracenis fuit extra Eccleſiam ſancti Sepulcri per Æthiopes hic reſidentes, ante ſuos Ambaſſiatores proceſſionaliter incedentes cum papilionibus, jubilis & canticis, juxta eorum mores, ſolemniter erectum & apporsatum, nemine infidelium illos perturbante. Quibus occurrerunt in apparatu ſimili ceteræ nationes Chriſtianorum, jubilantes & exultantes, & eorum Principem veluti ſuum redemptorem apud Deum & homines glorioſe magnificantes. Quæ quidem omnia, Pater Clementiſſime, quantum ceſſerunt in Principis ſui gloriam, tantum cedunt in Principum noſtrorum ignominiam. Hic enim fecit apportari ſedem, ut ſedens Soldanum alloqueretur: Ambaſſiatores noſtrorum ante ipſum terram deoſculari coguntur. Iſte ad impenſas Soldani vadit quo vult, imperans, & Sarraceni ipſum commitantur & venerantur, quoniam Imperatorem illius timent, & illi placere conantur. Noſtri vero cum veniunt inter infideles, non ſe dominos, ſed famulos nominare audent, immo inſanos pluries ſe eſſe confingunt, ne ab eis offendantur & incarcerentur, quoniam non timentur ab eis, nec appretiantur. Unde Ambaſſiatores magni Hoſpitalis Hieroſolymitani adhuc in ejus arcta & dira cuſtodia detinentur. Huic etiam cum tota ejus familia abſque ullo tributo fores Eccleſiæ ſancti Sepulcri fuerunt reſeratæ, nec illas ſinebat claudi, quouſque omnes nationes Chriſtianorum ingrederentur; ipſe vero ultimus ingrediebatur: noſtri autem pluſquam tributum ſolvunt, & vix introire permittuntur; ita ut heſterna die quidam Ambaſſiator Januenſium offerens tributum non fuit intrare permiſſus [illegible]nes etiam nationes ex parte ſui Principis ſalutavit, & cunctis, ejus nomine, aut eleemoſynam aut munera condonavit, ipſumque omnium orationibus in diſceſſu commendavit; prout de omnibus his, & nonnullis aliis ſtatum hujus ſacræ domus, & perſonam meam concernentibus, plenius informabit veſtram Sanctitatem humillimus ſervus ejus frater Seraphinus, ſocius & frater in Chriſto, mihi intime & ſincere dilectus, præſentium lator. Cui dignetur fidem adhibere eadem Sanctitas, eaque ſua ſolita benignitate piæ executioni mandare. Quam Altiſſimus conſervare dignetur feliciter & longæve ad ampliationem fidei Catholicæ, & proſperum regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Ex ſacro Conventu Montis Sion, 1. die Februarii, anno Domini* MCCCCXLIV.

* Scilicet interpreti.

Capiſtranus inſtituit domos litterarias.

LIV. Joannes Capiſtranus Vicarius Generalis ciſmontanus Obſervantum,

tum, familiam ſibi commiſſam ſumma cura & vigilantia gubernabat, nec laborom ullum ſubterfugiebat, ut ad meliora chariſmata Fratres accenderet, & optimis erudiret diſciplinis. In commentariis, quos diximus in Regulam ſcripſiſſe, valide commendaverat ſtudium ſacrarum litterarum, præceperatque, ut in omnibus Provinciis Vicarii domos aliquot doctrinæ capeſſendæ deputarent. Fuerunt, qui ſe huic conſtituto opponerent, dicentes inſulſe, ſcientiam virtuti eſſe contrariam, neque facile Religionem in ſua humilitate & reformationis puritate poſſe conſervari, ubi tumeſcentes Magiſtri inflatos adoleſcentes vana imbuerint doctrina. At Capiſtranus ſpiritum ſequutus optimi ſui præceptoris ſancti Bernardini, ſupinam ignorantiam a Fratrum cœtu ſtudebat arcere; ſciebat enim optime quot & qualia ſequantur incommoda ex inſcitia, præſertim eorum, qui cœleſtia tractant myſteria, ſacramenta peragunt divina, & conſcientias dirigunt alienas. Scripſit itaque litteras increpatorias ad hos ignorantiæ & inſipientis ſimplicitatis (eo nomine honeſtabant litterarum imperitiam) periculoſos tutelares, acriterque invectus in ſui decreti refractarios, oſtendit multis iiſque manifeſtis rationibus, quam ſit neceſſaria divinæ legis, ſacrorumque codicum ſcientia in Religione, & proinde præceptum fuiſſe a Pontifice Eugenio & Dominis Cardinalibus, ut in omnibus Provinciis Scholæ inſtituerentur.

Tom. 10. ann. 1430. n.6.& ſeq. Conſtitut. in cap.9.

Aliqui perperam contradicunt.

LV. Novi ego etiamnum nunc eſſe hujuſmodi ſcientiæ adverſarios, & ſtudiorum liberalium in Religionibus, ſtrictioris præſertim diſciplinæ, contradictores. Novi etiam Apoſtolum dicere: *Si quis ignorat, ignorabitur*, & Spiritum ſanctum proteſtari, *qui evitat diſcere, incidet in mala*, atque alibi inclamare: *Uſquequo imprudentes odibunt ſcientiam?* Nonne *peſſimæ matris ignorantiæ peſſimæ itidem duæ filiæ ſunt, ſcilicet falſitas & dubietas; illa miſerior, iſta miſerabilior; illa pernicioſior, iſta moleſtior*. Sive ergo ſuo ſoli quis ſtudeat profectui, ſive aliorum adlaboret ſaluti, periculoſa res eſt inſcitia, etiamſi in abditiſſimos abſcedat receſſus, & ſupremi Numinis venerationi, virtutibuſque aſſequendis dumtaxat intendat; oportet ut *præcedat ſcientia virtutis cultum: quia nemo poteſt fideliter appetere quod ignorat, & malum niſi cognitum ſit, non timetur*. Quale illud animæ ornamentum quod neſcitur? aut quod ſolamen poteſt eſſe virtutis ignotæ? Certe *quemadmodum canes venatici a longinquo ad feras perveniunt, odorem ſequentes, cujus eximio ſenſu a natura ſunt prædιti: eodem modo a juſtitia ceteriſque virtutibus exhalantes ſuaves aures amator ſcientiæ veſtigat, cupiens originem tantæ voluptatis aſſequi, huc illuc curſitans, & vel ipſo honeſtatis odore, tamquam ſacro nidore ſe recreans*. Sin autem alienam operetur ſ[illegible]em, quomodo viam mandatorum Domini docebit, dum ipſe in tene[illegible] cespitat ignorantiæ? *Cæcus cæco ducatum præſtabit, & ambo in foveam ca[illegible]ent*. Etenim *carens vero intellectu legis, alios ſuo errore excæcabit & ſecum ducet in præcipitium*.

Quam ſit neceſſaria ſcientia?

1. Cor. 14.

Prov. 17.

Prov. 8

Aug. ſoliloq. lib. 2. c. 6. & ſeqq.

Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdot.

Philo lib. de ſomniis.

Matth. 15.

Lyra. hic.

LVI. Non tamen omnem hic me putet lector commendare ſcientiam: non illam, quæ ſecundum Apoſtolum *inflat*, & ſui poſſeſſores adeo reddit arrogantes, *ut humiliter neſciant inferre quæ docent; & recta, quæ ſapiunt, recte miniſtrare non poſſint. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quaſi in quodam ſibi videntur ſublimitatis culmine reſidere, eoſque quos docent, ut longe infra ſe poſitos, velut in imo reſpiciunt, quibus non conſulendo loqui, ſed vix dominando dignantur*. Illam inculco doctrinam, quæ vera doctrina eſt, & ſimul mentes ad divinæ legis notitiam elevat, atque in ipſa elevatione ſuggerit, unde humilius deprimantur: *Vera ſcientia*

Non omnis ſcientia laudabilis.

1. Cor. 8.

Gregor. l. 21. Moral. c.7.

Ibid. c.10.

tia aſpicit, non extollit; nec ſuperbientes, quos repleverit, ſed lamentantes facit. Qua quiſque cum repletus fuerit, primo loco ſe ſcire appetit, & jam ſui conſcius, tanto per illam robuſtius ſapit, quanto ſe infirmum in illa verius recognoſcit; atque ad ampliorem viam hujus ſcientiæ ipſa ei humilitas aperit: dumque imbecillitatem ſuam ipſe conſpicit, ipſa ei cognitio ſecretorum ſublimium abſconditos ſinus pandit: qua cognitione preſſius ſubtilior redditur, quo ad occulta rapiatur. Hæc præter noſtrum inſtitutum diximus in eos, de quibus Capiſtranus graviſſime conqueritur, & aſperrime reprehendit, qui ſumma ignorantia dominantes in clauſtro, omnes claudunt aditus ſcholaſticis diſciplinis.

Gonz. in proœm. provinc. Majorica.

Bartholom. Catanius.

Apud Baleares incipit regularis Obſervantia.

Joannes Lobet.

Lib. 8. Bullarum. fol. 188.

LVII. Sub hoc tempus cœpit vigere in inſula Majoricæ Regularis Obſervantia, recedentibus multis doctis piiſque viris, quibus illud florebat regnum, ad loca ſolitaria humileſque domunculas ex vili materia constructas. Aliorum ſe præbuit ducem frater Bartholomæus Catanius, vir doctiſſimus, in ſacra pagina Magiſter, Cuſtodiæ Majoricenſis præfectus: qui cum ſe per aliquot annos in maxima paupertate, aſſidua oratione, jejuniis atque vitæ aſperitate exercuiſſet, eaque de cauſa Balearibus in ſumma eſſet veneratione, atque aliquot ſibi ſimiles poſt ſe abduxiſſet Conſodales; tres Conventus, unum ad primum ab urbe Majoricæ lapidem, alterum Sollaris, tertium Mahonis ſub Regularis Obſervantiæ auſpiciis ædificari, & domibus ejuſdem ſtrictioris Inſtituti provinciæ Aragoniæ adnecti curavit. Succeſſit illi in Cuſtodiatus officio frater Joannes Lobet, quem Eugenius Pontifex egregie commendat a litterarum ſcientia, morum honeſtate, religioſa vita & rerum agendarum prudentia, jubetque, amoto Antonio de Oculis nigris, Miniſtro provinciæ Aragoniæ, vitæ laxioris ſectatore, ita petente Maria Aragonum Regina, in præfectura ſubſtitui.

Congregatio generalis Obſerv. ultra Montes.

LVIII. Hoc anno IX. Julii celebravit Joannes Mauberti Vicarius Ultramontanus congregationem generalem in Conventu ſancti Audomari, provinciæ Franciæ. In ea Vicarium inſtituit provinciæ Turoniæ, Guillelmum Morandi; Franciæ, Joannem Platelli; Burgundiæ, N. Paucula ſtatuta ibidem condita dabo alias commodius.

Moritur B. Felix Meda.
Ann. 1419. n. 29.
Varia ejus erga Piſaurenſes beneficia.
Marian. cap. 19.
Marc. lib. 2. cap. 21.
Legend. MSS.
Gonzag. in prov. Marc. Monaſt. 13.

LIX. Deſiit eſſe in humanis hoc anno, ætatis ſexageſimo ſexto, beata Felix Meda, Abbatiſſa Piſaurenſis, de qua ſuperius præfati ſumus, virtutibus & miraculis ante & poſt obitum inſignis. Illius meritis & precibus tribuunt cives, quod paulo poſt ejus adventum, urbs mirabiliter liberata ſit ab hoſtibus, proditorum ope ingreſſis, Galeatio Sfortiæ Principi & familiæ exitium illaturis; quia nemine perſequente territi, in fugam præcipites abierunt. Quod etiam aeris contagioni & peſtilentiæ obnoxia, annis multis nullam ſenſerit, & aliquando infecta, illius interceſſione ſit repurgata. Auctor legendæ MSS. quam penes me habeo, refert eo anno, quo ipſe ſcribebat, trigeſimo poſt mortem, bis effugatam peſtem inſtituta ſupplicatione, invocata ope Felicis, & emiſſo voto de veneranda illius ſepultura, atque ampliori cultu adhibendo. Spiritu claruit prophetiæ, & cordium penetrabat ſecreta, patefactis rebus multis, quas mente cogitaverant Sorores. Ultimo decumbens morbo, pie receptis Sacramentis, convocavit filias, monuit de ſuo receſſu brevi ſequuturo, ad mutuam caritatem, ad Inſtituti obſervantiam, ad divinarum rerum cultum pulchro excitavit ſermone. Flentes & dolentes, propter tantæ matris jacturam, blande conſolata eſt, dicens, ſupereſſe digniſſimas præfectura, eas ſigillatim ſuoque ordine compellans, quæ poſtea factæ ſunt Abbatiſſæ. Primam nominavit Eugeniam Mediolanenſem, quæ proxime in officio ſucceſſit. Nocte præceden-

dente ſancti Hieronymi natalitia, ſanctiſſime expiravit, collacrymantibus diſcipulis, & die ſequenti, procurante Baptiſta Montefeltria, Piſaurenſi Domina, de qua ſuperius diximus, venit univerſus Clerus & Religioſi Ordines exequias ſolemniter celebraturi. Corpus loculo ligneo incluſum, humatum eſt reverenter, elapſiſque tribus annis, arca corrupta, inventum eſt integrum & illæſum. Alio poſtea conditum loculo, honorificentiori loco poſuerunt Moniales in choro, ita curantibus Guidobaldo II. & Victoria Farneſia Urbinatum Ducibus, eaque ſoliditate compagines adhuc cohærebant, ut frequenter extraherent, in pedes erigerent & ad crates parieti innixam exponerent conſpiciendam. Anno MDCXXX. urbis Magiſtratus voluit ex utroque altaris latere feneſtras aperiri, per quas videri poſſint ſepulcra Felicis, & beatæ Seraphinæ, ibidem etiam conditæ, de qua ſub annum MCCCCLXXVIII. ſcribemus. *An.1439. n.19. Corpus viſitur illæſum.*

LX. Multa enumerant ejus miracula, ex quibus iſta tranſcribo. Sociam unam ex iis quæ Mediolano venerant, humero graviter dolentem & medicamina multa tum in patria tum Piſauri fruſtra adhibentem, ad loculi contactum ſanavit. Paulam uxorem Jacobi Bencivenni Piſaurenſis, gutturis tumore lethali laborantem, & ex voto, decreta cerea imagine ad ſepulcrum appendenda, ſanam effecit. Simili emiſſo voto Agatha Piſana, ſed Piſauri incola, a maris procelloſa tempeſtate, deinde e morte, corruente domus ſolario liberata eſt. Hujus miraculi memoria in Eccleſia cernitur depicta. Petrus Mutinenſis Guardianus Conventus ſancti Joannis Piſaurenſis pleuritide oppreſſus, a medicis derelictus, quippe quem nocte ſequenti omnino moriturum judicabant, orationibus Monialium ad tumulum beatæ Felicis, ex Abbatiſſæ præcepto procumbentium, ea ipſa nocte incolumis evaſit. Similiter ab eadem infirmitate liberatus eſt Antonius filius Orlandini, viri nobilis Piſaurenſis, qui benefactricis imaginem in templo pingi curavit. Adoleſcentulam Piſaurenſem, animam multis cruciatibus agentem & longo tempore mortuæ ſimillimam, orantibus Monialibus, accenſiſque ab avia binis candelis, integræ reſtituit ſanitati. Margarita uxor Venturæ figuli, longo tempore ſummo vitæ periculo laborans, vovente marito, ſe ad ſepulcrum beatæ Felicis effigiem ceream pro conjugis menſura delaturum, feliciter enixa eſt infantulum. Nicolaus de ſancto Elpidio Chirurgus, filium ſexennem contractum detulit ad ſepulcrum & pro incolumitate rogavit. Nocte ſequenti apparuit beata Felix, & familiari præmiſſo colloquio, filio ſe fore propitiam ſpopondit. Rediit ille ad tumulum cum puerulo, ſtatimque pro voto eſt exauditus. Domeſticis etiam Sororibus benefica, Luciam Novitiam Piſaurenſem moleſtiſſime a ſeptem ſpiritibus immundis vexatam, coram arca reſerata ſtridentem, miro modo liberavit. Felicem Piſaurenſem adoleſcentulam obſeſſam, poſt multas ſine fructu conjurationum, exorciſmorum & deprecationum medelas, ſanavit; quæ in gratiarum actionem ſe Deo obtulit ſub illius Monaſterii diſciplina. Alterius Sororis manum exuſtam, vegetam; alterius item pedem marcidum, omnino excidendum, ſanum effecit; & alia aliis contulit beneficia. Multa ejus miracula teſtantur plurimæ tabellæ, cerei & imagines in Eccleſia appenſa. Alias de illa redibit ſermo, cum de beatæ Seraphinæ vita fuerit agendum. *Varia ejus miracula.*

LXI. Elapſo poſt Felicis obitum menſe uno, venit Piſaurum beatus Joannes Capiſtranus, & collatis Monialium ſuffragiis, electa eſt in Abbatiſſam ſoror Eugenia, de qua ſupra diximus, hoc munere digniſſima. Etenim, præterquam quod Sorores omnes die præcedenti triclinium ingredientem, radiis Solaribus, a facie prodeuntibus, effulgere conſpexerint, *Eugenia Mediolanenſis.*

Capiſtranus, qui electioni præfuit, in litteris confirmatoriis, quas apud me habeo, datis III. Kal. Novembr. quo die convenerant, eam multipliciter a prudentia, zelo, ſollicitudine, ſolertia, aliiſque virtutibus commendat. Egregie de virtute in virtutem aſcendit in hoc Monaſterio Franciſca Fanenſis, quam diximus eo die admiſſam ad habitum, quo beata Felix Piſaurum

An.1419. n.14. Franciſca Fanenſis.

pervenit. Abbatiſſæ vitam ſibi propoſuit in omnibus æmulandam, eaque fecit induſtria, ut illius typus eſſe videretur. Summo amore Magiſtram venerata, non poterat, ſive in refectorio pranderet, ſive in choro pſalleret, oculos ab ea dimovere; atque hinc orto religioſo timore, ne Deum offenderet, quod præter ipſum creaturam aliquam adeo impenſe diligeret, rogavit aſſidue Dominum, ut amorem hunc omnem defœcaret & in ſe converteret. Permiſit Chriſtus ut a malo genio vapularet propter inordinatum ſortaſſis amorem; deinde ipſe apparuit plagis diſtinctus, oſtenditque tribulationum & dolorum ſemitas, per quas ad ejus conſortium erat deveniendum. Alias apparens, intellectum infudit omnium ſacrorum Evangeliorum, quæ per totius anni curſum decantantur, quibus capiendis, & quæ in eis continentur obſervandis, illa perpetuo meditabatur. Inter plurimas quas poſſidebat virtutes, humilitate præcellebat, eamque perpetuo retinuit, vilia non abhorrens miniſteria, etiam in Monaſterii præfectura, quam annis multis digniſſime exercuit. Annis duobus poſt obitum exhumata, inventa eſt recens, mollis, tractabilis tamquam ſi eo ipſo die fuiſſet defuncta, veſtibus etiam illæſis. Huic par erat ſoror Magdalena de Tizon, virgo præclariſſima;

Magdalena de Tizon.

cujus caritas erga reliquas Sorores erat incredibilis. Singulis noctibus, antequam pulſaretur ad matutinum, omnia infirmarum cubicula percurrebat, omnia exhibebat officia & obſequia, omnibus compatiens tenero affectu, quaſi in omnibus ipſa infirmaretur. Hæc obeunti officia, nocte quadam beata Virgo Maria apparuit, & magnis affecit beneficiis. Moritur etiam hoc anno alia præclara virgo Mediolanenſis Franciſchina, prima Abbatiſſa Monaſterii ſanctæ Panlæ Mantuani, non abſque opinione ſanctitatis.

Franciſchina Mediolanenſis.

Doneſm. in hiſt. Mant. lib.5. Fr. Alan. Epiſc. Coriſopiten. *An.1437. n.35.* Fr. Nicol. Sareptan. *Meyer. in Annal. Flandr. l.15. an. 1444.* Petr. Maſſanen. *Rodul. fol.* 280. Fr. Joan. Cluanen.

LXII. Translatus eſt hoc anno ab Eccleſia Dolenſi ad Coriſopiten. ſub Archiep. Turonenſi, frater Alanus de l'Eſpervier, de quo ſuperius ſumus locuti, IX. Kal. Septembris. Sareptanum Epiſcopum Nicolaum, Ordinis Minorum, Joannis Epiſcopi Tornacenſis ſuffraganeum, hoc anno corpus divi Gutagoni apud Oſtiercam in agro Brugenſi tranſtuliſſe, cum maximum ibi conſecraret altare, ſcribit Meyerus. Obiiſſe hoc anno, die XXIV. Novembris, Magiſtrum Petrum Calderonum Maſſanenſem Antiſtitem, electum Antiochenum, refert Rodulphus. Electus eſt Cluanen. in Hibernia, ſub Archiep. Armacano, frater Joannes Oldays, per obitum Cormaci, XIV. Kal. Octobris. Imelacenſem in Hibernia fuiſſe hoc anno fratrem Cornelium O* Riculis, per obitum Thomæ, & ante eum alium Minoritam fratrem Robertum de Anglia ad eamdem Eccleſiam fuiſſe proviſum narrat Pontifex in ſuo Diplomate: *Sinceræ devotionis*, XIV. Octobris. Neſcio an hunc Robertum vel alium, Eugenius hoc anno inſtituerit Epiſcopum Tiberiaden. in Galilæa, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, per translationem Joannis ad Cepten. *Divina diſponente clementia*, IV. Nonas Decembris. Nucerinum.

* al. *Oculis*. Et Fr. Robertus

Fr. Robertus Tiberiaden. Fr. Joan. Nucerin.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr Joan. Marcolin. Epiſcop. Nucerinus.

„ In Umbria inſtituit fratrem Joannem Marcolinum Fanenſem inſignem „ Theologum, ſibi & ſucceſſori Nicolao V. cariſſimum, per translatio„ nem Antonii ad Fulginatem, Idibus Novembris. Refecit Eccleſiam Ca„ thedralem, primumque poſuit lapidem ſundamentalem.

LXIII. Plurima hoc anno in Italia accreverunt Obſervantibus domicilia, ſive noviter erecta, ſive a Patribus Conventualibus accepta. Vicario & Fra-

& Fratribus provinciæ Terræ laboris, necnon Fratribus provinciæ Tuſciæ indultum eſt, ut duo vel admitterent vel erigerent Cœnobia. Vicario & Fratribus provinciæ Siciliæ ſimiliter indultum eſt de quatuor Cœnobiis: *Ad uberes, quos veſtri Ordinis*. XVII. Kal. Aprilis. Aliquantulum extra Faventiam Flaminiæ civitatem, Guidatius, Aſtorgius & Joannes Galeatius fratres, urbiſque Senatus, obtentam ab Eugenio Pontifice veterem & ruinoſam Eccleſiam ſanctæ Perpetuæ, ad Prioratum ſancti Marci Mantuanum ſpectantem, demoliti, commodum hoc anno ædificarunt Obſervantibus habitaculum, ſub Divi Hieronymi vocabulo. Juspatronatus penes Fratres illos remanſit: quorum ſucceſſor Aſtorgius junior, Manfredi Galeatii filius & Faventiæ Dominus, erga Religioſos ſumme beneficus, amplos hortos adjunxit, & ſub Paulo II. prædicto renunciavit juri, voluitque domum liberrime abſque ullo onere aut externo jure, ad Religionem ipſam ſpectare. Eccleſiam pulcherrimo ſancti Hieronymi ſacello Fridericus Manfredi Faventinus Epiſcopus anno MCCCCLXXXIII. illuſtravit. Conv. S. Hieronymi Faventiæ. *Gonzag. in Prov. Benon. Conv. 10.*

LXIV. Ad preces Raphaelis Adurni, Ducis Januenſis & cujuſdam piæ ſodalitatis, conceſſa eſt eiſdem Obſervantibus Eccleſia Prioratus ſanctæ Mariæ de Monte Vallis Beſagni, ad primum a nobiliſſima urbe Genuenſi lapidem, ſpectans ad Monaſterium ſanctæ Crucis de Mortaria, adjecta etiam ſilva contigua. Locus eſt amœnus & tironibus inſtruendis accommodus. Habetur illic in veneratione cujuſdam ignoti Patris corpus imputre ac incorruptum, ſuaviſſimum ſemper ſpirans odorem: *Ordinem veſtrum*. IV. Non. Maii. Conv. de Monte. *Idem in Prov. Genuæ, Conv. 2.* Non procul a vallo oppidi Caſtellutii, provinciæ Principatus, in regno Neapolitano, communibus oppidanorum ſumptibus, aliud ædificatum eſt Cœnobium, curante fratre Bernardino Salernitano. Conv. Caſtellutii. *Idem in Prov. Principat. Conv. 25.* In eodem regno & provincia ſuperioris Calabriæ, ad ſecundum ab oppido Terræ novæ lapidem, beatus Paulus Sinopolitanus, de quo ſupra dixi, ſancti Bernardini ſocius & diſcipulus, ab eo deſtinatus Vicarius provinciæ Calabriæ, ædem acquiſivit aquis abundantem, ſilvis amœnam, ad prærupti montis radices, communibus oppidanorum facultatibus ædificatam. Conv. Terræ novæ. *Idem in Prov. ſeptem Martyr. Conv. 8. Hoc ann. num. 46.*

LXV. Parum diſtat ab Inſubrum notiſſima urbe Novaria Conventus ſancti Nazarii, eleemoſynis civium fabricatus, conferente Bartholomæo Epiſcopo, Clero & populo Eccleſiam ejuſdem ſancti ibidem extructam: *Sacræ religionis*. IX. Kal. Novembris. Conv. S. Nazarii Novatiæ. In illius feſtivitate, Canonici Cathedralis Eccleſiæ illuc procedunt, ſacrum ſolemniter celebraturi. Jacent hic in ſacello ſancti Franciſci beati viri Thomas Caccius & Matthæus Nolius ejuſdem domus alumni, nobili genere & frequentia miraculorum illuſtres. Thom. Caccius. Matthæus Nolius. Tertium hic jacere beatum Antonium Laudenſem, gente Gavatia, laicum, ſcribit Gonzaga, ſed alias dixi ſepultum in Eccleſia ſancti Joannis extra urbem Laudenſem. Antonius Laudenſis. *Gonz. in Prov. Mediol. Conv. 4. Tom. 10. anno 1431. n. 12.* Floruerunt hic poſteriori ſeculo Viri docti & pii, præſertim Hieronymus Torniellus, officio functus Vicarii Generalis, deinde Commiſſarii Apoſtolici per univerſam Italiam. Eccleſia ignoto tempore & Antiſtite conſecrata eſt die XXII. Aprilis; ſtructura ſatis firma eſt & ampliſſima; ſitus factus eſt ſalubrior, corrivatis alio aquarum irriguis, prohibito etiam oryzæ ſeminario. *Monum. MSS. Prov. Mediolan.*

LXVI. Extra & prope muros civitatis Ravennæ, in Æmilia antiquiſſimæ, ſancto Apollinare Apoſtolorum diſcipulo aliiſque ſanctis Prælatis clariſſimæ, erat olim Eccleſia ſancti Maniatis, Hieronymo Rubeo ſancti Mamæ, Franciſco Gonzagæ ſancti Mamonis, ſub titulo Prioratus, ſpectans ad Monaſterium ſancti Joannis Evangeliſtæ Ravennatenſe. Hanc conceſſit Fratribus Obſervantibus Eugenius Pontifex, aſſentiente Beſſarione Cardinale Ni- Conv. Ravennæ. *Rub. in hiſt. Raven. ad hunc annum. Gonz. in Prov. Bon. Conv. 20.*

Niceno Monaſterii Commendatario, deprecante populo & Senatu Ravennate: *Sacræ Religionis*. Idibus Junii. Poſſeſſionem hoc anno accepiſſe ſcribit Rubeus, ſuique oblitus ait ſub annum MCCCCLXXXVIII. Ravennæ exceptos Obſervantes, & ſedem illis ad Divi Mamæ extra urbem, prope ejuſdem nominis portam, conceſſam. Illic vixerunt uſque ad annum MDXII. quo decretum fuerat ædem dirui, quod Gallis urbem oppugnantibus, pro commoda inſervierit ſtatione, & Fratres transferri ad cœnobium vetuſtum ſancti Apollinaris, Ordinis ſancti Benedicti, Abbate Commendatario conſentiente, ſed ſibi fructus reſervante. Tranſlata ex priore loco materia, faventibus piis Ravennatum erogationibus, & certa a Senatu decreta pecunia, commodam domum ædificarunt. Structura Eccleſiæ magnificentiſſima eſt: innititur viginti quatuor columnis altitudinis cubitorum decem, latitudinis duorum; ornaturque forinſecus columnis tredecim, intrinſecus pulcherrimis picturis muſivis & teſſellatis, mira arte & ad vivum res varias repræſentantibus. Quidam ſuſpicantur a Juſtiniano Imperatore & conjuge Theodora, alii a Narſete, alii a Ricobaldo, alii a Theodorico Gothorum Rege fuiſſe fabricatam. Super majus ſacellum legebantur verba ſequentia, ex teſſellatis ſegmentis coagmentata: *Theodoricus Rex Gothorum fundavit hanc Eccleſiam in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Prius præferebat nomen ſancti Martini, ſed a tempore, quo Joannes ſeptimus * Ravennæ Archiepiſcopus, eo tranſtulit corpus ſancti Apollinaris, ab eo cœpit denominari. In pulchro marmoreo, vetuſto, deaurato ſepulcro requieſcit, uti conſtat ex plumbea lamina illic olim inventa, in qua ita erat inſcriptum: *In hoc ſarcophago requieſcit corpus beatiſſimi & ſacratiſſimi Apollinaris Martyris Chriſti, collocatum a Joanne Archiepiſcopo*; ibique appoſitum ajunt corpus beati Joannis Papæ & Martyris. De his tamen legendus eſt Hieronymus Rubeus in ſua accurata hiſtoria Ravennatenſi; qui omnia hæc tribuit Eccleſiæ ſancti Apollinaris, dictæ *Claſſenſi*. Utriuſque ſancti Martyris caput, appoſitis carminibus vetuſtis, Minores videndum exponunt, aliaſque habent ibidem reliquias.

* *Al. octavus*

Rub. ad annum 541. 658. & 856.

Conv. Ceſenæ. Gonzag. in Prov. Bonon. Conv. 1.

LXVII. Nobilis vir Malateſta Novellus de Malateſtis, Pontificius Vicarius in urbe Ceſenæ, regionis etiam Æmiliæ, cives & univerſus populus deſiderantes habere apud ſe Fratres Obſervantes, obtinuerunt a Pontifice concedi pro eorum habitaculo Monaſterium vetuſtum & ruinoſum ſancti Laurentii, Ordinis ſancti Benedicti, extra muros loco amœno ſitum, propter bellorum incommoda derelictum, & ab eodem Pontifice Eccleſiæ Cathedrali unitum: *Sacræ religionis*. Kal. Februarii. Dejecto primo templo, Senatus populuſque alterum commodum & pulchrum ædificavit ſub titulo *Annunciationis beatæ Mariæ*, quod anno MCCCCLXXII. die XXVII. Septembris quidam Epiſcopus Reatinus conſecravit.

Conv. Bolonien. in Picardia. Idem in Prov. Franc. Pariſien. Conv. 9.

LXVIII. Philippus Bonus Burgundiæ Dux, hoc anno die XXIV. Julii in ſuburbiis ſeu inferiori parte urbis Bolonienſis in Picardia, ad Oceanum Britannicum, fundum dedit Conventui ædificando Obſervantum. Incolarum ſubſidio conſtructum inhabitarunt Fratres annis plurimis, donec ſuperveniente claſſe Anglicana, verberibus ſatiati loco ceſſerunt. Sexto poſt anno, redacta urbe in Henrici II. Gallorum Regis poteſtatem, reſtituta ſede, pacifice vixerunt uſque ad annum MDLXIX. quo ab Hugonotis expulſi ſunt. Superantibus demum Catholicis, iterum Fratres revocantur & domus ruinæ reſarciuntur. Eccleſiam ſub titulo ſancti Laurentii, incerto tempore quidam Epiſcopus Morinenſis conſecravit. Ut conſecraretur a quocumque Catholico Antiſtite Nicolaus V. anno MCCCCXLIX. facultatem conceſſit, cujus de hac re habeo Diploma.

LXIX. In partibus Tranſilvaniæ Minores habitacula hoc tempore habuiſſe in Alba, in Varaſco, in Wineſia, in Molbata, in Ezibimo, & in Biſtritia, mihi conſtat ex Diplomate, quo Pontifex commendat fidelibus, ut ſuis eleemoſynis concurrant ad reparationem horum Conventuum, a Turcis deſtructorum.

Conv. varii in Tranſilvania.

LXX. Zubraquenſis Conventus in Germania & provincia Colonienſi, de quo nihil aliud occurrit, hoc anno reformatus eſt: & Palentinus in Hiſpania, de quo alias diximus, auctore fratre Lupo Palentino, auxiliatore Joanne Rege, executore Roderico Henrici Archidiacono Taurenſi. Domui etiam Obſervantum Muri veteris vulgo *Morviedro*, diœceſis Valentinæ in Hiſpania, ad effugienda gravamina Superiorum, quædam privilegia Pontifex indulget: *Sacræ Religionis*. III. Non. Maii.

Conv. Zubraquen.
Palatinus. *Tom. 3. an. 1246. n. 39.*

LXXI. Beato Bartholomæo Catanio, de quo ſupra diximus, ad vitam ſolitariam aſpiranti, pii viri & devoti amici Raphael Anlega & Matthæus Sanglada Baleares, lapide uno ab urbe Majoricenſi, in loco valde amœno, fructiferis arboribus & vitibus conſito, tribuſque virente pinetis, Conventum conſtruxerunt. Loci ſolitudo, naturæ ludificantis deliciæ, ſemitarum diſpoſitio & Eccleſiæ elegantia incitamenta ſunt pietatis, & frequentioris acceſſus civium Balearium. Jacet prædictus Bartholomæus, ſpiritu prophetico & miraculis illuſtris, in ſacello, quod ab ipſo cognominatur Magiſtri Catanii, honeſto conditus ſepulcro, anno ab obitu tertio decimo forte exhumatus, & integer inventus.

Conv. Jeſu Majoricen.
Gonz. in Prov. Majoricen.

LXXII. Monaſteria Clariſſarum ſanctæ Paulæ intra urbem Mantuæ, & ſanctæ Claræ de Marieto extra muros ejuſdem civitatis exemit hoc anno Pontifex ab omni regimine & correctione Miniſtri Generalis, ſubjecitque Vicario generali Obſervantum, ita petentibus Principibus Mantuanis: *Apoſtolicæ nobis injunctæ*. V. Idus Maii. Similiter Monaſterium ſanctæ Claræ de Aſtudillo, diœceſis Palentinæ voluit ſubjectum correctioni & viſitationi fratris Sancii de Canalibus, ut in perpetua obſervantia conſervaretur: *Sacræ religionis*. XII. Kal. Julii.

Monaſt. S. Paulæ Mantuanum.
Monaſt. Marieti.
Monaſt. Aſtudill.

LXXIII. Joannes Epiſcopus Anconitanus dedit Antoniæ Miniati de Senis, & Claræ Firmanæ aliiſque Sororibus Tertii Ordinis, Monaſterium ſanctæ Mariæ Novæ intra muros urbis, Ordinis ſancti Benedicti, unitum alteri ejuſdem Ordinis & urbis, *ſancti Bartholomæi* nuncupato, ad quod Moniales propter prioris anguſtias tranſierunt. Donationem hoc anno probavit Eugenius: *Vacantibus præſertim*. IV. Non. Martii. Et uniri juſſit quædam bona ad Sororum, quæ magno numero excreſcebant, ſuſtentationem: *Digna exauditione*. XIV. Kal. Januarii. Poſtea mutato Inſtituto, ſuſceperunt regulam ſanctæ Claræ, acceptis magiſtris ex Monaſterio Corporis Chriſti Piſaurenſi. Antoniæ & Claræ prædictarum, magna ſanctitatis opinione defunctarum, oſſa habent venerationi in pulchra theca & loco editiori. „ Habet etiam vetuſtam ſanctiſſimi Crucifixi Imaginem ligno in-
„ ſculptam miraculiſque præclaram, & ſanctiſſimæ Virginis ſimulacrum,
„ quod prodigioſo eventu ad Monaſterium delatum eſſe conſtantiſſime cre-
„ ditur, quodque confluenti pietatis cauſa multitudini, quotannis in exte-
„ riori templo ſpectandum objicitur, dum Pueri Jeſu, Natalitiis diebus
„ recurrentibus, celebrantur Incunabula. Multæ ibidem ſacræ aſſervantur
„ Reliquiæ, inter quas ſanctæ Urſulæ Virginis & Martyris Caput, authen-
„ ticis præmunitum litteris, peculiarique veneratione a Monialibus cuſto-
„ ditum.

Monaſt. Anconitanum.
Gonzag. in Prov. Marchiæ Mon. 1.
ADDITIO ALIORUM.
Monum. MS. Prov. Marchiæ.

LXXIV. Prope pagum Spineti, vulgo *Carcoſo*, diœceſis Salamantinæ, ad

Monaſt. Spineti.

Digitized by Google

Idem in Prov. S. Jacobi, Monaſt. 12.

ad frondoſi monticuli radices, haud longe a religioſo & celebri delubro Dominæ noſtræ de Rupe Franciæ, Gomezulus de Benavides, oppidi Fromeſtæ dominus, hoc anno domum erexit pro quibuſdam Sororibus Tertiariis, quæ vigeſimum poſt annum ſponte ſubierunt clauſuram, & relictis Fratribus Tertii Ordinis, ſe commiſerunt regimini Fratrum Obſervantum. Viguit hic ſemper regularis diſciplina & divinarum rerum cultus, multarumque virginum (præſertim Mariæ de Benavides, filiæ Marchionis Corteſii, Catarinæ de Maldonado, aliarumque, de quibus ſuo loco) ſanctitudo. Conducit valde virtutibus excolendis loci ſolitudo, amœnitas & ſaluberrimi aeris clementia. Habentur hic in veneratione imagines duæ; una Chriſti Crucifixi in choro; altera in Eccleſia beatæ Mariæ portæ cæli, a qua templum cognominatur.

Varia domicilia Tertii Ordinis.

LXXV. In urbe Placentina Hiſpaniæ ante hunc annum commorabantur ad ædem S. Ildefonſi Sorores Tertii Ordinis, quibus Gondiſalvus Epiſcopus contulit eremitorium ſanctæ Luciæ, a Fratribus ejuſdem Tertii Inſtituti derelictum, quod Pontifex confirmat: *Sacræ religionis*. v. Kal. Auguſti. Conceſſit etiam Joannæ Roderici Sorori Tertiariæ eremitorium ſanctæ Mariæ de Lairo apud villam de Tubere, diœceſis Civitaten. olim Monialium Monaſterium, ut in eo domum religioſam pro ſe & ſuis Conſodalibus ædificaret: *Devotis petentium*. iv. Idus Junii. Confirmavit Sorori Agneti Alfonſi oppidi Corunienſis, diœceſis Compoſtellanæ, poſſeſſionem eremitorii ſanctæ Crucis ſibi conceſſi pro Monaſterio conſtruendo: *Piis votis fidelium*. iii. Idus Maii. Sorores urbis Senenſis, *Mantellatas*, nuncupatas, a regimine & viſitatione Fratrum Tertii Ordinis abſolvit, & Miniſtræ ſuæ gubernandas commiſit: *Cunctorum ſtatui*. Pridie Kal. Septembris.

Monaſt. S. Bernardini Viterbien.
Idem in Prov. Rom. Mon. 9.

LXXVI. Dum Viterbii ſanctus Bernardinus ante aliquot annos in Quadrageſima multos excitaret ad pœnitentiam, multæ virgines & mulieres præſcriptam a ſancto Franciſco pœnitendi normam ſecutæ, auctore Bernardino cohabitare cœperunt. His inſtruendis evocavit ex Monaſterio Fulginate ſanctæ Annæ, Terentiam, Roſatam, Lætitiam, atque Orificam, & prope Eccleſiam ſanctæ Agnetis in domo, civium Viterbienſium virginumque & conſanguineorum ſumptibus conſtructa collocavit, earumque inſtructionem aliquandiu ſuſcepit, qua de cauſa *Sorores fratris Bernardini* ſunt nuncupatæ, & demum poſt ejus canonizationem Monaſterium ipſum ab eo cœpit cognominari. Crevit brevi tempore propter virtutis famam, tum numero Sororum tum ſtructura. Hoc anno adjudicavit Pontifex eis applicari debere quædam bona eis ab Antonio Thomaſio relicta: *Juſtis & honeſtis*. xv. Kal. Maii.

ADDITIO ALIORUM.

„ Hic reverenter aſſervatur & colitur Corpus B. Hiacyn-
„ thæ de Mariſcottis, ejuſdem Tertii Ordinis: cujus acta ſuo loco ad an-
„ num MDCXL. quo ibidem ſanctiſſimæ vitæ curſum abſolvit, deſcribentur.
„ Eam Benedictus XIII. vii. Idus Auguſti anno MDCCXXVI. Beatarum
„ Virginum numero adſcripſit; anno vero ſequenti Altare, eidem Beatæ
„ in hac eadem S.Bernardini Eccleſia dicatum, iv.Id.Novemb.conſecravit.

Domus Lavellen.

LXXVII. Fratribus Laurentio & Paulo Raguſinis, Tertii Ordinis ſancti Franciſci profeſſoribus, conceſſit Michael Epiſcopus, ac Communitas Lavellen. locum quemdam cum horto, vinea, oliveto & ſilva, ut domum religioſam ſibi ſuiſque Fratribus conſtruerent. Conceſſionem Pontifex hoc anno confirmavit: *Sacræ Religionis ſinceritas*. Kal. Aprilis: Dederat Guidoni Presbytero ſancti Leonis, Tertii Ordinis, Antonius Franciſci Prior ſecularis & Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Laurentii de Creneſtello extra muros

Amerina.

Ameriæ, Eccleſiam ſive capellam, ſine cura animarum, ſanctæ Mariæ de Mon-

Monticulis, diœceſis Amerinæ, prædictæ Eccleſiæ ſancti Laurentii ſubjectam, olim habitaculum Fratrum Ordinis prædicti & Eremitarum, ut cum aliis hujus Inſtituti viris commodum extruerent domicilium. Id ratum habuit Pontifex: *Devotarum nobis*. Pridie Idus Novembris. In civitate & diœceſi Cremonenſi, multi erant hujus Inſtituti viri,& plura adhuc retinent domicilia, quorum pars in eremitoriis, pars altera in propriis domibus ſeparatim habitabant, eligebantque ſibi proprium & peculiarem Miniſtrum. Erat autem controverſia circa qualitates ſuffragantium, & quinam deberent ad electionem convenire. Commiſſa cauſa duobus Præſidentibus, electus eſt Marcus, factumque probavit Pontifex,excluſis deinceps Eremitis ab electione: *Iis quæ pro religioſarum*. Non. Septembris. In partibus Fori Julii, Aquilegien. diœceſis, in civitate Auſtriæ & Utinenſi, ſubjecit Vicario & Fratribus Regularis Obſervantiæ, provinciæ ſancti Antonii Fratres & Sorores Tertii Ordinis,eiſque habitum conferendi & domos conſtruendi contulit poteſtatem. *Expoſcit dilectorum*. IV. Kal. Maii. Similiter eodem die & tenore verborum ſubdidit Vicario & Fratribus Boſnenſibus omnes ejuſdem Inſtituti viros & mulieres regni Hungariæ. Cremonenſis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. OSor initæ pacis ab Uladiſlao Hungariæ & Poloniæ Rege cum
„ Amurate II. Turcarum Imperatore, Julianus Cardinalis Lega-
„ tus, adeo apud Pontificem operatus eſt per litteras, quod hic Uladiſlao *Dogl. cit. fol. 44.*
„ reſcripſerit, bellum, nulla habita ratione contracti fœderis cum infideli
„ Chriſti nominis hoſte, proſequendum eſſe, ac ob id ſe a quovis jura-
„ mento, quod interceſſiſſet, abſolvere: itaque Pontifice abſolvente,
„ Cardinali verbo inflammante, decretum eſt reaſſumere arma; & maxi- Amurates mittit
„ me quod Amurates in Carmaniam, regionem Indis conterminam, in exercitum in Europam.
„ cujus Metropoli, *Chirmain* dicta, panni ex auro & argento contexun- *Bert. in deſcrip.*
„ tur, exercitum direxiſset, quod cum illarum gentium Rege ſimultates *Perſia fol. 576.*
„ haberet. Itaque immenſis Eccleſiæ ſumptibus,valido exercitu comparato,
„ & inſtructa nobiliſſima claſſe,Varnam uſque ſive Dionyſopolim urbem ad
„ mare Euxinum, Uladiſlaus, vana ſpe claſſis Chriſtianorum reperiendæ Uladiſlaus victus obit.
„ pervenit: Inopinatorum motuum Uladiſlai Amurates fama commotus,
„ datam & acceptam fidem coram Deo, ſuis cunctis videntibus, execratus,
„ infecto Carmaniæ bello, omnes ſuas copias collegit, in Uladiſlaum, *Bert. in deſcrip.*
„ quem fœdifragum dicebat, iturus ac extrema ſecum experturus, ac ita *Imper. Turc. fol.*
„ fecit: verſa igitur facie regreſſus, corruptis ſpeculatoribus infra Gallipo- *537.*
„ lim,ex Aſia in Europam repente exercitum tranſmiſit; ſolvitque Genuen-
„ ſibus (turpe dictu, ſed verum) penes quos faucium illarum poteſtas erat,
„ centum millia aureorum, & ad Varnæ lacum, ubi noſtri caſtra poſuerant,
„ pervenit, ibique tribus perpetuis diebus, Amurate ſemper Chriſtianos
„ fidei fractæ incuſante, magnis animis utrinque pugnatum eſt; ac tandem
„ Victoria penes Amuratem fuit, licet de ſuis triginta & octo millia ceci-
„ diſſent: Rex Uladiſlaus eo prœlio confeſtus interiit: Unniades ægre ſal-
„ vus evaſit, & Julianus Cardinalis flabellum diſſidiorum & auctor rupti
„ fœderis, ita ſcribit Bertius, equo lapſus miſere animam in devio ſaltu
„ exhalavit. Interea vero Sultanus Cayri, infenſiſſimus & ipſe fidei Chri-
„ ſtianæ hoſtis, Rhodum Inſulam celebrem, ab Aſiæ continenti XX. M. P.
„ remotam, & ab anno MCCCVIII. pulſis Sarracenis, Joannitarum militum
„ munitiſſimum præſidium & firmiſſimum Chriſtianorum propugnaculum,
tertio

„ tertio aggredi parabat: illis & his bellicis rumoribus, paſtorali ſollicitu-
„ dine anxius, plurimum Eugenius angebatur, pervigilque fiebat ad im-
„ minentia mala cavenda: his de cauſis pluribus Fratribus noſtris diverſas
„ in mundi partes miſſis, ad certa munia obeunda, neceſſitudinibus oppor-
„ tuna, uſus eſt, ut ex noſtris Annalibus luculenter apparet, & etiam
„ ex nonnullis eorum, quæ nobis addenda occurrunt, apparebit.

„ II. In Orientem Fratribus, qui pro Eccleſia tranſmigrabant, plura
Plures alias litteras expedit. „ privilegia conceſſit pridie nonas Januarii: *Paſtor bonus &c.* quo tempore
„ fratrem Ludovicum iis in partibus Vicarium amandabat: *Dum onus &c.*
„ VI. Kal. Februarii Indulgentia pro noſtra Eccleſia ſanctæ Mariæ in Tran-
„ ſilvania, ubi plurimi rumores ac terrores Martis audiebantur: *Dum præ-*
„ *celſa &c.* & beneficio Eccleſiaſtico pro fratre Dominico expeditis: *Reli-*
„ *gionis zelus &c.* fratrem Matthæum de Rhegio in Siciliam Nuncium
„ miſit: *Pia mater &c.* ipſis vero Kalendis, Fratribus Seraphino & Lauren-
„ tio, ut antea commiſerat, noviter colligendi ſubſidia contra Turcas
„ commendavit: *Cum per alias &c.* ſicut etiam fratri Franciſco de Platea
„ Vicario Terræ laboris, quem Nuntium ad Patriarchatum Gradenſem &
„ Aquilejenſem miſerat cui pariter paucis poſt diebus, neceſſariorum pro
„ ſubſtentatione exercitus Chriſtiani proviſionem commiſit: *Pia mater &c.*
„ XIV. Kal. Martii, contra Miniſtrum provinciæ Aragoniæ VI. Kal. ejuſdem
„ expeditis litteris: *Apoſtolicæ ſollicitudinis &c.* ac III. Kal. habilitato
„ fratre Henrico ad beneficium Eccleſiaſticum: *Religionis zelus &c.*
„ XVII. Kal. Aprilis ut Fratres in provincia Siciliæ poſſent recipere qua-
„ tuor loca conceſſit: *Ad uberes &c.* V. Idus Maii Monaſteria Mantuæ
„ Clariſſarum, a Vicario Generali Ordinis Minorum viſitari voluit: *Apo-*
„ *ſtolicæ Sedis &c.* III. Idus ejuſdem beato Joanni de Capiſtrano, fratri
„ Franciſco de Agropolo & fratri Ludovico Nuntio veteris Caſtellæ, ſub
„ eodem tenore, & pro eodem negotio ſcripſit: *Cum te &c.* Fratribus ve-
„ ro provinciæ Tranſilvaniæ poſſe abſolvere omnes Fideles vel Apoſtatas
„ ad ſe venientes indulſit: *Sacræ Religionis &c.* & paucis poſt diebus in-
„ dulgentiam pro reparatione ſuarum Eccleſiarum: *Licet is &c.* XVII. Kal.
„ Junii Abbatiſſam Monaſterii Valliſoleti confirmavit: *Inter ſollicitudi-*
„ *nes &c.* XII. Kal. ejuſdem fratri Petro Ferrerio, ad opus Evangelicum
„ inter Infideles deſtinato, privilegia conſueta conceſſit: *Paſtor bo-*
„ *nus &c.* Noſtræ redemptionis locorum non oblitus, pro iiſdem colle-
„ ctionem eleemoſynarum indixit: *Satis notum &c.* III. Idus ejuſdem men-
„ ſis. XVI. Kal. Julii pro eleemoſynis ſubſidiariis, & diſponenda claſſe
Ex Quareſm. fol. 902. „ litteras expedivit ad Fratres Jacobum de Primadiciis, alterum Jacobum
„ de Senis, Sylveſtrum item de Senis & Richardum de Reſtis: XII. Kal.
„ ejuſdem menſis fratri Lupo Palentino, Palentinum Cœnobium refor-
„ mare commiſit: *Et ſi Romanns &c.* ac tollere interdictum, cui ſubjace-
„ bat: *Nuper ad notitiam &c.* voluitque Fratres de Obſervantia remanere
„ in eo: *Apoſtolicæ Sedis &c.* voluit etiam fratrem Jacobum de Capua non
Indic. ex Vatic. „ removeri a regimine Monaſterii Monialium: *Quoties id a nobis &c.* &
„ pro viſitatione Monaſterii ſanctæ Claræ de *Otordeſillas* providit: *Sacræ*
„ *religionis &c.*

„ III. Venerabilis frater Hieronymus Agrigentinus hoc elogio deco-
„ rus. Indoctus, virtute præclarus nobis occurrit: & bene; indoctus qui-
In Regula c. 10. „ dem ab hominibus, cum juxta monitum S. P. Franciſci, humanarum lit-
„ terarum neſcius, litteras diſcere non curaverit: in hujus mundi paleſtra,
„ ipſa natura magiſtra, didicit hoc unum; Deum omnium rerum princi-

pium

,, pium & finem eſſe, a quo omne bonum optimum & omne donum per-
,, fectum deſcendit: quamobrem illi ſoli, in quo ſunt omnes theſauri ſa-
,, pientiæ & ſcientiæ, ſe ſe mancipare decrevit, ac triplici amoris vinculo,
,, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis unire; hæc ſua fuere vota, quæ
,, fideliter reddere Deo ſategit, & aliquando ne ab adeo nobili propoſito
,, deficeret, Deo jugiter orans humiliter dicebat: Domine Deus & amor
,, meus, quæſo, ne forte decipiar, fac ut noverim te & noverim me;
,, nec ab hujuſmodi, vel minimum oratione vacabat: illuxit igitur, qui
,, prius amat quam ametur, amanti Deus: illo lumine, quo illuxit ei miſe-
,, ricors & amans Deus, eum pro ſuo poſſe cognovit, ſed eo in ipſo lumine
,, divino Deum cognoſcens, ſuum nihil eſſe intellexit; ſicque humillimo
,, omnes virtutes adſuerunt: nunc Hieronymum Agrigentinum dic indo-
,, ctum, ſed adde, virtute corruſcum. Hujus elogii juſtitiam noverunt ſui,
,, qui eum ſibi ipſis in Superiorem Provinciæ commiſſum, ut virtutum *Bajard. ex Martyrol. Franciſcan. 2. edit. ad diem 28. Februarii.*
,, exemplar excitans & inflammans, obſtupuerunt. His temporibus in Sici-
,, lia florens admirabatur; & Arthurus in Martyrologio Franciſcano diem
,, feſtum illi dixit XXVIII. Februarii.

,, IV. In odæi medio Conventus Vanatenſis apud Armoricos, ac tu-
,, mulo perantiquo Arthuri II. Britanniæ Ducis, & ejuſdem Conventus *Monum. MSS. Prov. Turon.*
,, Fundatoris, Illuſtriſſima D. Jolanda de Andegavo Franciſci Principis &
,, Ducis Britanniæ, hoc anno tumulata eſt.

ARGUMENTUM.

Agitur de canonizatione ſancti Bernardini, procurante beato Joanne Capiſtrano. Mittuntur Nuncii Minoritæ ad varias partes. Tertium amandatur in Orientem Jacobus Primadittius. Albertus Sartianenſis prædicat fructuoſe in Ducatu Mediolanenſi, & beatus Jacobus Picenus in Umbria & Valle Spoletana. Inſtituuntur Epiſcopi. Florent BB. Lanceslaus Hungarus, & Franciſcus Ticinenſis. Referuntur duo graviſſima exempla Dei vindictæ in Minoritam unum de ſua virtute ſuperbientem, & in alterum gulæ indulgentem. Juliano Cardinali Ordinis Protectori defuncto ſubſtituitur Dominicus Capranica Cardinalis. Dilatatur Inſtitutum.

I. STATIM poſt obitum ſanctus Bernardinus tot refulſit miraculis, ut omnium votis judicaretur dignus, qui inter Cælites recenſeretur. Alphonſus proinde Aragonum & Siculorum Rex, Senenſis & Aquilana civitates (quarum illa ortu, hæc occaſu gloriabatur) ſuos Oratotes miſerunt ad Eugenium Pontificem, ut Sanctorum catalogo eum dignaretur adſcribere. Rem mature diſcutiendam cenſuit Eugenius, examenque miraculorum commiſit tribus Cardinalibus, in hoc diplomate nominatis.

Mittuntur Oratores pro canonizatione S. Bernardini.

Dilectis filiis Nicolao, tituli ſancti Marcelli, & Guillelmo, tituli ſancti Martini in Montibus Presbyteris, ac Alberto ſancti Euſtachii Diacono Cardinalibus, ſalutem &c.

II. *SAncta fidelium mater Eccleſia, Chriſti Salvatoris noſtri ſponſa nos docet, ut fidelium animas ſuperna ac cæleſti beatitudine fruentes, debita reverentia proſequamur. Quas tunc Deo acceptas, & in Beatorum numero collocatas ac aggregatas eſſe intelligimus, cum fidelibus aliquo calami-*

Ex lib. 23. Bullarum fol. 39. Cõmittitur examen tribus Cardinalibus.

mitacis genere oppreſſis, earum ſuffragia devote implorantibus, meritis earumdem intercedentibus, divina omnipotentia miraculoſe ſubvenire dignatur in teſtimonium beatitudinis earumdem ſempiternum. Exhibita ſiquidem nobis pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi, Aragonum Regis illuſtris, necnon dilectorum filiorum Oratorum Senenſis & Aquilanæ Communitatum, petitio continebat, quod cum religioſæ memoriæ Bernardinus de Senis, Ordinis Minorum profeſſor, de Obſervantia *nuncupatorum, in civitate Aquilana e vita migraverit, nonnulli claudi, & diverſis aliis morborum generibus impliciti, conſiderantes vitæ ſanctimoniam ipſius Bernardini, ardore devotionis & fidei inflammati, ad ejus corpus humiliter accedentes, ibidemque proſtrati, divina benignitate operante, ab eorum infirmitatibus liberati ſunt, & ſæpius etiam liberantur, prout in publicis inſtrumentis a gravibus Tabellionibus ſolemniter editis plenius continetur. Quare Rex & Oratores prædicti, deſiderantes, ut juxta morem & ritum Romanæ Eccleſiæ, idem Bernardinus canonizationis dignitate præfulgeat, & Sanctorum numero & catalogo aggregetur, pro parte eorumdem nobis in publico Conſiſtorio præſidentibus, iteratis vicibus per dilectum filium Juſtinum de Planca civem Romanum, Advocatum Conſiſtorialem, miraculis hujuſmodi longo & gravi ſermone explicatis, fecerunt ſupplicari, quatenus aliquibus ex venerabilibus Fratribus N.S.R.E. Cardinalibus committere, ut de & ſuper vita dicti Bernardini & miraculis hujuſmodi & eorum circumſtantiis univerſis ſe ſolemniter & diligenter informent, & habita ſuper iis informatione matura, ea quæ repererint, nobis & reliquis Cardinalibus fideliter referant, & aliter ſuper hujuſmodi pia ſupplicatione opportune providere dignaremur. Nos igitur gloriam divini nominis ampliari, & Catholicam fidem ſuos ſacros palmites continuo dilatare, noſtris præſertim temporibus, ſupremis deſiderantes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quorum grave judicium & præcipuam prudentiam ac ſincerum conſilium in maximis noſtris & dictæ Eccleſiæ negotiis comprobatum a nobis extitit, de eorumdem Fratrum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus, ut vos aut aliquæ Eccleſiaſticæ perſonæ in dignitatibus conſtitutæ, comprobatæ integritatis & doctrina ſacrarum litterarum peritæ, quas ad id deputandas eſſe duxeritis, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis & eorum circumſtantiis univerſis diligentem informationem recipere ac veritatem elicere ſtudeatis, & habita ſuper iis matura informatione, quæ veritati innixa eſſe inveneritis, ſive hujuſmodi deputandi invenerint, nobis in ſecreto Conſiſtorio fideliter referatis, ut una cum veſtro & prædictorum Cardinalium conſenſu, ad divini nominis laudem ea efficere valeamus, quæ ſanctorum Patrum dogmata, & ſacrorum Canonum inſtitutiones ac juſtitia, & Chriſtiana caritas poſtulat & requirit: ſuper quibus plenam & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, vobis tenore præſentium concedimus facultatem. Verum, cum inter ceteras graviores cauſas, quæ apud Sedem Apoſtolicam agitantur, hæc graviſſima ſit, & in eadem omnis diligentia & conſcientiæ ſinceritas adhiberi debeat, ut in hac cauſa non ſimulata, ſed ſolida veritas elici poſſit, volumus, ut hujuſmodi perſonæ a vobis deputandæ, quamquam graves quidem fore exiſtimemus, in manibus veſtris præſtent juramentum, ut omnia a vobis eis commiſſa, ſolum Deum ac veritatem præ oculis habentes, prout ſacri Canones dictant, omni ſtudio & diligentia exequantur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLV. XVII. *Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno* XV.

III. Pro-

III. Promovebat ſedulo Joannes Capiſtranus negotium illud, & magiſtri ſui gloriam, qua poterat diligentia, tum apud Eugenium tum apud Principes & populos urgebat. Diſtrahebatur tamen duplici munere & Vicariatus generalis ſui Ordinis & Nunciaturæ Apoſtolicæ per univerſam Italiam, ut ad ſacrum bellum & auxilium ferendum contra Turcas, Europæ dominio inhiantes, Principes & populos convocaret. Jam imminebat tempus Vicariatum deponendi, vel quia Pontifex ſtatuit ut tribus dumtaxat annis duraret, vel quia ipſe Capiſtranus inſtabat ut finiret. Quare emiſſo hoc decreto, datiſque litteris ad utrumque Vicarium Ciſmontanum & Ultramontanum, intimavit Eugenius, ut pro eligendis ſucceſſoribus anno ſequenti comitia celebrarent.

Urget negotium B. Joannes Capiſtranus.

Indicuntur Comitia Obſervantũ pro anno ſequenti.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, & Fratrum ejuſdem Ordinis de Obſervantia nuncupatorum citra montes Vicario generali, ſalutem &c.

IV. *Regimini univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, curis urgemur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis diſpenſationis officium, ſubditorum quorumlibet, præſertim ſub regulari Obſervantia viventium, juge, quantum ex alto nobis conceditur, ſollicitudinis ſtudium impertiamur, & iis, quæ pro divini cultus, necnon Religionis incremento provide facta comperimus, libenter adjiciamus Apoſtolici muniminis firmitatem. Sane cum nos dudum, videlicet ultimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno* XIII. *conſtitutionem & deputationem, quibus dilectus filius Antonius de Ruſconibus ſacræ Theologiæ profeſſor, & Generalis Miniſter totius Ordinis Minorum, te, ac dilectum filium Joannem de Mauberto, ejuſdem Ordinis etiam profeſſorem, domorum, locorum & Conventuum Fratrum dicti Ordinis Minorum* de Obſervantia *nuncupatorum, citra & ultra montes conſiſtentium Vicarios generales fecit, conſtituit & deputavit, per quaſdam alias noſtras litteras confirmaverimus & approbaverimus, prout in ipſis plenius continetur, & inde, experientia teſte, didicerimus, non ſine cordis lætitia, deputationem & conſtitutionem hujuſmodi ipſius Ordinis Fratribus*, de Obſervantia *nuncupatis, in ſuo ſtatu plurimum profeciſſe, cum ſilentio quodam reclamationum, quæ aures noſtras ſæpiſſime propulſabant, & mentis quietudine, qua devote contemplationi & ſacrarum litterarum ſtudiis diſponuntur, fugata evagationis materia, cum multitudine ad eamdem Obſervantiam convolantium novitiorum. Ut igitur liberius & libentius in bono perſeverent, & perſeverantia notior habeatur, portenturque ad aream Domini manipuli plenæ meſſis; tenore præſentium, motu proprio, non ad alterius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tibi committimus & mandamus, quod tu convocare poſſis & debeas hoc anno, quo inſtat finis officii tui Vicariatus, ubi & quando tibi placuerit, Vicarios & diſcretos provinciarum & Vicariarum tibi ſubjectarum, & ante finem tui officii capitulariter congregare, qui ſic congregati facultatem habeant eligendi, & eligere teneantur unum Religioſum ejuſdem Ordinis in Vicarium Generalem Ciſmontanum, & electione facta, eam, quam primum commode fieri poterit, Generali Miniſtro totius Ordinis faciant præſentari, quam ipſe Miniſter infra triduum confirmare, ipſique electo committere debeat plenarie vices ſuas, ut in dictis aliis, de quibus ſupra fit mentio, factis conceſſione & commiſſione continetur: quam quidem electionem ſi infra triduum hujuſmodi dictus Generalis confirmare*

Ex lib. 5. bullar. fol. 306.

diſtulerit, ex tunc electus ipſe cum prædicta poteſtate confirmatus omnimode cenſeatur, uſque ad triennium tunc ſecuturum, noſtra & Sedis Apoſtolicæ auctoritate; interim autem donec confirmatus fuerit, exerceat auctoritate noſtra officiam ipſum Vicariatus provinciæ, ubi Capitulum fuerit celebratum. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, pridie Kal. Novembris, Dominicæ Incarnationis anno MCCCCXLV. *Pontificatus noſtri anno* XV.

Dilecto filio Joanni de Mauberta Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, & Fratrum ejuſdem Ordinis de Obſervantia nuncupatorum ultra-montes Vicario Generali, ſalutem &c.

Ibidem.

V. *Regimini univerſalis Eccleſiæ &c. Sane cum nos dudum, videlicet ultimo Kal. Auguſti &c. anno* XIII. *conſtitutionem & deputationem, quibus dilectus filius Antonius de Ruſconibus, ſacræ Theologiæ profeſſor & Generalis Miniſter totius Ordinis Minorum, te ac dilectum filium Joannem de Capiſtrano &c. domorum, locorum & Conventuum Fratrum dicti Ordinis Minorum* de Obſervantia *nuncupatorum citra & ultra montes &c.* ut ſupra in alia; *motu proprio &c. tibi committimus &c. quod tu convocare poſſis &c. qui ſic congregati facultatem habeant eligendi unum Religioſum &c. in Vicarium geneneralem ultra-montanum &c. Datum ut ſupra.*

Varii Nuncii Minoritæ.

VI. Erant hoc anno Pontificii Nuncii, in regnis Caſtellæ & Legionis frater Rodericus de Oña; in Italia apud varios Principes frater Guido Ariminenſis; in Exarchatu Ravennæ frater Jacobus de Primaditiis Bononienſis, & frater Franciſus de Platea. Primo ſcripſit ut magnam pecuniarum vim apud ſe depoſitam in ſacri belli ſumptus mitteret; duobus poſterioribus facultates conceſſas pro Exarchatu extendit ad univerſam Italiam, addita etiam eminentiori poteſtate.

Dilectis filiis Jacobo de Primaditiis de Bononia, & Franciſco de Platea Fratribus Ordinis beati Franciſci de Obſervantia regulari, Nunciis noſtris &c.

Ex lib. 23. Bullarum fol. 49.

VII. *Cum pro maximis noſtris & Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus, impetrandi ſubſidia a Chriſtifidelibus ad armandum claſſem, quam, Domino concedente, ad præſens mittimus ad partes Orientis adverſus Chriſti hoſtes, vobis certas dederimus facultates in Exarchatu Ravennæ, prout in litteris Apoſtolicis ſuper inde confectis latius continetur. Nos cupientes, ut veſtra devotio, de quorum prudentia & vitæ munditia ſpem in Domino ampliſſimam obtinemus, eo nobis & Eccleſiæ utilius ſerviat, quo majori & ampliori fueritis a nobis facultate muniti, eaſdem facultates omnes vobis in prædicto Exarchatu conceſſas, ad omnes Italiæ partes in omnibus & per omnia, auctoritate Apoſtolica extendimus, ut in prædictis omnibus Italiæ partibus illas pariter ſicut in prædicto Exarchatu valeatis exercere. Volentes etiam quod non ſolum prædicatoribus divini verbi præcipere poſſitis, quod ea dicant circa prædicta, quæ illis duxeritis injungenda, ſed vos etiam & a vobis inſtituti, quando vobis viſum fuerit, prædicationem aſſumere &c. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Quod ſi quis obtemperare neglexerit, vel contra veſtrum præceptum prædicare præſumpſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Si autem aliqui, quod non*

non credimus, hujuſmodi litteris noſtris directe vel indirecte auſi fuerint contradicere, aut vos & a vobis ſubſtituendos infamare, & in tam pio opere aliqualiter injuriare vel perturbare, eos ad omnem requiſitionem veſtram volumus & præcipimus, per venerabiles Fratres noſtros Epiſcopos, in quorum diœceſibus talia fieri contigerit, carceribus mancipari; & nihilominus devotionis veſtræ perturbatores & infamatores prædictos excommunicandi & excommunicatos denunciandi concedimus facultatem. Ceterum ut onus iſtud vobis injunctum melius ex veſtri animi ſententia perficere valeatis, ut inſtitutos a vobis ad dictum opus, quoties placuerit, revocare & alios in eorum locum ſubrogare & deputare poſſitis; quibus omnibus tam ſubſtitutis quam ſubrogatis probibeatis atque præſcribatis ne alia auctoritate aliqua, præterquam a vobis ſibi conceſſa, utantur, tenore & auctoritate prædictis, facultatem concedimus & plenariam poteſtatem. Volentes auctoritate prædicta, in veſtrum & prædictorum ex veſtra ordinatione laborantium mercedem & præmium animarum, quod tam vos ambo quam prædicti omnes inſtituti & inſtituendi ac ſubrogandi, & alii quomodolibet in hoc pio opere laborantes, eamdem plenariam omnium peccatorum ſuorum, de quibus ore confeſſi & corde contriti fueritis & fuerint, remiſſionem conſequamini & conſequantur. Volentes etiam quod omnes gratiæ per Sedem Apoſtolicam hactenus conceſſæ circa abſolutionem peccatorum, & diſpenſationem in votis, & circa caſus reſervatos tam Sedi Apoſtolicæ quam Epiſcopis, quorum vigore aliquod impedimentum afferri videretur hujuſmodi pio operi per vos aut veſtros ſubſtitutos exercendo, tamdiu ſuſpenſæ remaneant, quouſque veſtra hujuſmodi facultas & commiſſio durabit. Et quod eos qui manus violentas in Clericos injeciſſent, dummodo læſio ſit citra mortem aut membrorum mutilationem aut perpetuam debilitatem, abſolvere valeatis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLV. X. *Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno* XV.

VIII. Primaditii operam & religioſam induſtriam poſtquam in hoc munere probavit Eugenius, dilabente anno, ad Orientem, ubi bis laudabiliter Sedis Apoſtolicæ negotia peregit, deſtinare decrevit, ſub titulo *Commiſſarii Pontificii*, ut fidei cauſam promoveret, & ſui Ordinis domos reformaret. Amplæ adhibitæ auctoritatis inſtrumentum hic exhibeo.

Jacobus Primaditius fit Commiſſarius Apoſtolicus in Oriente.

Dilecto filio fratri Jacobo de Primaditiis de Bononia, Ordinis Minorum, qui dicuntur de Obſervantia regulari, Commiſſario noſtro &c.

IX. *SUadent nobis probata in multis arduiſque noſtris, Romanæ Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ negotiis, tuæ devotionis fides atque integritas, & in exequendis commiſſionibus tibi factis maxima diligentia, ut omnia tibi fidenter committamus, quæ ad Dei noſtri honorem, fidei & tuæ Religionis augmentum, & locorum piorum reformationem & conſervationem, votive fieri cupimus & impleri. Cum itaque in partibus ultra-marinis, præſertim Orientalibus, & in Provincia Romaniæ multa ſint loca tui Ordinis Fratrum & Sororum, quæ propter nimiam a Romana Curia diſtantiam, & alias ob Prælatorum idoneorum carentiam minus bene, quam cupiamus & fieri deberet, gubernantur. Cupientes dictorum locorum & inhabitantium Fratrum reformationi, bono regimini & animarum ſaluti ſalubriter providere, eaque ratione mittentes devotionem tuam ad eaſdem partes, te in ipſis ultra-marinis Orientalibus partibus, & maxime in Provincia Romaniæ Commiſſarium noſtrum, cum poteſtate & plena facultate omnia & ſingula dicta-*

Ex lib. 24. Bull. fol. 7.

dictarum partium loca Fratrum & Sororum dicti Ordinis & eorum Conventus, Fratres, Moniales & Sorores tam in capite quam in membris viſitandi, reformandi, citandi, puniendi, carcerandi, privandi, inſtituendi & deſtituendi, omniaque alia & ſingula faciendi, ordinandi, præcipiendi, mandandi & diſponendi, quæ hujuſmodi viſitationem & reformationem exigere & expoſcere judicabis, aut quæ dilectus filius tui Ordinis Generalis facere poſſet, ſi perſonaliter intereſſet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus atque etiam deputamus. Volentes, ut ſi forte aliquos vel aliquas invenies tuis mandatis & ordinationibus inobedientes, aut alias reſiſtentes, eos omnes per cenſuras Eccleſiaſticas, & invocationem brachii ſecularis, valeas coercere; mandantesque auctoritate & præſentium tenore prædictis omnibus & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis civitatum, terrarum, locorum, in quibus loca per te viſitanda erunt, ut quoties a te fuerint requiſiti, quoſcumque ex prædictis, mandatis tuis obedire recuſantes, carcerent & puniant, prout duxeris ordinandum. Ut autem hujuſmodi commiſſionem tibi per nos factam eo commodius exequi poſſis, quo pluribus a nobis gratiarum conceſſionibus fueris communitus, omnes utriuſque ſexus in prædictis commiſſionis tuæ locis, qui tibi aut ſubſtituendis a te Fratribus tui Ordinis voluerint confiteri, audiendi, & a peccatis quæ fuerint confeſſi, etiam ſi talia forent propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, per te ipſum aut per ipſos a te ſubſtituendos, abſolvendi in forma Eccleſiæ conſueta; eos quoque ex Fratribus tui Ordinis Clericos, qui viderentur tibi parum idonei ad divinum celebrandum officium, etiamſi pro Clericis profeſſionem emiſiſſent, faciendi laicos, & ſeculares quoſcumque ad Ordinem tuum venire cupientes recipiendi, & ad profeſſionem admittendi, illoſque in locis, quibus tibi videbitur, deputandi, abſque eo quod aliquis tui Ordinis Prælatus id valeat prohibere; necnon ab illis Fratribus novitiis per te, ut prædicitur, receptis, & pariter ab aliis qui a quocumque alio & in quibuſcumque locis novitii eſſent recepti, petendi; ut ex bonis, quæ ſunt dimiſſuri, eleemoſynas tibi faciant ad locum Conſtantinopolitanum deferendas, pariterque petendi pro dicto & aliis ultramarinis locis tui Ordinis eleemoſynas a quocumque & in quacumque Provincia; prædicandi quoque verbum Dei; ubicumque te eſſe contigerit, tam in Conventibus Fratrum tui Ordinis, quam alibi, exceptis Cathedralibus & Parochialibus Eccleſiis, quarum Prælati & Rectores id gratum non haberent; aſſumendi etiam tecum & in ſocietate tua tres tui Ordinis Fratres tam in Italia, quam extra eam, & commorandi quanto tempore volueris in quocumque tui Ordinis loco cum dictis tribus ſociis, abſque eo quod Prælati eorumdem locorum te poſſint, priuſquam volueris, ejicere & licentiare; & libros aliaque ad tuum ſociorumque tuorum uſum neceſſaria portandi tecum, licentiam, poteſtatem, & plenam, auctoritate & tenore prædictis, concedimus facultatem. Volentes atque mandantes, quod in aliquo ſupradictorum nullus nobis inferior nullo modo te valeat impedire. Datum Romæ apud S. Petrum, anno &c. MCCCCXLV. *Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno* XV.

Albert. Sartian. prædicat utiliter in Ducatu Mediolanenſi.

X. Beatus Albertus Sartianus, poſtquam in urbe numeroſiſſima Mediolanenſi plenæ meſſis manipulos ſacri verbi falce in horreum invexit Dominicum, expletis concionibus Quadrageſimæ, oppida, vicos & caſtella cœpit circuire, opimas prædas animarum reportaturus. Id vel ipſe indicat in calce opuſculi, quod *de conditione amicitiæ, & de malitia invidentiæ*, ad Thomaſium Bibium Cyprium inſcripſit: *Sumus*, inquit, *in dies hinc abituri*,

ri, ut agri feracis, hoc eſt, religioſi populi & piæ plebis Mediolanenſium civitatis, Chriſto propitio haud vacuis manipulis, expleta jam meſſe, ad exemplum Salvatoris civitates & caſtella, oppida atque ſuburbana ejus circumeamus, conſtituentes vel in ordine pœnitentium peccatores. In quo nos grandi munere, ſi nobis non meliora atque altiora Dei gratia proventura non ſint, utinam tamdem aliquando defungi contingat. Cujus Apoſtolici miniſterii alto faſtigio ſi ſenſu, ſi ſpiritu, ſi conſtantia, ſi eruditione, ſi cœleſti, ne dicam humana quæ parum ad ſalutem valet, eloquentia careamus: ſi denique id, quo maxime opus eſt, magna illa diſcretione ſpirituum ſimus impares; bona tamen ſpe eſſe debemus, unius ſalutem multorum precibus facile conſequendam; cujus quotidiano labore in gloriam Chriſti, & in ædificationem corporis eius, quod eſt Eccleſia, multorum ſalus & optatur & quæritur. Vale ex Mediolano, XX. die Maii MCCCCXLV. Et in fine epiſtolæ ad conſodalem amicum: *Vale*, ait, *ex Buſto Arſitio, agri Inſubrium, die* XXX. *Maii, anno* MCCCCXLV. *dum illic pro noſtro more prædicando circumeuntes, quæ nos litteræ forte non compererint, mitte ad Cumenſem civitatem, quo celeriter ſumus profecturi.* Ex oppido Galaratæ, ubi magno fœnore prædicavit, pridie Kal. Julias miſit doctum opuſculum ad fratrem Antonium Raudenſem, cui titulus & argumentum: *Quod nihil noceat ad virtutem humili loco naſci.*

XI. Nihilo ſegnius beatus Jacobus Picenus hoc anno in Umbria & valle Spoletana diſſeminabat verbum Dei, præſertim in urbe Fulginei, civium ſeditionibus pene conſumpta. Adeo efficaciter dixit & docte perſuaſit, ut depoſitis odiis, in mutuos irruerint amplexus.

Jacob. Picenus prædicat in Piceno & valle Spoletana.
Jacobil. in vita B. Paulut. c. 13.

XII. Sagonenſis Epiſcopus in Corſica inſtitutus eſt hoc anno frater Joannes..... per ceſſionem Georgii tituli S. Anaſtaſiæ Cardinalis de Fliſco, XII. Kal. Julii. Crenſis & Terminiarum, ſub Archiep. Athenien. frater Franciſcus ...... per obitum Franciſci, Pridie Non. Junii. Cephaludenſis in Sicilia, ſub Archiep. Meſſanenſi, frater Lucas de Sarzana, Siculus Agrigentinas, per translationem Antonii ad Agrigentinam, X. Kal. Aug. Motulanus in regno Neapolitano, ſub Archiep. Tarentino, Antonius, quem diximus Epiſcopum Gallipolitanum, per tranſlationem Petri ad Eccleſiam Gallipolitanam, III. Kal. Aug. Balneoregienſis in provincia Romana, frater Carolus de Matelica, per obitum fratris Benedicti, Kal. Octobris. Laudat hoc anno Pontifex fratrem Nicolaum de Azara, quod bonis operibus & aſſidua prædicatione in tractu Tridentino plurimos retraxerit a ſequela Felicis pſeudo-Pontificis, olim Ducis Sabaudiæ.

Fr. Joan. Epiſc. Sagonen.
Fr. Fran. Epiſc. Cren.
Fr. Lucas Cephalud.
Fr. Anton. Motulan.
An. 1443. n. 12.
Fr. Carol. Balneoreg. Nicol. de Azara.

XIII. Floruit hoc tempore plurima virtute & ſanctitate beatus Lanceslaus ex regia Hungariæ proſapia, vir juſtus & timens Deum, in ſancta oratione & contemplatione aſſiduus, frequenter extra ſe raptus, præſertim in locis ſolitariis, in quibus ſæpiſſime immobilis longo hærebat tempore, nihil ſentiens moleſtiæ corporis, quam aliquando Fratres inferebant, vel ad probandum, an ſpiritus ex Deo eſſet; vel ut in ſe reverſus, excitatis ſenſibus, languenti & egeno corpori indulgeret. Aliquando videbatur e terra elevatus, & magno circumdari lucis ſplendore. Sui Inſtituti obſervantiam in perfectiſſimis quibuſque profeſſoribus æmulatus, abiit in Italiam, ubi maxime tunc vigebat diſciplina regularis, & perluſtratis beati Franciſci & ſancti Angeli Provinciis, demum hæſit in Tuſcia, ſub obedientia beati Thomæ Florentini, in Conventu Scarlini. Non dedignatus eſt homo doctus & nobilis prompte in omnibus obedire viro ſimplici, laico, humili genere ſato, & ad nutum, quo jubebat, abire. Cum ſanctus Bernardinus opere & ſer-

Floret B. Lanceslaus.
Marian. cap. 19. Marc. 3. par. l. 2. c. 25.
Chron. antiqua.
Ejus virtutes.

ſermone in Lombardia multos ad juſtitiæ ſemitas revocaret, ſuis Conſodalibus domicilia conſtrueret, & plurimos adoleſcentes Sodalitio aggregaret, mittebantur ex provinciis Umbriæ & Etruriæ, qui domos regerent, & tirones inſtruerent: atque inter hos deſtinatus eſt Lanceslaus, domus ſancti Angeli apud Mediolanenſes Guardianus. Graſſante poſt hæc peſte, obierunt ex Fratribus ſibi ſubjectis ferme viginti, qui contagione infectis, in variis locis populoſæ urbis inſerviebant: quorum animas in cœlum magno ſplendore coruſcantes abiiſſe conſpexit Guardianus, & ſuper corpus cujuſdam laici non tantæ inter Conſodales opinionis, omnium poſtremo defuncti, radium de cœlo deſcendiſſe fulgentiſſimum, & mox animam in cœlos fuiſſe aſſumptam.

Inſtituitur Guardianus Mediolan.

XIV. Cohabitabat frater Franciſcus Ticinenſis, ſive de Papia, vir ſanctus, cujus geſta alias referemus, qui cum infirmorum deputaretur obſequiis & de ſupradictorum meritis & virtutibus alloqueretur Guardianum, præmium etiam cumulatiſſimum illos accepiſſe, ab eodem intellexit. Interrogavit ille aliquando Lanceslaum, an tuta conſcientia & pacato animo liceret Fratribus in illo Conventu, ſtructura nobili & multa ſupellectile locuplete, a Patribus Conventualibus ad ipſos translato, commorari? Atque eo majori cruciandum ſcrupulo judicabat ipſum Lanceslaum, quo vehementiori ſtudio regna & Provincias percurrit extremam amplexurus paupertatem. Cui ille: *Fateor, cariſſime frater, me hucuſque deceptum, reputaſſe paupertatem, virtutum omnium primam: ſed in veritate comperio, ſummam veri Minoritæ perfectionem in ſancta obedientia, & vera humilitate conſiſtere.* Admiratus frater Franciſcus, propter pii viri & venerandi Superioris reverentiam, conticuit, etſi reſponſum minime probaverit. Extincta peſte, Veronam, unde exierat, regreſſus, cum audiret Lanceslaum, expleto officio, ad humile tuguriolum Scarlini reverſum obiiſſe, orationibus aſſiduis multiſque vigiliis petiit a Domino ejus ſtatum ſibi revelari. Tamdem obtinuit, ut ſibi oſtenderetur glorioſus inter alios ſanctos Minoritas, Chriſti etiam fruens amplexibus.

Quid ſentiebat de magnis & commodis Cœnobiis?

XV. Non inanis, neque prorſus ſuperflua hinc deſumi poteſt doctrina pro iis, qui perfectionis apicem in ſumma rerum ponunt egeſtate. Non enim bonorum penuria, ſed voluntatis compreſſio inter inſignes virtutes connumeratur: *Beatos pauperes ſpiritu* proclamavit Dominus, & primos commendavit, *humiles ſcilicet mente atque contritos ſpiritu, ſeu voluntate. Fundamentum quoddam ſorte atque munitum hanc primam ſententiam collocavit, ſiquidem unuſquiſque, humilitate ſuppoſita, tutiſſime cuncta alia ſuperponit ædificans: hac vero ſubducta, etiamſi ad ipſum uſque cœlum converſationis ſublimitate pervenias, ſimul omnia ſubtrahuntur, atque in finem peſſimum relabuntur. Nam ſive orationem, ſive jejunium, ſive pudicitiam, ſive aliud quid bonorum, abſque humilitate congreges, ſtatim cuncta defluunt, cunctaque depereunt.* Parum refert ſi exterius vileſcas, dum intus intumeſcas; etenim *ſolus ille pauper eſt, qui apud ſemetipſum elatus non eſt; & minus inops eſt, qui veſtem non habet, quam qui humilitatem.* Quid prodeſt Minoritæ, ſi ſummo ſtudio externas divitias abjiciat, & in pectore loculos propriæ voluntatis reſervet? *Obedientia inter alias obſervantias regulares præcipua reputatur*, inquit ſummus ille Pontifex, Franciſco ſumme familiaris, & præ omnibus conſcius arcanorum. Paupertatis ſororem vocavit ipſe ſanctiſſimus Inſtitutor ſanctam humilitatem; neque immerito, magna eſt enim diſſonantia inter Monachum mendicum & ſuperbum: *Vilis tunica contemptum ſeculi probat, ita dumtaxat ne animus tumeat, ne ha-*

Humilitas paupertati præferenda.
Matth. 5.
Chryſoſt. hom. 5. in Matth.

Gregor. 6. Moral. c. 14. & 21. c. 10.

Gregor. IX. in Bulla de trãslat. corp. S. Franciſci.

Franciſc. opuſc. de virtutib.
Hieron. epiſt. 4.

bi-

bitus ſermoque diſſentiant. Sunt quidam, qui ad metam ſe perveniſſe putant, dum præter ſegmentitiam vilemque veſtem, reliqua omnia procul faciunt: atque ex hac ipſa rerum depreſſione altius efferuntur, ut alios contemnant, lacerent & vituperent; videlicet, ſi quid amplius rerum præter ipſos habeant, tantum eis deeſſe perfectionis, quantum ſuppetit commodi ſuperſtitioſe obloquentes. Vere ſumme decet Minoritam ſtrictiſſima paupertas, decet tamen magis perfectiſſima obedientia & humilitas profunda; neque in magnis domibus vivere, ſed in humilibus nocet ſuperbire. Porro Lanceslaus cœpit miraculis multis clarere, & perpetuos habuit ſuæ virtutis præcones prædictum Franciſcum & Gaſparem Florentinum, qui in Cœnobiolo Scarlinenſi adventantes omnes, ſive Religioſos, ſive ſeculares ad vitæ ejus æmulationem, & ſepulcri ſuadebat venerationem.

XVI. Superioris doctrinæ argumentum nimis manifeſtum præbuit hoc ipſo tempore Lanceslai conterraneus, frater Juſtinus, qui opulento Baronatu, & Hungariæ Regis favoribus ſpretis, Inſtitutum Minorum ſubivit. Contemplationi & orationi intentus, etiam frequentes extaſes patiebatur & raptus. Sui Inſtitutoris veſtigia, & ſanctorum Apoſtolorum limina veneraturus, venit in Italiam, ubi montem Alvernæ, Aſſiſium, Umbriam & vallem prælustravit Reatinam, & demum in Urbe ſubſtitit. In Conventu Aracœli, dum quadam die hoc ipſo anno, cum domus translata eſt ad Obſervantes, uti mox dicemus, pro more inter prandendum pia quædam Sanctorum geſta legerentur, profunda horum meditatione ita extra ſe factus eſt, ut longo tempore immobilis & exanimis videretur; animaque liberius circa iſta divagata, ſocii corporis molem in altum evexit, & e regione cujuſdam imaginis beatæ Mariæ Virginis, ſuper Fratrum capita in muro depictæ, retractis cruribus ad modum genuflexi, in aere ſuſpendit. Aderat tunc beatus Joannes Capiſtranenſis Ordinis Vicarius, qui dimiſſis Fratribus in templum ut gratias agerent ſecundum conſuetudinem, ſolus cum ſocio, clauſo oſtio remanſit, finem exploraturus. Poſt longam moram vidit omnia ſe bene habere, & ex ſignis placidæ mentis, ſereni vultus, humilitate animi, aliiſque notis alienum hoc eſſe a vanis ſigmentis noxiiſque præſtigiis. *Marian. cit. Marc. cit. c. 24. Spec. Minorum. Juſtini Hungari virtutes & extaſes.*

XVII. His auditis Eugenius Pontifex hominem accerſivit, ac pedes oſculari volentem ulnis excepit & oſculo, juſſitque prope ſedere, admirantibus qui adſtabant, aulicis: longo deinde protracto ſermone munuſcula addidit, & Indulgentias. Sed qui per ſuperbiam ex ſpiritu cœleſti diabolus effectus eſt, eas ſubdole immiſit cogitationes, per quas arroganter ſe extulit Juſtinus, & Phariſæo ſimilis; *qui cum ad ipſum virtutis cacumen aſcendiſſet; amittens ſimul univerſa deſcendit, quia ſcilicet non retinuit bonorum omnium genitricem, humilitatem*, inſolito intumuit honore, & favoribus Pontificiis exaltatum eſt cor ejus, & elati ſunt oculi, ita ut miſere *in ſuperbiam elatus, in judicium inciderit diaboli*. *Miſerabilis caſus. Chryſoſt. citat. 1. Tim. 3. 6.*

XVIII. Domum regreſſus alter ab illo qui erat egreſſus, occurrit Capiſtrano Vicario, eoque corporis habitu, & verborum vanitate cœpit jactitare Pontificis erga ſe benevolentiam, ut quem antea per revelationem acceperat miſelli caſum, manifeſtiori ſigno ſit ſuperior expertus. Igitur ingemiſcens ait: *heu! fraterculè, ita dementatus es his pauculis honoribus, ut monſtruoſam hanc circa te factam mutationem non apprehendas? Angelus abiiſti, diabolus rediiſti; ex cœnobio in palatium aſcendiſti ſpecioſus, ex palatio in cœnobium deſcendiſti maculoſus: reſipiſce miſer, ſuperbiam exue, tumorem depone, & humiliare ſub potenti manu Dei, qui humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit*, qui *ſuperbis reſiſtit & humilibus dat gratiam*. At ille noluit intel- *Pſal. 137. 6. Jacob 4. 6.*

 lige-

Digitized by Google

ligere, ut bene ageret, ſed inſolentior quotidie factus, reliquos Conſodales habuit contemptui. Illi vero quem prius diligebant, ægre ferentes, juſſerunt, ut ad ſuos in Hungariam reverteretur. Non longe aberat ab Urbe, quando ad fontem ſedens & manducans cum ſociis, prius petulanti verbo, deinde cultro unum ſauciarit. Reductus ad Capiſtranum conjectus eſt in carcerem: deinde poſt aliquale tempus, expleta univerſa pœnitentia, aufugit in regnum Neapolitanum, ubi ea perpetravit crimina, propter quæ iterum relegatus eſt in Urbem, & in vinculis miſere deceſſit.

Cum timore & humilitate ſalus operanda.

XIX. Quale hoc documentum iis, qui dum ad perfectionis ſtatum ſe perveniſſe putant, ſecuritatis ſibi confidentiam promittunt, & nulla contra occulti hoſtis inſidias ſe cautela defendunt? Quoties in his verificatur illud Propheticum: *Aſcendunt uſque ad cælos & deſcendunt uſque ad abyſſos?* Dum enim ad ſublimium virtutum aſtra ſe aſcendiſſe ſibi falſo blandiuntur, incaute tentationi ſuccumbentes, gravi ruina ad profundum vitiorum barathrum deprimuntur. Conſultius monuit ille: *Qui ſtat, videat ne cadat*, & ſecurius ipſe, licet Chriſtum audierit loquentem, licet ad tertium cœlum raptus fuerit, & in Paradiſum ductus arcana verba intellexerit, adhuc timidus dicebat: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Etſi enim arridenti divinæ gratiæ crediderit per ſpem, non tamen credidit per ſecuritatem: *Beatus itaque, qui ſemper eſt pavidus*, & qui *ſtatuit ſibi ſpeculam, & ponit ſibi amaritudines*, horis omnibus contra tentamenta ſuſpectus certitudinem ſibi in ſe promittere non præſumit, ſed tentatione etiam ceſſante, vel ſola graviter ſuſpicione turbatur.

Pſal. 106. 26. *1. Cor. 10. 12.* *1. Cor. 9. 27.* *Prov. 28. 14.*

Pœna Deum deſerentium.

XX. Illud mihi videtur mirabilius, quod poſt caſum, unde ceciderit, iſte non ſenſerit, & tanta vitæ præteritæ dulcedo, amaricare non fecerit infelicis ſtatus miſeriam. Quod erraverit, humanum eſt, non inſolens, neque admirandum: quod in errore perſeveraverit, quod in criminoſa vita obduruerit, quod per flagitiorum incrementa majori ſe colliſerit præcipitio, id reputo mirabilius. Sed pœna hæc eſt Deum deſerentium, & beneficiis abutentium; qui dum ab ipſo ſe elongant, majoribus implicantur miſeriis, & recedente divino lumine, quibus in tenebris cæcutiunt, non advertunt: *Cum ab auctore relinquimur, nec ipſa ullatenus deſtitutionis noſtræ damna ſentimus. Quo enim longe nos Conditor deſerit, eo mens noſtra inſenſibilius obdureſcit; nulla, quæ Dei ſunt, diligit, nequaquam ſuperna concupiſcit, & quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorſum jacet, ac miſerando modo fit quotidie tanto ſecurior, quanto pejor: cum unde ſit lapſa, non meminit, & ſupplicia ſecutura non metuit, quantum lugenda ſit, neſcit.*

Gregor. 9. Mor. c. 34.

Marian. cit. Morc. c. 23. Spec. Minorum.

Hippolyti Piceni intemperantia.

XXI. Aliud addo exemplum tardæ ſed gravis Dei vindictæ pro iis, qui in Religione, ſui Inſtituti aſpernantur præcepta. Hippolytus in provincia Marchiæ, a primis ſuæ initationis incunabulis corpori nimis indulgens, ægre ſatis ferebat quaſcumque carnis macerationes, atque ut indulgentiæ velamen obtenderet, plurimas fingebat infirmitates. Solemne eſt Minoritis jejunium a feriis omnium Sanctorum uſque ad nativitatem Domini, quippe a ſancto Franciſco in Regula præſcriptum, ſed Hippolyto graviſſimum; utque moleſtiam declinaret, ad fictos morbos recurrit rogans Superiorem, ut carnibus veſci liceret. Negavit ille facultatem, niſi medicorum teſtimonio conſtaret de neceſſitate. Cauſatus ille morbos occultos, medicis ignotos; reſponſum accepit, veterem hanc eſſe cantilenam, & Superiores non poſſe judicare de occultis, nec diſpenſare ſine nota ſibi cauſa in præceptis. Adhuc reluctantem, & jejunia violare tentantem compeſcere volens Guardianus,

præ-

præcepit ne carnes darentur, & aliunde manducantem ne abſolverent conſeſſarii. Miniſtrabantur tamen a ſorore & conſanguineis, & clanculum devorabat, obducto callo conſcientiæ.

XXII. Venerat ſub illud tempus Capiſtranus Vicarius generalis in Conventum ſero nimis, abiitque in architriclinium, levi edulio vires reſocillaturus. Acceſſit Hippolytus congratulaturus, ut moris eſt, adventui, & facta reverentia, perrexit ad ſocium laicum, interrogavitque qualiter ſe haberet; reſpondit ille ſe defeſſum ex itinere eſurire, & ſi per ſacrum jejunii tempus liceret, velle brevem collationem inſtructiori cœna commutare. *Ego melius habeo*, inquit glorianter Hippolytus, *qui hac nocte laute cœnavi; & ex anſere aſſo jucunde comedi*. Videns ſocius heluonis inverecundiam, & gloriantem, quod male fecerit, indignatus adjecit: *anſerem adhuc non digeſſiſti: tu videris quantum mali tibi advehat interdicti cibi repletio*. Vere prophetavit, nam paulo poſt, cum omnes irent cubitum, adimpletum eſt illud Scripturæ: *Adhuc eſcæ illorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*: auditæ ſunt etenim in dormitorio voces digladiantium, ſtrepitus equitum armatorum, & clamores invicem congredientium. Obriguerunt timore Fratres, obſeratiſque oſtiis tutius judicabant latere. Prodiit ſolus in apertum Capiſtranus, vocatumque Guardianum pavitantem & trementem, juſſit ut crucem afferret & aquam luſtralem. Accenſis luminibus imperavit malis geniis ut abſcederent, & morantes aqua ſacra fugavit. Audita eſt tamen vox miſerabiliter ter dicentis: *Heu mihi, quia perii*. Congregatis Fratribus, dum hujus præſtigii cauſam inveſtigaret Vicarius, interrogaretque an omnes Fratres adeſſent? Compertum eſt ſolum Hippolytum defuiſſe. Vocatus, nil reſpondit, excuſſoque oſtio inventus eſt in terra mortuus, nudus, Æthiope nigrior, habitus ad lecti pedes projectus, culcitra & ſindones, quibus utebatur, appoſita, & cubiculum rebus multis inſtructum. Ad hæc ingemiſcens & flens Capiſtranus, Eccleſiaſtico juſſit carere ſepulcro, & ſepeliri ſepultura aſini hominem, in quem manifeſto & memorabili ſigno, *miſit Deus iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos*. Longo tempore hic ſuis delectabatur concupiſcentiis, ſed tamdem duram divinæ vindictæ ſenſit ultionem: *Sæpe omnipotens Deus cum pravæ menti vehementer iraſcitur, prius ei permittit ad votum cuncta ſuppetere, & poſtea per ultionem ſubtrahit, ut pro eis debeat ſupplicia æterna tolerare*.

Graviter punitur. — Pſal. 77. 30. — Pſal. 77. 49. — Gregor. lib. 15. Moral. c.12.

XXIII. Anno præterito ſub menſem Novembrem, occiſo in magna illa clade Varnenſi a Turcis accepta, Juliano Cardinale Cæſarino Sedis Apoſtolicæ Legato, Ordinis Protectore, hoc anno ſubſtituit in Protectionis munere Eugenius Pontifex Dominicum Capranicam, *Cardinalem Firmanum* vulgariter nuncupatum, virum prudentem & doctum, Ordini addictiſſimum, qui annis multis hoc munus obivit.

Card. Firmanus Ord. Protector.

XXIV. Hoc tempore Obſervantibus primum Ordinis Conventum ſanctæ Mariæ Angelorum extra Aſſiſium conceſſum eſſe a Miniſtro Generali, & a Capiſtrano admiſſum, plano errore ſcribit Marcus Ulyſſiponenſis. Ante multos annos ad Obſervantes tranſlatum fuiſſe alias narravimus, & nunc Pontificio comprobabimus teſtimonio, & ſi pauciores ſubindicet, vel ſub conjectura annos enumeret: *Licet*, inquit, *locus ſanctæ Mariæ de Portiuncula, ſive de Angelis, extra muros Aſſiſinates dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, Provinciæ ejuſdem Sancti, pro eorum uſu & habitatione canonice aſſignatus, ac alias ſub eorum cura, regimine & gubernatione in perpetuum deputatus fuiſſet, ipſeque locus per*

Marc. l. 1. c. 63. — Tom. 9. an. 1415. num. 29. — Conventus Portiunculæ quando trãſlatus ad Obſervantes.

ſexdecim annos & ultra ſub eiſdem cura, regimine & gubernatione Fratrum prædictorum perſtitiſſet &c. Illud ſolum hoc anno conceſſum eſt, ut donaria omnia, oblationes, & ſi quæ alia inferebantur ſacello beatæ Virginis, ad quod innumera hominum confluebat multitudo, ipſis incolis remanerent, pecuniarias vero eleemoſynas ſibi colligerent Patres Conventuales Cœnobii magni Aſſiſinatis, convertendas in uſus a Nicolao IV. olim præſcriptos: *Licet ex debito*, III. Nonas Decembris.

Vide Regeſt. tom. 2. Bulla 10. & 11. Nicol. IV.

Tom. 3. an. 1251. num. 16. Et Aracœli.

XXV. Aliam tamen præclariſſimam domum Aracœli in vertice Capitolii, alias diffuſius a nobis deſcriptam, ſub præcedentis anni finem vel hujus initium conceſſit Obſervantibus Eugenius, commiſſa per vivæ vocis oraculum Joanni Epiſcopo Prænеſtino, nuncupato Tarentino, & Guillelmo, tituli ſancti Martini in Montibus Presbytero, dicto Andegavenſi S. R. E. Cardinalibus, auctoritate, ut inde Patres amoverent Conventuales. His vero regredi ſæpe tentantibus, & novis incolis moleſtias advehentibus, præmiſſos Cardinales, emiſſo diplomate, inſtituit Obſervantum ibidem degentium Conſervatores & defenſores. Deinde, ne per Cardinalium abſentiam aut mortem, deeſſent qui protegerent & tuerentur, deputavit perpetuos Advocatos, Protectores & defenſores ejuſdem domus, Senatorem, Conſervatores, & capita regionum almæ Urbis, eiſque commendavit, ut qnibus poſſent modis, commodum, utilitatem, conſervationem & augmentum domus Fratrumque prædictorum promoverent. Tertio Jacobum Lelli, Alexium de Cinciis, Joannem Jacobum de Boccabellis, & Laurentium Mazabuſalum, cives Romanos præfecit diſtrahendis poſſeſſionibus & bonis ſtabilibus, quæ penes Conventuales erant, convertendis tamen in templi & Cœnobii reſtaurationem, ac Fratrum neceſſitates. Demum hujus & ſancti Franciſci Trans-Tyberim Cœnobiorum Fratres exemit ab omnibus exactionibus, vectigalibus, & ſolutionibus, earumque cauſas & litigia decrevit abſque ſtrepitu & forma judicii terminari. Quatuor circa hæc dabimus in Regeſto diplomata.

Cui perpetuos deputavit Conſervatores.

XXVI. Accepta poſſeſſione, beatus Joannes Capiſtranus ædes reſarcivit, templum polivit, ſuis concionibus celebravit, lapſam diſciplinam reſtauravit; & vocatis ex aliis provinciis viris doctis & religioſis, in vertice Romanæ majeſtatis eminentem ſpeculam contra Ordinis adverſarios conſtituit, atque ſupra excelſum candelabrum clariſſimam ſui Inſtituti lucernam accendit. Ex præcipuis nationibus Patres aliquot diſcretos conſtituit, qui & ſuæ gentis negotia curarent, & adventantibus ſatisfacerent conterraneis. Duos deputavit Commiſſarios, qui duarum familiarum ultra & citra montes res pertractarent, præſcriptis unicuique rebus & terminis ſuæ commiſſionis. Ab illo tempore prudentiſſima hæc rerum diſpoſitio perduravit, ſummo utriuſque familiæ conſenſu; atque hinc origo ſumenda eſt bipartitæ auctoritatis inter Obſervantes, quam prius integram exercebat ſolus Procurator Generalis. Cuncta hæc rata habuit & commendavit Eugenius Pontifex, & peculiaria adjecit ipſe monita, quibus ſecurius regimen conſiſteret, atque Inſtitutum diffunderetur, cum poteſtatem antea feciſſet Capiſtrano, ut domos quatuordecim adjungeret: *Inter Eccleſiaſticos ordines*. XIV. Kalend. Februarii. Similem conceſſit eodem die auctoritatem fratri Joanni de Mauberto Vicario Generali ultramontano.

Origo duorum Procuratorum in Curia pro Obſervantibus.

XXVII. Patribus vero Conventualibus deſtitutis domo in Urbe, & dum non haberent, ubi Ordinis Procurator poſſet Religionis negotia in Curia procurare, Pontifex conceſſit fratri Angelo Peruſino, tunc Procuratori Generali, ejuſque in eodem munere ſucceſſoribus, Eccleſiam parochialem ſancti

Domus Procuratoris Conventualium.

ſancti Salvatoris, *in unda* nuncupatam, prope Pontem-ruptum, poſtea *Sixti*, a reſtauratore Sixto IV. appellatum. Habitabant ibidem religioſi viri Ordinis ſancti Pauli primi Eremitæ, ſed certis de cauſis inde receſſerunt, relictis omnibus liberæ Pontificis diſpoſitioni. Paulo poſt obeunte Eugenio, cum hujuſmodi conceſſionem ſuis litteris non confirmaret, Nicolaus ſucceſſor ampliſſimas dedit, quas in illius dabimus Regeſto. Conceſſionem etiam confirmarunt ſuis litteris Sixtus IV. & Clemens VII. Pertinet ad hanc Eccleſiam jus Abbatiæ ſancti Jacobi urbis Cornetanæ, quod olim erat Monaſterium Clariſſarum, & hujus loci Fratribus applicatum eſt.

Conv. Montis-Politiani. *Gonzag. in Prov. Tuſcia Conv. 27.*

XXVIII. Ante quinquennium petierunt urbis Montis-Politiani in Etruria cives, ut Minorum apud ſe ſanctæ Mariæ de Fonte Caſtello conſtructum domicilium, ad Obſervantes transferretur, & hoc anno XXVII. Julii obtinuerunt Breve Apoſtolicum ad Capiſtranum directum, quo jubebatur, domum jam neglectam admittere. Locum inſalubrem & incultum undique reſtituit frater Ægidius Florentinus, illi populo gratiſſimus. Prodierunt ex hac urbe viri in omni genere illuſtres; atque, ut taceam Angelum Politianum virum doctiſſimum, Marcellum II. Summum Pontificem, Robertum Cardinalem Bellarminum, litteris & virtute clariſſimum, nobis edidit Joannem & Bartholomæum Martinotios Martyres illuſtres, de quibus alias diximus; Bartholomæum Pucci Franciſci, qui uxore, liberis, & divitiis multis ſpretis, Minorem induit, eaque vixit ſanctimonia, ut miraculis claruerit; Franciſcum Petri Gori, inclytum ſui temporis concionatorem, ſuper cujus caput, dum aliquando prædicaret, tres micantes ſtellæ apparuerunt, ex quibus tamquam ex certiſſimo præſagio ſuis auditoribus poſt triduum ſe prædixit moriturum. Sepultus eſt in Eccleſia ſanctæ Crucis in Jeruſalem urbis Florentinæ, appoſito ſepulcrali lapide, inciſa imagine, & tribus ſtellis prædictis. Habetur a Florentinis magna in veneratione, tum propter crebra miracula, tum propter clariſſimum prophetiæ lumen, qua mala urbi imminentia prædixit, & aliarum civitatum calamitates præmonuit; & beatum Angelinum Daneſium Tertii Ordinis, ut fert vulgaris opinio, ſectatorem, in Eccleſia ſancti Franciſci ſuæ patriæ ſepultum, miraculis fœcundum.

Tom. 7. an. 1442. num. 60. & an. 1445. num. 5. Barthol. Pucci Franciſci. Franciſci Petri Gori.

Angelus Daneſius.

Conv. Volaterranus. *Gonzag. ibid. Conv. 21.*

XXIX. Prope Volaterram, Etruriæ civitatem, Conventum humilem, Divo Hieronymo ſacrum, ſibi ab Epiſcopo traditum, conſentientibus Jacobo Bladio Provinciæ Tuſciæ Miniſtro, aliiſque Patribus Conventualibus, acceptavit venerabilis & pius Pater frater Ludovicus Senenſis, prædictæ provinciæ Vicarius. Eccleſiam refecit, ſeu potius novam extruxit Coſmas ſenior Mediceus, reliquam domum ampliarunt Fratres, Civium eleemoſynis. Licet quam plures hic jaceant pii viri, & ſumme religioſi, tres dumtaxat commemoro Fratres Laicos, aſſidua oratione, paupertatis & humilitatis ſtudio commendatiſſimos, Michaelem, Auguſtinum, Benedictum a ſancto Lorino in populo venerandos.

Conv. Maſſæ. *Indid. Conv. 24.*

XXX. Inchoatum hoc anno Conventum Maſſanum, idque curante ſancto Bernardino, dum conciones ad ſuos cives haberet Quadrageſimales, ſcribit Gonzaga. At ſi initium hoc anno opus accepit, oportuit a Bernardino prius procurari, qui ante hunc annum deceſſit. Dum vero de ejus canonizatione ageretur, accelerarunt cives templi ſtructuram, & ab ejus nomine appellarunt. Ob aeris intemperiem moleſta eſt habitatio, & aliquando deſerta, ſed inſtante Senatu in Capitulo Tuſciæ anno MDLXXX. juſſi ſunt Fratres ad eamdem redire.

Conv. Nolæ. *Idem in Prov. Terra laboris Conv. 24.*

XXXI. Raymundus Urſinus, Salerni Princeps & Nolæ Comes, cum extra hanc urbem Eccleſiam ſancti Laurentii collabentem reficere, & Con-

ven-

ventum adjicere Minorum ſummo tentaſſet conatu, magna ſua aliorumque admiratione videbat noctu deſtrui, quod interdiu conſtruebatur. Piorum virorum imploratis precibus, rogavit Dominum, ut dignaretur propalare quid hoc vellet portento? Et ecce latomi, dum ſaxum ingens ex lapidicina excindunt, pulcherrimum Angelum ex ære fuſum, pretioſum annulum manu tenentem, inter duos ſibi invicem confibulatos lapides, conſpiciunt. Hinc judicatum eſt, locum hunc a Deo delectum ſacræ ædi conſtruendæ. Nulla interpoſita mora, huc curam & operam omnem Raymundus convertit, & elegantiſſimum fabricavit Cœnobium, rebuſque omnibus neceſſariis inſtruxit. Angeli ſimulacrum, a quo domus nuncupatur, repoſuit in ſacrario, & ſibi humile poſuit in pavimento ſepulcrum. Jacet hic beatus Reginaldus

Reginaldus a Nola.

laicus, miraculis in vita & poſt mortem clarus, a fratre Joanne Thomacello Provinciæ Terræ-laboris Vicario, a communi Fratrum cœmeterio, anno MCCCCLXXXVI. ad religioſum ſepulcrum translatus. Locum hunc multis modis, perpetuo ſtudio ad curioſitatem uſque, & ultra indigentiam exornavit Chryſantus Nolanus, bis prædictæ Provinciæ Miniſter.

Conv. Raculæ. *Idem in Provin. S. Nicolai Conv. 19.*

XXXII. Stephanus Epiſcopus Neritonenſis Eccleſiam Rectoralem ſanctæ Mariæ novæ prope Raculam, ſuæ diœceſis oppidum, Fratribus Obſervantibus conceſſit, ut ibidem Conventum ſibi ædificarent. Id ratum habuit Pontifex: *Ad ea ex ſuſceptæ*, XV. Kal. Junii. Conſtructum domicilium anno MCCCCLIII. a viro illuſtri Ptolemæo, Raculæ Domino, aſſerit Gonzaga. In provincia ſancti Angeli In Apulia domum obtinuerunt Ob-

Conv. Termularum.

ſervantes in civitate Termularum; ſed dum contradicerent eorum incolatui Patres Conventuales, præcepit Pontifex Miniſtro, ut a moleſtiis ceſſaret, ſcripſitque Carolo de Campobaſſo urbis Domino, ut faveret: *Cum pro pacifico*, XXII. Aprilis: *Per tuas litteras. Eodem die.* Judicaverim tamdem cauſa vel loco ceſſiſſe Obſervantes; neque enim in provincia ſancti Angeli Conventus hic Inter alios recenſetur. In eadem provincia Patrum Conventualium, habetur in cuſtodia Civitatis, ſive hæc, ſive alia

Conv. Rodiginei.

domus Termularum. Similiter hæreo circa domum oppidi Rodiginei, diœceſis Adrien. licet enim Pontifex referat incolas rogaſſe, ut Obſervantibus conferretur Eccleſia ſanctæ Mariæ de Sabineto, juris-patronatus Marchionis Eſtenſis, extra oppidum ſita in loco ſolitario & ab hominum habitatione remoto, ut domicilium prope conſtrueretur, & facultatem fecerit Epiſcopo ut prædictam eis conferret Eccleſiam, nullam tamen inter noſtros ſcriptores Rhodiginei Cœnobii invenio mentionem: *Decet Romanum Pontificem*, Kal. Auguſti. Conſules, nobiles & cives urbis Catari ad Ca-

Conv. Catari.

piſtranum hoc anno ſcripſerunt, ut eis concederet quoſdam Fratres ſui Inſtituti, qui Conventum a ſe inchoatum admitterent; volebant autem ſolos mitti Italos aut Dalmatas: Boſnenſes reſpuebant.

XXXIII. Mariæ Francorum Reginæ conceſſit hoc anno Pontifex facultatem domum Obſervantibus ædificandi prope Monaſterium Sanctimonialium Montis Martyris, extra muros Pariſienſes, Ordinis ſancti Benedicti, eo in loco, quo ſanctus Dionyſius Areopagita paſſus eſt illuſtre Martyrium, ubi venerabile erat ſacellum ejus nomine inſcriptum; vel alibi ubicumque magis placeret intra diœceſim Pariſienſem: *Inter cetera cordis noſtri*, IX. Kal. Maii. An vero, vel ubi conſtruxerit, non facile comperio.

Reſtituuntur Obſervantibus ſui Couvêtus in Bætica.

XXXIV. Ex diplomate quodam Eugenii Pontificis, quo jubet reſtitui Vicario & Fratribus Obſervantiæ, Cuſtodiæ Hiſpalenſis, in provincia Caſtellæ, Conventus de Monte, de la Rizaſa, de Conſtantina, de Villa Verde & de Rabida, de quibus jam egimus, & de Conſtantina, conſtat neque

ab

Digitized by Google

ab Henrico IV. Rege ædificatam, ut ſcribit Gonzaga, quippe nonniſi anno MCCCCLIV. cepit regnare, neque ſub Regibus Catholicis Ferdinando & Eliſabetha fuiſſe ad Obſervantes translatam, quippe ab his prius poſſeſſam: jubet hoc anno Pontifex iiſdem reſtitui. *Gonza. in Prov. S.Angel. Conv.6.*

XXXV. In Aragonia III. M. P. ab oppido Carinienæ, diœceſis Cæſarauguſtanæ, in frondoſo colle & ædicula ſanctæ Catarinæ, ſubſtitiſſe hoc anno ſanctum Bernardinum cum ſocio, refert Gonzaga traditionem eſſe illius gentis, atque ibi tuguriolum ſibi conſtruxiſſe, quod in memoriam tanti Patris in religioſum & commodum ex publicis privatiſque facultatibus crevit Monaſterium. Atqui Bernardinus anno præterito in Italia mortuus, iſthoc non potuit Hiſpaniam perluſtrare. Judicaverim proinde alicujus ſocii, vel diſcipuli factum magiſtro adſcribi, & aliquanto poſteriorem eſſe hujus domus originem. A populari tumultu & hominum frequentia ſemotus locus eſt, opportunus animis excolendis & pietati ſectandæ. Vixerunt hic aliqui virtutibus illuſtres, inter quos emicuit Didacus cognomento excalceatus, humilitate, caritate & mira patientia inſignis, unde vivens ſingularem honorem & moriens peculiarem conſecutus eſt ſepulturam. Habent Fratres ſacrarium & bibliothecam bene inſtructa, & univerſum populum ſentiunt erga ſe ſumme beneficum. Prope conſurgit ædicula pulchra ſancti Antonii, ad quam in ejus natalitiis concurrunt vicini populi, & ſolemniter colunt feſtivitatem. *Gonza. in Prov. Aragon. Con.13.* *Didacus excalceatus.*

XXXVI. Conventus Athienſis ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, in comitatu Hannonienſi apud Belgas, multos habuit auctores. Hoc anno Eccleſiam conſtruxit nobilis Heros Joannes de Ligne, in qua ſepultus eſt Joannes de Traregnies, Joannes de Maſtch milites, Quinteria de Maſtinch, Joannis filia (quæ in operibus pietatis, & ſacris ædibus fabricandis amplum patrimonium inſumpſit, in perpetua vivens virginitate) Antonius Coſpiau & conthoralis, & populus Athienſis domum abſolverunt, quadraginta Fratrum capaciſſimam. Jacet in chori medio venerabilis vir Joannes de Mauberto, qui ſub hoc tempus erat Vicarius generalis ultra-montanus, & magna ſanctitatis opinione ſub annum MCCCCL. deceſſit. *Conv. Athienſis. Gonza. in Prov. Flandr. Conv. 8.* *Joannes de Mauberto.*

XXXVII. Leyda, quam Lugdunum Batavorum dicunt, Auſtralis eſt Hollandiæ civitas celebris, & omnium illius provinciæ amœniſſima, cujus pulchritudinem pictor arte ſua non poſſet exæquare. Hic extra muros Cœnobium fuerat Fratrum Tertii Ordinis, quod Senatus conſulto traditum fuit hoc anno Obſervantibus. Locum inhabitarunt uſque ad ann. MDLXXII. quo, circa menſem Auguſtum, cum aliis Religioſis Geuziorum furore fugati ſunt, atque non multo poſt, ita Cœnobium impii deſtruxerunt, ut ne veſtigium quidem ejus appareat. *Conv. Leyda. Idem in Provin. German. inferior. Conv. 10.*

XXXVIII. Hoc anno Mariam Aragonum Reginam, conjuge Alphonſo V. Rege defuncto, tranſtuliſſe Sanctimoniales Tertii Ordinis ab oppido Gandiæ, Valentini regni, ubi Rex præſtruxerat Monaſterium, ad aliud a ſe erectum, ſub titulo ſanctæ Trinitatis in ipſa urbe Valentiæ, ſcribit Gonzaga. Sed regnabat adhuc Alphonſus multis annis ſuperſtes, & menſis Januarii anni MCCCCXLV. quo facultatem ait ab Eugenio conceſſam, ut transferrentur, nonniſi in annum ſequentem referendus eſt; nam in litteris Eugenii incipiebat novus ann. a XXV. Martii; numerabat enim ab Incarnatione Domini, non autem a Nativitate. Pulchrum & nobile eſt Monaſterium ſexaginta & plurium Virginum, ſub ſecunda Regula Clariſſarum viventium; & ex eo prodierunt aliorum Cœnobiorum Hieroſolymitani, Barcinonenſis, Turolienſis, & aliorum fundatrices. Regina Maria ſepulturam ibidem ſibi de- *Monaſt. Valentinum. Idem in Provin. Valent. Monaſt. 3.*

Maria Villena neptis Reginæ Aragoniæ. Monume. MSS. Prov. Valent.

delegit. Ejus neptis Maria Villena, prima omnium Valentiæ in ipſa tranſlatione ſuſcepit hab tum; eaque fuit ſcientia, ut Chriſti vitam pio & erudito ſcripſerit ſtylo, typis evulgatam; & virtutis perfectione, ut monente Archangelo Michaele Monaſterii ſpeciali protectore, quod ipſe revelavit, electa fuerit aliarum Primiceria. Subtus chorum conditur lapideo ſepulcro nobilis quidam Heros gente Caſtriota; qui, vana honoris æſtimatione, ultimis cavit tabulis, ut alto ſepeliretur tumulo, ne ſcilicet homuncionum aut ruſticorum pedibus violaretur. In alio Monaſterio ſanctæ Claræ ejuſdem urbis comperio ex monumentis Vaticanis, quibus adjudicantur quidam proventus Præpoſiturarum Eccleſiarum Cathedralium Valentinæ prædicto Monaſterio, Abbatiſſam hoc anno fuiſſe Violantem filiam Ducis Gandiæ.

Monaſter. aliud Valentin.

Monaſt. Ambianen. Idem in Provin. Franc. Mon. 12.

XXXIX. Philippus de Savenſes Burgundiæ Ducis Conſiliarius, & Maria de Lully nobiles conjuges, Ambianenſis diœceſis, obtenta ante hunc annum ab Eugenio Pontifice facultate, intra Ambiani muros Monaſterium ædificarunt Clariſſarum ſub inſtitutione Sororis Coletæ, & invocatione SS. Georgii Martyris & Claræ Virginis; obſiſtentibus tamen Joanne Epiſcopo, Decano & Capitulo Eccleſiæ Ambianenſis, inita eſt concordia circa oblationes, funeralia, & alia quæ fundationem retardabant, eamque hoc anno Pontifex confirmavit: *Regimini univerſalis Eccleſiæ*, XVII. Kal. Octobris. Religioſiſſimum eſt Monaſterium, in eoque ſancte vixit Maria a Borbonio, Sereniſſimi Jacobi Siciliæ Regis filia, beatæ Coletæ diſcipula, & ſedula ſupra quam dici poteſt æmulatrix. Honorifico jacet hic ſepulcro eximius noſtri Ordinis benefactor, vir illuſtris Adrianus Maleaceus, Eques torquatus.

Maria Borbonia Regia Clariſſa.

Adrianus Maleacius.

Tertiariæ Urbis.

XL. Sororibus Tertii Ordinis in Urbe conceſſit Pontifex, ut inſtar Sororum Peruſii, liceret deinceps per Miniſtram gubernari, & chordam in modum Fratrum Minorum, non vero corrigiam deferre. Cornetanis donavit domum Joannis Angeli, & bona in alios pios uſus relicta, inſtituto Commiſſario fratre Jacobo Reatino. Approbavit vota, quæ emittebant Sorores Gandenſes, de quibus alias diximus: *Annuere ſolet Sedes Apoſtolica*, VII. Kal. Januarii.

Cornetanæ.

Gandenſes.

Reuniuntur ſub uno Vicario Hungari & Boſnenſes.

XLI. Propter quaſdam diſcordias ortas inter Fratres Hungaros, Boſnenſes, & Sclavos, diſtinxerunt Superiores Ordinis prædictas nationes, præficientes Hungaris Vicarium unum, & Boſnenſibus ac Sclavis alterum. Sed cum diviſio hæc Pontifici diſpliceret, quia judicabat Fratres inter ſe unitos fortius & opportunius poſſe hæreticis illarum partium occurrere, in unum juſſit iterum redire Vicariatum: *Etſi ex debito ſollicitudinis*. IX. Kal. Februarii. In Oriente, ut purius ſuam Regulam obſervarent Fratres, Syndicos inſtituit, qui bona immobilia & poſſeſſiones diſtraherent, & in religioſorum uſus converterent: *Ad Ordinem Minorum*, Idibus Januarii. Fratres Conventus ſancti Pauli extra urbem Bononienſem multiplici exactione gravatos, liberos voluit a quacumque ſolutione: *Ad ea, per quæ religioſorum*, VI. Kal. Februarii.

Syndici in Oriente.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Quibus angoribus veræ flebilibus cruciaretur Eugenius, univerſo
„ Orbe Chriſtiano ubique diſſidiis & bellis perturbato, exprimi
„ verbo non facile poteſt, facilius autem cogitari: illinc ex
„ Oriente Amurates Varnenſi victoria elatus in Græcos arma vertens, præ-
„ ter cædes & ruinas, ſacra ut & profana æque conculcat, & muro hexa-

milo

„ milo in Iſthmo Corinthiaco, quondam immenſis laboribus & impenſis
„ conſtructo in propugnaculum Peloponneſi, dejecto, omnem eam re-
„ gionem ferro & igne vaſtat; ac torvus & minax Italiæ imminet: iſtinc
„ ab Occidente Baſileenſe Concilium unionem Eccleſiæ ſcindit: & ubique
„ diſſidia Principum, & cruenta bella, ablegata pace, omnium bonorum
„ ſummo dolore & damno, necnon totius Eccleſiæ, ſi fieri poſſet, ſuprema
„ fere jactura, ſemper execrabile odium & ambitio procurant: non triſte-
„ tur ergo, ſi poteſt, Eugenius, qui hac horrida in procella ad Navis Ec-
„ cleſiæ Clavum ſedet; ac impares tot fluctibus ſuperandis remigum ſuo-
„ rum inexhauſtos labores veretur: at nihilominus tot in adverſis non
„ abjecit ſpem; gnarus Petri naviculam jactari poſſe quidem, at non æſti-
„ bus mergi. Omnibus præſto erat auctoritate, conſilio, ope & armis, ut
„ ſibi licebat.

„ II. Ludovicus Delphinus Franciæ (rem ingratam ſorte narrabo, *Ludovicus Delphinus in Delphinatum ſe recipit, movet arma in Helveticos.*
„ ſed haud inutilem, vento) quod Carolum Patrem, ætate flacceſcentem,
„ Reginæ matris injuria, quamdam formoſiſſimam puellam Agnetem no-
„ mine, deperire videret; vel ſorte verius, quod non ipſe regni modera-
„ retur habenas; aula exoſa, cum nonnullis copiis in Delphinatum his die-
„ bus ſe ſe receperat, & diſcors a Patre, non auſus fieri ſecundus Abſolon, *Du Verdier. tomo 1. in Carol. Sept.*
„ nihilominus in genium illius ſe ſe regebat: eum facile attractum Euge-
„ nius, cujus cordi erat diſſipare Concilium Baſileenſe, ut ſchiſma reſarci-
„ ret, in illum finem ad arma incendit: ſuis copiis in Helveticos junctos
„ Germanis & Francis, Ludovicus facile perſuaſus fortiter pugnavit, &
„ plene victor evaſit; at nihilominus Concilium ſtetit.

„ III. His dictis, quibus noſtrorum Fratrum ſudores Apoſtolicos iis *Eugenius expedit plures litteras.*
„ in partibus, in quibus præfata fiebant, omnes facile dimetiri poſſunt,
„ alia prætermiſſa & collecta propiora nobis referamus: erat inter alios
„ frater Franciſcus Antonius litterarum eruditione clarus, quem Pontifex
„ ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum promovit: *Litterarum ſcien-* *Indic. ex Vatic.*
„ *tia &c.* VIII. Idus Januarii: pridie Idus Februarii fratrem Nicolaum
„ ſimili virtute ornatum ad omnia beneficia Eccleſiaſtica habilitavit: *Reli-*
„ *gionis zelus &c.* pro Monaſterio ſanctæ Claræ Valentinenſi circa quam-
„ dam penſionem litteras expedivit: *Injuncta nobis &c.* XIII. Kal. Aprilis
„ Indulgentiam pro Eccleſia ſancti Franciſci de Millieſſavana conceſſit:
„ *Licet is &c.* Kal. Maii modum decernens Fratribus provinciæ Hiſpalenſis
„ circa receptionem locorum litteras dedit: *Dum præclara &c.* nonis Maii
„ erectionem Monaſterii Clariſſarum Brixiæ: *Inter univerſa &c.* IV. Idus
„ ejuſdem Fratribus de Sacena poſſe convertere capellam in Librariam:
„ *Honeſtis ſupplicum &c.* III. ejuſdem beneficium Eccleſiaſticum fratri
„ Bartholomæo: *Religionis zelus &c.* & XVII. Kal. Junii erectionem Con-
„ ventus Rhegii conceſſit: *Ex ſupremæ &c.* die XVIII. Maii pro reſigna-
„ tione eleemoſynarum nonnullorum locorum Fratribus Guidoni de Ari-
„ mino, & Jacobo de Primaditiis litteras ſcripſit: *Nonnullorum relatio-*
„ *ne &c.* & fratri Roderico in regno Caſtellæ circa munus prædicationis
„ XXVII. ejuſdem menſis: *Cum prout &c.* Kalendis Junii pro Conventu
„ Lucano circa bona: *Humilibus &c.* VI. Kal. Auguſti beato Joanni de
„ Capiſtrano, & Fratribus Conventualibus de Monte Pulciano: *Alias cum* *Ex ejus fol. 41*
„ *dilectis &c.* V. Kal. ejuſdem pro Sororibus Tertii Ordinis ut poſſint
„ vivere juxta formam Tertiariarum Detuſii: *Benigne &c.* XIX. Kal. Se-
„ ptembris, quod Joanna Clariſſa poſſit tranſire ad Monaſterium B. Mariæ
„ de Albano Neapoli: *Humilibus &c.* Brevia expedivit. Fratrem Joan-

Digitized by Google

„ nem *Lobeth*, virum apprime laudatum ab eodem, Cuſtodem in Inſula
Indic. ex Vatic. „ Majoricæ electum, ut petierat Maria Regina Aragonum, & ad ejuſdem
„ inſtantiam ipſe monuerat, in Miniſtrum provinciæ Aragoniæ confirmavit:
„ *Religionis zelus &c.* XII. Kal. Octobris, & X. Kal. Novembris fratrem
„ Ubertinum Rectorem Hoſpitalis Imolenſis conſtituit: *Ferentes in cordibus &c.* nonis Novembris indulſit ut de quarta funerali repararetur Conventus Viterbienſis: *Digna exauditione &c.* IV. Nonas Decembris fratrem Valentinum Eremiticam ducere vitam: *Providentia Sedis &c.* pro Monialibus Monaſterii Tertii Ordinis Corneti quaſdam litteras expedivit: *Ad ea, per quæ &c.* IV. Kal. Januarii: pro Obſervantibus in regno Caſtellæ, & eorum ſeparatione a Conventualibus, alias dederat XIII. Kal. Maii: *Sacræ religionis &c.*

„ IV. Gonzaga de Monaſterio ſanctæ Mariæ novæ Anconæ, quod
Wadd. ad ann. 1444. „ paulo poſt Regulam ſanctæ Claræ admiſit, loquens ait: Clariſſæ Sorores, maxima cum reverentia cuſtodiunt beatæ Urſulæ Virginis & Martyris caput, & trium Tertiariarum oſſa: quarum corpora cum integra perſeverarent, maximique a Sororibus fierent, voluit quædam Abbatiſſa, ex
Par. 2. de Prov. Marchia Mon. 1. „ Monialium tamen conſenſu, ea ex ſuis locellis exhumata ad honoratius ſepulcrum transferre; dumque pro Religioſo more lavari atque ad ſolem exſiccari curat, conſumpta protinus carne, ipſa tantum nuda oſſa remanſerunt, quæ nihilominus in pulcherrimam Arcam inferri, atque in editiorem locum ſtatui fecit; ita ille: porro hæ tres Anonymæ in Martyrologio Franciſcano ad diem XVII. Kal. Martii commemorantur.

ARGUMENTUM.

Gravi conſtituto Eugenius ſeparat Obſervantes a Conventualibus. Utrimque habentur Comitia generalia; & Obſervantum Vicarius eligitur Jacobus de Primaditiis. In Principatu Boſnæ multiſque provinciis, & inter Ruthenos fidei tuendæ & amplificandæ ſolerter invigilant Minoritæ. Joannes Capiſtranus mittitur in Galliam, Sedis Apoſtolicæ negotia peracturus. Albertus Sartianenſis Brixienſes pacificat. Creantur Epiſcopi. Regularis Obſervantia apud Scotos ſumit exordium. Conſtruuntur Cœnobia.

Eugenius ſeparat Obſervantes a Conventualibus.

I. IN ipſo anni limine Eugenius Pontifex ſecum firmiter conſtituit Fratres Obſervantes a Conventualium ſeparare conſortio, & proprio committere regimini. Urgebant frequentes quærimoniæ, lites & controverſiæ plurimæ: ſuadebat Pontificis ſodalitio benefaciendi ſtudium, ſuggerebatque Joannes Capiſtranenſis, qua pollebat apud Eugenium auctoritate. Dicebat quippe nullam intentatam reliquiſſe concordiæ viam Martinum V. atque ipſum Eugenium pacis & unitatis ſtabiliendæ modos omnes inveſtigaſſe, ſed in caſſum laboraſſe; nullumque proinde remedium ſupereſſe præter unum illud ſeparationis. Eam tamen ita faciendam, ut adhuc corpus capiti adhæreret, & Generali Miniſtro ſubeſſent, ne viderentur ab Ordine totaliter receſſiſſe, & ſancti Franciſci Vicarium ſeu ſucceſſorem deſpexiſse, ejuſque obedientiæ ſe ſubtraxiſse. Conſilio acquieſcens Eugenius, ut conſultius hæc fierent, commiſit ipſi Capiſtrano, utpote in his verſatiſſimo, curam exarandæ Bullæ, in qua omnia hæc continerentur, & per quam deinceps caveretur Obſervantum tranquillitati & augmento. Poſt multos dies bene concepta & diſpoſita prodiit in hunc modum, fremente & mul-

& multa objiciente Miniſtro Generali, cujus notas in eamdem, obſervationes, & poſtillas habeo marginales.

Ad futuram rei memoriam.

II. U*T ſacra Ordinis Minorum religio, cujus zeli ſinceritas ex ſuis lau-* Ex lib.5. Bullar. fol.308.
*dabilibus clarens operibus, commendabile plurimum, Catholicæ
fidei præſtare non deſinit augmentum, ab omni reddatur, quantum permiſerit Altiſſimus, adverſitate ſecura, internis gerimus inſitum votis affectum, ut ſubmoto quod officit, & ſubrogato quod proficit, nihil maneat, quod Fratres a cœpti forſitan retrahat ſalubritate propoſiti, aut ullatenus robur ſacræ religionis infringat. Sane ſiquidem dilectus filius Antonius de Ruſconibus, ſacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Minorum Generalis Miniſter, nobis ſuadentibus, & nonnullis etiam ſacræ Theologiæ profeſſoribus & probis viris noſtrum propoſitum laudantibus, aſſentientibuſque & idipſum conſulentibus, duos inſtituit Vicarios, dilectos filios ſcilicet Joannem de Capiſtrano in & ſuper omnes in partibus citra-montanis, & Joannem de Mauberta in & ſuper omnes in partibus ultra-montanis ejuſdem Ordinis Fratres*, de Obſervantia *nuncupatos, profeſſores, cum plenaria ſui officii poteſtate utrique ſingillatim conceſſa, ut ſuis noſtris inſertis litteris evidenter apparet. Cum igitur ex præfata inſtitutione, ſtatus quietem, fugata vagationis materia, ſacro ſtudio attentionem, perſonarum augmentum, & plurima bona, ut certo experientia didicimus, ipſis Fratribus* de Obſervantia *nuncupatis, necnon Chriſtianæ religioni ex eorum exemplari vita acceſſiſſe intelligamus, & plura, Domino concedente, in futurum evenire ſperetur, ſi eadem inſtitutio futuris temporibus perſeveret. Nos, qui ſingulorum, præſertim Regulari Obſervantiæ deditorum, quietem pariter & ſalutem intenſis deſideriis affectamus, inhærentes conſtitutionibus & ſtatutis, ſuper hujuſmodi diſpoſitionibus editis, ſacri Conſtantienſis Concilii, & felicis recordationis Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri, motu proprio, non ad alicujus &c. ſed ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, de conſilio & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſtatuimus, decernimus & ordinamus, ut deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum de Obſervantia ultra-montanus* Concedit Obſervantibus ut poſſint celebrare Capitulum generale.
prope finem triennii, ex quo ad officium Vicariatus electus fuerit, poſſit & debeat convocare Vicarios, & Diſcretos, ab nomen in congregatione habentibus deputatos, quarumlibet Vicariarum & Provinciarum ſibi ſubjectarum, in loco per ipſum Vicarium Generalem deputando, ante finem ipſius triennii capitulariter facere congregari: quorum ſi qui infirmitate vel legitimo impedimento detenti intereſſe non poſſint, per nuncios ab eis deputatos, vel ſuppletionem vocis eorum, juxta eorum conſuetudinem, præſentia ſuppleatur; qui ſic congregati facultatem habeant eligendi & eligere ſint aſtricti unum Vicarium ſibi eligere.
Religioſum ejuſdem Ordinis in eorum ſimilem Vicarium Generalem. Cujus electionem, ſi a duabus partibus eligentium celebretur, quam primum commode fieri poterit, Generali Miniſtro totius Ordinis faciant præſentari. Ipſe vero Generalis Miniſter infra triduum a præſentatione ſibi facta prædictam A Miniſtro Generali confirmandum.
electionem confirmare teneatur, concedendo & committendo plenarie vices ſuas, dando ſcilicet ei liberam auctoritatem & poteſtatem, ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes & ſingulos Fratres de Obſervantia *nuncupatos, in partibus ultra-montanis, tam in capitibus quam in membris, viſi-* Ejus ampla poteſtas.
tandi publice & privatè, vocandi, citandi, inquirendi, examinandi, procedendi, judicandi, amovendi, terminandi, decidendi, ſententiandi, ap-

probandi, reprobandi, corrigendi, arctandi, detinendi, puniendi, carcerandi, & a carceribus liberandi, ad actus legitimos reſtituendi; Fratres Provinciarum & Vicariarum hujuſmodi collocandi & commutandi, expellendi & revocandi; Fratres de cis-montanis partibus cum bona licentia venientes recipiendi; apoſtatas omnes ad Ordinem redire volentes cum pœnitentia, quæ eidem Vicario videbitur, injungenda, reducendi & acceptandi; Fratres Conventuales, dummodo ſuis Miniſtris non ſint rebelles, & ab eis licentiam petierint, & pœnitentiam non effugiant delictorum, veraciter cupientes ad meliorem frugem ſe transferre & vivere regulariter, recipiendi; Officiales & Prælatos quoslibet ſibi ſubjectos, cum opus fuerit aut caſus exegerit, privandi, abſolvendi, deponendi & reſtituendi, vel alios loco eorum, de conſenſu tamen Fratrum eorumdem locorum, in quibus hujuſmodi Fratres officiales aut Prælati exiſtunt, vel ſaltem majoris partis eorumdem, ſubſtituendi; Fratres, Conventus, domos & loca prædicta, præſentia pariter & futura constructa informandi & reformandi; abſque ſocio, vel ſine licentia de citra-montanis partibus venientes puniendi; & quos noverit habiles & idoneos, etiam ad ſacros Ordines & ad Sacerdotium incluſive promoveri faciendi, ad Confeſſionis, & prædicationis officia promovendi, & promotos, cum eidem Vicario videbitur, privandi vel ſuſpendendi; omnes & ſingulos Fratres ſibi ſubjectos ab omnibus peccatis ſuis, pœnis ſpiritualibus vel temporalibus, excommunicationibus, ſuſpenſionibus, transgreſſionibus regulæ & ſtatutorum caſibus, irregularitatibus & cenſuris prædicto Generali Miniſtro commiſſis vel reſervatis, libere abſolvendi, liberandi, & diſpenſandi, quoties opus fuerit, ſe quoque ab hujuſmodi abſolvi, liberari & diſpenſari faciendi; etiam, quoties ei videbitur oportere, ad omnes Provincias & Vicarias, & ad præſentiam ipſius Generalis ac Romanam Curiam accedendi & mittendi; fugientes a ſeculo, ac quoſcumque volentes Deo in dicto Ordine deſervire, tam pro laicis quam pro Clericis ad habitum & profeſſionem recipiendi. Gratiæ ſive litteræ quæcumque a prædicto Generali Miniſtro eiſdem Fratribus conceſſæ vel deſtinatæ, vel in poſterum concedendæ, ſi tales eſſent, per quos ab Obſervantia regulari diſtraherentur Fratres hujuſmodi, aut quæ ſcandalum in regimine eidem Vicario commiſſo parerent, habeantur pro infectis. Contradictores & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris & dicti Ordinis remedia, etiam per invocationem brachii Eccleſiaſtici vel ſecularis, ſi opus fuerit, compeſcendi; congregationes in Provinciis & Vicariis omnibus ei ſubjectis, ſive pro electione Vicariorum, ſive pro aliis utilibus negotiis & occurrentiis opportunis, faciendi ſive fieri faciendi: & generaliter ſpecialiterque omnia alia & ſingula in ſpiritualibus circa Fratres, Conventus, domos & loca hujuſmodi faciendi, exercendi, diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi & ſtatuendi, quæ ipſe Miniſter Generalis facere poſſet, ſi perſonaliter intereſſet: Eaſdem inſuper auctoritates & gratias, poteſtates ac facultates per ipſum Miniſtrum Generalem eidem Vicario conceſſas, vel earum partem, aliis Fratribus, quos ad hoc judicaverit idoneos, committendi & concedendi, necnon per ipſos prædicti Vicarii Commiſſarios committi & concedi faciendi. Mandet propterea ipſe Generalis Miniſter, quod mandatum in commiſſione prædicto Vicario facta, in ſcriptis appareat omnibus & ſingulis Fratribus, in prædictis ultramontanis partibus commorantibus & commoraturis; Prælatis & ſubditis ad meritum ſalutaris obedientiæ, in virtute Spiritus ſancti, quatenus, omni appellatione poſtpoſita, quam nullo modo facere liceat, in omnibus & per omnia firmiſſime pareant & obediant eidem Vicario toto tempore ſui Vicariatus, tamquam perſonæ ipſius Generalis Mini-

niſtri; & nullo colore vel cauſa quæſitis, poſſint ipſi Fratres, ad pœnam excommunicationis & carceris, ac privationis officiorum & omnium actuum legitimorum latæ ſententiæ, ad ſubterfugiendum correctionem, examinationem, reformationem, & prædicti Vicarii ſeu Vicariorum illi ſubditorum obedientiam, ad Conventus & loca illius curæ non commiſſa aufugere, neque ſi jam aufugerint vel deinceps aufugere ſi contingeret, Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, ſeu quicumque alii Fratres eidem prædicto Vicario non ſubditi, cujuſcumque conditionis, gradus & dignitatis exiſterent, ſub pœna privationis officii ſui, & excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis omnium actuum legitimorum audeant illos recipere, aut forte receptos vel in poſterum recipiendos, retinere contra ejuſdem Vicarii velle vel Vicariorum illi ſubditorum; aut ſi quid aliud facultatis & auctoritatis in dictis litteris continetur, quarum tenorem hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſo, acſi de eis de verbo ad verbum facta eſſet mentio ſpecialis. Quæ commiſſio, aſſumptione ad dignitatem, ſuſpenſione, depoſitione, vel obitu ipſius Generalis committentis, nullatenus expiret, ſed firma, auctoritate Apoſtolica, ad tempus conceſſionis, & ſtabilis perſeveret. Quo triduo elapſo, & electione non confirmata, electus ipſe confirmatus cum plenaria poteſtate hujuſmodi ad triennium habeatur, Sedis Apoſtolicæ auctoritate; & ſi tempore electionis prædicti Vicarii vacaret Generalatus officium, electum ipſum Vicarium cum præmiſſa poteſtate confirmatum cenſeri & eſſe volumus & ordinamus. Interim vero dum fuerit confirmatus Vicarius, in cujus Provincia contigerit fieri hujuſmodi electio, exerceat officium Vicarii Generalis: & præmiſſa, quæ circa convocationem, congregationem, electionem & præſentationem, confirmationem & commiſſionis ſtabilitatem per prædictos dilectos filios Generalem Miniſtrum & ejus Vicarium, & ceteros, ut prædicitur, fieri volumus, ita & per inferiores Miniſtros & eorum Vicarios Provinciales hujuſmodi & qui adeſſe habent, debere fieri in ſuis Provinciis & Vicariis, ſtatuimus & ordinamus. Si vero Vicarius Generalis infra triennium ex hac luce migraverit, Vicarius in cujus Provincia mori contigerit, nunciet, quantocyus poterit, aliis Vicariis ultramontanis, & de conſenſu atque conſilio duorum proximorum Vicariorum determinet locum & tempus, niſi fuiſſent per Vicarium ante ipſius obitum deputata, & convocet, qui fuerint convocandi pro ſucceſſoris Vicarii electione celebranda: quo vacationis tempore, auctoritate Apoſtolicæ Sedis exerceat officium Vicariatus hujuſmodi Vicarius ipſe, in cujus Provincia obiit prædictus Vicarius Generalis, cum plena poteſtate præmiſſa. Generalis vero, aut quiſquam Miniſtrorum vel Cuſtodum, ſeu Frater dicti Ordinis, prædicto Vicario Generali, ſeu ceteris Vicariis, vel cuipiam Fratri ejuſdem familiæ, de Obſervantia *nuncupatis, moleſtiam ſeu impedimentum aliquod inferre non audeat, nec præſumat; niſi quod prædictus Generalis Miniſter per ſe dumtaxat perſonaliter viſitare & corrigere poſſit & valeat prædictum Vicarium Generalem, Conventum, locum, vel domum, Fratrem ſeu Fratres ejuſdem familiæ, pie, benigne & caritative ad meliorem frugem provocando: & ſi quidquam, quod abſit, crimimoſum repererit, ipſum Vicarium de conſilio & aſſenſu majoris partis Vicariorum prædictorum, ceteros vero de conſilio & conſenſu majoris & ſanioris partis Fratrum domus, loci, vel Conventus viſitatorum in eodem loco, & non extra, corrigere valeat, punire, pœnitentiare & emendare, ſecundum quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine vero & cura Fratrum prædictorum,* de Obſervantia *nuncupatorum, ſe aliter non intromittat. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLV. III. *Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* XV.

Dum renuit confirmare Miniſter Generalis facit Sedes Apoſtolica.

III. In

III. In eumdem modum aliam edidit Bullam pro inſtitutione Vicarii ultramontani. Deinde timens, ne aliquid in præjudicium Obſervantiæ in Capitulo generali proxime celebrando decerneretur, ſcripſit ad Miniſtrum Generalem ſequentes litteras, in quibus ad memoriam revocat, quæ ipſe, cum e Florentia per Senas in Urbem rediret, alias circa regimen Obſervantum cum illo conſtituerat.

Dilecto filio, fratri Antonio de Ruſconibus, ſacræ paginæ profeſſori, Ordinis Minorum Generali Miniſtro &c.

Vide Rodulph. fol. 191. Jubet nihil innovari circa regimen Obſervantum.

Cum omnia a nobis geſta cupimus conſervari, tum illa maxime perpetuam habere firmitatem & optamus & operam adhibemus, quæ pro divini cultus augmento, & Religionis conſervatione a nobis matura & digeſta deliberatione contingit ordinari. Non dubitamus tuam devotionem eſſe memorem eorum, quæ in civitate Senarum concluſa fuerunt a te, de Vicariis inſtitutis a te citra & ultra-montes, pro regimine Fratrum tui Ordinis, qui de Obſervantia *nuncupantur. Quam diſpoſitionem & ordinationem noſtram litteris Apoſtolicis confirmavimus, Deoque cooperante, non pœnituit Nos hujuſmodi ordinationis; quandoquidem omnia inter vos & Fratres dicti Ordinis poſtmodum pacifice ſucceſſerunt, nec diſſidia, clamores aut aliæ contentiones, ſicut aliquando alias, cum Chriſtifidelium ſcandalo contingebat, intervenerunt; &, quod tuo Ordini non parum decus affert, ipſorum* de Obſervantia *dicti Ordinis Fratrum Minorum numerus crevit, & reputatio eorum vitæ inter populos eſt adaucta. Quibus attentis, & aliis rationibus animum noſtrum moventibus, volumus, & tuæ devotioni ſtricte mandamus, ut in generali Capitulo proxime celebrando aut alibi, nihil prorſus facias aut intentes, quod prædictæ ordinationi noſtræ aliqualiter contradicat, niſi forte aliter Nos duxerimus mandandum. Ideoque Miniſtris Provincialibus mandabis, ut de dictorum Fratrum* de Obſervantia *regimine nullatenus ſe intromittant, niſi eo modo, quo fuit Senis concorditer ordinatum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVI. *Pridie Non. Maii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

Mariam. c. 20. Marc. l. 2. c. 26. Capitulum generale Obſervant. Romæ primum. Capitulū generale Ordinis 83. Montiſpeſſulani.

IV. Joannes Capiſtranus anxie cupiens Vicariatum deponere, juxta intimationem anno præterito a Pontifice factam, vocavit ad Comitia generalia omnes, quorum intererat, ex inſtituto Regularis Obſervantiæ. Ea habita ſunt in nobili æde Aracœlitana, ſub feſtum Pentecoſtes; quo etiam tempore Antonius de Ruſconibus aliud celebravit Capitulum generale ad Montem Peſſulanum (Rodulpho corrupte Montem Calerium) ad quod convenerant Patres Conventuales. In comitiis Aracœlitanis Joannes Capiſtranenſis Vicariatui renunciavit in manibus Eugenii Pontificis, qui ex ſumma erga Sodalitium benevolentia voluit omnibus actis Capitularibus intereſſe, electuſque eſt, qui ſuccederet, frater Jacobus de Primaditiis Bononienſis, vir doctrina, pietate, & miraculis illuſtris, de quo ſæpe ſumus loquuti. Decreverunt Patres in his Comitiis, ne ultra triennium Vicariatus protraheretur; ne quiſpiam admitteretur initiandus ante annum ætatis decimum octavum; ne laici aſcenderent ad Clericatum; ne deinceps cœnobia conſtruerentur ſive admitterentur, abſque Vicarii Generalis facultate. Ut Conventus Aracœli ei ſubeſſet immediate, vocarenturque duo ex Germania, totidem ex Gallia & Hiſpania viri eruditi & graves, qui ſplendori eſſent & præſidio. Memoriale Ordinis ſpeciatim refert ex Hiſpania evocatum fratrem Rodericum de Oña, de quo ſuperius diximus, virum, inquit,

Jacob. de Primaditiis Vicarius Obſervantum. Statuta capituli Obſervantum.

Rodericus de Oña.

per-

perfectum ac prædicatorem Evangelicum, & ab Eugenio Pontifice tanta dilectionis caritate receptum, ut eum filii loco haberet, & omnia poſtulata concederet. Guardianus inſtitutus eſt frater Bartholomæus de Colle, provinciæ Tuſciæ, vir egregius & inſignis Concionator per univerſam Italiam. *An.1445. n.6. Monum. Ordin. ſub 34 Miniſtro Generali.*

Confirmatur Vicarius Generalis.

V. Regreſſus e Gallia Miniſter Generalis noluit Primaditium, Obſervantum ſuffragiis electum, confirmare, aſſerens Comitia ſua auctoritate indici, atque ipſo præſente celebrari debuiſſe. Ægre contradictionem hanc tulit Pontifex, vetuitque, ne, quam ipſe ſpeciali Diplomate confirmaverat, reprobare auderet electionem. Durum erat contra ſtimulum calcitrare, & ſupremæ poteſtati reſiſtere; honorificis itaque litteris Jacobum ſuum declaravit Vicarium. Utriuſque confirmationis meminit Eugenius in Bulla mox proferenda circa regimen Clariſſarum familiæ ciſmontanæ. Pontificiam hic exhibeo; Generalis litteræ perierunt.

Dilecto filio Jacobo de Primaditiis de Bononia, Ordinis Minorum de Obſervantia, in partibus ciſmontanis Vicario Generali.

VI. R*Egimini univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, ut juxta creditæ nobis diſpenſationis officium, ſubditorum quorumlibet, & præſertim ſub regulari Obſervantia ſtudio vacantium piæ vitæ, in quorum utique proſperitate reficimur, quantum nobis ex alto conceſſum fuerit, jugiter intendamus, & iis quæ pro Divini cultus, necnon religionis incremento provide facta comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem. Sane cum nos dudum ult. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno* XIV. *conſtitutionem & deputationem, quibus dilectus filius Antonius de Ruſconibus, ſacræ Theologiæ profeſſor & Generalis Miniſter totius* Ordinis *Minorum, dilectos filios Joannem de Capiſtrano citra montes, & Joannem de Mauberto ultra montes, omnium domorum, locorum & Conventuum Fratrum dicti Ordinis Minorum* de Obſervantia *nuncupatorum, Vicarios Generales fecit, inſtituit & deputavit, per quaſdam alias noſtras confirmaverimus, & inde experientia teſte, didicerimus, non ſine cordis lætitia, deputationem & inſtitutionem hujuſmodi ipſius Ordinis Fratribus* de Obſervantia *nuncupatis in ſuo ſtatu plurimum profeciſſe, cum ſilentio quodam reclamationum, quæ aures noſtras ſæpiſſime propulſabant, & mentis quietudine, quæ devotæ contemplationi & ſacrarum litterarum ſtudiis diſponuntur, fugata evagationis materia, cum multitudine ad eamdem Obſervantiam convolantium Novitiorum. Ut igitur libentius & liberius in bono perſeverent & perſeverantia notior habeatur, portenturque ad arcam Domini manipuli plenæ meſſis, per certas alias noſtras litteras, motu proprio & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica commiſimus & mandavimus dilecto filio Joanni de Capiſtrano, quod Vicarios & Diſcretos Provinciarum & Vicariarum ſibi tunc ſubjectarum ante finem ſui officii capitulariter congregaret, qui ſic congregati facultatem haberent eligendi & eligere tenerentur unum Religioſum ejuſdem Ordinis in Vicarium Generalem ciſmontanorum Fratrum de Obſervantia prædictorum, & electione facta, eam, quam primum commode fieri poſſet, Generali Miniſtro totius Ordinis facerent præſentari, quam ipſe Miniſter infra triduum confirmare, ipſique electo committere deberet plenarie vices ſuas, ut in dictis aliis, de quibus ſupra fit mentio, factis confirmatione, commiſſione & conceſſione plenarie continetur. Quam quidem electionem ſi infra triduum hujuſmodi dictus Generalis Miniſter confirmare diſtulerit, ex tunc electus ipſe cum præ-* *Ex lib.24. Bullarum fol.123.*

prædicta poteſtate confirmatus omnimode cenſeretur uſque ad triennium tunc ſecuturum, noſtra & Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Interim autem donec confirmatus fuiſſet, ipſum eadem auctoritate exerceret officium Vicarius Provinciæ, ubi Capitulum prædictæ electionis contingeret celebrari. Nos igitur attendentes quod propter diſtantiam & abſentiam prædicti Generalis Miniſtri, qui nunc in ultramontanis partibus dicitur commorari, Fratres prædicti de Obſervantia *nuncupati, non parvum detrimentum in regimine pati poſſent, electionem hujuſmodi de te factam, motu proprio, non ad tui vel alterius pro te nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ſupplendo omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eadem, auctoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus: tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus prædicti Vicariatus officium diligenter exequaris cum omni plenitudine poteſtatis, ſicut in primis noſtris litteris confirmationis Vicariatus prædicti dilecti filii Joannis de Capiſtrano plenius continetur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVI. *Pridie Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

VII. Sub finem hujus anni Eugenius duas edidit Bullas valde favorabiles Inſtituto Obſervantum: unam, in qua domus & Eremitoria omnia, quæ quoquo modo habebant Obſervantes ante celebrationem prædicti Capituli Generalis, ſubjecta voluit in omnibus Vicariis Generalibus ejuſdem Inſtituti, aliaque multa edidit in favorem hujus reſtitutæ diſciplinæ: alteram ad fratrem Joannem de Mauberto, Vicarium Generalem ultramontanum, qua auctoritatem concedit ad Capitulum Generale convocandi, ſtatuta condendi, & alia multa faciendi, quæ propagando Inſtituto judicaret expedire.

Ad futuram rei memoriam.

Ex reg. veteri Ordinis, fol. 215.

VIII. V*Acantibus ſub Religionis obſervantiæ ſtudio piæ vitæ Apoſtolici favoris præſidium libenter impendimus, & in his quæ ſolidationem ſtatus, necnon perpetuam pacem & tranquillitatem eorum reſpiciunt, noſtri miniſterii partes favorabiliter exhibemus. Hinc eſt, quod Nos cupientes ut profeſſores Ordinis Fratrum Minorum, qui cum additione voluntariæ paupertatis, juxta ſalubria ejuſdem Ordinis Inſtituta, ſub illius obſervantia exactius viventes, per diverſas mundi partes, tam variis & diverſis virtutum meritis, quam etiam perſonarum numero plurimum multiplicati, ex religioſis & operoſis eorum miniſteriis magna in Dei Eccleſia afferunt incrementa, ſub uno eodemque regimine, ac caritatis & ejuſdem Obſervantiæ unione, virtutum Domino jugiter famulentur, ad divini nominis laudem, ac ſingulare & præcipuum ſalutis plurimorum exemplum, motu proprio, non ad ipſorum profeſſorum Fratrum vel alicujus eorum, ſeu alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium volumus atque decernimus, quod omnia & ſingula, domos, Conventus, & Eremitoria, & alia loca, quæcumque nomine cenſeantur, in quibus aliqui ex profeſſoribus prædictis tempore generalis Capituli in loco Montis-peſſulani, Magalonen. diœceſis, tam per prædictos quam alios ejuſdem Ordinis Fratres proxime celebrati, vixerunt ſeu permanſerunt, a quovis illa quacumque auctoritate reformata, conſtructa ſeu fundata ſint, & ubicumque conſiſtant, ac quæcumque, quotacumque, qualiacumque ſint citra montes, videlicet citramontani; ultra montes autem conſiſtentia, ultra-*

tramontani Generalium Vicariorum Ordinis & obſervantiæ prædictorum regimini & gubernationi in perpetuum ſubſint, & ſubjecta ſint, ac eſſe cenſeantur. Et in ſingulis provinciis tam in citramontanis, quam ultramontanis partibus conſiſtentibus prædictis, loco Provincialium Miniſtrorum, Fratres Ordinis & obſervantiæ prædictorum, ſingularum provinciarum hujuſmodi ſingulos Provinciales Vicarios eligere & deputare poſſint ac debeant in omnibus & per omnia, prout Provinciales Miniſtri eliguntur & deputantur. Quodque citramontani in citramontanis, & ultramontani in ultramontanis partibus, quæ Generalis dicti Ordinis in præfati Ordinis, & ſinguli Provinciales Vicarii prædicti in ſingula ſibi commiſſarum provinciarum domos, Conventus, Eremitoria & loca, illorumque Fratres, quæ ſingulis Provincialibus Miniſtris in provinciarum eis commiſſarum domus, Conventus, Eremitoria, & loca ipſorum, Fratres & perſonas ex privilegiis etiam Apoſtolicis, aut de jure vel conſuetudine, ſeu alias quoquo modo competere dignoſcuntur, illa & prorſus eadem dominium, poteſtatem, & ſuperioritatem, ac juriſdictionem habeant. Mandantes diſtrictius omnibus & ſingulis Guardianis, Vicariis, & Fratribus domorum, Conventuum, ac locorum Ordinis & Obſervantiæ ubilibet conſiſtentium prædictorum, ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrafacientes incurrant, a qua, præterquam in mortis articulo conſtituti, non niſi per Romanum Pontificem, vel aliquem ex Generalibus vel Provincialibus Vicariis præfatis, quibus & quorum cuilibet ſuper his plenam per præſentes concedimus facultatem, abſolvi poſſint, quatenus infra quindecim dierum ſpatium, poſtquam præſentium notitiam habuerint, citramontani citramontano, ultramontani vero ultramontano Generalibus, ac ipſi, & eorum quilibet ſuo Provinciali, Vicariis efficaciter pareant & intendant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, privilegiis quoque, conſuetudinibus, ac indulgentiis, & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in litteris noſtris mentio ſpecialis. Quibus omnibus, illis alias in ſuo robore permanſuris, quo ad præmiſſa derogare intendimus, & per præſentes derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile eſſet hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferre, eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto, manu publica, & ſigillo veſtræ Vicariæ, aut alicujus Epiſcopalis, vel Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tamquam præfatis noſtris litteris, ſi originales exhiberentur, plena fides adhibeatur: & perinde ſtetur, ac ſi originales litteræ prædictæ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. x. *Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

Dilecto filio fratri Joanni de Mauberto, Ordinis Minorum, qui dicitur de Obſervantia regulari, partium ultramontanarum Vicario, ſalutem &c.

IX. *Cupimus, &, quantum ex alto nobis fuerit conceſſum, intendimus omnia facere, per quæ Fratres tuæ commiſſi curæ multos meſſis manipulos in horreum Dominicum proferant. Volumus itaque & mandamus tibi, ut convocatis ad te omnibus Vicariis tibi ſubjectis, aliiſque tui* Or- *Ex autographo.*

Ordinis Fratribus, de quibus tibi videbitur, ac Vicariis antedictis in locum per te ipſum deputandum, ſcilicet idoneum & tolerabilem omnibus, a quibus ſic congregatis Vicariis & Fratribus, Apoſtolica auctoritate volumus omnia poſſe fieri & ordinari pro gubernatione Fratrum, Conventuum, domorum, locorum, & Eremitoriorum tuæ Vicariæ ſubjectorum, quæ Generalis Miniſter tui Ordinis cum Generali Capitulo tam de Jure, quam de conſuetudine & ex forma privilegiorum poſſe facere conſuevit. In primis autem volumus tales a vobis ordinationes fieri, per quas omnes Fratres quorumcumque locorum, & quarumcumque Vicariarum atque provinciarum tui officii, ad unum eumdemque vivendi modum, quantum fieri poteſt, reducantur, tam circa habitus geſtationem, quam circa Fratrum receptionem, & alia quomodolibet occurrentia. Nam ut id facere poſſitis, conſuetudines, ſtatuta, ordinationes qualitercumque factas, ac etiam privilegia a Sede Apoſtolica conceſſa, etſi talia forent, de quibus habenda eſſet mentio ſpecialis, inquantum noſtræ voluntati ſupradictæ adverſentur, auctoritate prædicta, tenore præſentium revocamus. Declarantes noſtræ intentionis eſſe, Fratres dicti Ordinis de Obſervantia, ad nullas teneri culpas, atque offenſas, quæ in ejuſdem Ordinis ſtatutis, ſive ordinationibus, tam Apoſtolicis, quam Generalibus continentur; ſed ſolummodo teneri & obligari per ſuperiores ſuos impoſitis pœnis. Futuræ autem, de qua ſupra diximus, congregationi veſtræ concedimus facultatem ordinandi & declarandi, in quibus locis & provinciis Fratres debeant jejunia regulæ in cibis Quadrageſimalibus obſervare, & in quibus debeant primæ conſuetudines irritari, vel aliter ſe habere. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. XVI. *Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

Hæreſis de coitu illicito.

X. In Principatu Boſnæ, & in aliquibus partibus Moldaviæ, Valachiæ, Bollachiæ, Bulgariæ, Raſciæ, & Sclavoniæ, multi, etiam Eccleſiaſtici, laxatis pudicitiæ habenis, vitam ducebant diſſolutam, defendebantque fœdiſſimis doctrinæ erroribus, publice aſſerentes, coitum carnalem, etiam inter non legitime conjugatos, non eſſe peccatum. Horum libertati & pravo dogmati ut obſiſteret frater Fabianus de Bachia, Vicarius Boſnæ, & hæreticæ pravitatis Inquiſitor, ejuſque in officio ſucceſſores, Eugenius gravi diplomate conſtituit. Fratribus etiam ejuſdem provinciæ, indefeſſo & laudabili ſtudio animarum converſioni inſiſtentibus, & in gente Ruthena plenos manipulos reportantibus, plurima eaque magna indulſit privilegia. Omnia ex his conſtabunt inſtrumentis.

Proficiunt inter Ruthenos Minoritæ.

Ad futuram rei memoriam.

Ex lib. 24. Bullarum, fol. 110.

XI. P*Ræ cunctis noſtræ mentis deſiderabilibus, Catholicæ incrementum fidei affectantes, ſummo utique dolore replemur, cum audimus vel ſentimus aliquos, præſertim Clericali militiæ adſcriptos, ad ipſius fidei depreſſionem quacumque malignitate ſatagere, vel damnabilibus ipſam depravando depreſſionibus, ſeu commentis eam mendacibus pervertendo, ad quorum iniqua ſternenda molimina eo animoſius inſurgimus, quo in animarum ſtragem perniciosius eos agnoſcimus aſpirare. Dudum ſiquidem ad noſtrum, non ſine diſplicentia grandi, auditum perducto, quod tunc in regno Moldaviæ, hæreticæ pravitatis, & præſertim cujuſdam ſectæ abominabilis,* Huſſitarum *nuncupatæ, ſatore malorum operum id procurante, numeroſa perſonarum multitudo exiſtebat, quæ non modo incolarum, verum etiam ab ipſo regno diſtantium, & præcipue non paucorum regni Hungariæ incolarum animas perverſi dogmatis*

ve-

veneno peſtifero infecerant, ac in dies ſperantes inficere, omni ſtudio ſatagebant & conabantur, timebaturque, ne, niſi quantocyus eorum pernicioſis auſibus opportune provideretur, etiam ad ceteras fidelium partes tranſeuntes, & mortiferum venenum ſuæ erroneæ doctrinæ effundentes, quam plurimos inficerent, in ſuarum & plurimorum aliorum evidens animarum periculum, diſpendium quoque pernicioſiſſimum pariter & exemplum. Nos ſuper his, quantum nobis ex alto permittebatur, totis providere viribus intenti, & firmam ſuper eo, quod eatenus dilecti filii Ordinis Fratrum Minorum profeſſores de Obſervantia nuncupati, & præcipue Vicariæ Boſnæ, qui, ut celebris famaque publica inſinuabat, ſe murum facientes pro domo Domini, & Orthodoxæ propagationis fidei, ad confundendum eliminandaſque hujuſmodi hæreſis ſuperſtitiones, opem & operam efficaces ſolertius adhibere, quantum in eis foret, ſtuduiſſent & ſtuderent, prout tantæ rei neceſſitas exigeret, in convincendis eliminandiſque dictis erroribus ſuas impertiri partes deberent, fiduciam in Domino, ut congruebat, acceptantes, motu proprio dilectum filium Fabianum de Bachia Vicarium dictæ Vicariæ, & illius ſucceſſores, qui pro tempore eſſent ipſius Vicariæ Vicarii, in Hungariæ & Boſnæ prædictis, necnon Moldaviæ, Valachiæ, Bollachiæ, Bulgariæ, Raſciæ, necnon Sclavoniæ, ac omnibus & ſingulis aliis regnis, ad quæ ſeu quos Vicaria hujuſmodi ſe extendere noſcebatur, Inquiſitorem & Inquiſitores hæreticæ pravitatis per alias noſtras litteras perpetuum fecimus, conſtituimus & etiam deputavimus, ſub certis modo & forma, prout in eiſdem litteris pleuius continetur. Cum autem, ſicut ad audientiam noſtram plurimorum fide dignorum relatione pervenit, in aliquibus ex regnis ſeu partibus antedictis, nonnulli Presbyteri, aut etiam Parochialium Eccleſiarum Rectores, vel alia beneficia Eccleſiaſtica, etiam dignitates Presbyteratus adminiſtrantes, ſeu officia obtinentes, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, pudicitiæ laxatis habenis, ac vitam ducentes plurimum diſſolutam, concubinas publice tenent, illaſque plurimum honorare, &, quod deterius fore dignoſcitur, ad exconſundam eorum in peccato hujuſmodi excuſationem, actum carnalem, etiam inter non legitime conjugatos, peccatum non eſſe, publice aſſerere & prædicare non verentur, in maximam Dei offenſam, & animarum periculum, pernicioſum quoque exemplum ac ſcandalum plurimorum; & a nonnullis revocetur in dubium, an Fabianus & ſucceſſores prædicti contra Presbyteros & perſonas Eccleſiaſticas hujuſmodi, tamquam contra hæreticos, dictarum litterarum vigore, procedere poſſint? Nos, qui ex debito commiſſi nobis officii, hujuſmodi errorem deteſtabilem, ne propagetur ulterius, & per eum corda fidelium damnabiliter corrumpantur, ab Eccleſia Catholica neceſſario extirpare debemus: motu proprio, non ad ipſius Fabiani, vel alterius &c. ſed ex noſtra certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimes & declaramus, Fabianum & ſucceſſores prædictos contra Presbyteros & perſonas prædictas, ac quoſcumque alios, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, actum carnalem inter alios quam inter legitime conjugatos non eſſe peccatum aſſerere & pertinaciter tenere præſumentes, tamquam contra hæreticos, juxta ipſarum litterarum continentiam atque formam, procedere poſſe & debere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in ipſis litteris, quod contra Presbyterorum perſonas, & alios aſſerentes prædictos procedere poſſent & deberent, expreſſum fuiſſet. Et inſuper, ut Fabianus, & ſucceſſores prædicti, eo facilius Inquiſitionis officium hujuſmodi exequi poſſint, quo perſonas, præſertim Eccleſiaſticas, ſibi in executione hujuſmodi aſſiſtentes, favoribus Apoſtolicis proſequi poterunt, eiſdem Fabiano & ſucceſſoribus prædictis, quod omnium & ſingularum Eccleſiaſti-

ſiaſticarum., tam ſecularium quam Ordinum quorumcumque regularium perſonarum, quas ad executionem hujuſmodi pro tempore duxerint eligendas, confeſſiones audire, & pro commiſſis &c. etiam ſi ſimoniæ, & talia fuerint, propter quæ &c. crimine falſitatis litterarum Apoſtolicarum dumtaxat excepto, debitam abſolutionem impendere &c. necnon illos a quibuſcumque excommunicationis &c. abſolvere, & cum eis ſuper quibuſcumque irregularitatibus &c. diſpenſare &c. auctoritatem concedimus per præſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. V. *Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Vicariæ Boſnæ, Ordinis Fratrum Minorum ſub Regulari ejuſdem Ordinis obſervantia viventium, præſentibus & futuris &c.

Ibid. fol. 211. XII. D*Um ſalubria laborum veſtrorum ſtudia, quæ, mundanis abjectis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, pro augmento fidei Catholicæ impenditis inceſſanter, etiam in ipſius fidei hoſtium partibus verbum Domini, non abſque veſtrarum perſonarum diſcrimine, prædicando, debita conſideratione penſamus, ea vobis libenter concedimus, per quæ, ſublatis quibuſvis diſpendiis, cum animarum ſalute, ampliores inde etiam fructus afferre valeatis. Cum itaque, ſicut nonnullorum fide digna relatione, non ſine ingenti mentis exultatione, percepimus, quod in regno Hungariæ, illiuſque confinibus & Tranſylvanis partibus, nonnulli* Rhuteni *nuncupati, gens quidem ſatis populoſa & grandis numero, exiſtant, qui divina illuſtrati gratia, ac gentium cæcitatem de eorum cordibus deponentes, ad Fratres Vicariæ veſtræ, propter illorum religioſam & laudabilem vitam, necnon fructuoſas, quas eis continuo faciunt prædicationes, ſingularem gerentes devotionis affectum, per ipſos Fratres ſacri Baptiſmatis unda renaſci, & Evangelicæ doctrinæ pabulo paſci & enutriri, & quod ipſorum animarum curam dictorum Fratrum regimini & gubernationi ſubeſſe ferventius concupiſcant: Nos, qui dudum vobis, ut eo ferventius laboribus & ſtudiis, quæ pro fidei hujuſmodi & divini cultus ac religionis augmento, plurima & fructuoſa impendere poteratis, inſiſtere valeretis ſeu poſſetis, diverſa privilegia, exemptiones &c. per diverſas noſtras litteras conceſſimus, ipſorum populorum pio deſiderio favorabiliter annuentes, ac ſperantes, quod pro hujuſmodi, & etiam circumadjacentium aliorumque infidelium populorum reductione, ipſorumque animarum ſalute, pro viribus elaborare valeatis; Motu proprio, non ad inſtantiam &c. quod Fratres Vicariæ prædictæ, ad hoc per illius Vicarium pro tempore exiſtentem electi ſeu deputati, etiam pro tempore quoad prædictos Ruthenos & alios, quos veſtris vel alterius veſtrum prædicationibus & exhortationibus ad fidem Catholicam converti contigerit, ac Catholicorum Sacerdotum copiam non habentes, qui jam ad fidem ipſam converſi fore noſcuntur, & quoſcumque alios populos ubilibet conſiſtentes, prædictis ac omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus &c. per nos ac prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ſeu alias ſub quibuſvis verborum formis quomodolibet conceſſis, quorum omnium & ſingulorum tenores &c. in omnibus & per omnia uti & gaudere; ipſiſque jam ad fidem converſis, & quos converti contigerit, populis, illorumque ſingularibus utriuſque ſexus perſonis, quicumque & quotcumque numero fuerint, quos omnes & ſingulos quo ad ipſorum animarum curam, veſtris aut illorum etiam Presbyterorum ſecularium,*

quos

quos ad id dicti deputati Fratres duxerint pro tempore deputandos, regimini & gubernationi, per præſentes ſubeſſe decernimus, Baptiſmatis, chriſmatis ſeu Confirmationis, Euchariſtiæ, aliaque Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare; ac in hujuſmodi infidelium partibus unum, duo, tria aut plura & tot loca ſeu domos, quot eis videbitur, cum Eccleſiis, campanilibus &c. & aliis pro Fratrum Vicariæ & Ordinis prædictorum uſu & habitatione perpetuis, fundare & conſtruere, ſeu fundari & conſtrui facere, aut jam forſan fundata & conſtructa; necnon omnia alia, domos & loca Ordinis & obſervantiæ prædictorum, ubilibet a mari Adriatico uſque ad confines Tartariæ conſiſtentia, quæcumque & quotcumque numero ſint, de dicta Vicaria eſſe, illique perpetuo ſubeſſe, quibuſcumque Apoſtolicis ſeu aliis privilegiis vel litteris, illis ſub quibuſvis verborum formis conceſſis, nequaquam obſtantibus, motu, ſcientia & auctoritate prædictis decernimus per præſentes, recipere, illaque inhabitare:. Necnon omnes & ſinguli in regno Hungariæ ſingulis feſtis diebus trium ſanctorum Regum, videlicet Stephani, Ladislai, Emerici, in quibus juxta illarum partium conſuetudinem, propria celebrantur officia hujuſmodi, & Raguſina civitate & diœceſi, aliiſque locis dilectorum filiorum Communitatis Raguſinæ temporali dominio ſubjectis domibus commorantes Fratres, in ipſis domibus, earumque Eccleſiis pro Feſto majori duplici officium ſancti Blaſii Martyris, ipſorum Communitatis Raguſinæ Patroni, propter populorum devotionem, in Feſto ejuſdem ſancti Blaſii dicere, legere ac cantare, libere & licite valeant. Nec ad dicendum officium divinum juxta alium morem ſeu ritum teneamini. Et cum, ſicut etiam accepimus, in diverſis locis dictæ Vicariæ quam plures ſint utriuſque ſexus perſonæ, ſub vitæ caſtimonia, nullum tamen ex Ordinibus approbatis profeſſæ, Altiſſimo, aliquæ in propriis, quædam vero in locis, de licentia Diœceſanorum locorum, ad id deputatis, laudabiliter famulantes, quæ ad Regulam Tertii Ordinis ſancti Franciſci de pœnitentia &c. ſingularem gerentes devotionis affectum, ipſam Regulam libenter profiterentur, & ſub illa in aliquibus domibus in communi ad inſtar, & ad ſimilitudinem, ac in omnibus & per omnia, juxta modum, & formam nonnullarum domorum ejuſdem Tertii Ordinis in Italia conſiſtentium, ac privilegia, gratias & indulta eis per Sedem prædictam, vel alias conceſſa, vivere ferventius concupiſcant, quod dictus Vicarius ſeu Fratres per eum ad hoc pro tempore deputati, etiam unam, duas, tres, quatuor, aut plures & tot, quot eis expedire videbitur, domos, in locis tamen ad id congruentibus & honeſtis, pro perſonarum hujuſmodi dictam regulam profiteri volentium, uſu & habitatione perpetuis, in omnibus & per omnia juxta modum, formam, privilegia, gratias & indulta domibus Italiæ conceſſa antedicta, fundandi, conſtruendi, & in eis vivendi licentiam perſonis regulam profiteri volentibus hujuſmodi concedere poſſint libere & licite; quodque regulam profitentes & in communi viventes perſonæ utriuſque ſexus hujuſmodi, ſub cura & regimine veſtris degant, ita quod Fratres Vicariæ prædictæ per Vicarium hujuſmodi deputati, earum confeſſiones, Euchariſtiæ & alia Eccleſiaſtica ſacramenta eis miniſtrare valeant; ac omnium & ſingulorum Chriſtifidelium, in domibus ſeu locis veſtris ubilibet conſiſtentibus, ſepeliri eligentium, jure parochialium Eccleſiarum ſemper ſalvo, liberam habeatis ſepulturam, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus: diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis Diœceſanis locorum & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ac Chriſtifidelibus Eccleſiaſticis, ſecularibus, & Ordinum quorumcumque regularibus, necnon laicis cujuſcumque ſtatus &c. Diœceſanis, Rectoribus & Eccleſiaſticis, ne de ani-

animarum cura ſic converſorum, & quos pro tempore converti contigerit, populorum ac ſingularium perſonarum eorumdem, quoquomodo ſe intromittant; aut Fratres ſive etiam Presbyteros ſeculares pro tempore deputatos prædictos, quominus curam hujuſmodi gerant; voſque in quibuſcumque domibus ſeu locis ubilibet conſiſtentibus veſtris, inibi ſepeliri eligentium liberam habeatis ſepulturam, atque cadavera defunctorum de loco, in quo erunt, ad domos ſeu Eccleſias veſtras, abſque eo quod prius, juxta quarumdam partium conſuetudinem, quam velut corruptelam penitus reprobamus, ad Parochiales ſeu alias Eccleſias, deferantur, deferre & deferri facere valeatis, impedire per ſe vel per alios, directe vel indirecte; & illos, qui dictis Fratribus alias debite confeſſi, ac quibus pro commiſſis ab eis peccatis debita abſolutio impenſa &c. fuerint, a ſacramenti Eucbariſtiæ communione, tamquam niſi prius eis iterum confiteantur, indignos repellere; ac prædictis Eccleſiaſticis ac laicis perſonis, ne aliquos Fratres Vicariæ prædictæ, etiam vigore cujuſcumque indulti ſeu conceſſionis, ſub quacumque verborum forma, per Nos vel Sedem prædictam, etiam motu ſimili conceſſi ſeu conceſſæ, aliquos Fratres ipſius Vicariæ in ipſorum Capellanos, niſi de ſpeciali dicti Vicarii ſeu Cuſtodum, vel Fratrum, ſufficientem deſuper ab ipſo Vicario facultatem habentium, licentia, habere præſumant; etſi quos forſan habuerint, illas infra menſem, poſtquam præſentes noſtræ litteræ ſibi intimatæ fuerint, dimittere penitus & omnino teneantur. Decernentes omnes & ſingulos, qui contra inhibitionem noſtram hujuſmodi in aliquo venire præſumpſerint, excommunicationis ſententiam, a qua præterquam in mortis articulo conſtituti, nonniſi per prædictum Vicarium, aut Fratres ad id per eum deputatos, abſolvi poſſint, incurrere ipſo facto; ac ex tunc omnes & ſingulas litteras ſuper licentia ſeu facultate recipiendi quoſcumque Fratres in eorum Capellanos, quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis vel ſecularibus, per Nos vel Sedem prædictam &c. conceſſas, & in poſterum forſan concedendas, niſi in illis ſpecifice & expreſſe de Vicaria hujuſmodi mentio fiat, ad Fratres Vicariæ hujuſmodi nullatenus ſe extendere, ac irritum & inane &c. Volumus autem, quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas Generali Miniſtro dicti Ordinis Minorum, ſeu aliis quoquomodo, per nos aut Sedem prædictam conceſſas ſeu &c. ipſæ præſentes litteræ, aut in eis contenta nullatenus intelligantur aut cenſeri debeant revocata. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contraris quibuſcumque, præſentibus, quoad ſub Obſervantia prædicta vixeritis, dumtaxat valituris. Verum quia difficile foret hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferre &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. V. *Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

Joannes Capiſtranus mittitur Nuncius in Galliam.

XIII. Miſit hoc anno Pontifex Joannem Capiſtranenſem, jam a præfectura liberum, ad diverſas mundi partes, præſertim in Galliam, cum Rege aliiſque Principibus res graves, Sedem Apoſtolicam & univerſam Chriſtianitatem concernentes, tractaturum. Ad Gallos proficiſcentem honorifice excepit frater Petrus Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis de Fuxo ex Ordine Minorum, in civitate Avenionenſi & Comitatu Venayſino Vicarius Generalis, & in provinciis Arelatenſi, Aquenſi, & aliis nonnullis a latere Sedis Apoſtolicæ Legatus. Dedit etiam honorarias litteras & ſalvum conductum tenoris ſequentis.

Pe-

Petrus miſeratione divina Epiſcopus Albanenſis, S. R. E. Cardinalis, de Fuxo vulgariter nuncupatus, in civitate Avenionenſi & Comitatu Venayſino pro Domino noſtro Papa, & ſancta Romana Eccleſia, in temporalibus Vicarius Generalis, ac in Arelatenſi, Aquenſi, & nonnullis aliis provinciis, civitatibus & diœceſibus a latere Sedis Apoſtolicæ Legatus. Univerſis & ſingulis Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, civitatumque, villarum, locorum, provinciarum & terrarum Baylivis, Rectoribus, Conſulibus ac probis hominibus, pontium portuumque cuſtodibus & paſſagiorum, ac aliis omnibus Chriſtifidelibus, ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem in Domino, & debitam reverentiam cum honore.

XIV. V*Obis & veſtrum cuilibet notum facimus per præſentes, D.N. PP. Eugenium, certis ex cauſis, ipſum, Sedemque Apoſtolicam, & univerſam Chriſtianitatem tangentibus, ad diverſas mundi partes dilectum nobis in Chriſto fratrem Joannem de Capiſtrano Ordinis Minorum, latorem præſentium, deſtinare. Quapropter vos & veſtrum quemlibet benigne affectuoſius deprecamur, quatenus ipſum fratrem Joannem, & ejus ſocios in Eccleſiis veſtris vos, Domini Prælati, & veſtrum quilibet benigne ſuſcipiatis, & in Domino caritative tractetis. Voſque prædicti Baylivi, Rectores, Conſules, probi homines, ac quicumque alii temporales, per civitates, terras, loca, dominia, caſtra, pontes, portus, paſſagia, ac alia loca, vobis & veſtrum cuilibet ſubjecta aut regimini commiſſa, libere tranſire, noctu dieque inibi ſtare, morari, ac ire & redire permittatis, & de ſalvo conductu, ſi opus ſit, pro itineris ſecuritate eidem fratri Joanni, & ejus ſociis provideatis: ſic ipſum pro reverentia dicti Domini noſtri Papæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, atque noſtri contemplatione recommendatum habere velitis, taliter erga eumdem in præmiſſis, & eorum ſingulis vos habentes, quod vobis & veſtrum cuilibet ad gratiarum actiones in ſimili aut majori complacere merito teneamur. Datum Maſan. Carpen. diœceſis, prima die Octobris, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVI. *Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Eugenii, divina providentia Papæ IV. anno* XVI.

XV. Albertus Sartianenſis ad urbem profectus Brixienſem, luſtratis prius urbibus & oppidis Ducatus Mediolanenſis, uti diximus anno præcedenti, invenit cruentis odiis & feralibus inimicitiis exardeſcentem. Vocatus ſæpius a civibus, ut latius quotidie ſerpentem ignem vel extingueret vel comprimeret, diſtulit in hoc tempus opportunius; adeoque prudenter egit, dante Deo voci ejus vocem virtutis, ut diſſidentes animos conciliaverit, & motos turbarum fluctus compoſuerit; pactis etiam conditionibus, quibus pax proclamata duraret. Ut firmius ſubſiſteret, voluit ut Veneti Senatus decreto cuncta probarentur; miſſiſque pacis articulis ad Franciſcum Barbarum, nobilem Venetum, rogavit ut curaret, a Reipublicæ Patribus ſuo conſtituto ſtabiliri. Do epiſtolam ſimul tranſmiſſam; cui addidit tractatum diſcretum: *De inſolentibus corripiendis*. Albertus Sartianenſis pacificat Brixienſes.

Franciſco Barbaro Veneto, frater Albertus Sartianenſis &c.

XVI. A*Nnus octavus nunc agitur, humaniſſime Barbare, ſi non me fallit oblivio, quo me tum Præſes Brixienſis ſummo illuc ſtudio vocare curaſti, ut populum & homines, quos bellicoſiſſimos nominabas, & periculoſa ſimul-*

ſimultate invicem diſſidentes, ad pacis atque concordiæ unitatem, noſtro quidem ſatu, ſed Dei incremento, per Evangelica documenta revocaremus. Verum quod, intercepto itinere noſtro, eo tempore fieri per varias occaſiones non potuit, in hanc diem Chriſti Domini miranda ſapientia ſalubriter diſtulit. Et certe in his pene omnibus, qui majores civitatis & natu & auctoritate habentur, ut miraculum præſtantius putes, is animus divinitus atque ea mens eſt, ut omnes, præter reprobos, qui perpauci ſunt, cum Fratribus conciliari vehementiſſime expetant. Sed ne aliquando ipſa malitia paucorum ad coactos ſemel in amicitiam per inſolentiam ac levitatem diſpertiatur, optant ex Veneti Senatu, conſulto, quæ majore ex parte ſtatuerint, immortalis firmitatis ſententia roborari. Oro igitur te, ut honeſtiſſimæ cauſæ tanti ponderis velis adeſſe, quam iſte perlator, qui tibi, ut aſſerit, notiſſimus eſt, diligentius explicabit. Vale ex Brixia, v. *Idus Januarii* MCCCCXLVI.

Fr. Nicolaus Epiſcopus Balneoregien.

Fr. Anton. Suacen.

Fr. Joann. Auguſtopoliten.

Fr. Pontius Sidonien.

XVII. Inſtituti ſunt hoc anno Epiſcopi; Balneoregienſis in provincia Romana, frater Nicolaus de Rogeriis, per obitum Caroli etiam Minoritæ, VI. Kal. Junii. Suacen. ſub Archiepiſc. Antibarenſi .... frater Antonius de Fabriano, per translationem Pauli ad Eccleſiam Drivaſtenſem, XV. Kal. Auguſti. Auguſtopolitanus in Phrygia, ſub Archiepiſc. Synadorum, frater Joannes, per obitum N. Idibus Septembris. Sidonienſis titularis in provincia Lariſſena in Europa, frater Pontius Gaufredi, per obitum N. II. Kal. Decembris.

Gonza. in Prov. Scotiæ, in princip.

Incipit inter Scotos Regularis Obſervantia.

XVIII. Jacobus I. Scotorum Rex audiens in Italia incepiſſe novum religioſorum Minoritarum germen, per alias provincias & regna, magno animarum bono, diffuſum, ſcripſit ad Patres provinciæ Coloniæ, ut ex his aliquos, qui collapſam in ſuo regno diſciplinam reſtituerent, amandarent. A Colonienſibus monitus Joannes Maubertus ultramontanæ familiæ Vicarius, deſtinavit Cornelium a Zirichzea Batavum, virum pium & venerabilem, quibuſdam etiam ſociis adjunctis. Vitæ integritate & plurima virtute eam conſecuti ſunt apud Regem & populum opinionem, ut ad arcana quæque conſilia vocarentur, & brevi ſibi opportuna conſtituerint domicilia. Cornelius tandem, poſt introductum & propagatum Inſtitutum, regreſſus in Belgium, ſanctiſſime obiit Antuerpiæ. Claruerunt ibi alii Viri præſtantiſſimi, ex quibus notiores, Robertus Crethius, ſacræ Theologiæ peritiſſimus, Scoticæ provinciæ bis Miniſter; Robertus Stuardus Jacobi V. Scotorum Regis cognatus, qui ſuum obitum, & regni calamitatem longe ante prædixit; & Joannes Patricius, qui ex Scotia in Belgium cum octoginta Conſodalibus trajiciens, hæreticorum rabiem declinaturus, diuturnum exilium ob conſtantem fidei profeſſionem æquanimiter pertulerunt.

Fr. Robertus Stuardus.

Miniſteriatus provinciæ S. Jacobi fit triennalis.

XIX. Propter varia incommoda, quæ ſequebantur ex Miniſtrorum & Superiorum perpetuo regimine, ſtatuit Eugenius, ut ad triennium limitarentur. Qua de cauſa Philippum Aſtoricenſem, provinciæ ſancti Jacobi per quinquennium Miniſtrum (cui Conventus aliquot detrectabant obedire, ut conſtat ex diplomate miſſo ad Ludovicum de Sala, a nobis alias nuncupatum Cuſtodem Fratrum regularis Obſervantiæ citra portus in Legionis & Caſtellæ regnis, qui controverſiam examinaret; de quo etiam anno ſequenti Nicolaus Pontifex ſcripſit ad Epiſcopos Legionen. & Aſtoricen.) a præfectura abſolvit, juſſitque ut ad Comitia pro ſucceſſore eligendo Alphonſus de Villanova Patres convocaret: *Diſpoſitione divina*, pridie Idus Decembris. Obſervantibus provinciæ Portugalliæ, quibus jam plura ſuberant Cœnobia & oratoria, facultatem tribuit, Vicarium Provincialem ſibi eligen-

Datur Vicarius Provincialis Luſitaniæ.

gendi: *Dum præclara dilectorum*, VIII. Idus Auguſti. In provincia Hiberniæ erant aliqui nationis Anglicanæ, qui obtemperare renuebant Miniſtro Hiberno Guillelmo Iragillich, licet ex conſenſu Henrici, Angliæ Regis, utriuſque nationis Fratribus a Generali Miniſtro præficeretur. Legitime inſtitutum confirmari voluit Pontifex ſuper gentem utramque: *Ad Apoſtolicæ Sedis dignitatis*, IV. Idus Septembris.

XX. Prope Cingulum, Auximanæ diœceſis oppidum, hoc anno inchoatum eſt Minorum domicilium in amœno & ſaluberrimo ſitu, ubi prius extiterat Monaſterium pene collapſum ſancti Jacobi Collis-lucis, unitum alteri Monaſterio ſanctæ Catarinæ intra oppidum, Ordinis Ciſtercienſis. Facultas domum hanc accipiendi commiſſa eſt fratri Jacobo de Primaditiis Vicario Generali: *Humilibus ſupplicum votis*, pridie Idus Novembris. Conceſſionem probavit & privilegia addidit Nicolaus V. Eugenii ſucceſſor. Paulo aliter hæc apud Gonzagam referuntur. Conv. Cinguli. *Gonza. in Prov. March. Con. 37.*

XXI. Joanni Mauberto, Vicario Generali familiæ ultramontanæ, conceſſit Pontifex facultatem, ut quindecim Conventus in Hiſpania poſſet ſuo Inſtituto aggregare, quinque videlicet in Aragonia, quinque in Caſtella, & totidem in provincia ſancti Jacobi: *Inter cetera deſiderabilia*, X. Kalendas Januarii. Pii quidam viri dederunt Ludovico de Sala, ſupra memorato, Eremitorium ſancti Mainetis de Abundo prope turrim de Baſaurto, diœceſis Calaguritanæ, ut ibidem ſibi domum conſtruerent Fratres Obſervantes. Admiſit ille, & ſocios introduxit, petiitque hoc anno factum confirmari. Annuit Pontifex, miſſa facultate rem examinandi & ratum habendi: *Votis fidelium*, III. Kalend. Aprilis. Videntur tamen hoc loco Fratres ceſſiſſe, quippe nullam ejus invenio mentionem inter Conventus provinciæ Burgenſis, quæ diœceſim comprehendit prædictam. Nobili viro Joanni Pacheco, Marchioni de Villena, intercedente etiam Henrico Principe Aſturiarum, Joannis Caſtellæ & Legionis Regis primogenito, facultatem dedit Pontifex in civitate, vel diœceſi Conchenſi Obſervantibus domum conſtruendi: *Piis votis*, Pridie Idus Maii. Ubi vero ædificaverit, an neglexerit, non comperio. Conv. S. Mainetis.

XXII. Circa hunc annum in inſula Blaneti, fluminis Britanniæ Armoricæ, inter Henebantum & Loperanum, vicina oppida, conſtruxerunt Fratres domicilium, annuente Petro Benocenſium Comite, & Ducis Britanniæ filio, qui in præfati Cœnobii Eccleſia, beatæ Catarinæ virgini dicata, ante ſummum altare ſepultus eſt. Conſecratum eſt templum anno MCCCCL. die VII. Martii a R. Venetenſium Epiſcopo. Conv. Blaneti. *Gonzag. in prov. Britan. Conv. 1.*

XXIII. In provincia Hungariæ, apud Foros-Siculorum, de quibus ſupra locuti ſumus, hoc anno ex diverſis eleemoſynis Conventus unus, & alter apud Pothocſienſes, ex communi ærario, Miniſtro fratri Paulo a Zeocſio ædificati ſunt. Conventus Tibingenſis in Germania hoc anno reformatur. Introducti ſunt Fratres per generoſum Comitem Ludovicum de Wirtemberg. Eccleſiam Conventus Millic-ſunnia, Clonferten. diœceſis in Hibernia, viſitantibus in omnibus præcipuis Chriſti & beatæ Mariæ virginis feſtivitatibus, in Apoſtolorum & Sanctorum omnium diebus & octavis, magnas largitur Pontifex Indulgentias, indicatque templum vetuſtate & bellorum incommodis ruinam minitari. Modoni (quæ in Græcia, & provincia Romaniæ urbs eſt) Conventum ante hoc tempus extitiſſe probat Eugenii diploma, quo confirmat in præfectura fratrem Marcum Modonenſem, ante quatuor annos inſtitutum Guardianum a beato Jacobo de Primaditiis, dum in Oriente Apoſtolici Vicarii fungeretur officio. Conv. Fori-Siculorum. *Ann. 1444. n. 40. Gonzag. in prov. Hungar. Con. 28. & 29.* Conv. Pothocſienſis. Conv. Tibingen. *Annal. Sueviæ lib. 7. par. 3. c. 6.* Conv. Milicſunnia. Conv. Modoni.

Monaſt. Licienſe. Monaſt. Salernitanum. Meſſanenſe.

XXIV. Varia incidit hoc anno mentio quorumdam Monaſteriorum Clariſſarum. Licienſis in regno Neapolitano, cui Epiſcopus Guiducius quædam bona vendiderat. Salernitani ſancti Laurentii, quod Pontifex juſſit reformari. Meſſanenſis ſanctæ Mariæ de Baſſico, cujus Sororibus indulget Pontifex, ut Confeſſarios & Capellanos ex regulari Obſervantia, per tria milliaria in domo beatæ Mariæ de Jeſu diſtantes, liceat habere propinquiores in Eccleſia ſancti Pauli. Leoneſſani, in diœceſi Spoletana, ſub titulo ſanctæ Luciæ, cujus erectionem longe antea factam Pontifex confirmat: *Apoſtolicæ nobis*, XI. Kalendas Maii. Balbaneræ, diœceſis Calaguritanæ, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Spe, a nobili viro Didaco Manrico, præſide regni Legionenſis, & Leonora genitrice conſtructi, annuente Eugenio: *Inter curas*, Pridie Idus Seprembris. Non invenio Monaſterium hoc inter ea, quæ Ordinis Præfectis ſubjiciuntur. Valdienſis, in diœceſi Curienſi, cui Fridericus Auſtriæ Dux & Comes Tyrolis Eccleſiam parochialem in Andrech in ſilva Brigantiana conſiſtentem, diœceſis Conſtantienſis, ad ſe ſpectantem, univit. Iſabellæ, Duciſſæ Burgundiæ, conceſſum eſt, ut in villa de Corbeya, Ambianenſis diœceſis, Monaſterium Clariſſarum fabricaret. An tamen fabricaverit vel inchoaverit aliunde non comperio: *Exigunt perſonæ tuæ*, XI. Kalendas Septembris. Carolus Princeps, ut alias dicam, abſoluit.

Leoneſſanum. Balbaneræ. Valdienſe. Corbeyenſe. An. 1449.

Monaſt. Brixienſe.

XXV. Albertus Sartianenſis, dum in urbe Brixienſi hoc anno prædicaret, & plurimos ad pietatem excitaret, virgines & viduæ multæ, inito conſilio, decreverunt Deo inſervire ſub Inſtituto ſanctæ Claræ. Senatus pio operi ineundo adjudicavit hoſpitale pauperum ſanctæ Mariæ de Serpente, & donationem petiit Albertus hoc anno per Pontificem confirmari; atque addi vicinam domum & ſacellum ſanctæ Crucis, ad Monaſterium ſancti Nicolai de Verxiano extra urbem, Ordinis Cluniacenſis, ſpectantia, necnon poſſeſſiones quaſdam domus de Gambera in eadem urbe, Ordinis Humiliatorum. Omnia probavit Eugenius, modo legitimi poſſeſſores annuerent: *Inter univerſa*, Nonis Martii. Duorum Monaſteriorum hujus Ordinis apud Brixienſes originem incertam eſſe affirmat Gonzaga; unius hoc damus initium; alterius dabimus anno ſequenti. Hæc amplius probamus ex iſta Alberti epiſtola, ſcripta ad Flavium Blondum, virum doctum, celebrem Italiæ Hiſtoricum, Eugenii Pontificis tunc a ſecretis.

Gonz. in prov. Brixia Mon. 1.

Albertus a Sartiano, Blondo Forlivienſi &c.

XXVI. *Licet pleraque, tot jam per annos explorata, benevolentiæ argumenta facile me docuerint, Blonde frater, quantam ad recte gerendæ vitæ ſtudia, ſi quis ad ea flagrat, favore mirabili ſoleas adhibere ſolertiam; atque ideo non opus habeas eum honeſta expoſceris, ullis ad ea explenda exhortationis noſtræ calcaribus incitari; non deſinam tamen rem tibi perjucundam brevi exponere, cujus ſobria voluptate caſte affectus, agas etiam jucundius, quod acturus fuiſſes longe minore occaſione, ſine ullo dubio feſtinantius. Et quidem quod attinet ad ſacratæ Deo pudicitiæ grande propoſitum, ut quod dicere inſtitui, expliecm: nequaquam paucæ populi Brixienſis, quem quotidie commoneo, quod bene hic vivant, ut poſt hanc vitam vivere illos etiam beate contingat, eum nobiles & graves, tum vero caſtiſſimæ ad quinquaginta & eo amplius fœminæ ſeſe Domino ferventius devoverunt. Quæ & ipſæ ſpiritu ſublimiore perfuſæ, &, ut bona ſpe eſſe nos convenit, majori in dies Dei gratia imbuendæ, cupiunt, terrenis facultatibus & ille-*

illecebris abdicatis, quo cæleſtia poſtremo ſolatia ſibi conquirant, uno in loco a ſeculo tumultuante concluſæ, Chriſto tam ſponſo quam Domino, ſub inſigni titulo ſanctæ Claræ ſinceriter militare. Verum, quia id, niſi Apoſtolica auctoritate prælata, non queunt efficere, mitto nunc ad ſanctitatem Eugenii Papæ Beatiſſimi duos Fratres, ut illius præſidio fructuoſa in futurum opera pariant, quæ corde & animo hactenus propoſitum pepererunt. Quare majorem in modum, atque id in primis, Blonde Flavie, abs te peto, ut ſolitum erga nos ſtudium tuum, pro jure communis benevolentiæ noſtræ, etiam illis adhibeas; ne ulla diuturnioris moræ noxa tamdem & cauſæ & nobis intercapedo illud forte efficiat, ut ſe tam honeſtæ rei, aliqua ex parte culpanda negligentia intermiſceat, quo fiat ut negotium, de quo ſcribimus, tardius expeditum, damnoſa jactura longius protrahatur. Vale in Domino. Ex Brixia, XX. *Januarii* MCCCCXLVI.

XXVII. Aliquot etiam occurrunt Conventus Fratrum & Sororum Tertii Ordinis; unus extra caſtrum Durantis, diœceſis Urbinatis, ſub titulo ſancti Leonardi, poſtea intra oppidum tranſlatus. Secundus ſanctæ Mariæ de la Floreſtella, Belcaſtrenſis diœceſis in Calabria, ex quo ejecti ſunt Fratres, orta in illis partibus magna ſeditione. Tertius extra oppidum Clavari, Januenſ. diœceſis, prope hoſpitale pauperum beatæ Mariæ de Miſericordia, cujus curam Fratribus & Sororibus hujus Inſtituti commiſit Pileus Archiepiſcopus. Quartus ſancti Michaelis Archangeli in urbe Coſentina, a Petro de Ferrante & Antonia conjuge conſtructus, & ſufficienter rebus neceſſariis inſtructus. Quintus ſanctæ Mariæ de Priſſano, in territorio Caſtri ſancti Lucidi, prædictæ Coſentinæ diœceſis, qui de jure patronatus ſpectabat ad Palmam Comitiſſam Giracenſem. Sextus ſancti Martini Balneorum de Aqua, Piſanæ diœceſis in loco rurali.

Domus Tertii Ordinis Caſtri Durantis. Floreſtellæ. Clavari. Coſentiæ. Priſſan. S. Martini Balneorum.

XXVIII. Fratribus beatæ Mariæ Angelorum prope Aſſiſium indulſit Pontifex, ut propter multitudinem adventantium hoſpitum, ubique poſſent eleemoſynas aggregare: *Sacræ Religionis*, XV. Kalendas Junii. Conſervatores inſtituit in Hiſpania privilegiorum, Sororibus ſanctæ Claræ conceſſorum, Epiſcopos Palentinum, Calaguritanum & Cordubenſem: *Dudum ſiquidem*, V. Kalendas Octobris.

Privilegia.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. PErſtantibus adhuc in ſua confuſione temporibus, quamquam „ æquitatis tenendæ fiat ratio difficilior atque laborioſior, nihilo- „ minus Eugenius, in adverſis non fractus, ſed conſtans a juſtitiæ tramite „ non declinans, quæ ſupremi ſui muneris ſunt, diligenter adimplere pro- „ curat, ut hiſtoriarum candidi Scriptores norunt, & ex noſtris Annalibus „ facile dignoſci poteſt, quibus addenda hoc anno vix Lipomena pauca „ occurrunt. Invicem diſſentiebant Fratres de Obſervantia, & Clauſtra- „ les ſeu Conventuales nuncupati Gandavenſes in Flandria, qui nihilo- „ minus inita conventione convenerunt, condictis a ſummo Pontifice ſua „ auctoritate firmatis: *Sacroſancta &c.* VI. Idus Januarii, XV. vero Kal. „ Februarii ſupplicationibus ſororis Antoniæ Tertiæ Regulæ Monaſterii „ Monialium Candelariæ Oppidi, ab urbe Piſauri ad tria milliaria receden- „ tis, inclinatus, litteras expedivit: *Exhibita nobis &c.* ſubinde conceſſa „ fundatione Monaſterii Clariſſarum Valdiæ, in diœceſi Curienſi, pro qui- „ buſdam bonis ejuſdem, Epiſcopo Mothenenſi ſcripſit: *Apoſtolica &c.* V. „ Idus

Plures litteræ pro Ordine.

„ Idus Februarii, IV. Idus Martii fratri Jacobo de Capua doctrinæ & inte-
„ gritatis viro ad omne beneficium Eccleſiaſticum habilitato: *Religionis*
„ *zelus &c.* Monaſterio Clariſſarum de Baſſico, poſſe duos Confeſſarios de
„ Obſervantia habere conceſſit: *Sinceræ devotionis &c.* XIII. Kalendas
„ Aprilis Miniſtro Generali Antonio de Ruſconibus, & Epiſcopo curam
„ viſitandi Monaſterium Clariſſarum ſancti Stephani Burgi Sueſſionis, urbis
„ Epiſcopalis in Gallia Belgica ad citeriorem ripam Axonæ amnis, commi-
„ ſit: *Sacræ Religionis &c.* quod tamen Monaſterium a Superiorum Ordi-
„ nis ſubjectione ad Epiſcopi juriſdictionem translatum fuiſſe anno ſequen-
Wadd. ad ann. 1441. 1445. „ ti MCCCCXLVII. ſcribit Waddingus. Decimo Kalendas Aprilis Breve cir-
„ ca electionem Abbatiſſarum Monaſterii ſancti Leonardi Ordinis ſan-
„ ctæ Claræ extra muros Genuæ, urbis celeberrimæ in Liguria, expedivit:
„ *Inter curas &c.* VIII. Idus ejuſdem ad fratrem Jacobum de Brada Mini-
„ ſtrum provinciæ Tuſciæ pro Conventibus Cethonii & Montiſpolitani,
„ quos ſanctus Bernardinus, dum Vicarium ageret Generalem, reforma-
„ verat, Apoſtolica mandata direxit: *Ad audientiam noſtram &c.* Idibus
„ Aprilis Eccleſiam ruralem ſancti Martini devotis & piis Fratribus Tertii
„ Ordinis, de Pœnitentia nuncupatis benigne conceſſit: *Sacræ Religio-*
„ *nis &c.* quibus etiam voluit concedi Capellam ſanctæ Mariæ de Priſſano
„ in territorio Caſtri ſancti Lucidi, & diœceſi Coſentina, & ob id Archie-
„ piſcopo Coſentino Breve tranſmiſit: *Humilibus &c.* V. Kalendas Maii,
„ & paulo poſt pro iiſdem præſato Archiepiſcopo circa reſtitutionem Ora-
„ torii ſancti Michaelis ſcripſit: *Piis fidelium &c.* Pridie Kalendas Maii;
„ duorumque horum locorum meminit Waddingus. Quartodecimo Ka-
„ lendas Junii conceſſis nonnullis facultatibus fratri Jacobo de Primaditiis
„ Vicario Generali Ciſmontano: *Cum ex noſtra &c.* VI. Idus ejuſdem.
„ Iropiæ urbis Brutiorum littoralis apud Medamæ ruinas, Epiſcopo manda-
„ vit deputare quaſdam domos Sororibus Tertii Ordinis de urbe: *Ea*
„ *quæ &c.* IX. Kalendas Auguſti fratri Philippo de Aſtorga Miniſtro Pro-
„ vinciæ compoſtellanæ, circa nonnullos Conventus litteras ſcripſit: *Hu-*
„ *milibus &c.* ac tertio Kalendas ejuſdem aliis datis: *Dignum arbitra-*
„ *mur &c.* pro Archidiacono Mantuano circa quemdam Prioratum, &
„ conſtructionem Conventus Reginen. VIII. Idus ejuſdem alias ad ejuſdem
„ urbis Epiſcopum circa quamdam donationem factam Clariſſis Fulgina-
„ tenſibus direxit: *Apoſtolicæ Sedis &c.* ad fratrem Antonium de Ruſconi-
„ bus Generalem, & Jacobum de Primaditiis Vicarium pro Congregatio-
„ ne Generali celebranda Breve expedivit: *Intelleximus tua &c.* Idibus
„ Auguſti; & Pridie Kalendas Septembris fundationem Conventus ſan-
„ cti Petri in Galatina, Ydruntinæ Diœceſis admiſit: *Ex injuncto &c.* Fun-
„ dationem hujus Conventus ante ſexaginta tres annos, nempe anno
„ MCCCLXXXIII. commemorat Waddingus, ad quem remittimus Le-
„ ctorem.

„ II. In Eccleſia Turonenſis Cœnobii ad Evangelii latus, Illuſtriſſimi
P. de Bordellio Archiep. Turon. „ ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris de Bordellio, Turonenſis Archiepiſco-
„ pi & Cardinalis Cadaver hoc anno tumulatum fuit. Ex priſca & nobi-
„ liſſima familia de Bordellio in Agro Petrachorenſi ortus, Provinciæ
„ Aquitaniæ recentioris, Fratribus Franciſcanis animo pienti hærens, Mi-
„ noritici Ordinis habitum in eadem Provincia ſuſcepit; ſub eoque in Re-
„ ligione adeo profecit, ut doctrina, virtute præclarus, Cardinalis S. R. E.
„ & Archiepiſcopus Turonenſis creatus fuerit. Quibus in muneribus om-
„ nibus commendabilis præclare fulgens, ſanctitatis opinione celebris eva-
„ ſit.

„ ſit. Tamdem humilitatis, ſicut & mortis haud infructuoſe memor, ſciens „ ſe properare ad Dominum, qui oculis juſtitiæ humilia proſpicit, ac alta „ de longe cognoſcit, ſarcinam ſuæ corruptionis ibi ſepeliri mandavit, ubi „ Fratrum ſuorum, quos vivens impenſe dilexerat, vita functus orationi- „ bus crebris facilius apud Altiſſimum juvari poſſet.

Bajard. ex Julio Magnano in lib. Vir. ſanctitat. celebr. Franciſc.

„ III. Pie pariter & ſancte obiiſſe in Gallia hoc anno, VIII. Kalendas „ Aprilis Guiraldum de Villa-Magna, humilitate, oratione, contempla- „ tione, ac vitæ ſanctimonia inſignem, necnon miraculis ante & poſt obi- „ tum illuſtrem, teſtatur Julius Magnus; & Paulum de Ambroſiis Sacer- „ dotem profeſſum Tertii Ordinis, Gropani, diœceſis Catanzarii Oppidi, „ inquilinum, vita functum Scavignæ, ut præclaris virtutibus fulgentem, „ celebrat Antonius de Siliis, quem ait jacere in Eccleſia ſancti Salvatoris „ ejuſdem Oppidi Gropani, ac ejus ibidem opera & virtutes perennare „ famam.

Guiraldus de Villa-Magna.

Fr. Paulus de Ambroſ.

Anton. de Siliis ex MSS. ſororis Pierinæ.

„ IV. Comitiſſa quoque Valentinenſis, cujus proprium nomen exci- „ dit, viduata viro, quem experientia noverat, repudiato Mundo fallaci, „ & de manu beatæ Coletæ præclariſſimæ Virginis, habitu Religionis Cla- „ riſſarum induta, in Monaſterio Veſuntino vitam Monaſticam, ſub tanta „ Duce exactiſſime ſervans & mira virtute refulgens, hoc anno migravit „ ad cœleſtem Sponſum, quem totis præcordiis concupivit, Kalendis Maii „ in eodem Monaſterio, ut in Codice manuſcripto Sororis Pierinæ ha- „ betur.

ARGUMENTUM.

Stabilita auctoritate Superiorum Regularis Obſervantiæ, Eugenius Pontifex abit ex humanis. Succedit Nicolaus V. cui dignitatem Joannes Capiſtranus prædixit. Agit hic ſerio de canonizatione ſancti Bernardini, & inſtituitur Inquiſitor contra Fratricellos & Hebræos. Antonius de Oliveto deſtinatur Sedis Apoſtolicæ Nuncius ad partes Albaniæ. Fratribus Vicariæ Boſnenſis ſtrenue in negotio fidei laborantibus multa Pontifex indulget. Fluctuant aliquot Cœnobia Regularis Obſervantiæ, & celebrantur ab utroque Vicario congregationes generales. Moritur Thomas Florentinus, cujus vita & virtutes diffuſe narrantur. Decedunt etiam Coleta virgo, & Baptiſta Mons-feltria vidua, ſuo quæque gradu perquam illuſtris. Inſtituuntur Epiſcopi. Dilatatur Inſtitutum.

I. EXORTA in quibuſdam provinciis controverſia, circa auctoritatem Vicarii Generalis, & retrocedentibus ad Conventuales quibuſdam ex familia Obſervantiæ, Eugenius Pontifex in limine hujus anni conſtituit, ut omnes, qui hoc nomine *Regularis Obſervantiæ* cenſerentur, Vicariis Generalibus Ciſmontano & Ultramontano obedirent. Bullæ tenorem hic exhibeo.

Omnes Obſervantes ſubjiciuntur Vicariis.

Ad futuram rei memoriam.

II. *Dum præclara merita Religionis dilectorum filiorum, Vicarii & Fratrum Ordinis Minorum, ſub ipſius Ordinis regulari Obſervantia in citramontanis partibus commorantium, debita meditatione penſamus, & conſideramus, quod ex dictorum Fratrum operoſis miniſteriis, militans Ec-*

Ex regiſtro noſtro vet. fol. 215.

Eccleſia ſuſcipit incrementa; ad illa merito intendimus, per quæ, ſublatis quibuſvis diſpendiis & animarum periculis, eorumdem Fratrum religionis ſtatus augeri, & in bono ſtatu valeat conſervari. Cum autem, ſicut ad noſtrum, non ſine diſplicentia grandi, pervenit auditum; licet nos dudum decreverimus, quod omnia & ſingula Conventus, domus, eremitoria, & loca Fratrum Ordinis & Obſervantiæ Minorum, in dictis partibus conſiſtentia, illorumque perſonæ per unum Vicarium Generalem, qui ſuper Conventus, domos, Eremitoria, loca & perſonas prædictas eamdem ſuperioritatem, dominium, poteſtatem & juriſdictionem haberet, quibus dilectus filius Antonius de Ruſconibus Miniſter Generalis prædicti Ordinis, dilectum filium Joannem de Capiſtrano, ipſorum Ordinis & Obſervantiæ profeſſorem, in Vicarium Generalem domorum, Conventuum, Eremitorium, locorum & perſonarum eorumdem deputavit; ac illis, necnon omnibus aliis & ſingulis, quæ Generali Miniſtro ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtenti, in domos, Conventus, Eremitoria & loca prædicti Ordinis, illorumque perſonas de jure, vel de conſuetudine, ſeu ex privilegio aut alias quomodolibet competere noſcebantur, ac etiam ſingularum provinciarum in dictis partibus conſiſtentium, juxta morem ejuſdem Ordinis, quæcumque Conventus, domus, Eremitoria & loca eorumdem Ordinis & Obſervantiæ, illorumque perſonæ per ſingulos Vicarios Provinciales illa & prorſus ſimilia juriſdictionem, dominium & poteſtatem in ſibi commiſſis habentes, quæ Provincialibus dicti Ordinis in commiſſis Conventibus, domibus, Eremitoriis ac locis & earum perſonis, de jure vel conſuetudine ſeu alias quomodolibet competat, gubernentur: tamen plerumque nonnulli ex Fratribus Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, ſtabilitatis violato propoſito, variis coloribus & exquiſitis figmentis, & præſertim ſub palliatione obedientiæ alicujus Prælati dicti Ordinis, Vicariorum & Superiorum ſuorum obedientiam ſubterſugere cupientes, Generalis & provincialium Vicariorum hujuſmodi pro tempore exiſtentium monitionibus & mandatis recuſant ſeu negligunt, aut non curant obedire, in non modicum ipſorum animarum periculum, & Religionis diminutionem pariter & contemptum. Nos igitur attendentes, quod ſi per regulares perſonas bonum obedientiæ, quæ melior eſt quam victima, & unum ex tribus ſubſtantialibus dictæ Religionis exiſtit, negligitur, de facili ipſius Religionis nervus & diſciplina diſſolvitur, ac ſtatui Religionis hujuſmodi ſuper præmiſſis ſalubriter providere volentes; motu proprio, non ad dictorum Fratrum aut alterius pro eis nobis deſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra ſcientia, hac perpetua & irrefragabili conſtitutione, tenore præſentium, univerſos & ſingulos Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, tam præſentes quam futuros monemus, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſingularum videlicet provinciarum illarum ſingulis Provincialibus, ac omnium provinciarum hujuſmodi Fratres & Provinciales Vicarii dilecto filio Jacobo de Primaditiis moderno & aliis Generalibus Vicariis pro tempore exiſtentibus prædictis, appellatione & contradictione quibuslibet remotis, in omnibus & ſingulis licitis & honeſtis, regulam & ſtatum ac Ordinem ipſorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ, necnon officium eorumdem Vicariorum quomodolibet concernentibus, quæ dicti Vicarii pro tempore duxerint ordinanda, ſeu illis injunxerint aut mandaverint, humiliter pareant & intendant, necnon illa efficaciter ſtudeant adimplere. Diſtrictiuſque inhibemus univerſis & ſingulis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus quam prædicti & alterius cujuſcumque Ordinis regularibus, ac laicis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, & ordinis vel conditionis exiſtant, etiamſi Re-

ga-

gali, Reginali, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel alia quavis Eccleſiaſtica vel mundana dignitate præfulgeant, ne Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, Vicariis præfatis, ut præmittitur, non parentes, aut quovis modo inobedientes, etiam ſub palliatione obedientiæ, ſeu alio quovis quæſito colore recipere, aut illis auxilium, conſilium & favorem, quoad inobedientiam hujuſmodi, quoquo modo, per ſe vel per alium ſeu alios directe vel indirecte præſtare audeant: quod ſi contravenire præſumpſerint, excommunicationis, necnon ſi profeſſores dicti Ordinis extiterint, dignitatum & officiorum ſuorum privationis, & ad illa ac quæcumque alia ſimilia in poſterum obtinenda, inhabilitationis ſententias; a quibus etiam, præterquam in mortis articulo conſtituti, exceſſibus, nonniſi per Romanum Pontificem, & dictum Vicarium Generalem Fratres de Obſervantia hujuſmodi non parentes, reliqui etiam per Vicarium Miniſtri dicti Ordinis pro tempore exiſtentem, quibus ſuper his plenariam concedimus facultatem, abſolvi, reſtitui ſeu diſpenſari non poſſint; & quas eoſdem contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, promulgamus per præſentes: ac Vicoriis pro tempore prædictis Fratres inobedientes præfatos, per ſe vel per alium ſeu alios capiendi & carcerandi, ſeu capi & carcerari faciendi, ac alias contra eos, tamquam apoſtatas, juxta ipſius Ordinis regularia Inſtituta eiſdem conceſſa privilegia, etiam cum invocatione brachii ſecularis, procedendi; necnon omnia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & quomodolibet opportuna faciendi & exequendi, plenam ac liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Decernentes, Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum ſuam inobedientiam hujuſmodi, ſub cujuſvis Prælati dicti Ordinis nomine ſeu obedientia, nullatenus palliare poſſe. Et inſuper, ſicut etiam ad auditum noſtrum pervenit, quod plures Fratres, ſeu aliæ perſonæ in Conventibus, domibus, Eremitoriis atque locis præfati Ordinis, prædictis Vicariis non ſubjectis, eleemoſynas queſtando petere, & nonnulla alia minus honeſta, quæ contra conſtitutiones & declarationes Apoſtolicas, necnon ſtatuta & conſuetudines ejuſdem Ordinis facere & attentare præſumpſerunt, & dictim præſumunt, in non modicum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ eorumdem ſcandalum, & plurimorum pernicioſum exemplum. Nos, ut talium præſumptuoſorum audacia de cetero compeſcatur, Jacobo & ſingulis Generalibus & Provincialibus Vicariis prædictis, & ipſorum cuilibet, dicta auctoritate, præſumptores hujuſmodi, cujuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis fuerint, capiendi & incarcerandi, & in carceribus detineri faciendi, necnon alias eos puniendi & corrigendi; contradictores quoſcumque per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia compeſcendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, plenam & liberam, etiam tenore præſentium, concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indulgentiis ac litteris etiam Apoſtolicis præfato Ordini illiuſque Fratribus in genere ſeu in ſpecie, ſub quibuſvis verborum formis per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias conceſſis, & in antea forſan concedendis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Et inſuper, quia difficile foret hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferri, eiſdem ſcientia, motu & auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumpto, manu publica & ſigillo dicti

Vi-

Vicarii, vel alicujus Epiſcopalis aut Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tamquam præfatis noſtris, ſi originales exhiberentur litteræ, plena fides adhibeatur, & per idem ſtetur, ac ſi originales litteræ prædictæ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ intentionis, mandati, inhibitionis, voluntatis, promulgationis, conceſſionis & conſtitutionis infringere &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVI. V. *Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno* XVI.

Subjiciütur Clariſſæ Obſervantibus.

III. Eorumdem etiam Vicariorum auctoritatem in Moniales declaravit: & quia paulo antea explicaverat Joannes Capiſtranus regulam primam Clariſſarum, in eaque dixit centum & tria præcepta ad peccatum mortale obligantia contineri, durum hoc & rigoroſum viſum eſt Eugenio, reduxitque omnia ad quatuor dumtaxat præcepta; rigorem etiam perpetui jejunii, aliaque aſperiora mitigavit, ſubjecitque Monaſteria omnia, infra ſui Vicatus diſtrictum, regimini Vicarii Generalis.

Dilecto filio fratri Jacobo de Primaditiis de Bononia, Ordinis Minorum, de Obſervantia Regulari, Salutem &c.

Ex ipſo autographo.

IV. O*Rdinis tui &c.* intelligimus. *Sane cum poſt concordiam inter dilectos filios Fratres, qui dicuntur* Conventuales, *& vos alios, quibus* de Regulari Obſervantia *eſt appellatio, unius ejuſdemque Minorum Ordinis, ſenis factam, Nos intendentes, quod poſt dilectum filium fratrem Joannem de Capiſtrano, tui Ordinis de Obſervantia, in partibus ciſmontanis Vicarium, alter illius ſucceſſor crearetur, eidem per litteras Apoſtolicas commiſerimus, quod ubi & quando ſibi placeret, ante ſui officii finem, Vicarios & Diſcretos provinciarum ſibi ſubjectarum, pro alterius Vicarii creatione capitulariter congregaret; & facta hujuſmodi congregatione in alma Urbe apud Aracœli locum, tu in ea fueris canonice in ciſmontanum Vicarium electus, Noſque electionem ipſam confirmaverimus; poſtmodumque dilectus filius frater Antonius de Ruſconibus, ſacræ paginæ profeſſor, Ordinis prædicti Generalis Miniſter, te duxerit confirmandum, prout ſupradicta omnia conſtant per litteras Apoſtolicas, & prædicti Generalis, quas hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis; ad noſtramque notitiam pervenerit, eſſe in tui Vicariatus partibus ciſmontanis nonnulla Monaſteria ſanctæ Claræ, quarum familiæ in Regulari Obſervantia viventes, & partim primi, partim ſecundi, partim Tertii Ordinis, partim aliter appellati, ſub tuo Vicariatu, & a te tuiſque ſucceſſoribus regi & gubernari intenſiſſimis dicuntur deſideriis affectare: Nos, qui certum tenemus, eaſdem mulierum, Monacharum, ſive Sororum familias optimam ſaluberrimamque ſub vobis gubernationem, & continue habituras felicia in Domino incrementa, earumdem mulierum, Monacharum, ſive Sororum appellatarum Monaſteria, loca & familias, ubicumque infra tui Vicariatus terminos in Regulari Obſervantia viventes, tam præſentes, quam futuras, tuæ & tuorum in Vicariatus ciſmontani officio ſucceſſorum juri, gubernationi, atque regimini, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore ſubjicimus, & ſubjectas & ſuppoſitas eſſe volumus atque decernimus: intendentes, eadem auctoritate, atque volentes, quod tu & ſucceſſores tui per vos ipſos & alios, quos duxeritis ſubſtituendos, poteſtatem facultatemque habeatis, eaſdem Moniales & Sorores, ſive primi, ſive ſecundi, ſive tertii, aut alterius Ordinis ſanctæ Claræ & beati Franciſci, præſertim collegialiter & in communi viventes, & earum Monaſteria atque loca, tam in capite, quam in mem-*

membris, viſitandi, corrigendi, amovendi, deponendi, transferendi, & alia omnia & ſingula faciendi, quæ Generalis Miniſter Ordinis veſtri in eiſdem Monaſteriis & locis, de jure & conſuetudine poſſe facere conſuevit: Provinciales aut Vicarii vobis ſubjecti eaſdem poteſtatem facultatemque habeant, quas Miniſtri Provinciales etiam de jure vel conſuetudine habere conſueverunt; & ut ſupradictæ Moniales ac Sorores melius gubernentur, volumus, quod in electione & creatione Abbatiſſarum, Miniſtrarum & Matrum, illæ tantummodo ex ipſis Sororibus & Monialibus vocem habeant, quæ per annos tres, vel circa in earumdem Monaſteriis & Collegiis fuerint, in qua creatione & electione major pars vocum, ad minus medietatem ſuperans, debeat convenire; in omnibuſque Tertii Ordinis Sororum & Monialium collegiis, Fratres tui Ordinis de acceſſu & ingreſſu ſe habeant, ſicut obſervatis cum Monaſteriis ſanctæ Claræ.

De electiona Abbatiſſæ.

Si autem Viſitatoribus earum ex Sororibus Tertii Ordinis, quæ minime vivunt collegialiter, conceſſa eſſet a Sede Apoſtolica aliqua auctoritas & facultas, Nos ipſas, præſentium tenore, auctoritate Apoſtolica revocantes, volumus, quod tu & tui in Vicariatus officio ſucceſſores, hujuſmodi Viſitatores amovendi, & alios inſtituendi auctoritatem facultatemque habeatis.

De Viſitatoribus Sororum Tertil Ordinis.

Præterea, cum in Regula beatæ Claræ jubeatur jejunium perpetuum, quod quidem nimis rigoroſum eſſe tenemus, placet & volumus, quod ſupradictæ, & tertii, vel aliorum Ordinum Sorores, ſolummodo teneantur ad illa jejunia, ad quæ vos Fratres Ordinis Minorum regulam ſervantes, obligati eſtis, & eoſdem modos ſervent in cibo Quadrageſimali, exceptis debilibus & infirmis: in aliis vero jejuniis, ut ſunt quatuor tempora, vigiliæ Apoſtolorum, & ſimilia, ſervetur conſuetudo regionis, ſecundum quam liceat ova, lacticiniaque comedere.

De jejunio.

Cum etiam in aliquibus Monaſteriis Sorores ſive Monachæ incedant nudis pedibus diſcalceatæ, quod nimis rigoroſum exiſtimamus, placet & volumus, quod Sorores ſive Monachæ poſſint deferre illa, quæ nomine calceamentorum non cenſentur, puta zocbolos ligneos, & ſandalia, atque etiam, cum oportuerit, calceamenta.

De calceamentis.

Item, cum in aliquibus Monaſteriis locis & congregationibus injungant ſilentium perpetuum, quod quidem nimis rigoroſum exiſtit, tibi tuiſque in officio ſucceſſoribus, & provinciarum vobis ſubjectarum Vicariis, cum Diſcretorum conſilio, diſpenſandi, tam in aliis quibuſque perpetuis, quam in ſilentio ſupradicto, concedimus facultatem.

De ſilentio.

Inſuper, cum dilectus filius, frater Joannes de Capiſtrano, tuus in Vicariatus officio prædeceſſor, declaraverit, quod in regula prima beatæ Claræ contineantur centum & tria præcepta regularia, in quorum tranſgreſſione Moniales ſive Sorores profeſſæ peccatum mortale incurrunt, idque nimis durum, ſcrupuloſumque judicemus, auctoritate & tenore prædictis declaramus & volumus, quod in nullius prædictorum tranſgreſſione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota obedientiæ, paupertatis, clauſuræ, caſtitatis, & inſuper electionis Abbatiſſæ & depoſitionis, peccatum mortale incurrant.

Præcepta Regulæ an obligent ad peccatum?

Item, cum quædam prædictarum Monaſteria, & loca in mendicitate vivant, placet & diſpenſamus, quod in ferculo ſive miniſtra, ſagina & lardo uti poſſint. Conſtitutionibus Apoſtolicis & privilegiis, immunitatibus, gratiis ac indultis, omnibus & ſingulis ſupradictis Monaſteriis & locis, ac eorum Capellanis, per Sedem Apoſtolicam, & aliter quomodocumque conceſſis, aliiſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXLVI. *Non. Februarii, anno Pontific. noſtri* XVI.

V. Tamdem Eugenius, poſtquam annos ſexdecim, mira rerum viciſſitudine, Eccleſiam rexiſſet, hoc anno, VII. Kal. Martii, Romæ ad Vaticanum

Moritur Eugenius IV.

* Congregationis S.Georgii in Alga nuncupat.

num ſanctiſſime obiit, annos natus quatuor ultra ſexaginta. Sepultus eſt in Baſilica ſancti Petri, pulchro & ſumptuoſo ſepulcro, quod in templi reædificatione tranſtulerunt in ſuum clauſtrum Canonici S. Salvatoris in Lauro *, ab ipſo fundati. Turbulentum & varium Pontificatus exordium magna deinceps temperavit prudentia, inconcuſſa ſtabilivit conſtantia, & laudabili fine concluſit. Plurimum ei debet Minorum ſodalitium, præſertim ea pars, quæ *ab Obſervantia regulari* nuncupatur, mirum in modum & celeri incremento, ejus auxilio & favoribus propagata. Vacavit Sedes paucis diebus, aſſumpto ad Pontificatum viro digniſſimo, Thoma Lucano, ad oppidum Sarzanæ in agro Lunenſi, prope Macram fluvium, gente Lucana oriundo. Electus eſt a Cardinalibus duobus de viginti pridie Nonas Martias, & coronatus XIV. Kal. Aprilis in gradibus Baſilicæ Vaticanæ per manus Proſperi Cardinalis Columnæ S.R.E. Archidiaconi. Sola virtus, & probata in rebus arduis prudentia compendioſe viam ad tantam dignitatem aperuit. Legatione functus Germanica, Germanis ad Eugenii obedientiam reducendis, ita laudabiliter ſe geſſit, ut infra biennium Epiſcopatu Bononienſi, Cardinalatus honore, & ſummo Pontificatu, univerſis acclamantibus, fuerit inſignitus.

Succedit Nicolaus V.

Pontificatū prædixit Joan. Capiſtranus.

VI. Huic non ſecus ac Eugenio prædeceſſori, Joannes Capiſtranus ſanctitate celebris, & prophetiæ dono illuſtris, ſupremam hanc dignitatem prædixit. Cum enim ſtatim ab ejus aſſumptione ad Eccleſiam Bononienſem Vir ſanctus congratulaturus accederet, nihil excelſius cogitanti dixit aperte. *Ad Cardinalatum curris, & ad ſummum Pontificatum valde feſtinas*. At ille rubore ſuffuſus, ut verba illa inania miſſa faceret, admonuit. Cui deinde Capiſtranus: *ſecundum nomen tuum, ita & fides tua: Thomam te nunc exhibes, ſed cito cum nomine exues etiam & incredulitatem*. Atque hæc ipſa verba in litteris, quas gratulabundus in Pontificatus ſcripſit auſpiciis, eidem in memoriam revocavit. Alio etiam id prædixit vaticinio. Conciones habebat Quadrageſimales in urbe Aquilana, quando Eugenius deceſſit, & ſocius Nicolaus Theutonicus divinum cum ipſo recitabat officium, atque ad finem pro pia Capiſtrani conſuetudine, & in Summos Pontifices reverentia ſubjunxit orationem illam: *Deus omnium fidelium Paſtor & rector*, ad illa tamen verba *famulum tuum Eugenium Pontificem*, monuit Vir ſanctus non Eugenium, ſed *Nicolaum* eſſe dicendum. Ad hæc ſubridens Nicolaus ſocius: *An me*, dixit, *bone Pater*, *Papam fortaſſis meditaris? aut aliquando futurum ſuſpicaris? Non*, inquit, *ſed qui nunc erat*, *Eugenius*, *deceſſit*, *& qui brevi ſequetur*, *hoc nomen aſſumet*. Paucis interlabentibus diebus, vere prophetaſſe compertum eſt.

VII. Alias etiam hanc Nicolai in Pontificatu ſucceſſionem ſe prævidiſſe indicavit. Etenim Eugenio prædeceſſori, erga ſancti Bernardini canonizationem ſollicito, dixit: *Non tu*, *ſed qui tibi ſuccedet*, *hoc opus abſolvet*. Vaticinium, uti ſub annum MCCCCL. referemus, Nicolaus complevit, & ſtatim in limine ſui Pontificatus ſe ad hoc opus accinxit, duplici hoc emiſſo Diplomate; quorum primo periclitanti Bernardini honori diligentiſſime cautum voluit, contra Amadeum de Landis Mediolanenſem importunum obtrectatorem; & ſecundo, miracula ab ipſo patrata voluit amplius examinari, tribus Cardinalibus, Joanni Taliacotio Urſino Neapolitano, Guillelmo de Eſtoutevilla Gallo, & Petro Barbo Veneto, commiſſa poteſtate in hac cauſa, quam Eugenius antea commendaverat, denuo procedendi. Illi autem curam proceſſus compingendi, & teſtes admittendi tranſtulerunt in Antonium Epiſcopum Urbinatem, & Joannem de Palena Epiſcopum Pennenſem, & Rotæ Romanæ Auditorem. Hi ſecundum proceſſum in ordinem redegerunt.

Nicolaus committit cauſam canonizationis S.Bernardini.

runt. Tertium ſecit Angelus de Capranica Epiſcopus Aſculanus, poſtea S. R. E. Cardinalis, cui hi tres Commiſſarii munus injunxerunt ea miracula indagandi, quæ vir ſanctus in Marchia Anconitana, Senis, & in Aquila perpetraverat. Huic continuo adſtitit, nulli parcens labori, beatus Joannes Capiſtranus.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Bulla originali & ex lib. 1. de Regul. fol. 103. Pontifex liberat S. Bernardinum ab injuſtis calumniis.

VIII. *UNiverſalis Eccleſiæ regimini, licet immeriti, diſponente Domino, præſidentes, illam potiſſime curam amplectimur, per quam Orthodoxæ fidei & Chriſtianæ veritatis Evangelizatores in vinea Domini laborantes, a malorum hominum inſultibus & conatibus defendantur, ac ne eorum ſalubres doctrina, vita & fama, improba machinatione lædantur, opem & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficaces. Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenio Papæ IV. prædeceſſori noſtro, pro parte Amadei de Landis, Laici, tunc in civitate Mediolani commorantis, inter alia expoſito, quod olim, poſtquam dilectus filius Franciſcus* della Cruce, *Canonicus Mediolanenſis, tunc Vicarius in ſpiritualibus generalis Archiepiſcopi Mediolanenſis, & quondam Joannes de Puteo Bonello Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor, tunc Inquiſitor hæreticæ pravitatis in illis partibus, auctoritate Apoſtolica deputatus, ad falſam denunciationem quorumdam malevolorum, minus veraciter prætendentes, ipſum Amadeum hæreſis labe fore reſperſum, contra eum ad hoc vocatum ſeu citatum, ex officio deſcenderant ad Inquiſitionem, nonnulli Ordinum Mendicantium profeſſores in prædicta civitate Mediolanen. & Diœceſi moram trahentes, auſu temerario dictum Amadeum non confeſſum, nec convictum, neque ſententia cujuſvis condemnatum, Inquiſitionis negotio hujuſmodi etiam indeciſo manente, præfata labe reſperſum fore, in faciæ Eccleſiæ, populi multitudine ad audiendum verbum Dei inibi congregata, publice prædicare non erubuerant, in animarum ſuarum periculum, ac non modicam prædicti Amadei famæ denigrationem pariter & jacturam; quodque, licet Vicarius & Inquiſitor prædicti in prædicto Inquiſitionis negotio rite poſtmodum procedentes, ipſum Amadeum nulla hæreſis labe reſperſum eſſe inveniſſent, eumque innocentem fuiſſe per ſuam ſententiam declaraſſent; tamen dicti profeſſores, poſt prædictam ſententiam, ſicut ipſum Amadeum dicta labe reſperſum fuiſſe publice prædicarant, ita eum ab ipſa labe incontaminatum fore publice prædicare non curarant; idem prædeceſſor dilecto filio Joſepho de Brippio, Canonico Mediolanenſi, aliis ſuis letteris dedit in mandatis, ut vocatis qui forent vocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum foret, appellatione remota, decerneret, faciens, quod decreviſſet, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Poſtmodum vero prædictus Joſeph ad litterarum ipſarum executionem procedens, poſtquam per ſuas certi tenoris litteras, quas in majoris, & domus ſancti Franciſci Eccleſiarum Mediolanenſis valuis, ac in Broleto novo civitatis Mediolanenſis affigi fecit, omnes & ſingulos, quorum intererat, vel intereſſe poterat, ſeu quos negotium illud tangebat, ſeu tangere poterat, alicujus perſonæ nomine non expreſſo, ad ſingulos actus neceſſarios, uſque ad ſententiam diſſinitivam incluſive citari fecerat, ac in negotio ipſo de aliquorum teſtium receptione, & nonnullos actus proceſſerat, per ſuam aſſertam ſen-*

ſententiam pronunciavit & declaravit, Bernardinum de Senis, Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, auſu inconſulto, dictum Amadeum non confeſſum, nec convictum, neque ſententia alicujus Judicis condemnatum, prædicta labe hæreſis reſperſum fore, publice prædicaſſe, & ipſum Amadeum virum Catholicum, taliter prædicari non debuiſſe, ac Bernardinum prædictum ad ſic prædicandum de facto proceſſiſſe, necnon eum & quoslibet alios prædicatores teneri & debere publice prædicare prædictum Amadeum indebite & injuſte prædicatum fuiſſe, & ab ipſa labe incontaminatum fore; requirens nihilominus, & monens omnes & ſingulos, qui ſuper his requiſiti forent, ac eis & eorum ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub quibuſdam cenſuris & pœnis injungens, quatenus infra ſex dies tunc proxime futuros poſt præſentationem, ſeu notificationem prædictorum, hujuſmodi litteras Apoſtolicas, ſententiam & proceſſum publicare & facere publicari deberent; prædictum quoque Bernardinum, quoties requiſitus foret, publice prædicare prædictum Amadeum fore injuſte prædicatum, & a labe hæreſis incontaminatum, & taliter prædicari non debuiſſe, debere cum effectu; alioquin in omnes & ſingulos inobedientes, & in quoſcumque contradictores & rebelles, ac prædictum Amadeum ſuper præmiſſis in aliquo impedientes, necnon ipſum impedientibus dantes conſilium, auxilium vel favorem, excommunicationis ſententiam, inter cetera promulgavit, & alia fecit, prout in inſtrumento publico, ſuper præmiſſis confecto, plenius continetur. Quam aſſertam ſententiam prædictus Amadeus Bernardino præfato (quem illius notitiam, licet per plura tempora poſtmodum ſupervixerit, numquam habuiſſe comperimus) intimare vel inſinuare, ſeu ad notitiam deducere nullo unquam tempore curavit. Poſt cujus Bernardini dormitionem in Domino, antiqui hoſtis invidia procurante, cujus eſt proprium, ut quorum actus viventium contaminare non poteſt, eorum famam, ne illa Chriſtifidelibus bonæ opinionis odore & exemplo fructifera reddatur, mordere & labefactare non deſinat, prædictus Amadeus, inimici hominis inſtigatione, ad ejuſdem Bernardini claram celebremque famam, & in populo Chriſtiano fructus uberes afferentem, denigrandam, per quoſdam Mendicantium, & aliorum quorumdam Ordinum profeſſores, prædictam aſſertam ſententiam coram populo ad audiendum divina congregato, pluries publicari, ac dictum Bernardinum, quod dolenter referimus, dictæ ſententiæ, ac prædicationis per prædictum Bernardinum de dicto Amadeo factæ, & aliorum ſuperius expreſſorum prætextu, mortalis peccati culpam incurriſſe, ac ſententia excommunicationis ligatum fuiſſe, & in mortali peccato ac excommunicatione deceſſiſſe, prædicari & diffamari procuravit & fecit, ipſeque aſſerere, & dietim diſſeminare, ſeu diffamare, ut Satanæ miniſter, polluto ore non erubuit, nec erubeſcit. Cum igitur nobis apertiſſime & indubie, ac per clara documenta conſtiterit, prædictam ſententiam contra non legitime citatum, ac in prædictis dicti prædeceſſoris noſtri litteris non comprehenſum, & nullo legitimo juris vel judicii ordine ſervato, inimico ſpiritu procurante, prolatam fuiſſe, & multiplicibus nullitatis & injuſtitiæ vitiis & defectibus ſubjacere, ac Bernardinum præfatum, juſtitiæ zelo & animarum utilitate exigente, & ante inchoatam aliquam Inquiſitionem, errores quoſdam ipſius Amadei, ne fideles animas inficerent, ac ipſum Amadeum juſte, ſancte & religioſe corripuiſſe & reprehendiſſe; prædictumque Amadeum per prædictos Vicarium & Inquiſitorem ſic abſolutum fuiſſe, quia prius errores illos, de quibus inquiſitus fuerat, coram illis publice abnegaverat & deteſtatus fuerat, & cum juramento promiſerat ſub certis pœnis tunc expreſſis, ſe de cetero neque ipſos articulos, nec alium a fide Catholica deviantem

tem aſſerere, dogmatizare, vel tenere, prout in dicto inſtrumento deſuper confecto, ſerioſius continetur. Nos prædicta attendentes, ac quod, ſi prædictus bonæ memoriæ Bernardinus, de cujus fide, animi puritate, caritatis ardore, & ſanctiſſima prædicatione plurimam dictus prædeceſſor confidentiam & notitiam habebat, ac cujus rectam doctrinam & merita ferventiſſime commendabat, eidem prædeceſſori nominatus fuiſſet, prædictas litteras nullatenus conceſſiſſet, contra quem etiam eaſdem concedere ſuæ numquam intentionis fuiſſe comperimus, ut etiam idem prædeceſſor in certis aliis litteris, venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Lauden. & dilecto filio Vicario in ſpiritualibus generali venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Mediolanen. directis, apertiſſime declaravit, quodque alias multipliciter prædictæ litteræ ſubreptitie & obreptitie emanarunt; & conſiderantes quod, niſi hujuſmodi cohibeantur exceſſus, animarum pericula & ſcandala exinde veriſimiliter oriri poterunt, ac ut calumniandi viros glorioſos, & veritatis Evangelicæ fideliſſimos prædicatores, qualem prædictum Bernardinum fuiſſe cognovimus, cujus vita ſanctitate, & obitus innumeris miraculis, ut fide dignorum relatione percepimus, clarent & redolent, licentia comprimatur; ſuper his opportune providere volentes, ex certa noſtra ſcientia, & non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed motu proprio, ac de præmiſſis pleniſſime informati, proceſſus prædictos, teſtium receptionem, ſententiam, ſeu pronunciationem, declorationem, monitiones, requiſitiones, mandata, ac litteras prædictas a dicto Joſeph emanatas, & omnia alia præmiſſa ac quæcumque inde ſecuta, quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, nulla & invalida, ac nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus, eaque nihilominus, in quantum opus ſit, caſſamus, revocamus, irritamus & annullamus, ac dictam ſententiam iniquam, injuſtam & irritam eſſe decernimus; necnon litteras ipſas de regiſtris noſtris, proceſſus vero, teſtes, ſententiam & alia præmiſſa de libris, ſeu protocollis Notariorum, qui illa in ſcriptis redegerunt, & alias ubicumque ſcripta ſint, per omnes & ſingulos, ad quos pertinet, ſeu quomodolibet pertinere poteſt, vel etiam poterit, infra ſex dierum ſpatium, poſtquam præſentium noſtrarum litterarum notitiam habuerint, ſub excommunicationis pœna, quam eos ipſo facto, ſi contrafecerint, incurrere volumus, penitus aboleri, eiſque fidem aliquam in judicio ſeu extra, ubicumque exhibita ſeu oſtenſa fuerint, nullatenus adhiberi debere, decernimus & mandamus. Et inſuper, quia nobis apertiſſime conſtitit, dictum Bernardinum, Catholicæ fidei fideliſſimum prædicatorem, & ſalutis animarum Chriſtiani populi ardentiſſimuum zelatorem, juſte, ſancte & religioſe, ac ſecundum divina & humana mandata prædicti Amadei errores corripuiſſe & confutaſſe, ac quidquid circa præmiſſa, vel præmiſſorum occaſione per eum prædicatum fuit, recte, ſancte, juſte & religioſe ab eodem Bernardino proceſſiſſe; præſenti perpetuo valitura conſtitutione decernimus & declaramus, eumdem Bernardinum, cujus doctrinam infinitis fidelibus ad animarum ſalutem procul dubio profeciſſe, & quem pro reductione aberrantium ab ipſius fidei cultu, verbis & operibus, ac prædicationibus per diverſa mundi loca plurimum laboraſſe, certiſſima veritate didicimus, propterea nullum peccatum mortale ſeu veniale incurriſſe, ſed potius Dei exinde gratiam, & animæ ſuæ merita acquiſiviſſe; necnon ipſum, dictorum ſententiæ, pronunciationis, declarationis, requiſitionis, monitionis & mandati, ac quorumlibet aliorum per Joſeph prædictum contra prædictum Bernardinum, ſeu alias prolatorum, ſeu factorum, nec aliquorum inde ſecutorum prætextu, nulla ſententia excommunica-

nica-

nicationis, ſeu alia cenſura, pœna, inobedientia, vel delicto aliquo quomodolibet ligatum fuiſſe, ſeu eſſe, ſed ipſum Bernardinum in quibuſvis locis, in quibus prædicationis officium exercuit, quæcumque circa præmiſſa prædicavit, publicavit & evangelizavit, prædicare licite potuiſſe. Præterea omnibus & ſingulis, tam Clericis quam Religioſis, & laicis, cujuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis vel conditionis exiſtant, qui contra ipſum Bernardinum, occaſione præmiſſorum, aliquid in eorum prædicationibus, vel aliis locis publicis dicere, detrahere, vel publicare præſumpſerunt hactenus, vel in futurum præſument, ſub ejuſdem excommunicationis pœna, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in prædicationibus, & aliis locis publice revocent, quæ de tanto viro male & injuſte dicere & detrahere, ſeu publicare non erubuerunt; ipſumque Bernardinum in præmiſſis juſte & debite proceſſiſſe, dixiſſe & prædicaſſe, nullaſque propterea cenſuras & pœnas, vel peccatum aliquod quomodolibet incurriſſe, publice prædicent & aſſeverent: ipſis nihilominus, & præcipue dicto Amadeo, ceteriſque perſonis, ne de cetero, præmiſſorum occaſione, ejus famæ detrahant, perpetuum ſilentium imponentes, & prædicta facere, vel attentare, ſub dictæ excommunicationis ſententia prohibentes. Mandantes nihilominus ſub ejuſdem excommunicationis pœna, quibuſcumque Clericis, vel Religioſis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, quatenus ad omnem requiſitionem Guardianorum dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, vel alicujus eorum, in Miſſis & prædicationibus, præſentes noſtras litteras, & omnia in eis contenta publicent, prædicent & inſinuent; ac omnibus & ſingulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, ceteriſque Prælatis & Officialibus, qui per aliquem ex Guardianis prædictis ſuper præmiſſis fuerint requiſiti, quatenus omnes & ſingulos, tam Religioſos quam Clericos, ſeu etiam Laicos, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, ad quos prædicta, vel aliquod prædictorum tangunt, vel tangit, vel tangere quomodolibet poterit, etiam ubicumque morentur, ad ſic de regiſtris noſtris, & libris ſeu protocollis Notariorum, ac alias ubicumque præmiſſa ſcripta reperiantur, abolendum, male & injuſte prædicta, vel publicata revocandum, prædicandum, & has noſtras litteras publicandum, ceteraque alia, ut ſupra præmittitur, faciendum, per cenſuram Eccleſiaſticam, & omnia alia Juris remedia, omni appellatione remota, auctoritate noſtra compellant; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac dictis aliis prædicti prædeceſſoris noſtri litteris, prædictis Epiſcopo Laudenſi, & Vicario prædicti Archiepiſcopi Mediolanenſis ſuper præmiſſis, & eorum occaſione directis, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, etiamſi ad illarum executionem quomodolibet ſit proceſſum, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ordinum quorumcumque, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, per dictam Sedem, vel alias Religioſis, Clericis, Notariis, & Laicis præfatis, vel quibuſvis aliis conceſſis, etiamſi de illis ipſorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda foret mentio ſpecialis; aut ſi ipſis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod ipſi vel dictorum Ordinum perſonæ, ad judicium trahi, ſuſpendi, vel excommunicari, aut prædicti, vel eorumdem Ordinum loca interdici non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenum & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter

liter non inſertam, noſtræ intentionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quæ quoad præmiſſa eis nolumus aliquatenus ſuffragari, ceteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus. Ceterum, quia difficile foret, præſentes noſtras litteras, quas apud Vicarium Fratrum dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, provinciæ Mediolanenſis, pro tempore exiſtentem, remanere volumus, ad quæcumque loca deferri, & quibuſcumque Ordinariis, vel eorum Vicariis, ceteriſque Prælatis ac Officialibus, & dictis aliis perſonis, ſuper præmiſſis requirendis, oſtendi, exhiberi & dimitti; volumus quod ipſarum tranſumpto, manu publica, & alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ ſigillo munito, tamquam præſentibus noſtris litteris, ſi originales exhiberentur litteræ, plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi originales litteræ prædictæ forent oſtenſæ, vel exhibitæ, ſive dimiſſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, conceſſionis, revocationis, irritationis, annullationis, mandati, impoſitionis, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XVIII. *Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno* 1.

Venerabili fratri, Joanni Epiſcopo Præneſtino, Tarentino, & dilectis filiis Guillelmo, tituli ſancti Martini in Montibus Presbytero, ac Petro, ſanctæ Mariæ Novæ Diacono, Cardinalibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IX. *Cum felicis recordationis Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, bonæ memoriæ Nicolao tituli ſancti Marcelli Presbytero, & Alberto ſancti Euſtachii Diacono, ac tibi Guillelmo tituli ſancti Martini Presbytero, Cardinalibus, ſub Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLV. XVII. *Kalendas Maii, Pontificatus ſui anno* XV. *commiſſionem fecerit in hæc verba*: Sancta fidelium mater Eccleſia &c. ut ſupra in Bulla Eugenii anno 1445. n. 2. uſque ad, tenore præſentium concedimus facultatem. *Verum, cum inter ceteras graviores cauſas, quæ apud Sedem Apoſtolicam agitantur, hæc graviſſima ſit, & in eadem omnis diligentia, & conſcientiæ ſeveritas adhiberi debeat; ut in hac cauſa non ſimulata, ſed ſolida veritas elici poſſit, volumus ut hujuſmodi perſonæ a vobis deputandæ, quamquam graves quidem fore exiſtimemus, in manibus veſtris præſtent juramentum, ut omnia a vobis eis commiſſa, ſolum Deum, ac veritatem ante oculos habentes, prout ſacri Canones dictant, omni ſtudio & diligentia exequantur; &, poſt factam commiſſionem prædictam eiſdem, Prædeceſſori, ac ſancti Marcelli, & ſancti Euſtachii Cardinalibus viventibus ſupradictis, religioſæ memoriæ frater Bernardinus novis continuo miraculis coruſcaverit, prout in dies coruſcare dicitur: Nos eamdem commiſſionem, prout a dicto prædeceſſore noſtro facta fuit, vobis facimus per præſentes, dantes, & concedentes omnes facultates, quæ in ejuſdem prædeceſſoris noſtri litteris continentur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVII. XV. *Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno* 1.

Ex ipſo autographo. Committit Pontifex cauſam canonizationis ſancti Bernardini.

X. Plurimis aliis indiciis, & quotidianis beneficiis probavit Nicolaus, ſe in Sodalitio diligendo & promovendo, nihil ſuo ceſſiſſe prædeceſſori. Antonio de Ruſconibus Miniſtro Generali, & Jacobo de Primaditiis Vicario ciſmontano Regularis Obſervantiæ multa Ordini proficua, quæ ſuis ſingula temporibus diſtribuemus, conceſſit. Joannem Capiſtranum & Jacobum Pice-

Nicolaus Ordini addictiſſimus.

Picenum in deliciis habuit, & ſollicitudinis Paſtoralis in rebus graviſſimis, præſertim fide propaganda, voluit adminiſtros. Capiſtranum hoc anno inſtituit Inquiſitorem contra importunam & petinaciſſimam colluviem Fratricellorum, renovatis litteris, quas a Martino V. & Eugenio IV. prædeceſſoribus acceperat: necnon contra Judæos per Italiam commorantes, in Chriſti legem injurios, ac a ſummis Pontificibus decretorum contemptores. Prioris facultatis inſtrumentum indicabo, ſecundum integrum producam.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, hæreticæ pravitatis Inquiſitori.

Ex Bulla originali. Capiſtranus inſtituitur Inquiſitor contra Fratricellos.

APoſtolicæ Sedis providentia circumſpecta, contra hæreticæ pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit ut cancer, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundant, ſed ab eorum verſutiis & pravis conatibus compeſcantur, libenter intendit, & prout expedire cognoſcit, remedia adhibet opportuna. Cum itaque, ſicut ex fide digna relatione plurimorum nobis diſplicenter innotuit &c. ut in Bulla Martini V. tom. 10. anno 1426. num. 2. uſque ad præjudicium generari. *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVII. V. *Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno* 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex ipſo autographo.

XI. *SUper gregem Dominicum nobis, licet immeritis, divinitus creditum, vigilis exercentes ſpeculatoris officium, nunc novorum editione jurium, nunc antiquorum innovatione, ad ea, per quæ ipſius gregis ſtatus fideliter ac proſpere dirigi conſpicitur, libenter intendimus, & quæ in illius vergunt diſpendium, ne noxæ graviores, exituſque pejores inde prodeant, de medio, quantum in nobis exiſtit, ſubmovere ſtudemus. Dudum*

Et contra Hebræos & Sarracenos.

ſiquidem ad noſtram audientiam deducto, Judæos in omnibus Italiæ partibus & Provinciis, certis indultis & conceſſionibus eis a Sede Apoſtolica ad futuram rei memoriam, vel ab aliis quibuſcumque conceſſis, adeo erronee & perverſe uti, ut iis, quæ eis gratioſe & ad bonum & honeſtum finem & effectum conceſſa ſunt, illi abutantur, multaque, ſub eo prætextu, inhoneſta & turpia committant, ex quibus Chriſtianæ religionis & fidei puritas non parum læditur, & mentes Catholicorum Chriſtifidelium ſæpe ſcandalum patiuntur; ob quod per felicis recordat. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, conceſſiones, privilegia & indulta hujuſmodi Judæis, ſub quibuſcumque dominiis, etiam in terris, nobis & Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectis, commorantibus, ut præmittitur, conceſſa, uſque ad terminos juris communis dumtaxat operari, nec ulterius aliquo pacto ſe extendi, nec aliam, quam ipſius juris communis interpretationem pati, aut recipere, extitit declaratum. Cum autem, ſicut veridica relatione, non ſine diſplicentia grandi, percepimus, licet a diverſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, de Judæis & Sarracenis quam plurima ſalubria conſtitutiones & decreta ac decretales epiſtolæ emanaverint, prædicti tamen Judæi & Sarraceni in prædictis Italiæ provinciis & locis commorantes, propriis affectibus & antiquæ eorum perfidiæ incumbentes, dum conſtitutionum, decretorum & decretalium epiſtolarum hujuſmodi ſenſum legitimum ad ſua vota non habent, ut illis illudere valeant, adulterinum intellectum ſuperinducunt, & veterem ipſorum malitiam ac temeritatem in Chriſtifideles continuare, & in dies eorum ne-

nequitia præſumptuoſius uti non verentur, in maximum Chriſtianæ fidei vilipendium, animarum quoque periculum pariter & jacturam; Nos, ut Judæi ac Sarraceni prædicti, ac illorum fautores impii Chriſtiani, pœnarum impoſitionibus territi, vereantur inantea in eorum pernicioſos uſus relabi, & Chriſtifideles in ſua perſiſtentes fidelitate conſtanter, non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remediis, quibus poſſumus, prout ex debito paſtoralis officii tenemur, præcavere cupientes, ac ad orthodoxæ fidei Catholicæ corroborationem & exaltationem, præſentis perpetuo valituræ, ac irrefragabiliter obſervandæ conſtitutionis edicto, auctoritate Apoſtolica, omnia & ſingula conſtitutiones, decreta & decretales Epiſtolas prædicta, quorum omnium tenores de verbo ad verbum præſentibus haberi volumus pro inſertis, innovamus; necnon ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps, perpetuis futuris temporibus Chriſtiani cum Judæis aut Sarracenis comedere, aut bibere, ſeu ipſos ad convivia admittere, vel eis cohabitare, aut cum ipſis balneare, vel ab eis, infirmitatis vel debilitatis ſeu alio quocumque tempore, medicinam vel potiones, ſeu vulnerum aut cicatricum curationes, ſive aliquod medelæ genus accipere non debeant; ac Chriſtiani non permittant Judæos & Sarracenos contra Chriſtianos dignitatibus ſecularibus præfici, vel officia publica exercere; Judæi quoque & Sarraceni non poſſint eſſe arrendatores, collectores, conductores, ſeu locatores fructuum, bonorum vel rerum Chriſtianorum, ſeu eorum computatores, procuratores, œconomi, negotiorum geſtores, negotiatores, mediatores, proſenetæ, concordatores, ſponſalium vel matrimoniorum tractatores, obſtetrices; ſeu in domibus aut bonis Chriſtianorum aliquod opus exercere, vel cum Chriſtianis ſocietatem, officium vel adminiſtrationem in aliqua communione vel arte, ſeu artificio habere; aut nullus Chriſtianus, Judæis vel eorum congregationi, ſeu Sarracenis, in teſtamento aut ultima voluntate aliquid relinquere poſſit vel legare. Judæi quoque Synagogas novas erigere aut conſtrui facere non audeant, ſed antiquas dumtaxat, non tamen ampliores vel pretioſiores ſolito, reficere valeant; & in Lamentationum ac paſſionis Dominicæ diebus, per loca publica ſeu publice non tranſeant vel incedant, nec oſtia vel feneſtras teneant apertas; etiam ipſi Judæi ac Sarraceni ad ſolvendas quaſcumque de quibuſvis rebus & bonis decimas aſtricti teneantur; & contra eos in quibuſvis caſibus Chriſtiani teſtes eſſe poſſint, ſed Judæorum & Sarracenorum contra Chriſtianos in nullo caſu teſtimonium valeat, & apud Chriſtianos Judices & Communes dumtaxat, non autem apud Chriſtianos Judices pro eis ſpecialiter deputatos, nec eorum ſeniores Judæi & Sarraceni in quibuſcumque cauſis agant & conveniantur; nec poſſint Judæi & Sarraceni nutricem vel familiarem, aut ſervitorem utriuſque ſexus Chriſtianum in domo tenere, nec etiam Chriſtiani in Sabbatis ſeu Judæorum feſtivitatibus, Judæis ipſis ignem accendant, vel cibum aut panem, ſeu quodcumque aliud opus ſervile ad decorem cultus feſtivitatum eorumdem quomodolibet exhibeant, vel ſervitium aut obſequium aliquod præſtent vel impendant. Seculares quoque Judices Chriſtiani Judæos vel Sarracenos, Deum aut glorioſiſſimam beatam Mariam virginem ejus genitricem, vel aliquos Sanctos blaſphemantes, aut in hoc quomodolibet delinquentes, pecuniaria vel alia graviori, de qua eis videbitur, pœna puniant & corripiant; necnon omnes & ſinguli Judæi & Sarraceni, cujuſcumque ſexus & ætatis vel conditionis, diſtinctum habitum ac notoria ſigna, per quæ evidenter a Chriſtianis cognoſci poſſint, ubique deferant, & cum Chriſtianis non habitent, ſed ſegregati & ſeparati inter ſe degant: a Chriſtianis quoque uſuras minime exigant, recipiant vel extorqueant, necnon extortas illis, a

quibus extorſerunt, protinus ſine difficultate reſtituant; & inſuper, ut tam Chriſtifideles quam Judæi & Sarraceni in prædictis Italiæ partibus commorantes, præſentes & poſteri, ad decretorum & decretalium epiſtolarum, ac prædictarum & præſentis noſtræ conſtitutionum hujuſmodi obſervationem omnimodam noverint efficaciter ſe teneri, nec vigore ſeu prætextu quorumvis privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, conceſſionum & indultorum eis quomodolibet & a quibuslibet conceſſorum, ab obſervatione prædicta valeant aliquatenus ſe tueri, omnia & ſingula privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, conceſſiones & indulta per felicis recordationis Martinum Papam V. ſeu Eugenium IV. ceteroſque prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac alios quoſque quibuſvis Chriſtifidelibus, ac eiſdem Judæis & Sarracenis, in ſpecie vel in genere, ſub quibuslibet verborum formis, etiam motu proprio, & ſub quacumque forma vel expreſſione verborum, contra præmiſſa vel eorum aliquod quomodolibet facta vel conceſſa, quæ omnia ſimiliter præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſerta forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, necnon quæcumque inde ſecuta, eadem auctoritate caſſamus, revocamus & annullamus, ac nullius decernimus exiſtere roboris vel momenti. Præterea univerſos & ſingulos venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopos, & dilectos filios Principes, Dominos temporales, Capitaneos, Barones, milites, nobiles, Communitates & ceteros quoſcumque Chriſtifideles, Eccleſiaſticos & ſeculares, in prædictis Italiæ partibus commorantes, cujuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis fuerint, obſecramus in Domino, & per aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti exhortamur, eiſque in remiſſionem ſuorum peccaminum injungimus, ut & ipſi decreta, decretales epiſtolas & conſtitutiones prædicta obſervent, & per eorum tam Chriſtianos quam Judæos & Sarracenos ſubditos, faciant inviolabiliter obſervari. Et nihilominus eiſdem utriuſque ſexus fidelibus ac Judæis & Sarracenis prædictis, præſentibus & futuris præcipimus & mandamus, quatenus infra quindecim dierum ſpatium, a die publicationis præſentium, in loco, in quo ipſi degunt, faciendæ computandorum, omnia & ſingula decreta, decretales epiſtolas & conſtitutiones prædicta, ac in illis & præſentis noſtræ conſtitutionis litteris contenta, obſervare incipiant & obſervent cum effectu: nec de cetero ullo unquam tempore contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum, in toto vel in parte, per ſe vel alium ſeu alios, quovis quæſito colore, directe vel indirecte venire, facere, ſeu aliter attentare audeant vel præſumant; alioquin, lapſis diebus eiſdem, Judæi vel Sarraceni, qui mandato, præcepto & litteris hujuſmodi reſiſtere præſumpſerint, & cum effectu non paruerint, privationis ſeu amiſſionis omnium bonorum ſuorum mobilium & immobilium pœnam incurrant; quæ quidem bona vel eorum pretium, per executorem ſeu executores infraſcriptos, in fabricæ ſeu reparationis Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum, ac piorum locorum utilitatem, ubi bona hujuſmodi conſiſtunt, prout executori ſeu executoribus eiſdem viſum fuerit, converti volumus, & harum ſerie, auctoritate prædicta, exponi mandamus. Et quia parum eſt jura condere, niſi per aliquem executioni debitæ demandentur, dilectum filium fratrem Joannem de Capiſtrano, Ordinis Minorum profeſſorem, omnium prædictorum executorem, auctoritate Apoſtolica deputamus, inſtituimus & ordinamus; concedentes eidem plenam & liberam poteſtatem, tam per ſe ipſum, quam per idoneos Religioſos ſui Ordinis vel alterius, per eumdem, cum ſibi viſum fuerit, deputandos, inquirendi, admonendi, exhortandi & ſollicitandi Principes ac Prælatos, & Dominos tam Eccleſiaſticos quam ſeculares prædictos, ut omnia & ſingula prædicta faciant

dili-

diligentias obſervari: quibus in aliis arduis negotiis occupatis, ſeu alias negligentibus, ſeu ultra prædictum terminum retardantibus, ipſe idem dilectus filius Joannes de Capiſtrano, per ſe vel per ſuos deputandos, ut prædicitur, procedere valeat, & ea executioni debitæ effectualiter demandare; contradictores & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia Juris remedia compeſcendo, invocato etiam per eoſdem, quoties opus fuerit, auxilio brachii tam Eccleſiaſtici quam ſecularis. Verum, quia difficile foret hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferri, volumus & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumpto, manu publica, & ſigillo alicujus Epiſcopalis vel Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tamquam prædictis noſtris, ſi originales exhiberentur, litteris, plena fides in judicio & extra adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi dictæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Non obſtantibus felicis recordationis Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Ex ſpeciali, *& aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis, ſanctionis, conſtitutionis, ordinationis, caſſationis, revocationis, annullationis, voluntatis, mandati, deputationis, inſtitutionis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romæ, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVII. IX. *Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno* 1.

XII. Joannem hæc ſerio exequentem, & ad regna Alphonſi Siculi proficiſcentem, Rex Tybure tunc hærens, honorifice excepit, & abeuntem ſalvo conductu honorariiſque litteris ad univerſos ſuos Miniſtros communivit. Simili beneficio alterum ejuſdem inſtituti virum, Antonium de Oliveto affecit. Hunc miſerat Nicolaus Sedis Apoſtolicæ Nuncium ad partes Albaniæ & Sclavoniæ pro negotiis fidei, & auxilio præſtando Georgio Caſtrioto, a Turcis Scanderbegii voce nuncupato, Epiri Comiti, ſtrenue ſe Turcarum, effuſis viribus murum opponenti, ne in Chriſtianorum regiones deſævirent. Miſſionis reddo inſtrumentum.

Antonius de Oliveto deſtinatur Nuncius in Albaniam.

Dilecto filio Antonio de Oliveto Ordinis Minorum de Obſervantia regulari, Nuncio Apoſtolico.

XIII. *Cum te ad partes Albaniæ & Sclavoniæ, pro cauſis fidei, noſtrum & Sedis Apoſtolicæ Nuncium, ad præſens mittamus, cupientes illas tibi facere conceſſiones, in quarum vim Chriſtifidelibus earum partium te poſſis gratiorem reddere ac utiliorem; devotioni tuæ, non obſtante quod Ordinis Minorum exiſtis, per te ipſum & ſubſtituendos a te, baptizandi ad fidem Chriſtianam, cujuſcumque ſexus ac ætatis venire volentes, & baptizatos apoſtatas reconciliandi, necnon alia Eccleſiæ ſacramenta, excepto dumtaxat Chriſmatis ſacramento, conferendi, & peccata ſua confitentes ab excommunicationibus, atque ab omnibus caſibus & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, bigamia, homicidio voluntario & mutilatione membrorum dumtaxat exceptis, ſemel tantum abſolvendi; cum irregularibus & in votis, religionis & caſtitatis votis dumtaxat exceptis, diſpenſandi, & verbum Domini, ubicumque in dictis Provinciis opus eſſe judicabis, prædicandi, facultatem concedimus, auctoritate Apoſtolica per præſentes. Volentes, quod pro prædictis & aliis exequendis commiſſionibus tibi factis, Fratres tui & aliorum quorumcumque Ordinum voluntarios accipere, & tecum retinere, vel ad diverſa loca mittere poſſis & valeas. Ceterum, quia cupimus dilecto filio,*

Ex regiſt. ſuperiori lib. 22. Bullar. Nicolai fol. 70.

filio, nobili viro Georgio Caſtrioto, Domino in Albania, a fidelibus Chriſtianis favores & præſidia præſtari adverſus Turcas; eidem devotioni tuæ convocandi & requirendi fideles illarum partium, ut prædicto Georgio favoribus aſſiſtant, & omnes, qui id facere enitentur, ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſemel tantum abſolvendi, & eiſdem, ſi forte tunc obierint, in mortis articulo plenariam abſolutionem concedendi, poteſtatem, auctoritate prædicta tribuimus per præſentes. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XII. *Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno* 1.

In Hungaria & Scythia proficiunt Minoritæ.

XIV. In partibus Hungariæ, & maxime in Principatu Boſnæ, multam ponebant operam Minoritæ fidei Chriſtianæ amplificandæ, & in Scythiam uſque ac mare Tartaricum diſcurrentes, domos ſibi conſtituebant, ut commodius gentem efferam & idololatram neceſſaria inſtruerent diſciplina. Hoc fidei incremento gaviſus Nicolaus, pios operarios privilegiis multis, a ſuis prædeceſſoribus conceſſis & a ſe confirmatis, ad laborioſum opus excitavit & contra æmulos communivit. Domos etiam univerſas a flumine Zalba uſque ad dictum mare conſtructas, in Vicariam Hungariæ nuncupatam, & a Boſnenſi ſeparatam erexit, & Vicario Generali ciſmontano Obſervantinorum ſubjecit. Vicariam autem Boſnenſem, in diſciplina regulari aliqualiter lapſam, commiſit peculiari curæ Jacobi de Primaditiis Vicarii Generalis, priſtinis inſtitutis reſtituendam. Huic Vicariatui Boſnenſi ſubjecit Eugenius, anno ultimo ſui Pontificatus, Conventum Raguſinum; alterum *de ſaxo* ſive *de ſcopulo* nuncupatum, prope Raguſium; tertium ſanctæ Crucis prope Jadram; quartum ſancti Nicolai prope Catharum; quintum ſanctæ Euphemiæ prope Arbum. Renueruut tamen incolæ ſe unire Boſnenſibus, quare Nicolaus Pontifex cauſam commiſit diſcutiendam, primum Martino Epiſcopo Catharenſi, ſecundo Thomæ Epiſcopo Pharenſi; demum manſerunt in priſtino ſtatu, & ſub obedientia Vicarii Generalis Jacobi de Primaditiis. Circa ea, quæ concernunt Vicariatum Hungariæ, diploma honorificum ſatis, maxime quoad auctoritatem in eodem contentam, circa chriſma conficiendum & ordines conferendos, hic ſubjicio.

Multa eis largitur Pontifex.

Ad futuram rei memoriam.

Ibid. fol.158.

XV. *Ineffabilis ſummi providentia Patris, ad hoc nobis, licet immeritis, Dominici curam gregis, pia dignatione commiſit, nobiſque jugum imponens Apoſtolicæ ſervitutis, ad ſummi nos Apoſtolatus ſolium conſcendere voluit, ut debitum ad ſingula reflectentes intuitum, quid pro religionis expediat dilatatione felici, quid ſtatui conveniat ſub ea degentium, & qualiter illi virtuoſis geſtis & actibus ipſi gregi proficere debeant, attentius contemplemur. In iis igitur ſtudiis verſantes aſſiduis, opem libenter impertimur & operam, ut fructus inde ſuccedant ſalutares. Dudum ſiquidem diverſæ felicis recordationis Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri litteræ, in quibus de piæ memoriæ Joannis XXII. & Urbani V. necnon Martini V. etiam prædeceſſorum noſtrorum, ac quondam Urbani in ſua, de qua regimen Hungariæ tunc erat, obedientia, Sexti nuncupati, litteris mentio fit, ſub tenoribus emanarunt infraſcriptis:* Eugenius Epiſcopus &c. Dilectis filiis Vicario dilecti filii Miniſtri Generalis & Fratribus Ordinis Minorum Vicariæ Boſnæ, ſecundum morem dicti Ordinis, præſentibus & futuris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. *Romanus Pontifex beati Petri, cæleſtis clavigeri ſucceſſor, & Vi-*

Vicarius Jeſu Chriſti, cuncta mundi climata, omniumque nationum in illis
degentium qualitates, paterna conſideratione diſcutit ex officii debito, ſalutem
quærens & appetens ſingulorum, votis quoque favorabiliter annuit, per quæ
ſibi grex creditus ad Dominicum reducatur ovile, necnon pro ſupernæ maje-
ſtatis laude pariter & dilatatione, incrementum ſuſcipiat fidei veritas ortho-
doxæ. Dudum ſiquidem felicis recordationis Joannes Papa XXII. prædeceſſor
noſter ſuas conceſſit litteras tenoris ſequentis: Joannes Epiſcopus &c. Dile-
ctis filiis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, in terras Sarracenorum,
Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alano-
rum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum, Nichenarum, Jacobitarum,
Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum,
Moſcelinorum, aliarumque non credentium nationum Orientis & Aquilo-
nis, ſeu quarumcumque aliarum partium, proficiſcentibus, Salutem &c. *Cum*
hora jam undecima ſit diei, hominibus, ut exeant ad opus uſque ad mundi ve-
ſperam, deputata, & illud Apocalypſis elogium cito *credatur, cum matris Ec-* *Apocal. 3. 11.*
cleſiæ conſolatione complendum, videlicet, oportere viros ſpirituales, vitæ mun-
ditiam, & intelligentiæ gratiam cum Joanne ſortitos, populis & gentibus,
linguis Regibuſque multis denuo prophetare, quia non ſequitur reli-
quiarum Iſrael, ſecundum Iſaiam Prophetam, ſalvatio, niſi juxta Pau- *Iſa. 10. 21.*
lum Apoſtolum prius introeat gentium plenitudo. Nos, licet immeriti, *Rom. 11. 25.*
ſuper Apoſtolicæ Sedis ſpeculam conſtituti, fideliter ac prudenter diſpen-
ſandis Dei Myſteriis, & operibus coadjuvandis intendimus, & urgente
plenitudine temporis, poſt pia priorum ſtudia, in vineam Domini Sabbaoth no-
vos & pene noviſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium, operarios
mittere procuramus. Vos igitur, quos, juxta profeſſæ religionis offi-
cium, zelus comedit animarum, & cum quadriga quarta, quam variis cha- *Zachar. 6. 3.*
riſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis, ubique diſcurrere, ac vexillum
Regis gloriæ procul levare geſtitis, ad gentes, quæ Jeſum Chriſtum Domi-
num noſtrum non agnoſcunt, & ad ſubtractionis filios, qui ſacroſanctæ Roma-
næ Eccleſiæ non obediunt, deſtinamus: vobis in remiſſionem peccatorum om-
nium injungentes, quatenus ſeminaturi ſuper aquas multas, in illo tantum,
qui dixit ſe mundum viciſſe, confiſi, ad illuminationem cæcæ multitudinis, & *Joan. 16. 33.*
exterminium hæreticæ falſitatis, ad confirmandos nutantium animos, & fide-
lium confortandos in luce ſermonis & rectitudine operis, propoſitum vobis iter,
ſine quorumlibet offenſione curratis. Ut autem miniſterium veſtrum honore-
tur plenius & honorabilius impleatur, præſentium vobis auctoritate conce-
dimus, ut in terris, quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ non intendunt magiſterio,
proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante, ſi aliqua ſint ex-
communicatione ligati, in verbis, officio & cibo, ac in aliis ſecure communi-
care, & ipſos ſeu alios converti ad unitatem Chriſtianæ fidei cupientes, reci-
pere, baptizare & aggregare filiis Eccleſiæ ſanctæ poſſitis; ipſiſque taliter
aggregatis, ii ex vobis, qui fuerint in ſacerdotio conſtituti, ubi Epiſcoporum
*Catholicorum copia non extiterit, ſacramentum Confirmationis * conferre,* ** Vide de his ſupra, quæ adnotavimus in margine, anno 1444. num. 43.*
ac nihilominus uti oleo ac chriſmate antiquis, cum in iiſdem partibus novum
oleum ſine difficultate magna haberi non poſſit, libere valeant, conſtitutioni-
bus ſuper iis in contrarium editis non obſtantibus; necnon aggregatos eoſdem
inſignire charactere Clericali, & ipſos ad Acolytatus ordinem promovere:
liceat etiam vobis, ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, qui
ſunt excommunicatione ligati, abſolutionis beneficium, juxta formam Ec-
cleſiæ impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis, qui ſacros receperunt Or-
dines, & divina celebrarunt Officia ſic ligati: hoc ipſum vobis ſit licitum
cir-

circa illos de terris eiſdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eodem die, vel qui ſuperiores prætermiſſis inferioribus conferre, ſeu recipere ordines præſumpſerunt, ſi tamen in hoc ſervata forma talis extiterit, per quam ordines recepiſſent: vobis propterea diſpenſare liceat, ut illi ex nationibus veſtræ prædicationi commiſſis, qui poſt ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel in gradibus & caſibus a divina lege minime prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eiſdem; & ii, qui ad Catholicæ Eccleſiæ redierint unitatem, ut inter ſuos habitent, eiſque communicent, necnon Clerici ipſarum nationum, publice ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ redeuntes, gaudeant privilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in terris prædictis confeſſiones audire, ac ipſis injungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos a Canone vel alio modo, juxta Eccleſiæ formam abſolvere, dummodo injurias ac damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earumdem, in illis caſibus, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare, ac etiam cum Clericis ipſarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel incæſtu, aut de Regularibus procreati, ſit vobis diſpenſaudi facultas; quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab unitate Catholicæ Eccleſiæ, ſeu religione, vel Clericali ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, ac digne ſatisfacere de commiſſis; ita quod ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalva diſciplina Ordinis, reſumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo ſunt aſtricti, juxta præmiſſam formam, ac prædictæ ſatisfactionis modum, abſolvere valeatis, & cum irregularibus ex eiſdem, ſicut eſt expreſſum ſuperius, diſpenſare; ad hoc, ſit vobis abſolvendi facultas occiſores Clericorum & religioſarum perſonarum in prædictis partibus conſtitutos; fundandi de novo ibidem Eccleſias & reconciliandi illas, quæ ſunt caſu aliquo prophanatæ, & de novo fundatis de Rectoribus idoneis providendi; & illis, qui de Gentilibus vel ſchiſmaticis noviter ſunt converſi, dandi licentiam ut uxores ſuas, cum quibus in gradibus a lege divina non prohibitis, contraxerunt, valeant retinere. De cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam veſtram deferri contigerit, legitime cognoſcendi, & diſcordantes inter ſe, ad invicem quod ad pacem & concordiam redeant: necnon quod inordinate viventes, de ſuis exceſſibus, ſicut juſtum fuerit, ſatisfactionem exhibeant, compellendi per cenſuram Eccleſiaſticam vobis ſit libera poteſtas. Inſuper in locis, in quibus vos hoſpitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus reſidentiam facietis, Miſſam & cetera divina Officia celebrandi, in eiſdem partibus cœmeteria benedicendi, & dandi indulgentias, & commutandi vota facultatem & licentiam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, poſſitis Ordines & alia Eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcipere, ac veſtes ſacerdotales altaris, pallas & corporalia per eos, qui ex vobis ſunt Presbyteri, cum neceſſe vobis fuerit, benedicere, ubi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur: necnon alia facere, quæ ad augmentum divini nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem & irritationem illorum, qui ſacris Canonibus contradicunt, ſicut pro loco & tempore videritis expedire. Et ut fructum de veſtris laboribus reportetis, & ſentiatis ex eis æternæ ſalutis vobis commoda uberius proventura, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, vobis & cuilibet veſtrum vere pœnitentibus & confeſſis, illam indulgentiam, præſentium auctoritate concedimus, quam proficiſcentibus in Terræ-ſanctæ ſubſidium Sedes Apoſtolica concedere conſuevit. Ac nihilominus ut Chriſtifideles quaſi per præmia ſalubriter invitemus ad merita, omnibus vere pœnitentibus & con-

feſſis,

feſſis, qui Eccleſias & loca Fratrum dicti veſtri Ordinis in partibus præmiſſis constructa, & in poſterum construenda, cauſa devotionis, ſeu eleemoſynæ faciendæ ipſis Fratribus, ſingulis diebus viſitaverint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer relaxamus. Vobis inſuper, Apoſtolica auctoritate concedimus, ut in civitatibus, caſtris, vel villis ſeu locis quibuſcumqae, ad habitandum domos & loca quæcumque de novo recipere, ſeu hactenus recepta matare, aut ea venditionis, permatationis, donationis ac cujuvſis alienationis titulo, in alios uſus transferre, prout utilius id fieri cognoveritis, de noſtra & dictæ Sedis ſpeciali licentia valeatis. Non obſtante fælicis recordationis Boniſacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri probibitione, qua cavetur, ne aliquis vel aliqui de Prædicatoribus & Minoribus ac Religioſis aliis Mendicantibus, quibuſcumque ſuper hoc privilegiis muniti exiſtant, prædicta præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam & expreſſam faciente de probibitione bujuſmodi mentionem; quod ſi ſecus actum fuerit, irritum decernitur & inane. Volumus autem & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illa, quæ de jure vel obſervantia, aut conſuetudine ad Epiſcopalem dignitatem ſeu juriſdictionem dumtaxat pertinent, vobis ſeu quibuſcumque aliis Fratribus, vestri vel cujaſcumque alterius Ordinis, ad terras non credentium tranſeuntibus, ſeu jam ibidem exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica jam conceſſa, vel in poſterum concedenda, niſi in illis tantum partibus, in quibas Catholici Epiſcopi non fuerint, nec vos nec alii alterius Ordinis Fratres exercere curetis, decernentes ex tanc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, licentiæ, facultatis, poteſtatis, relaxationis, voluntatis & constitutionis infringere. Si quis &c. Datum Avenione x. *Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno* VI. *Et deinde per piæ memoriæ Urbanum Papam V. prædeceſſorem noſtrum intellecto, qaod in Bulgariæ, Valachiæ, Raſciæ & Boſnæ partibus, in quibus hæretici & ſchiſmatici commorabantur, illos per prædicationem & exemplum vitæ laadabilis, cum auxilio divinæ gratiæ, ad unitatem & obedientiam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, matris cunctorum & magiſtræ, jugiter reducere, piis & ſollicitis ſtudiis curabatis; vobis per quaſdam Bullas conceſſit, qaod vos & veſtrum ſinguli, omnibus & ſingulis præſcriptis gratiis, privilegiis & indulgentiis, facultatibus & auctoritatibus in litteris Joannis Papæ contentis bujaſmodi, ſecundum earum formam in præmiſſis partibus, cum ea tamen modificatione, quod indulgentias majores uno anno dare, & votum peregrinationis ſeu viſitationis Dominici ſepulcri commutare, aut illa, quæ ad Epiſcopalem pertinent dignitatem, exercere minime valeatis, perinde uti ſeu fungi poſſetis, ac ſi litteræ Joannis Papæ bujuſmodi, vobis & ſingulis veſtrum nominatim, & ſpecialiter directæ extitiſſent. At ſucceſſive quondam Urbanut in ſaa obedientia, de qua tunc eratis, ſextus nuncupatus, per alias ſuas vobis conceſſit atque declaravit, quod præfato ipſius Joannis Papæ privilegio uti poſſitis quoad omnia in eo contenta, non obſtante, quod Epiſcopas Catholicus in locis ſeu partibus ipſis reſideret, vel præſens exiſteret, dummodo Clericorum vel Sacerdotum, aut Curatorum copiam non baberent, qui fidelibus, ſive noviter converſis partium earumdem ſufficienter præeſſe valerent, miniſtrando eis Canonica ſacramenta, & fidem Catbolicam prædicando, illis tantum, quæ de jure, vel obſervata conſuetudine, ad eamdem Epiſcopalem dignitatem pertinent, exercitio veſtro interdictis. Ac ſubſequenter piæ recordationis Martinus Papa V. ſimiliter prædeceſſor noster, aliis ſuis litterit devotioni veſtræ conceſſit, quod vos & ſinguli vestrum, gratiis, privilegiit, indulgentiis, facultatibus & aliis præ-*

præmiſſis, in dictis ipſius Joannis Papæ expreſſis litteris, illis videlicet, quæ ad Epiſcopalem dignitatem hujuſmodi pertinent, in abſentia; aliis vero omnibus & ſingulis, tam in præſentia quam in abſentia Catholicorum Epiſcoporum, inibi locorum Diœceſanorum, in Bulgariæ, Valachiæ, Raſciæ & Boſnæ partibus prædictis, & etiam aliis, in quibus vos ut earum habitatores & incolæ ad unitatem fidei, devotionem quoque & obedientiam Eccleſiæ hujuſmodi reverterentur, ſive in illis perſiſterent, dictæ Sedis concurrente miniſterio, ſubieratis tunc, & ut ceteri, quibus opus foret, paſſim, cooperante Domino, reducerentur, ad eas in futurum perferre contingeret, labores & ſtudia, poſſetis fungi & uti; necnon omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis D. N. Jeſu Chriſti, Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon beati Michaelis, & omnium Sanctorum Feſtivitatibus, ac illarum Octavarum; necnon Palmarum, Cœnæ Domini, & duobus immediate ſequentibus diebus, Eccleſias veſtrorum Conventuum & domorum, in præmiſſis, & aliis quibuslibet partibus, infra Vicariam Boſnæ ſecundum morem veſtri Ordinis conſiſtentium, præſentium & futurorum devote viſitarent, annuatim illam indulgentiam, ſive ei ſimilem, quæ fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, Eccleſias Fratrum Ordinis prædicti in feſto beati Franciſci devote viſitantibus, a Sede prædicta generaliter conceſſa fuerat, elargiri poſſetis, duxit concedendum, prout in ipſis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut cariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Romanorum Imperatoris Illuſtris & ſemper Auguſti relatione percepimus, vos, ut uberius, ſive uberiores in Dei Eccleſiam fructus afferre, necnon plures fidelium animas Domino lucrifacere poſſitis, in de Harablech, Reſan, Thabol, Korinum, Haram, Orſua, Kevveſd, Cheri, Sebes & Haezach terris, eidem Regi ſubjectis, & in quibus hæretici & ſchiſmatici plerique, necnon populus veram Dei notitiam non habens, moram trahunt, evangelizationis miniſterium proſequi, ac ſalutaribus hujuſmodi populum monitis & doctrinis ad eamdem fidem reducere, in illaque formare ferventius inſiſtatis: Nos, ut ampliora deſuper vobis adminicula ſuffragentur, Imperatoris prædicti, necnon veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in terris prædictis, ad habitandum domos & loca quæcumque de novo recipere, necnon omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus & conceſſionibus prædictis uti, ac etiam in ſingulis ipſarum terrarum villis atque locis, a quibus tunc Epiſcopi Catholici, locorum inibi diœceſani, ultra duas dietas legales, remoti fuerint, ea, quæ ad hujuſmodi Epiſcopalem dignitatem pertinent, exercere, alias juxta conceſſiones præmiſſas, libere liciteque valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus modificationibus & reſtrictionibus per ipſos Urbanum V. prædeceſſorem noſtrum, & Urbanum nominatum Sextum, ut prædicitur, factis, ac piæ recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate ſive villa, vel quovis caſtro aut alio loco ad inhabitandum quæcumque domos vel loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, necnon aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIII. *Pridie Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno* III. Eugenius Epiſcopus &c. Dilectis filiis Vicariis & Fratribus Vicariæ Boſnæ nuncupatis, Ordinis Minorum, præſentibus & futuris, ſalutem.

tem. Sacræ Religionis &c. [ut habetur ſupra anno MCCCCXLIV. num. XLV.] *Cum itaque, ſicut grandi mentis exhilaratione percepimus, tot, opitulante Domino, dictorum Fratrum in ipſo regno Hungariæ domus exiſtant, quod ad fidelium inibi ſalutem animarum, & fidei propagationem orthodoxæ plurimum conferret, ut in eo, & illi ſubjectis uſque ad Scythiam, & mare Tartaricum partibus atque provinciis, pro Fratribus ipſis, ſpecialis ab eadem Vicaria Boſnæ, diſtincta Vicaria haberetur, in qua Vicarius pro tempore exiſtens, ac inibi dicti Fratres præmiſſarum litterarum potirentur effectu: Nos pro futuro ſuper iis adminiculum firmare cupientes, regnum ac ſubjectas partes & provincias hujuſmodi, quoad ea, quæ dictos Fratres concernunt, ab ipſa Vicaria Boſnæ totaliter, auctoritate prædicta, ſeparamus atque dividimus, & in eis aliam, quæ* Vicaria Hungariæ *nuncupetur, cujuſque limites & diſtrictus a flumine Zalba, uſque ad dictum mare protendantur, & ſpecialis Vicarius ſit, facimus, conſtituimus ac deputamus, & ad illam, ac ejus præſentes & futuros Fratres in omnibus litteras prædictas, necnon ipſarum tenores & effectus extendimus; ita quod etiam Fratres Vicariæ Hungariæ hujuſmodi, infra limites & diſtrictus prædictos, quæcumque loca pro ipſorum uſu & habitatione recipere perpetuoque retinere; necnon Vicarium ibidem, cui proprium eorum, ſi & prout ipſis videbitur, mutandum vel alterandum ſigillum conſignetur, eligere & habere; qui poſtquam in talem, juxta diſpoſitionem Capituli generalis, Vicarium Hungariæ hujuſmodi electus fuerit, eo ipſo cenſeatur, auctoritate prædicta confirmatus, ac omnibus & ſingulis indultis, conceſſionibus, privilegiis & facultatibus, quæ ex prædictis litteris proveniunt, necnon, quoad hujuſmodi loca recipienda, quibuslibet aliis indulgentiis, libertatibus & exemptionibus Ordini prædicto, ac ipſius domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam, & alias generaliter conceſſis, uti & gaudere libere liciteque valeant, eadem auctoritate, tenore præſentium, concedimus pariter & indulgemus. Rurſus quoque ſtatuimus & ordinamus, quod ipſi Vicarius & Fratres ejuſdem Vicariæ Hungariæ perpetuis in antea temporibus, non Miniſtris inibi Provincialibus, ſed Generali per eamdem Sedem deputato, Generalis dicti Ordinis Miniſtri Vicario ciſmontano, debeant ſubeſſe. Non obſtantibus omnibus, quæ dicti prædeceſſores in eiſdem litteris non obſtare voluerunt, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod nullus ex ipſis Fratribus aliquod eorum, quæ miniſterium Epiſcopale requirunt, quomodolibet exerceat, niſi in locis, a quibus infra duas dietas ad Diœceſanos ibidem haberi commode non poterit tunc acceſſus; nec curam gerat animarum, niſi dumtaxat illorum, qui proprios, ſive Miniſtros Eccleſiarum, vel locorum Eccleſiaſticorum non habnerint infra prædictos limites & diſtrictus. Nulli ergo &c. noſtræ intentionis, ſeparationis, diviſionis, facti, conſtitutionis, deputationis, extenſionis, confirmationis, conceſſionis, indulti, ſtatuti, ordinationis & voluntatis &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXLVII. IV. *Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno* I.

XVI. Plerique ex Fratribus reſtitutæ diſciplinæ ultramontanis, præſertim in Gallia, timoratæ conſcientiæ ſtimulis agitati, dubitabant, an liceret Vicariis generalibus, & peculiaribus provinciarum Obſervantiæ dumtaxat ſubjici, & Miniſtri Generalis, ac Provincialium ſe ſubtrahere obedientiæ. Quare integræ domus ad priſtinum ſtatum redire volentes, ſupplicarunt, ut, præſcriptis quibuſdam legibus & cautionibus, ne diſſiparetur inchoata reformatio, liceret ad Miniſtros reverti. Ita ſub his formulis conceſſit Nicolaus.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex lib. 22. Bullarum, fol. 166.

Concedit ut aliquæ domus Obſervantū vivant ſub Miniſtris.

XVII. *Licet ex debito ſummi Pontificatus officii, nobis deſuper injuncti, circa fidelium quorumlibet ſalubrem ſtatum, Nos deceat intentos exiſtere; illos tamen ex eis, qui, mundanis abjectis illecebris, ſub habitu regulari ſuum exhibent Altiſſimo famulatum, tanto potioribus favoribus & gratiis proſequimur, quanto id pro eorum quiete, conſolatione & devotione conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem felicis recordationis Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, dilectum filium Joannem de Mauberto Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, Generalem omnium & ſingulorum dicti Ordinis Guardianorum & Fratrum ſub regulari Obſervantia degentium, ac in regno Franciæ pro tempore commorantium, Vicarium fecit, conſtituit & deputavit; ac voluit, ſtatuit, decrevit & mandavit, quod dicti Guardiani & Fratres omnes & ſinguli, ſub cura & obedientia ipſius Joannis permanere deberent, & nonnulla alia deſuper fecit & conceſſit, prout in diverſis ejuſdem prædeceſſoris litteris plenius continetur. Cum itaque, ſicut pro parte dilecti filii Petri Legerii Miniſtri Provincialis provinciæ Turonen. juxta morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, multi Fratres Ordinis & provinciæ prædictorum, in eadem Obſervantia, ac ſub ipſius Vicarii obedientia, tam prædictarum, quam aliarum Concilii Conſtantien. dudum antea deſuper confectarum litterarum vigore, præſentialiter degentes, ex certis rationabilibus cauſis ad id animos eorum moventibus, ex tunc in antea non ſub Vicariis hujuſmodi, ſed ſub Generali totius Ordinis, ac Provinciali Miniſtris provinciæ hujuſmodi, necnon aliis ejuſdem Ordinis Superioribus pro tempore exiſtentibus, alias ſub dicta Obſervantia ac regularibus ipſius Ordinis inſtitutis permanere deſiderent; pro parte dicti Petri Provincialis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc prædictorum Fratrum ſtatui, quieti & tranquillitati opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſupplicationibus hujuſmodi, tamquam juſtis & rationabilibus, ac antiquæ & laudabili dicti Ordinis conſuetudini conſonis annuentes, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, atque declaramus, quod de cetero omnes & ſingulæ provinciæ, & Ordinis prædictorum domus ſub obedientia Joannis Vicarii hujuſmodi præſentialiter exiſtentes, quandocumque major pars Fratrum in illis pro tempore degentium, id duxerit eligendum, ac etiam omnes & ſinguli Ordinis, provinciæ & Obſervantiæ eorumdem Fratres, ſub cura & obedientia Joannis Vicarii hujuſmodi nunc & pro tempore permanentes, quando id ſimul vel ſucceſſive etiam elegerint, non ſub Joannis Vicarii, ſed ſub Generalis & Provincialis, necnon aliorum Superiorum pro tempore exiſtentium Ordinis hujuſmodi obedientia perpetuo permanere teneantur & debeant; quodque nullus ex Superioribus dicti Ordinis, tam in prædictis domibus ſic ſe ſubmittentibus eiſdem, quam etiam ex certa & rationabili cauſa in omnibus aliis ejuſdem Ordinis & provinciæ reformatis, & ſecundum regularia inſtituta viventibus, necnon ab earum fundatione ſub cura & obedientia Generalis, Provincialis & aliorum Superiorum Ordinis uſque nunc degentibus, Guardianum, ſeu Superiorem, vel officiarium, aut alias ad commorandum in eiſdem, vel ipſarum aliqua per Superiores prædictos, vel eorum aliquem, ſeu alias quomodolibet, ullo unquam tempore deputare poſſit vel debeat, abſque Fratrum prædictarum domorum voluntate & aſſenſu; ita tamen quod talis Guardianus, ſeu Superior vel officiarius ſit ſemper conformis eiſdem habitu & vita,*

& vita, & ab ipſis electus; nec aliquis ex Generali, Provinciali & aliis Superioribus pro tempore ſupradictis, abſque præmiſſis voluntate & conſenſu, aliquem ex Fratribus præſentibus & futuris omnium & ſingularum domorum prædictorum Ordinis, provinciæ, & regularis diſciplinæ, ſub cura & obedientia Generalis & Provincialis pro tempore degentium hujuſmodi, ad aliquam aliam domum prædicti Ordinis non ſecundum regularia ſtatuta viventem transferre, neque alium dicti Ordinis Religioſum in aliqua ex domibus provinciæ & regularis diſciplinæ eorum curæ commiſſis hujuſmodi, deputare neque collocare valeat, niſi ſecundum regularia ſtatuta vivere velit: neque etiam ipſi præſentes & futuri Guardiani & Fratres, contra eorum voluntatem, aliquem in ſuis domibus prædictis, vel earum aliqua ad commorandum recipere teneantur; etiam decernentes ex nunc irritum & inane, &c. proceſſus etiam quoſcumque, excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias & pœnas in ſe continentes, necnon omnia alia & ſingula, quæ contra ſtatutum, decretum & declarationem noſtram hujuſmodi haberi, fieri aut fulminari forſan contigerit, irrita & inania exiſtere, nulliuſque roboris vel momenti. Et nihilominus ſingulis omnium domorum Ordinis, provinciæ & regularis diſciplinæ prædictarum, ſub cura & obedientia Generalis & Provincialis, necnon aliorum Superiorum hujuſmodi, Guardianis præſentibus & futuris, ut omnes & ſingulos Clericos ſeculares & laicos, ſub regulari habitu prædicti Ordinis vivere volentes, in Fratres ejuſdem Ordinis recipiendi, eiſque habitum prædictum exhibendi, necnon ab ipſis profeſſionem regularem, ſecundum ipſius Ordinis conſuetudinem, ſi illam emittere voluerint, etiam recipiendi, Superiorum ſuorum deſuper licentia petita, licet non obtenta, plenam & liberam, eadem auctoritate licentiam elargimur. Non obſtantibus litteris prædeceſſoris hujuſmodi, quarum omnium tenores &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. *Pridie Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno* 1.

XVIII. Fuerunt aliqui Fratres & integri Conventus, qui tunc ſe ſubtraxerunt fratris Joannis de Mauberto Vicarii Generalis imperio. Atque ille hoc ipſo anno, ut reliqui firmius ſubſiſterent, & majori omnium conſenſu res tranſigerentur, Capitulum generale indixit in Cœnobio ſancti Audomari; ubi, communibus præſcriptis legibus circa officium divinum, habitus qualitatem & formam, internam & externam converſationem, & demum circa paupertatis obſervantiam, majorem pacem & animorum concordiam induxit. In Italia beatus Jacobus Primaditius Vicarios Italos, menſe Julio, hoc ipſo anno, ad Conventum ſanctæ Mariæ Angelorum Aſſiſii convocavit, ibique quaſdam edidit conſtitutiones.

Cod. MSS. Conſtitut. antiq. Ordinis.

Capitulum generale Obſervantum Ultramont.

Aliud Ciſmontan.

XIX. Eodem ipſo tempore alia congregatio indicta eſt, Vicarii Generalis Mauberti auctoritate, in Hiſpania, in Conventu Beneventano, præſidente fratre Ludovico de Sala, convenientibus præcipuis Patribus Conventuum reformatorum. Hic diu diſcuſſum eſt, an expediret omnes Conventus & oratoria, quæ tunc in Caſtella veteri ac nova, aliiſque locis regularem profitebantur obſervantiam, ſub uno capite gubernari, an potius ſecundum terrarum & locorum diſtantiam, per varios Rectores diſtribui. Tamdem in illam itum eſt ſententiam, ut in plures dividerentur Vicariatus Provinciales, ſub uno illo Vicario Generali Obſervantum ultramontanorum congregandos. Pauci itaque illi Conventus, qui intra Provinciæ ſancti Jacobi limites continebantur, nimirum ipſe Capitularis Beneventanus, Corunienſis, Capitis Auroræ, Salmanticenſis, & Zamorranus a reliquis ſegregati, con-

Cógregatio Obſervant. in Hiſpania.

Monum. MSS. Prov. S. Jacobi. Marc. 3. par. l. 2. cap. 17.

Primus Vicarius Provinciæ S. Jacobi, Joannes a S. Maria.

conſtituerunt ſibi Vicarium fratrem Joannem a ſancta Maria, ſacræ Theologiæ olim Magiſtrum inter Patres Conventuales, virum venerandum, oppido Carino oriundum. Præcipui hujus ſeparationis auctores fuerunt frater Alphonſus a Palenzuela, Guardianus Salmanticenſis, Petrus de Caſtrovol, & Villaman, ſacræ Theologiæ Doctores, Ferdinandus a Platea, Ferdinandus Cordubenſis, Coſmus & Rodericus Salmanticenſes. Similiter alii coeuntes eodem anno in Conventu ſancti Juliani a Capraria, ejuſdem domus, & Occanienſis, Vicarium elegerunt virum religioſiſſimum fratrem Alphonſum Boroxium, quibus ſe conjunxerunt Conventus Cuſtodiæ Hiſpalenſis: Petri vero a Sanctoyo ſectatores, & incolæ domus Aquilariæ, Tribulenſis, vulgo *del Abrozo*, & Cuſtodiæ extra montes, vulgariter *Sanctojanæ*, ab hoc regiminis genere abſtinuerunt, & Miniſtri Generalis imperio ſubdi voluerunt, pactis tamen conditionibus, quæ reſtitutæ diſciplinæ conſervandæ videbantur opportunæ. Natæ hinc aliqnot diſcordiæ & criminationes, quibus in Regio Senatu ſub Henrico IV. ſatisfacere niſus frater Lupus Salazarius de Salinis, diffuſum protulit libellum. Quo illi tempore Obſervantinis ſe conjunxerint, alias dicam commodius.

Primus Vicarius Provinciæ Caſtellæ Alphonſus a Boroxio.
Gonzag. in Prov. Caſtell. Conv. 7. & in princip. ſui operis.
Memoriale Ord. Marian. lib. 5. c. 20.
Cuſtodia Sanctoyana aliæque domus ſubdunt ſe Generalis regimini.

Legen. MS. Marian. cit. c. 21.
Marc. cit. c. 28.
Thomæ Florentini ortus.
Juventus.

XX. Obiit hoc anno Prid. Kalendas Novembris beatus Thomas Florentinus, de quo alias ſumus ſæpe præfati. Hic patre Janione, ex caſtro Linaris prope Barberinum, in agro Florentino, vallis Elſæ oriundo, Florentiæ in platea Marzana natus, etſi honeſte educatus, effrænem tranſegit juventutem, eoſque habuit ſocios, qui malis omnibus implicarent. Ad facinora quæque audacem ducebat frequenter quidam heros, ad diverticula nocturna, & opera tenebrarum, quibus ineſſe ſolet plus periculi, quam delectamenti; ut ille probavit, vulneribus ſæpe acceptis & inflictis, vitaque in extremum diſcrimen redacta. Quo id lucro, caſus docuit paulo poſt ſequutus. Cauſam dicturus cujuſdam criminis, falſo tamen objecti, ad heroem abiit, ut judicem redderet propitium; verum ille non ſolum renuit, ſed & in platea loquentem indignanter rejecit, verecundatus in aliorum conſpectu vilem & facinoroſum hominem ad colloquium admittere. Turbatus & fremens: *Hæccine*, inquit, *merces vitæ pro te toties periclitantis? hoc ſervati corporis præmium? & nocturnæ cuſtodiæ diurna gratitudo? Alii deinceps ſerviendum eſt, qui laboribus certiora ſtatuat præmia & meritis munera digniora*. Liberatus ab objecto crimine, dum cogitat meliora, incidit in Angelum, civem Florentinum, ſocietatis ſancti Hieronymi, *de Cippo* nuncupatæ, Præfectum, qui animæ curandæ viam præſtruxit. Erat hæc ſocietas olim a Nicolao Uzano, viro nobili & locuplete, qui Minoribus (quod alias diximus) nomen dedit, eo fine inſtituta, ut viri primarii, quibus aliunde virtutis aſſequendæ aderant impedimenta, piis exercitiis animum colerent; & aliis, præſertim juvenibus, per abrupta vitiorum ceſpitantibus, ab errore revocandis intenderent. Thomas, horum conſilio & exemplo interne commotus, cœpit tædere vitæ præteritæ, & ad meliorem ferventer aſpirare. Dimiſſis priſtinis ſociis mores mutavit: non amplius per plateas & forum divagari, ſed in templis demorari; non inſidias ſtruere nocturnas alienæ honeſtati aut facultati, ſed in prædicta ſocietate piis exercitationibus ſenſus placebat edomare, & errorum pœnas repetere. His aſſidue intentus, mundum penitus relinquere, & divino obſequio ſe perpetuo conſecrare decrevit. Virtute & bona fama Minorum, qui in Conventu Feſulano ſub arctiori inſtituto vivebant, allectus, & doctiſſimis ſermonibus beati Joannis a Stronconio, quos frequenter ea in urbe habebat, vehementer commotus, decrevit hoc vitæ genus amplecti, & tamdem ſuis alieniſque precibus obtinuit, ut in eorumdem admitteretur conſortium.

Societatis S. Hieronymi auctor Fr. Nicolaus de Uzano.
Tom 9. an. 1399. num. 49. & an. 1411. nu. 36.
Thomæ converſio.
Dat nomen Franciſcanis.

XXI. Ad

Digitized by Google

XXI. Ad Conventum Scarlini tranſlatus, ita corpori macerando ſtuduit, ut vilem & pannoſum habitum, non fovendis, ſed tegendis membris obduxerit; nudis pedibus adſque ſandaliis aut calepodiis inceſſerit; tribus hebdomadæ feriis, ſecunda, quarta & ſexta, pani abſinthium admiſcuerit; reliquis diebus, quaſi lautius epulatus, abſinthio omiſſo, aquam biberit, & raro obſonio crudas herbas manducarit. Septem quadrageſimis ad inſtar ſancti Franciſci totum anni curriculum diſtinxit, in quibus ſeveriori in ſe animadvertebat diſciplina. In Adventu Domini, Quadrageſima Eccleſiaſtica & Sanctorum vigiliis miros excogitabat modos pœnitentiæ, eoſque per omnem vitam, conſtanti ſibi lege præſcripſit. Ipſo hoc anno, quo grandævus deceſſit, totos quadraginta jejunii dies in pane & aqua abſinthii tranſegit. Cœnobiola & oratoria in locis deſertis atque incultis libentius inhabitabat, utpote ſilentio & orationi, meditationi rerum cæleſtium & pœnitentiæ obeundæ magis opportuna. Brevi delibato ſomno, horis aliquot ante matutinum in Eccleſiam deſcendebat, nec recedebat uſque ad auroram, niſi in iis cœnobiolis, quibus adjuncta vel incluſa nemora aut ſylvæ commodiora videbantur liberiori ſermoni jaculatorio, & divinæ clementiæ per crebra ſuſpiria & lacrymas implorandæ. In antris & abditis receſſibus per triduum, aut quatriduum multoties latitabat, abductis aliquot panum fragmentis. Ita defæcato corpore & extenuata mole terrena, ſpiritus faciliori ductu illam corporis umbram, quam præferebat, ad excelſa trahebat; viſus enim eſt perſæpe in aera volitaſſe & altiſſimarum arborum cacumina in ſilvis prætervolaſſe. Semel viderunt Congregationis Cippianæ Conſodales in ſuo templo ſuper adſtantium capita mirabiliter elevatum, & noctu luce mirabili circumfuſum. *Ejus virtutes & pœnitentia.*

XXII. Præ reliquis virtutibus ſummo ſtudio obedientiam colebat, nihil reputans arduum, nihil moleſtum, quod a Superioris prodiret imperio. Mirum illud hujus rei argumentum. Joannes Capiſtranenſis in itinere, quod ſuperius narravimus, Hieroſolymitano, præter Hieronymum de Piagale alioſque ſocios hunc etiam convocavit. In Cypro, hoſpitio excepti a locuplete mercatore Veneto Joanne de Martinis, Fratrum Hieroſolymas tranſeuntium Procuratore, Thomæ curam demandarunt cibos multos & varios, ab hoſpite ſibi aliiſque convivis miniſtratos, præparandi. Ille vel ex inſcitia, vel ad ſui conſodalis fratris Juniperi exemplum, omnia in unum conglomeravit lebetem, & aqua pura, abſque ullis condimentis decoxit. Mercator ſub prandii horam reverſus, quod factum erat, perſpiciens, ægerrime tulit, & Capiſtranum inſimulavit erroris, quod homini inſipienti, vel rei cibariæ prorſus ignaro, hoc munus injunxerit. Indignatus ad hæc Capiſtranus, ſocium acriter reprehenſum, juſſit ineptis manibus, in pœnam errati, ardentes afferre carbones. Nihil ille moratus, in conſpectum omnium rediit, utraque manu accenſas prunas aſportans. Genuflexus coram præceptore veniam exoravit, reliquis intercedentibus & collacrymantibus. Neque vero ſtatim dimiſſus eſt: denuo culpam urgente Capiſtrano, tandemque jubente ne carbones excuteret, ſed in culinam, quo tulit modo, referret, lotiſque manibus rediret: fecit, rediit, manus expandit, ſignum nullius læſionis apparuit; cibos deinde convivis hilariter miniſtravit, qui numquam ſe lautius aut delectabilius epulatos aſſeruerunt, rebus ſingulis juxta propriam qualitatem optime conditis. *Prompta obedientia.* *An.1419. n.11.* *Tom.4.an.1258. n.17.*

XXIII. In pauperculis Tuſciæ cœnobiolis commoratus, dum Martinus V. ab urbe Conſtantienſi regreſſus, Florentiæ ſubſiſteret, fautore Jacobo Plumbini Domino, obtinuit ut ampliandæ novæ familiæ arctioris Inſtituti,

lice-

liceret Fratricellos, quibus poſſet locis, depellere, quas uſurparunt ædiculas, ſuis Conſodalibus adaptare, aliiſque in locis plures adjungere. Auxiliante proinde prædicto heroe & Senenſi Magiſtratu, cœnobia ſancti Franciſci apud Scarlinum, ſancti Joannis ad Gavorranum, ſancti Benedicti de Navis, & ſancti Petri prope Scanzanum, ejecta illa mala ſobole, Obſervantibus aſſeruit. His adjecit alia, ſancti Franciſci ad Radicondolum, Columbarii, ſancti Cerboni inſulæ Elbæ, in diſtrictu, quæ *contrata Jovis* nuncupatur; adjutus tamen opera ſancti Bernardini, & Populonii ac Volaterræ Epiſcoporum. In Corſicæ inſula tria, in Sardinia unum, in provincia ſancti Angeli & Calabriæ, in quibus omnium primus, Vicarii functus eſt officio, plurima extruxit Monaſteria.

Multa aggregat Obſervantibus domicilia.

Et conſodales.

XXIV. Auctis domiciliis non deerant incolæ, nec tantus magiſter languebat ſine diſcipulis. Confluebant multi ex Religioſis provinciæ Tuſciæ, etiam viri docti & ſacræ Theologiæ Magiſtri, qui ſe lubentiſſime illius credebant diſciplinæ. Ex Fratricellorum etiam ſecta multi, abjurata hæreſi, ejus ope veniam exorabant læſæ fidei, ejuſque magiſterio veram amplexi doctrinam, anteactæ vitæ dignam adhibebant pœnitentiam. Atqui hinc duæ in Virum ſanctum acies præſtruuntur, Patrum Conventualium, & deperditæ illius gentis Fratricellorum, male habentium ſuas ſocietates imminui per numeroſam Thomæ ſequelam. Ille vero in his ita agendum duxit, ut patienter ferendæ eſſent Fratrum crebræ moleſtiæ, hæreticorum vero contundenda eſſet inſignis contumacia: quam tamdem, illuſtrium virorum, & divinæ virtutis auxilio, ita fregit, ut a facie ejus ubique fugerent, neque amplius ſibi, aut ſuis auderent adverſari.

XXV. Accedentes vero ad Sodalitium prius diligenter examinabat, qua vocatione, quibuſve cauſis durum hoc vitæ genus vellent ſubire? deinde propoſitis regularibus inſtitutis, ſi conſtantes & idoneos judicabat, in conſortium admittebat, admiſſoſque ſumma vigilantia & optima inſtruebat diſciplina. Adjutorem habuit Antonium a Stronconio, virum ſanctiſſimum, de quo ſuo loco dicemus, eoque magiſtro, quæ ad majorem doctrinam & lectiones ſpirituales attinebant, curabat ſuppleri. Sæpiſſime vocabat ad collationes Monaſticas, & conſortia ſive colloquia religioſa, eaque imbuebat diſciplina, qua ſibi conſulerent & alios docendo præirent. Non inaniter neque leviter dicebat; hærebant alta mente ignita eloquia, & cordis intima penetrabant verba ferventiſſime prolata; unde factum eſt, ut promptiſſimos ad ſingula virtutis opera probaret diſcipulos. Ubique multos acquiſivit, plures tamen in Etruria; quibus erudiendis Conventum Scarlini (in quo ipſe, quas licebat, moras trahebat, & proinde a diuturno incolatu, *de Scarlino* frequenter nuncupatus) præ aliis deſtinavit. Locus eſt a turbis remotus, dumetis & arboribus conſitus, cœlo & aere felix, pii circumadjacentis populi ſubſidiis affluens, curis humanis depellendis, & rebus cæleſtibus contemplandis perquam opportunus. Hic ſtrictiſſimam paupertatem, corporis munditiam, cogitationum puritatem, profundam humilitatem, cæcam obedientiam, rigoroſam in ſenſus omnes animadverſionem, &, quod præcipuum judicabat, orationis & contemplationis aſſiduitatem, indefeſſo inculcabat magiſterio; eoque facilius omnia imprimebat, quo diligentius exemplo docebat quam verbo.

Tirocinium in Conventu Scarlini.

Et quale.

XXVI. Poſt matutinas horas, uti erat ſolitus ipſe, prout narravimus, in vicinas ſilvas oraturus abire, ducebat etiam tirones, & per tuguriola & oratoria diſtributos, docebat inſtantius & ferventius orare, cælum gemitibus crebriſque tundere ſuſpiriis, Deum multis modis interpellare, interceſ-

ſores

fores adſcire, Dei genitricis opem implorare, atque in his exercitiis tempus omne uſque ad auroram inſumere. Omnia hæc frequenti magiſterio abierunt in uſum, eoque fiebant virtutum incremento, ut manifeſto innotuerit indicio. Inſtituta ſupplicatione, cruce præeunte, bini e templo recedebant ad ſilvam, Pſalmos recitantes pœnitentiales; deinde in quodam trivio genuflexi abſolvebant Litanias Sanctorum, mox abibant ad peculiares receſſus. Accedebant, tamquam manſuetiſſimi catuli, lupi feroces; aſſidebant & applaudebant orantibus, atque ad oratoria abeuntes comitabantur; nec recedebant, donec Fratres in Conventum revertebantur. Longo duravit tempore hæc admirabilis ſocietas, habitavitque agnus cum lupo, juxta Prophetæ vaticinium, donec obeunte Viro ſancto, ritus iſte deſuevit. *Orantibus Fratribus lupi manſuete aſſidebant.* *Iſai. 11. 6.*

XXVII. In alia animalia ſilveſtria liberum, tamquam ſi in ſtatu verſaretur innocentiæ, prætulit imperium. Ingentem conſpicatus in ſilva cervum, ad ſe vocavit, juſſitque ut Fratribus, dum viveret, colligendis per caſtra, & in cœnobium referendis eleemoſynis, deſerviret. Obſequutus cervus, domum inſecutus eſt, & tamquam jumentum, ſe clitellis gravari, & fræno circumduci permittebat. Poſt multos menſes extra Cœnobii ſilvam oberrans, a venatoribus fuit occiſus. In Conventu ſancti Joannis apud Rupem Montis-plani in Aprutio, aves plurimas in horto circumvolitantes vocavit, acceſſeruntque omnes, & per brachia, humeros, caput inſidentes, ſe attrectari, capi, demulceri pertulerunt, neque receſſerunt abſque vocantis licentia. Eodem in loco, merulæ dulciter concinenti, ut advolaret, imperavit. Obediit ſtatim volucris, & poſt varios concentus dimiſſa receſſit. Alias e caſtro Scarlini ad Conventum revertenti viderunt multi aves applaudentes, & ſuper caput ejus flammam ignis luciſſimam, quæ ſuper hærentem hærebat, & cum gradiente gradiebatur. *Cervum cicurat & Fratrum deſtinat obſequio.* *Aves ei obſequuntur.*

XXVIII. Paupertatis Evangelicæ ſtudioſus, nihil domi admitti, neque committi volebat, quod in ſtrictiſſimum huc vitæ genus peccaret; neque ipſe extra domum circa ſe ſuoſque fieri permittebat, per quod in laxiorem vitam diffluerent. Perrecturus in Calabriam, ſocio fratre Benedicto Florentino, amice exceptus eſt a Comite ſanctæ Floræ: cumque videret lautiſſimum parari prandium, clam obtentis duobus panibus, ſecreto ſe dapibus ſubduxit: Ita plerumque aliorum heroum erga ſe ſtudium eluſit, nolens foris repleri & domi eſurire. In tanta tamen paupertatis obſervantia numquam defuerunt neceſſaria, eo, *qui dat eſcam omni carni*, mirabiliter ſæpe egenis providente. Per Tuſciam tranſeunti accidit, ut propter jejunii in Adventu cultum, nihil edere voluerit uſque ad meridiem, eaque jam elapſa, nullus occurrerit, qui panem porrigeret. Longo itinere tamdem pervenit ad ſolitariam in aperto campo domum, ubi nullum præter puerulum unum invenit, qui arcam demonſtravit, ex qua duos recentes panes juſſit accipere. Non prius inde elapſi, quam ſpecioſus obviam factus adoleſcens, ex duobus panibus unum petierit, Eremitæ in nivibus Alpium inter ſanctum Peregrinum, & Cutilianum fameſcenti deferendum. Prompte, jubente beato Thoma, frater Benedictus porrexit, ſtatimque evanuit ex oculis illorum adoleſcens. *Paupertatis perquam ſtudioſus.* *Pſal. 135. 25.* *Mirabiliter panem accipit.*

XXIX. In eo ipſo itinere, pridie antequam Romam perveniſſet, in quodam vico præ foribus pauperculi agrigolæ fruſtulum panis pro amore Dei petierunt. Reſponſum fuit, in generali annonæ caritate, magna ſe etiam fame divexari, & per integrum menſem neque buccellam vidiſſe panis, ſed herbis & rapis familiam ſuſtentari. Rogavit Vir Dei, ut videret an panis aliquod fragmentum lateret in arca. Cui ille: *neque a longo tempore aperuimus inanem: nos eſurimus, & putas undique conquirentibus panem ſupereſſe?*

At

At Thomas: *Abi*, inquit, *& vide, ſi forte ſit ſpes; quid ſcis, ſi Deus veſtri & noſtri miſereatur? nonne & panem poterit dare, & parare menſam populo ſuo? Confide in Domino: non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*. Abiit, aperuit, arcam panibus plenam conſpexit, in Dei laudes erupit, & vicinos advocavit, qui notiſſimum miraculum agnoſcerent. Thomas vero, acceptis duobus panibus, quam citiſſime receſſit, timens quidquam ſibi honoris inde deferri. In provincia ſancti Angeli, dum Vicarii fungeretur officio, & de Teſcæ oppido ad Vaſtinum tenderet, ſocius præ itineris moleſtia, & totius diei jejunio languidulus in terram cecidit. Compaſſus ille, nec habens quo deficientem reficeret, genuflexus oravit, ut e cœlo reciperet, quod terra denegabat. Affuit ſtatim pulcher adoleſcens, una manu panem, altera urceolum aquæ porrigens, refectoque languente protinus diſparuit. Ut pervenerunt ad proximum Montis de Riſio Cœnobiolum, Reliquiarum loco depoſuerunt in ſacrario urceolum, & panis cælitus accepti fragmentum.

Et aliis abundanter erogat.

Socium reficit languentem.

XXX. In aliis etiam neceſſitatibus ſenſit ad nutum paratum divinum auxilium. Volebat prope cœnobium Montis-Plani in Aprutio, in ſummitate monticuli ſacellum conſtruere, ſub titulo Stigmatum ſancti Franciſci. Deerat calx, cæmentorum ferrumen, neque in eo tractu poterat haberi. Vocatis cæmentariis opus ſe dicit aggreſſurum. Illis abſque calce fieri non poſſe cauſantibus: *ego*, inquit, *omnem fabricæ neceſſariam ſubminiſtrabo, fodite hic, & reconditam invenietis*. Ridentes foderunt, ſed admirantes invenerunt, & viderunt juſtorum potentiam: quod incultæ regionis incommoditas, & Fratrum pauperies exhibere non potuit, Dei famuli firma fides impetravit. In area ejuſdem Cœnobii, præ foribus Eccleſiæ, ingens ſaxum deformem & incommodum reddebat ingreſſum. Nulla arte, nulloque labore non intentarunt Fratres amovere, nec poterant, reſiſtente maxima ſaxi duritiæ univerſis lapidicidis. Convenerunt demum omnes oppidani ultra ducentos, adjunctiſque viribus & artibus, longo tempore in caſſum laborarunt. Tamdem Dei ſervus advocatis duobus, Martino Antonii Buccio, & Antonio Blaſii, ſe illorum adjutorio lapidem alio translaturum ſpopondit. Ridentibus, qui aderant, oravit; & admoto bacillo, quo ſolebat incedere, ſuis coadjutoribus dixit, ut in præceps agerent in vallem inferiorem, vel in ripa conſtituerent, ne horto ſubjaconti gravi noceret ruina. Illi impulerunt, ceſſitque nullo labore lapideus ille monticulus; atque in areæ margine ſubſtitit, ſubjecto horto nullo illato nocumento.

Calcem miniſtravit.

Ingens ſaxum facile alio transfert.

XXXI. Claruit etiam ſpiritu prophetiæ; quippe quibuſdam in hujuſmodi rebus incredulis, grave Dei ſupplicium prædixit & evenit, præſertim in ſupradicto cœnobio Montis-Riſi, ubi ſancti Senis deriſores morte, quam ille prænunciavit, Deus punivit. In Conventu Scarlini occultam mortem & ſepulturam duorum adoleſcentum, miro modo præmonſtravit. Fratrem Benedictum Senenſem ab oratione & Fratrum conſortio recedentem, alio in longinquo loco conſtitutus vidit, & moneri curavit. Polydorum Patritium Romanum e ſæculo ad ſe confugientem, etſi alias rei litterariæ peritiſſimum, & utriuſque Juris Doctorem, hortatus eſt, ut in ſtatu Laicorum, ſeu humilitate Converſorum Domino famularetur, aperte prædicens ita facilius ſalvatum iri, difficilius in Presbyteratu. Ita rei probavit eventus, vitam enim ſanctiſſimam in illo humili ſtatu peregit. Contrario vero conſilio fratrem Hieronymum de Stupha, Laicum, omnis litteraturæ ignarum, prædixit ſuis concionibus magnum animarum lucrum per univerſam Italiam facturum, curavitque ad Clericatum transferri, ſtudiis applicari, & ad Sacerdotium evehi; factuſque eſt vere Evangelicus prædicator, qui poſtquam Italiæ provin-

Suis deriſoribus prædixit ſupplicium.

Multa prænunciat.

vincias ſua doctrina illuſtravit, in inſulis Cypria & Cretenſi multam meſſem collegit.

XXXII. Multiplicem hominis virtutem variis tentationibus & afflictionibus Deus voluit probatam. Diximus ab Eugenio Pontifice miſſum beatum Albertum Sartianenſem inſtruendis, & ad Concilium generale convocandis Indis, vaſtiſque Æthiopiæ nationibus. Duxerat inter alios ſocios, Thomam hunc Florentinum, ſed cum ultra ad Indiarum Æthiopiæque regna proficiſci non liceret, miſit Thomam alioſque ſocios tres, qui Pontificis ferrent litteras, eiſque viarum anfractibus Sarracenos eluderent, ut tamdem pervenirent. In mari a Turcis capti, male habiti ſunt, & in triremes conjecti; ubi, cum in quibuſdam congreſſibus & pirateriis contra Chriſtianos remigare nollent, dire cædebantur. Redempti a mercatoribus Florentinis, iter proſequebantur verſus Tauriſium & Georgiam, ſed in quadam Civitate detenti a Turcis, & minutim interrogati de ſuſcepti itineris cauſa, carceribus mancipantur. Squallore & inedia diu afflicti, iterum a Chriſtianis mercatoribus, pretio ſoluto liberantur.

An. 1439. n. 14.

Miſſus ad Æthiopes capitur a Turcis ſemel.

Secundo.

XXXIII. Tertio capti prope Æthiopiam, varie blanditiis, muneribus, puellarum conjugio & divitiis multis tentantur, ut a fide recedant; ſed cum omnia conſtanter reſpuunt, & Mahumetanas acriter condemnant ſpurcitias, multis cæſi verberibus, in veteri & diſſipata recluduntur ciſterna, ubi menſibus tribus latuerunt, dieſque viginti abſque cibo & potu miſerrime tranſegerunt. Tot ærumnis obiit, plurimis magnarum virtutum & pietatis præmiſſis indiciis, ex duobus, qui erant, Sacerdotibus unus, atque ad majorem reliquorum cruciatum relictum eſt per dies multos cadaver inſepultum. Qualis ille horror, quam tetricus fœtor inter ſua excrementa jacere, coram & in medio marcidum cadaver habere, in tenebris ſquallere, nuda humo cubare, pugillum farinæ aut ſimilæ, aqua ſubactæ, neque ad ſatietatem manducare! Malis tamen obdurati & conſtantiores effecti, ſpiritu hilares ſe invicem hortabantur ad mala quæque prius toleranda, quam fidem labefactandam: quod ubi longo probarunt experimento tortores, tanta patientia victi, e ciſterna extractos poſuerunt in publica cuſtodia.

Et tertio.

Miſere, ſed conſtanter habet in carcere.

XXXIV. Thomæ facultatem fecerunt per urbem diſcurrendi, & ſociis providendi, ea tamen adjecta conditione, ut ſub veſperam rediret in carcerem. Mira caritate magnoque labore per varias artes, ſibi commendatiſque ſociis victum providebat. Humeros ſarcinis ſupponebat, arva colebat, greges paſcebat, armenta ducebat, & ſervilia quæque opera inter Sarracenorum injurias & puerorum ludibria, abſque delectu ſubibat, ut Chriſti Confeſſores, fidei probatiſſimos teſtes ſuſtentaret. Semel crudeliſſime a Sarracenorum inſolenti turba cæſus, in terram colliſus, in cœno revolutus; elevatis fimbriis turpiter eluſus, flagris cæſus & in capite vulneratus, lætus rediit ad ſocios, dicens: *theſaurum nactus, ad vos dives regredior; plus ego vobis hodie lucrifeci: permiſit Deus, ut ſui nominis hoſtes in me ſævirent: certamen dedit forte, ſed ut vincerem; clypeo enim me munivit Chriſtianæ patientiæ. Ecce belli veſtigia, ecce prœliantis indicia.* Oſtenſis vulneribus rogavit, ut Deo laudes pro receptis beneficiis concinerent, & ſi ita expediret, ut malum deliniret. Obſequuti ſocii, gratias reddiderunt, oraverunt, ſalutem ſuo impetrarunt procuratori, nullo relicto ſigno cicatricum. Neque his ſaturatus opprobriis, cum Sarraceni in ſuum ſanum proficiſcerentur, præ foribus ſtabat, commendabatque Chriſtianorum fidem, & Mahumetanorum condemnabat perfidiam, pro qua tuenda veritate, dicebat ſe mortem libenter ſubiturum; additiſque ſignis, & inclinata cervice, caput devovebat in tantæ

Gaudet multis opprobriis.

Sapien. 10. 12.

Magno fertur deſiderio Martyrii.

tantæ rei teſtimonium. Non id impune dicebat, aliquando calcibus & pugnis contuſus, aliquando flagris correptus, frequenter tamquam inſanus contemptus.

XXXV. Anno integro in his ærumnis & Martyrii ſpe tranſacto, occurrit die quadam Europæus mercator apoſtata, dixitque actum in conſilio de ipſo & ſociis, decretumque, ut capitibus plecterentur. Ad hæc ille gaudens & exultans, ad ſuos feſtinavit bonum nuncium laturus; & illi viciſſim lætabundi ſibi invicem gratulabantur, decantatiſque gratiarum actionibus, ſacra confeſſione & piis exercitiis ad recipiendum inſigne hoc Martyrii donum ſe præpararunt. Sed ille, a quo bona cuncta procedunt, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, de ſuis ſervis aliter diſpoſuit, miſſo ſub illud ipſum tempus, qui e manibus Turcarum liberaret. Ut enim conſtitit beato Alberto Sartianenſi de illorum captivitate, miſit per alias vias alios item ſocios, qui litterarum Pontificis exemplar ferrent ad Æthiopes & Indos. Horum miniſterio tamdem nationes illas duxit ad Concilium Florentinum, egitque inſtanter cum Eugenio Pontifice pro mittendo pretio redemptionis. Fragmentum hic porrigo epiſtolæ ad eumdem Pontificem pro hoc negotio tunc exaratæ: *Poſtremo loco clementiam tuæ Sanctitatis exoro, ut Fratres illos ex noſtro Ordine, a tua Sanctitate ad grandia fidei negotia miſſos, ſed certa Teucrorum captivitate interceptos, & interceptione ipſa captivos, Beatitudo tua non exiſtimet relinquendos. Venit autem mihi in mentem, Petrum illum, qui pridem profecturus erat in Græciam, pro illorum ſalute, qui jamdiu ad fidem noſtram ſuſpirant, pluſquam diei a me poſſit, futurum idoneum ad Fratres prædictos e manibus Teucrorum eripiendos, cum & linguam illorum infidelium probe calleat, & in eiſdem provinciis pariter habeat parentes captivos. Tantum illi adſit idonea facultas pecuniarum: quas nec multas oportere eſſe exiſtimo, cum magis ingenio & aſtu quodam divinæ providentiæ, quam magno ære captivos illos arbitrer liberandos. Dominus te tueatur Omnipotens, Beatiſſime Pater. Ex Venetiis* XXIV. *Octobris* MCCCCXLIII. Deinde aliis litteris ſignificavit ſupereſſe comitiis Patavinis quingentos aureos, eoſque mitti poſſe pro illorum Fratrum redemptione. Annuit Eugenius, adjecta majori ſumma, quam Albertus tranſmiſit ad mercatorem illum Cyprium, de quo ſupra dictum eſt, Joannem de Martinis, & hic per Presbyterum Joannem de Maroſtica curavit in illum transferri locum, quo Fratres detinebantur captivi: ſolutis quadringentis aureis, incolumes ipſe duxit in Italiam, dolentes tamen quod non ſint inventi digni pro Chriſto Martyrium pati.

Hoc anno n. 25.

E captivitate regreſſus redit in provinciam Pennenſem.

XXXVI. Romam pervenientes, fuerunt benigniſſime a Pontifice recepti, acceptiſque variis indulgentiis & Apoſtolica benedictione, Thomas rediit in provinciam Pennenſem, ubi ferme reliquam vitæ partem tranſegit, in Montis-Plani devoto cœnobio. In illo ſacello ſacrorum ſtigmatum, ab eo, uti diximus, ædificato, Eremiticam agebat vitam, & rigoroſum Quadrageſimale, hoc anno, uti narravimus, in pane & aqua abſintbii peregit jejunium, concurrente undique populo ad famam ſanctitatis & miraculorum, quæ patrabat. Acceſſit etiam ex Fratrum tironibus unus, de rebus ſpiritualibus locuturus; eoque finito colloquio, cœpit columbina ſimplicitate novitius interrogare, quæ & quanta paſſus ſit in illo itinere Æthiopiæ? Narravit ille multa; & dum cuncta in memoriam revocaret, cogitaretque quanto ſuo dolore inter tot oblatas occaſiones, Martyrii corona deciderit, & quam præ manibus ſe habere putabat, omnino evanuerit, novo exardeſcens deſiderio pro Chriſto patiendi, cœpit vultu ignire & vehementer clamare: deinde ex tu-

Etiam in ſenectute deſiderio fervet Martyrii.

tuguriolo proſiliens & per montem deſcendens, ex declivii medio verſus Fratrum Cœnobium per aera volavit, movens tamen pedes & baculum arundineum, quo ſenilia membra regebat, tamquàm ſi progreſſivo motu ſuper terram ambularet, conſolidante Domino aerem ſub pedibus ejus, qui Petro virtutem dedit ſuper vortices marinos gradiendi. Viderunt Fratres, qui præ foribus templi ſtabant, per aera volantem, occurenteſque in terra poſitum interrogarunt, quo tam velociter properaret? Quibus ille: *Ortonam, ut conſcenſa nave ad infidelium pergam regiones, pro amore meo moriturus*. At illi: *An non ſcis, cariſſime pater, ad eas partes nulli transfretare licere abſque ſummi Pontificis licentia? Ita ne?* inquit, *ſed & ego Romam pergam, ſi Superioribus placuerit, hanc gratiam impetraturus*. Obtentis Guardiani facultate & ſocio, protinus abiit, toto itinere de Martyrum gloria & felicitate ſemper ſermones immiſcens.

XXXVII. Tamdem prope terminos regni Neapolitani, gravi correptus infirmitate, deductus eſt ad cœnobium Fontis Columbæ; ubi, ingraveſcente morbo, a viris nobilibus Reatinis, qui viſum venerant, commode ductus eſt in Urbem ad Conventum ſancti Franciſci, opportunius medicos & reliqua neceſſaria habiturus. Superavit tamen mala ægritudinis affectio medicinæ virtutem, completiſque in eo cunctis Chriſtiani & religioſi hominis officiis, ſanctiſſime obdormivit in Domino. Obſervantiæ regularis profeſſores corpus repetierunt, ad ſuum Cœnobium deferendum, ſed negarunt Patres Conventuales, neque Cives permiſerunt ſe hoc inſigni theſauro privari. Dies multos inſepultus patuit civium & vicinorum populorum pietati, turmatim confluentibus undique viris & mulieribus ad ſacri corporis venerationem. Honorifico donatus ſepulcro, magnis clarebat miraculis; iiſque adeo frequentibus, ut ſancti Bernardini, cujus recens erat memoria, & gloria miraculorum illuſtris, nomen & devotio aliquantulum imminueretur, & retardari videretur canonizatio; præſertim cum non defuerit, qui Pontifici ſuggereret, maturius in hac re agendum eſſe, nec facile concedendum eſſe Bernardino, quod huic æque videbatur deberi, niſi ad utriuſque apotheoſim ſe vellet accingere. Hæc audiens beatus Joannes Capiſtranenſis, qui indefeſſe laborabat pro Bernardino, ad Thomæ abiit ſepulcrum, præcepitque ne ulla deinceps patraret miracula, donec Bernardinus hac gloria præiret. Res mira! ceſſavit ab omni opere miraculoſo per annos quatuor, donec Bernardini peracta eſt canonizatio. Deinde, imperante Miniſtro provinciæ Romanæ, cœpit reflorere mirandis operibus, magna Reatinorum exultatione, qui primum ab eo perpetratum miraculum campanarum tinnitu, variiſque lætitiæ indiciis ſolemniter celebrarunt, & quotannis commemorant. Illud fuit: Antonius piſtor ligna cædens, digitos tres dextri pedis abſcidit. Collectos propria manu ad viri Dei ſepulcrum duxit, pedi adjunxit, rogavitque beatum Thomam, ut juberet adhærere. Protinus digiti duo ſanati ſunt, tertius in ſignum accepti vulneris aliquanto læſus remanſit.

Ægrotus ducitur Reatim.

Pie moritur.

Multa patrat miracula.

Pie prohibet Capiſtranus.

XXXVIII. Reliqua ejus miracula mira perierunt incuria. Non contemnendum illud; quod, fluvio excreſcente, urbem inundante, & arcam, in qua jacebat corpus, vetuſtam per dies aliquot obruente, corpus ipſum integrum, ſiccum & illæſum abſque ulla offenſione aquarum inventum ſit. Hinc permoti quidam nobiles ac pii cives, egregium ei poſuerunt ſacellum, & in ſacelli medio marmoreum ſepulcrum, inſtar altaris, e terra elevatum, crate ferrea munitum, ubi magna in hunc diem colitur veneratione. An. MDXIV. egerunt communi conſilio Reatini de promovenda ejus canonizatione, injuncta cura & legatione illuſtri viro Franciſco Euſebii; cujus nepos, frater Joan-

Magna habetur veneratione.

Vitæ ſcriptores. Joannes Baptiſta Euſebii, Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ, Viri ſancti vitam compilavit. Eamdem ſcripſerunt Marianus Florentinus, Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus, & Petrus Marinus Morellus Leoniſſanus, qui in principio vitæ a ſe compoſitæ, ita præfixit.

Volvere quiſquis amat ſancta & pia facta virorum,
Hoc oculis, animo, mente revolvat opus.
Mirifica eſt vita, & totum memoranda per orbem:
Linaris divi continet acta Thomæ.

Ejus diſcipuli. XXXIX. Diſcipulos habuit Vir ſanctiſſimus præ reliquis illuſtres, beatum Antonium a Stronconio, Polydorum, quem dixi, Romanum, Lanceslaum Hungarum Regio ſanguine natum, Joannem Riccium, bis Vicarium provinciæ Etruſcæ, Clementem de Capponibus, Dominicum de Campis, Gaſparem, Angelum, Illuminatum, Matthæum Florentinos; Silveſtrum a Radicondolo inſignem in univerſa Italia prædicatorem; Marianum Cluſinum etiam egregium concionatorem; Antonium de ſancta Regina, Philippum, Benedictum, Marcum Maſcainum Senenſes; Michaelem de Maſſa, Leonem de Petra de Bagno-Corſus, Michaelem Volaterranum, Juniperum & Maſſæum de Terracina, Georgium de Herbalio Picenum, Petrum de civitate Pennæ, & Joannem Lombardum, viros utique probatæ virtutis & pietatis, præter alios multos minoris notæ ſectatores.

Ejus Frater pius Tertii Ordinis. XL. Fratrem etiam habuit germanum Tertii Ordinis profeſſorem, qui in paternis ædibus Florentiæ, in ingreſſu pontis Rubacontis, prope Eccleſiam ſancti Georgii in platea, ut ſupra diximus, Morzana, vitam duxit ſanctiſſimam. Diffuſa ejus fama, multi ei adhæſerunt, quos in prædicta domo piis imbuebat diſciplinis. Multiplicato numero, dono accepit hoſpitale de Cippo, a fratre Nicolao de Uzano conſtructum curandis Fratribus infirmis Conventus Feſulani, qui dum Cœnobium obtinuerunt ſancti Salvatoris, ſuperfluum hoc xenodochium neglexerunt. Aliud etiam domicilium acquiſierunt hi Tertiarii Eremitæ in monte Feſulano, vulgo nuncupatum *la Doccia*, de quo jam egimus; eoque poſt aliquot annos relicto, aliud poſuerunt prope muros Florentinos, ſub invocatione ſancti Archangeli Raphaelis, a quibus tranſivit poſtea ad Amadeos Fratres. Geſta hujus Viri perierunt & nomen; neque alio audiebat in populo, quam *fratris Peccatoris*, quo propter humilitatem ipſe delegit appellari. *Tom. 9. an. 1414. n. 13.*

Tom. 9. an. 1406. n. 4. & ſeqq. Surius 6. Martii. Marian. lib. 5. cap. 14. Marc. 3. p. l. 3. c. 29.

B. Coletæ fervor in ſenectute. XLI. Hoc anno beata Coleta, cujus geſta alias narravimus, in Bethlehem ſui Inſtituti Monaſterio Gandavenſi migravit ad Dominum. Illa, cum ſexageſimum ſextum ætatis compleſſet annum, ut perfectiſſimæ perſeverantiæ coronam poſſet adipiſci, tametſi corpore valde debilis & exhauſta, tum propter ſenium & incommodam valetudinem, tum propter graves dolores, quos tulerat & quotidie patiebatur ferme intolerabiles; attamen ita ſe parabat, tamquam jam ab integro vellet inchoare bene agendi ſtudium, perinde ac ſi robuſto eſſet corpore, nec quidquam unquam recte & præclare geſſiſſet. Numquam itaque recuſavit laborem, nec deſiit ſe promptam offerre ad colligendas vires, quantumvis eſſet laboribus fracta & variis defeſſa pœnis, ut totam ſe impenderet, ubi id Dei amor & ſalus animarum poſcere videretur. Sæpe numero ab aliquo profectura Monaſterio ad exequenda opera pietatis, tam cernebatur imbecillis, ut vix ſuſtinere ſe poſſet, nec breve ſpatium viva confectura putaretur: at nihilominus ſuſcipiebat illa labores & dolores propter amorem Dei, ajebatque ſe paratam eſſe mori, prout Domino viſum eſſet, ſive in agris ſive in pagis. Cumque ejus comites plerumque adeo laſſarentur ob nimios labores, ut ægre reſpirare poſſent,

ſent, illa ſola permanſit alacris, vivax, conſtans & infatigabilis, non aliter laborans, Chriſti cauſa, quam ſi eſſet plane recens & firma valetudine; nec quoad vixit, vineam Domini colere ceſſavit, graviterque & perſeveranter multos exantlavit labores, donec ad optatum finem eumque clariſſimum pervenit.

Prædicit obitū.

XLII. Cum autem vitæ ſuæ finem illa prædixit, dicens ſe biennio non ſupervictnram, quod etiam ſic accidit. Tamdem tribus fere ante obitum ſuum ſeptimanis expreſſe ait, ſe migraturam ad Dominum: & cum ad ſe accerſiviſſet Sorores, hortabatur eas ſingulari animi affectione & ſtudio, ut eſſent veræ & perfectæ Monaſtici Inſtituti cultrices, Deum timerent & amarent præ omnibus, Canonem ſive regulam obſervarent, itemque declarationes illius, redderentque fideliter Domino quidquid ei voviſſent. Cumque hæc & multa alia ſalutaria dixiſſet, ſubjunxit: *Non eſt, quod putetis me in deceſſu meo quidquam dicturam vobis; nihil tum ex me audietis*. Deinde dixit Confeſſario ſuo: *Pater, quidquid ego in reformando ſancti Franciſci Inſtituto feci, Dei nomine id feci: & licet magna ſim ego peccatrix, & tota vitiis obnoxia, attamen ſi denuo mihi facienda eſſent ea, quæ feci, non video, quemadmodum ea aliter facerem, atque feci*. Inde menſis Februarii die XXVI. qui fuit Dominicus, mane confeſſione facta, ſub ſacrificio Corpus Chriſti ſumma devotione ſuſcepit. Sequenti nocte venit ad eam ſingulari quadam benevolentia Dominus Jeſus: poſt quam apparitionem illa inſtar infantis nihil jam curabat res mundanas, ſoli Deo vacans, ore vel mente illum deprecans. Poſt accidit ei inſolita quædam debilitas, quæ Confeſſarium ejus timentem ne moreretur, eo permovit, ut extremam-unctionem ei adhiberet. Deinde legit apud illam paſſiones Chriſti, quibus abſolutis advertit nondum adeſſe ſupremum vitæ tempus, itaque receſſit ab ea. Altera die ad ejus venit oratorium, ſacrificium pro more coram illa facturus, reperitque illam optime conſtitutam, perinde ac ſi eſſet incolumis. Mirabatur autem unde tam cito eſſet reſtituta, ſciens abſque ſpeciali gratia Dei id fieri non potuiſſe. Tum vero ſacrificium illa reverenter audivit, & Chriſti corpus cum multis lacrymis adoravit; idem faciens ejuſdem reliquis diebus hebdomadæ.

Suas diſcipulas hortatur ad chariſmata meliora.

Apparet ei Chriſtus.

Parat ſe ad diſceſſum.

XLIII. Eſt autem notatu dignum, poſt eam, quam diximus, apparitionem, quatuor accidiſſe ſane memorabilia. Primum eſt, pœna quædam gravis & inſolens, quæ uſque ad ſupremnm ſpiritum perduravit. Alterum, quod non niſi ſolis precibus deinceps voluit occupari. Tertium, quod ſingulis diebus Miſſam cum multa devotione & reverentia auſcultavit. Quartum, quod licet ex oratorio non exiret, tamen perſpicue novit omnia, quæ in Monaſterio gererentur. Confeſſarius cum ſocio, nolens eam, ſe abſente, ſpiritum reddere, venit ad Monaſterium, quod illa, nemine indicante, illico cognovit. Ad veſperam ſextæ feriæ comiter & conſolatorie loquebatur ad Fratres, Sabbato poſt ſacrificium, petita ab eis copia, & peractis precibus, celeriter abiit ad cubile, Crucis ſigno ſe conſignans, aitque: *En extremum cubile*; deinde in illo ſe repoſuit, veſtita more ſuo, ſibi ipſi imponens nigrum velamen, quod a Pontifice acceperat, dum primum profeſſionem fecit. Mox clauſit os & oculos, deinceps non aperiendos; licet interim omnia noſſet, quæ foris agerentur. Pro quodam enim levamento attulerunt ei pulvinar, quod illa rejecit. Quadraginta octo horis ſic manſit in lectulo, nihilque neque loquens, neque videns, neque ullum vel geſtum vel ſignum, ulla corporis parte edens, ſed ſummam præ ſe ferens honeſtatem & ſanctitatem, nihil mutato colore in illo dolore, quo tunc cruciabatur.

Moritur ſanctiſſime.

tur. Inde ſexta Martii die, hora octava ante meridiem, cunctis Gandavenſis Monaſterii Sororibus præſentibus, itemque ejus Confeſſario & ſocio Fratre, clauſit extremum vitæ tempus, anima ſanctiſſima ſuaviter a corpore recedente, & recta ad Deum Creatorem ſuum proficiſcente. Color autem, qui fuit in ea decedente, perduravit horis duodecim, inde ſubito corpus ejus mutatum eſt in pulchritudinem admirandam. Erat enim inſtar nivis candidiſſimum, venis colore cæruleo elegantiſſimo paſſim apparentibus: membra omnia formoſiſſima viſebantur, & quæ poſſent facile inflecti, odorem mirificum ex ſe diffundentia, ita ut plane in eis innocentiæ ſtatus & omnimoda puritas reluceret. Iis adeo permoti fuere plurimi, ut ſupra triginta hominum millia ad eam viſendam confluxerint. Tertio ab obitu ſuo die, humatum eſt virgineum illud corpuſculum, ſed, ut ipſa juſſerat, in ſumma paupertate & abſque ullo operimento, ſicuti Chriſtus nudus in cruce pependit.

Angeli in ejus morte concinūt.

Quibuſdam apparet Sororibus.

XLIV. Ea hora, qua migravit, in quibuſdam Monaſteriis, quæ illa ſpeciali erat amore proſecuta propter majus ſanctæ paupertatis ſtudium, auditæ ſunt voces longe ſuaviſſimæ cantantium Angelorum, e quibus una ſic a nonnullis dicere audita eſt: *Venerabilis ſoror Coleta migravit ad Dominum*. In quodam Monaſterio ejus, Soror quædam præ ceteris amabat Coletam. Huic illa moriens ante mediam noctem apparuit in regione longinqua moranti, in forma pulcherrima & ſplendidiſſima; ſed ob nimiam claritatem faciem ejus videre non potuit. In alio Monaſterio procul remoto, Soror quædam ſummopere cupiebat videre eam, multaſque fundebat ad beatiſſimam Mariam preces, ut per eam poſſet compos fieri voti ſui. Putabat enim, ſi vel una hora vidiſſet eam, id ſibi ſemper profuturum. Ea igitur nocte poſtquam obiit Coleta, vidit ſpecioſiſſimam quamdam & venerabilem Dominam, cujus pulchritudo nullis poſſet verbis explicari. Ejus facies prorſus luculenta fuit, inſtar criſtalli Soli appoſitæ; porro ter per oratorium deambulabat, ſequebaturque eam puer elegantiſſimus, facie æque lucida, ſemel atque iterum ſic dicens: *Ecce ſoror Coleta, Ecce ſoror Coleta*. Tum vero Soror hæc videns & audiens, miro fuit perfuſa gaudio, quod cerneret eam, cujus viſendæ ſummo flagraſſet deſiderio: cumque vellet ceteras inclamare Sorores, non potuit vocem exprimere. Putabat autem velle eam viſitare Monaſterium: dictum enim erat ei adhuc novitiæ, quod etiam in ſpiritu viſitaret Monaſteria. Poſtquam vero ad dormitorii fores venit, illa evanuit. Eodem die, eo ipſo tempore, quo Coleta deceſſit, Soror hæc ſola ingreſſa eſt in oratorium, Domino preces oblatura: cumque ſe ſubmiſiſſet in genua, mox audivit voces altas & claras grandis multitudinis, quibus ſuaviores in hoc mundo percipi non poſſent; ſublatiſque in cœlum oculis, vidit faciem luculentam, quam nocte viderat, in medio tam dulciter canentium. Etſi autem nihil horum intelligeret, pie tamen credidit eſſe eam Coletæ lucidiſſimam animam, quam Angeli in cœlos deducerent. Aliis quoque duabus per viſum oſtenſa eſt anima Coletæ, cum multa gloria & reverentia a Sanctis & Angelis frequentiſſimis duci in cœlum, multis eam ſequentibus animabus, quas, ut altera ex iis vidit, illa ſuis meritis & precibus e Purgatorii pœnis liberarat, hactenus ibi detentas.

XLV. Multas Coleta animas ſuis precibus excitavit a morte peccati, multos corpore mortuos revocavit ad vitam. Utrumque divinæ virtutis eſt opus, ſed præſtantius illud quo reviviſcunt animæ. Poſſent commemorari plurimi etiam non vulgares, quos Coleta reduxit ſuis interceſſionibus a morte culpæ ad vitam gratiæ: ſed jam de illis agemus, quos corpore mortuos

tuos excitavit. Filia cujuſdam Viſontienſis mortua ante Baptiſmum, allata fuit in templum a parentibus, quod ſperarent eam vitæ reſtitutum iri. Sed cum cernerent vere mortuam, eam reportarunt illico abſque Baptiſmo, & Coletæ precibus obnixe commendatam, quandoque ejus velo fidenter involuerunt, & in templum attulerunt. Et ecce revixit infantula, & ſalutari expiata lavacro, Coleta appellata eſt; & poſtea Coletæ matri oblata, vitam Monaſticam profeſſa eſt, vivebatque eo tempore, quo Juliacenſis acta ſcribebat Coletæ, & appellabatur ſoror Coleta de Pruceto. Mortuos reſuſcitat.

XLVI. Eidem ſcriptori affirmabat Joannes Burſeti civis inſignis Viſontinus, ſe in juventute, meritis & precibus Coletæ, vitæ redditum, idque teſtabantur propinqui & amici. Infante quodam ſine Baptiſmo defuncto, valde doluit Coleta, juſſitque eum in prophano loco ſepultum, e monumento extrahi & ad ſe apportari. Factum eſt ut voluit, & illa pro infantulo orante, anima rediit in corpus, & baptizatus dimidio anno ſupervixit. Frater Franciſcus Clareti Minorita, annos amplius triginta fuit cum Coleta, multa ei & Monaſteriis ejus humanitatis, benevolentiæ & caritatis officia ex animo præſtans. Is in morbum incidit, & jam plane mortuus putabatur, & ille poſtea ſe mortuum fuiſſe affirmabat. Cum autem ſic eſſet vita functus, viſus ſibi fuit duci ad tribunal Chriſti pro captanda gratia & miſericordia; inde vero etiam duci ad beatiſſimam Dei matrem Mariam, tum ad Apoſtolos, ad Martyres, ad Confeſſores & Virgines. Omnium autem horum una ſententia fuit, reſtituendum illum Coletæ, cujus precibus corpus ejus revixit & ſurrexit. Vivebat hic, dum vitam ederet Juliacenſis.

XLVII. Permulti vero Coletæ precibus a mortis periculo ſunt liberati. Multi a morte liberati. Ægrotabat periculoſe quidam Pater, nec id ignorabat Coleta, in alio Monaſterio procul ab illo ſejuncta. Ut autem ei in extremo illo periculo ſubvenire facilius poſſet, ad Monaſterium ſe contulit, ubi ille decumbebat, cumque eo perveniſſet, reperit eum jam animam agentem. Mox ad ſupremum Medicum ardentiſſimis precibus confugiens, ab illo obtinuit, ut primo die jam meliuſculus eſſe inciperet, & paulo poſt adeo firmaretur viribus, ut cum Coleta ad Monaſterium, unde illa venerat, incolumis profectus ſit, ab ipſis mortis faucibus, ejus precibus ereptus. Monachus quidam, cujus opera Coleta utebatur, ex peſte laboravit, ita ut vita ejus plane deſperaretur etiam a duobus peritiſſimis medicis, qui certum etiam indicarunt tempus, intra quod neceſſario eſſet animam acturus. Coleta autem dicente, Deum eſſe natura ſuperiorem, reſponderunt illi, verum id eſſe, ſed niſi ille ſecus velit, fieri non poſſe, ut ultra tempus ab ipſis expreſſum, hujus lucis uſura fruatur. Orante vero Coleta, ille brevi evaſit incolumis, altero ex illis medicis moriente, diu altero ægrotante.

XLVIII. Comitiſſa Gebennenſis aliquando iter habuit propter aquarum inundationem ſane periculoſum: & ipſa tum equo inſidens, in profundam ingreſſa aquam, cum equo adeo ab oculis aliorum abrepta fuit, ut cum illo pariter ſubmerſa putaretur; ſed Coleta pro illa Dominum deprecante, ad terram abſque detrimento pervenit. Alios quoque duos, virum honeſtum & fœminam religioſam a tergo ejus equo inſidentem, in quodam flumine jactatos miſere, & jam pro ſubmerſis habitos, itidem ſuis precibus ad littus incolumes eduxit. Quidam Doctor Theologus ingreſſus aquam cum equo, venit ad foveam altiſſimam, unde quanto plus nitebatur ſe expedire, tanto mergebatur profundius. Videns ergo in ſummum vitæ diſcrimen ſe conjectum, nec ullum apparere modum evadendi, in Coletæ memoriam rediit, ejuſque ſuffragia fidenter imploravit, & ecce repente ſe cum equo ſentit littus

tus attigiſſe. Nobilis quidam Burgundus, Coletæ ex animo addictus, ab improviſo lapſus eſt cum equo in profundam foveam, omni ſpe ſalutis erepta. Deo igitur ſe commendans & precibus ac meritis Coletæ, itidem confeſtim ſe vidit ex aqua in terram translatum.

XLIX. His aliud adjicimus, quod ea defuncta contigit. Marchio Princeps cum primis generoſus & potens, miſit Gandavum Sacerdotem quemdam Joannem Moulines, qui de crebro, ejus nomine, inviſerat Coletam viventem. Venit autem is Sacerdos ad aquam valde profundam, quam nemo ſine præſentis periculi metu tranſire auderet. Id neſciens, ingreſſus eſt aquam, ſperans ſe facile ad pontem perventurum; ſed raptus impetu inundantis aquæ, laxavit equo habenas, moxque una cum equo ſe ſenſit in ima demerſum. Ocyus igitur his fere verbis Coletam invocavit: *Cum ego nunc veniam ad te viſendam poſt deceſſum tuum, mater glorioſa, itane hic moriendum eſt mihi?* Dixit, & res ſtupenda conſecuta eſt. Mox enim ſub pedibus ſuis ſenſit colliculum extare, numquam illic antea repertum, qui ſufficeret ipſum & res ejus omnes ſervare a ſubmerſione. In illo ergo perſtitit, donee nauta quidam cum navi ad illum pervenit, qui conſtanter aſſeverabat numquam eo loco colliculum fuiſſe.

Varia ejus miracula.

L. Multas etiam liberavit parturientes, multos mente-captos ſanavit precibus ſuis; in quibus fuit Stephana quædam amens & furioſa: quæ cum a marito ad Coletam perducta eſſet, Coleta eam objurgavit, aitque ea cauſa tam diro correptam morbo, quod peccata ſua confeſſa non eſſet; accitoque Confeſſario ſuo Henrico a Balma, voluit ut ei confiteretur, ipſa interim ferventer orante pro illa; ſicque plene convaluit. Quidam puer nobilis ex levitate percuſſus eſt in oculo & adeo vulneratus, ut illo deinceps nihil viſurus putaretur. Adductus vero ad Coletam, cum ea crucis ſignum oculo ejus impreſſiſſet, ſanus abſceſſit. Coleta ipſa dolores oculorum innumeros perpeſſa eſt, & ſæpe in eis graviter læſa. Accidit aliquando, ut quodam veſpere tam male affectus eſſet alter ejus oculus, ut impoſſibile videretur poſſe eam quandoque illo uti. Doluit ea res non mediocriter Fratribus & Sororibus, & ecce mane alterius diei oculus ille ſanus & integer apparuit. Mulier quædam nobilis, valde addicta Coletæ & Monaſteriis, filium habuit morbo comitiali horrendum in modum laborantem. Fuit id matri ejus moleſtiſſimum, neſcienti quid remedii adhiberet. Forte tum illac tranſibant Franciſcani quidam, ituri ad Coletam. Per eos igitur commendavit filium ſuum ſanctiſſimis Coletæ precibus, & confeſtim ſenſit miram animi conſolationem, ſpemque ſanandi propediem filii ſui: nec diu pueri ſalus dilata eſt. Vir quidam nobiliſſimus & vita integer & honeſtus, eodem morbo miſere vexabatur annis decem, nec ullum poterat inveniri remedium. Commendatus eſt tamdem precibus Coletæ, & pro illo ea orante, numquam deinceps ullam ſenſit ejus morbi infeſtationem. Soror quædam vel Monialis incidit in tantam amentiam, ut vinculis colligatam diligenter oportuerit cuſtodire. Quod cum non mediocriter affligeret reliquas Sorores, rogarunt Coletam, ut pro illa Dominum deprecaretur. Proxima nocte apparuit Coleta illi Sorori, obtulitque ei pomum exiguum, ſed valde elegans, perſuaſitque ut comederet illud. Comedit illa, & guſtu mirabili refecta, quam primum ſanata eſt. Altera die quæſivit ex illis, quæ eam cuſtodiebant, num Coleta ad Monaſterium illud veniſſet. Illis reſpondentibus eam Viſontii morari, ait ſibi ab ea exhibitum pomum pulcherrimum, cujus guſtu mox curata eſſet.

LI. Duxit aliqando Coleta Sorores quaſdam in Monaſterium recens ædi-

ædificatum. Venerunt autem ei ex devotione obviam Moniales quædam alterius Inſtituti. In iis una fuit excellens, ſed leproſa, quæ propter faciem morbo fœdiſſimo exeſam, non audebat ad Coletam propius accedere, & eam cum ceteris oſculari. Sentiens id Coleta, humaniſſime pertraxit eam ad ſe, eique oſculum impreſſit, & illa confeſtim ſanitati reſtituta eſt. Soror quædam Monaſterii Coletani, in quo tum Coleta degebat, a planta pedis uſque ad verticem capitis inflata erat & olebat peſſime, nec quidquam videre poterat. Ejus vicem dolens Coleta, cœpit eam crebro viſitare. Etſi autem nihil illa videret, ſenſit tamen Coletam ingredi propter odorem ſuaviſſimum, quo totum valetudinarium, ea veniente complebatur, alioqui illius fœtoribus abundans. Ea autem odoris ſuavitate, incredibilem percepit conſolationem miſera illa, & brevi integerrime curata eſt. Frater Petrus Golerii in Monaſterio Viſontienſi, tam graviter ex apoſtemate, guttur opprimente, decumbebat, ut poſtridie mane omnino moriturus putaretur. Supervenit autem frater Petrus de Oliaco Viſitator, qui apud ſe habebat capillos Coletæ, quos una cum regula ſanctiſſimi Patris Franciſci impoſuit illi ſic cum morte colluctanti, ſignum ſanctæ Crucis cum eis exprimens, & ſtatim apoſtema crepuit, & ille ſanus evaſit.

LII. Soror quædam Coletana laborabat non mediocriter adverſa valetudine. Eam Coleta, aliis Sororibus inde evocatis, in valetudinario clam inviſit, aitque illi: *Nihil hæſites, ſed ſpera in Domino; ego enim nolo ut jam moriaris*; rurſuſque clam receſſit, & illa repente ſe ſenſit morbo liberatam. Aliæ duæ Sorores ita ægrotabant, ut nullum eis poſſet reperiri remedium. Nihil prorſus edebant, & pro debilitate ſe ſuſtinere non poterant. Advenit eo Coleta, accepit panis fragmentum, mandebat illud dentibus ſuis, & inde ingerebat ori utriuſque. Quod cum illæ deglutiiſſent, illico ſanatæ ſunt. Alia Soror morbo contagioſo vexabatur in gena, nec quidquam ſumere poterat alimenti, nec ullo modo ei ſubveniri poſſe videbatur. Viſitabat tum illud Monaſterium Coleta; & cum ex poculo quodam biberet, illud hæc Soror admovit genæ ſuæ, & e veſtigio morbus abſceſſit. Alia quædam e familia Coletæ Soror, tantis cruciabatur capitis & cujuſdam morbi doloribus, ut quaſi furibunda videretur: cumque nulla ratione mederi ſibi poſſet, fidenti devotione impoſuit capiti ſuo ſudarium Coletæ, lacrymis ejus madidum, & actutum dolor evanuit. Item alia ex ejus Sororibus quidquid percipiebat alimenti, rurſus ſanguinis ſpecie per os rejiciebat, ac ſi alii meatus corporis obſtructi eſſent. Id Coleta ubi reſcivit, ejus miſerta ait ad illam: *Quid eſt hoc, quod tu facis? Ego vero nolo, ut deinceps ſi facias*. Eadem hora ſic illa reſtituta eſt, ut nullum ægritudinis illius veſtigium remaneret.

LIII. Quidam vir nobilis quartana febre totum annum laboravit. Cum autem Coleta veniret ad pagum, ubi ille degebat, ſui Inſtituti illic Monaſterium fundatura, ille, honoris & devotionis cauſa, ei proceſſit obviam, moxque ſenſit febre ſe omnino abſolutum. Cum aliquando Coleta, graviſſimo compellente morbo, ſe lavari permiſiſſet, aqua ejus loturæ clam ſervata fuit, quæ poſtea a multis diverſis morbis laborantibus hauſta, integram eis attulit ſoſpitatem. In quodam Monaſterio Coletæ fuit fœmina quædam ejus Monaſterii adminiſtra & familiaris, extrinſecus honeſta morum ſpecie, quæ tanta vi morbi correpta fuit, ut exanimis putaretur: ſed interim pejor erat animæ quam corporis conditio. Latebant enim in conſcientia ejus enormia quædam peccata, quæ numquam voluit confiteri. At ea perſpicue norat Coleta, & dolebat propterea vehementiſſime, Dominumque ſine intermiſſione deprecabatur, donec & anima & corpore reviſceret. Poſtea vero

ro omnem vitam ſuam religioſe & pie tranſegit, fugiens omne malum & bona quæque ſtudioſe conſectans.

LIV. Inter Fratres Coletæ familiares, inſignis quidam Pater fuit, Petrus de Oſiaco, Viſitator Monaſteriorum Coletanorum. Is ad ſexdecim menſes magno dolore capitis adeo afflictus fuit, ut cibum capere non poſſet, abſque cruciatu horrendo & ineffabili, ſæpiuſque a menſa ſurgens, ambularet in horto miſere clamitans & ejulans, nec poſſet reſpondere, ſi quis ei loqui vellet. Cruciatus autem ille noctibus duplo major erat quam alias, cogebaturque ſurgere e lecto, & per domum, per virgulta, aliaque curſitare loca, licet id nihil ei conferret. Interim tamen ferebat omnia patienter, & ardenti animo Dei opem implorabat, & beatiſſimam Chriſti Matrem rogabat, ut per Coletæ merita aliquod levamentum obtineret. Cum autem nocte quadam eſſet in Monaſterio Viſontienſi, vidit in viſione ſe eſſe in ſacello Oratorii Gandavenſis, ibique vocari ſe blanditer a Coleta, ea voce, forma & habitu, qua ſolebat eſſe cum viveret, ſed ita tamen, ut jam luculenta, & cum primis ſpecioſa & jucunda videretur, ipſumque conſolaretur peramanter & humaniter. Unde ipſe expergefactus, comperit ſe plane ſoſpitem, ſanum & jucundum, nec ullum dolorem poſtea expertus eſt.

LV. Una ex Sororibus ſpecie quadam leviori apoplexiæ correpta in die Pentecoſtes, beatam Coletam oravit, ut ſanitatem totius corporis uſu deſtitutæ impetraret; & ſtatim, cunctis admirantibus, convaluit. In civitate Trojæ in Gallia vir nobilis, qui beatam Virginem hoſpitio ſolebat accipere, eidem commendavit filium puerulum, morbo regio laborantem, ruptoque brachio dolentem, & repente utroque malo liberatus eſt. Paulo poſt ejuſdem domus, Coletæ patrocinio, incendium evaſit. Quædam ex Sororibus illius meritis ab ardentiſſima febre, alia a vehementi cordis paſſione, a totius corporis dolore & moleſto apoſtemate ſanata eſt. Dæmonem fugavit, qui Sorori alteri per annos quatuor multam inferebat moleſtiam, & ſomni tentationem inter preces matutinas, nec non aliquando in ſpecie canis rabidi ignem evomentis apparuit. Ab altera, Coletæ invocato nomine, receſſerunt dæmones multi ululantes, & ingentem incutientes timorem. Et in Comitatu Callarii quidam vir nobilis gravi oppreſſus morbo, animam acturus, implorato a circumſtantibus Coletæ auxilio, mirabiliter priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati. Alia multa hujuſmodi miracula per ſuæ ancillæ merita operatus eſt Dominus, per quæ & illius ſanctitatem probatam voluit, & ſuam agnoſci potentiam.

LVI. Præclariſſima fuit hæc ſanctiſſima Virgo, operibus & virtute illuſtris, præſertim in Gallia, Germania & Belgio. Comites de Armeniaco omnem ſuam præſtiterunt opem viventi, & poſt mortem in ſe ſuſceperunt tutelam Monaſteriorum, vel ab ea conditorum, vel ad normam regularem reſtitutorum, ut ex multis, quæ dabimus, monumentis Pontificiis conſtabit. Voluerunt ipſam, & quæ regebat Monaſteria ſuo ſubdere regimini Vicarii Generales Obſervantum, at illa Miniſtri Generalis ſe noluit ſubtrahere imperio, vel quod ita exactius ſe putaret divi Franciſci mandata obſervare; vel quod ita facilius ſe putaret inchoatam proſequi poſſe reformationem.

Ejus vitæ ſcriptores.

LVII. Ejus vitam ſcripſit Latine Stephanus Juliacus, Ordinis Minorum, Theologus Pariſienſis, auctor coævus, quam, mutato ſtylo, Laurentius Surius in compendium redegit; Hiſpanice, Marcus Ulyſſiponenſis; Gallice, Petrus de Annalibus, ejus & Ordinis Coletanarum Confeſſarius; Flandrice, Oliverius de Langhe Prior ad ſanctum Bavonem; Carmine eam ce-

celebravit & geſta narravit Eligius Eucharius, cum vitis aliquorum Sanctorum Gandavenſium. Excuſus eſt liber Pariſiis anno MDXI. De ea brevius agunt Marianus Florentinus, Franciſcus Gonzaga, Petrus Rodulphus, Joannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Aubertus Myræus in Faſtis, Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ, & in hiſtoria Gandavenſi.

LVIII. Ejus reformatio longe lateque propagata eſt, non ſolum per Galliam, Germaniam & Belgium, verum etiam in Hiſpania; ubi duodecim ejus diſcipulæ Monaſterium condiderunt Gandiæ in regno Valentino, & ex his binæ duo alia in Luſitania, Ulyſſiponenſe Matris Dei, & Setubalenſe alterum, à *Jeſu* nomine nuncupatum, & aliæ alibi plura fundarunt. Per Galliam & Belgium hæc reformata ſunt: Biſuntinum ac Poligniacenſe, in Burgundia Hiſpanica; Gandenſe ac Brugenſe, in Flandria; Atrebatenſe & Heſdinenſe, in Arteſia; Cameracenſe, in provincia ejuſdem nominis; Ambianenſe & Peronenſe, in Picardia; Rhotomagenſe, in Normannia; Muſſipontanum, in Lotharingia; Nannetenſe, in Britannia minore; Dienſe, Dauronenſe & Surrenſe in Delphinatu; Chamberienſe & Aneſſiacenſe in Sabaudia. Ejus reformatio late propagata.

LIX. Multa ait Molanus ſe vidiſſe Gandavi de ejus vita, miraculis & inſtituto publica & authentica Prælatorum inſtrumenta, qualia nuſquam in Belgio de quoquam Sancto extare putat; narratque in memoriam hujus virginis VI. die Martii, qua deceſſit, abſtineri ab opere mechanico, & ejus nomen legi in Litaniis. De illius canonizatione actum eſt ſub Alexandro VI. & Julio II. ſed propter bellorum tumultus & temporum calamitates, nihil potuit tunc concludi. Gericus Minorita, celebris Theologus & Eccleſiaſtes, dum Belgica quædam ſui Ordinis negotia Romæ obiret, a Pio V. expetiit, ut omnibus Coletanis liceret ejus feſtum celebrare. Cui Pius, optimus Pontifex reſpondit: *Habeam aliqua eorum, quæ dicis documenta, & libenter tuo, Virginumque ſacrarum deſiderio hac in parte ſatiſfaciam.* Itaque documenta multa collecta ſunt, & a Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandavenſi, ſuo ſigillo & ſecretarii manu conſignata, & Romam tranſmiſſa; at non niſi poſt mortem Pii pervenerunt. Tandem Clemens VIII. indulſit, ut Gandavi a ſuis officio Eccleſiaſtico coleretur, quod ad alia ejuſdem Inſtituti Cœnobia Belgica Paulus V. anno MDCX. extendit. Utrumque diploma hic exhibemus. Corpus virgineum ex cœmeterio, ubi ſe juſſit ſine exequiarum apparatu ſepeliri, ad digniorem locum elevatum eſt intra clauſuram anno MCCCCXCII. & deinde anno MDXXXVI. peculiari ſacello donatum per Nicolaum Epiſcopum Sareptanum, ejus nomini dicato. Exhibentur memoriam ejus viſitantibus chlamys, veſtis & cingulum, quibus uti ſolebat. Ex aqua denique beatæ Coletæ febricitantes ſæpe conſolationem accipiunt. Quanta in veneratione habeatur.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Claræ Gandaven.

LX. *Dilectæ in Chriſto filiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Piis ac devotis ſupplicationibus, veſtro nomine humiliter nobis porrectis, inclinati, veſtræque ſpirituali conſolationi ac devotioni, quam erga beatam Coletam olim veſtri Ordinis Monialem, cujus corpus in Eccleſia ve-* Ex reg. Ordinis. Ut liceat Sororibus Gandaven. recitare officium de B. Coleta.

veſtri Monaſterii requieſcit, ac multis miraculis, quæ Omnipotens Deus, ad ejuſdem beatæ Coletæ interceſſionem, ut pie creditur, operari dignatur, ſicut ad nos fide dignorum virorum relatione perlatum eſt, clarere dignoſcitur, gerere comprobatur, benigne proſpicere volentes; ex voto venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus & cæremoniis deputatorum, vobis, ut officium in honorem ejuſdem beatæ Coletæ ex communi unius Virginis, anniverſario die ejus obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in veſtra Eccleſia in illius honorem, pariter de communi unius Virginis celebrari facere libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus & indulgemus; voſque officium hujuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi officii divini ſatisfacturas eſſe declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXVII. *Novembris* MDCIV. *Pontificatus noſtri anno* XIII.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ibidem.

Extenſitur indultum ad reliqua Monaſteria Belgii.

LXI. *Alias fel. record. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter ſupplicationibus dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, Gandaven. inclinatus, de conſilio venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, S.R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus & cæremoniis tunc deputatorum, ipſis Abbatiſſæ & Monialibus, ut officium in honorem beatæ Coletæ de communi unius Virginis, anniverſario die ejus obitus, ſingulis annis recitari, & eodem die Miſſam in earum Eccleſia in illius honorem, pariter de communi unius Virginis celebrari facere, libere & licite valerent, auctoritate Apoſtolica, licentiam conceſſit & indulſit; ipſaſque Abbatiſſam & Moniales officium hujuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi divini officii ſatisfacturas eſſe declaravit, & alias, prout in ipſius Clementis prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis, ſub Datum die* XXVII. *Novembris* MDCIV. *Pontificatus ſui anno* XIII. *expeditis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut nobis nuper expoſitum fuit nomine dilectarum etiam in Chriſto filiarum, univerſorum Monaſteriorum Monialium reformatarum, Ordinis ſancti Franciſci, in omnibus provinciis Belgii exiſtentium, ipſæ quoque pro ſpirituali earum conſolatione ac devotione, quam erga eamdem beatam Coletam ferunt, officium prædictum recitandi licentiam & facultatem ſibi concedi plurimum cupiant; Nobis propterea earumdem Monaſteriorum Moniales humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eaſdem Moniales ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, earumque ſpirituali conſolationi, quantum cum Deo poſſumus, benigne conſulere volentes, ac Monialium prædictarum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a Jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon prædictarum Clementis prædeceſſoris litterarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Riti-*

bus

bus & cæremoniis præpoſitorum conſilio, facultatem officium in honorem ejuſdem beatæ Coletæ de communi unius Virginis, anniverſario die ejus obitus, ſingulis annis, & in eadem die Miſſam in earum Eccleſia in illius honorem, pariter de communi unius Virginis celebrari faciendi, prædicti Monaſterii Abbatiſſæ & Monialibus a dicto Clemente prædeceſſore ut præfertur, conceſſam, ad omnia Monaſteria Monialium reformatarum Ordinis ſancti Franciſci, in omnibus provinciis Belgii, ubi ſunt Monaſteria ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ exiſtentia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium extendimus; necnon eorumdem Monaſteriorum Monialibus, ut in poſterum officium in honorem ejuſdem beatæ Coletæ de communi unius Virginis, anniverſario die ejus obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in earum Eccleſiis, in illius honorem, pariter de communi unius Virginis recitare libere & licite valeant, auctoritate & tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus & impertimur; necnon prædictorum Monaſteriorum Moniales officium hujuſmodi dicta die recitando, obligationi recitandi divini officii ſatisfacturas eſſe declaramus; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die 11. *Septembris* MDCX. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Marian. citatus. Jacobil. de SS. Fulgin.
Moritur Baptiſta Mons-Feltria. Qualis illa fœmina.

LXII. Deceſſit etiam hoc anno nobiliſſima heroina Baptiſta Mons-Feltria, Galeatii Malateſtæ, Piſauri Principis, conthoralis. Ultra generis nobilitatem clariſſima erat optimis moribus, Latinæ linguæ & humaniorum litterarum peritia. In hoc genere ita excelluit, ut coram Martino V. Pontifice & Sigiſmundo Imperatore, orationes habuerit diſertiſſimas. Prudentia in agendo & eloquentia in dicendo fulſit admirabili: erga ſubditos clemens, erga pauperes miſericors, erga omnes affabilis, omnium conciliavit benevolentiam. Eam digne commendat Jacobus Philippus Bergomenſis in ſuo opere, quod ad Beatricem Aragoniam, Boemiæ Reginam, dedit de Claris fœminis Chriſtianis. Cujus verba hic exſcribimus.

Bergomen. cap. 152.

LXIII. *Baptiſta, ejus nominis prima, natione Italica, Galeatii Malateſta, Piſauri, Flammineæque urbis Principis, illuſtris uxor fuit; quæ & prædictæ Mariæ Puteolanæ* (de qua ſcilicet antea locutus erat) *temporibus cum eſſet eruditiſſima inter fœminas ſui ſeculi, etiam ſingulari eloquentia plurimum inſignis & clara effulſit. Hæc in primis, cum Guidonis, clariſſimi Urbinatis Principis, ingenua eſſet filia, nulli ſui ordinis extitit poſtponenda, & potiſſimum quidem eximia pulchritudine & morum omnium probitate: quorum dignitate celeberrima inter alias evaſit. Cui plane non parvæ curæ aut ſtudii religio Chriſtiana erat, ineratque ei ingenium prope divinum. Ejus autem ſermo cultus erat, & oratio admodum compoſita, ſive vernacula lingua ſive Romana loqui decerneret. Quæ cum eruditiſſima ab omnibus eſſet exiſtimata, audientes eam proloqui, in admirationem ſui omnes facile convertebat. Nam & ſua admirabili eruditione & doctrina, ea anteire viros dicebatur. Unde quam plurimæ ejus circumferebantur orationes, tum Latinæ tum etiam artificioſæ, quas & ad Imperatorem Sigiſmundum, & ad multos Cardinales eam habuiſſe cum ingenti gratia, ferebatur. Sed neque Philoſophiæ omnino fuit ignara: quippe cujus multa extant argumenta, ad refellendos eos, quibus in Philoſophia cum ea fuiſſet diſputatio, aut in divinis cæleſtibuſque documentis. Unde pleraque edidit opuſcula, utpote,* de conditione fragilitatis humanæ *librum unum*; de vera religione *librum unum. Plurimas, etiam ad diverſos, diſertas & doctas ſcripſit epiſtolas:*

quæ

quæ cum elegantiam, tum puritatem ejus haud dubie declarant. Habuit & orationem ad Martinum V. P. M. in qua ſuum Pontificatum ab omnibus optatum, mirifice laudat, & illius Sacerdotii felicitatem ipſa ſua oratione, exquiſitiſſimis laudibus proſequitur. Cujus tantus fuit orationis ornatus, taleſque ſententiæ; ut ab ipſo Pontifice Martino magnificentiſſime fuerit laudata & commendata. Multa præterea alia præclara mulier hæc ſcripſit monumenta, quæ & legentes & audientes plurimum delectare videntur. Exiſtimata inſuper fuit memorabilis juſtitiæ fœmina, ſed & clementiæ & pietatis, & in omnes benefica & gratioſa; adeo ut & perſæpe mutuis epiſtolis ac aliis ſcriptis, a doctiſſimis ejus temporis viris, & inprimis a religioſiſſimo Presbytero Franciſco Petrarcha, etiam plurimum ſalutaretur. Cujus extat volumen, in quo ad capeſſenda bonarum litterarum ſtudia maxime illam adhortatur. Non eſt utique delectata hæc magnifica mulier Baptiſta ſumptuoſis ac pretioſis veſtimentis, ut quæ diceret, non in his poſitam eſſe mulierum dignitatem aut decus ullum. Sed ſuum potiſſime ſtudium omne in comparandis libris contulerat, & conſuetudine mulierum ſibi adſciſcenda, quæ ſcilicet virtute præſtarent, & omni morum honeſtate: in quo maxime poſitam omnis muliebris ſexus veram gloriam eſſe putabat. Mariti autem principatum rectius ac prudentius adminiſtrabat, quam maritus ipſe: quibus ex rebus factum eſt, ut in ſummo honore ſemper ab omnibus fuerit habita, & a cunctis tamquam communis omnium parens culta, & id tam ab alienis quam a ſuis ſubditis. Unicam in toto ævo edidit filiam, nomine Iſabetham, quæ & pulchritudine & ingenio matrem ipſam æquabat: quæ poſtea Camerinati Principi nupta fuit. Poſt viri autem ſui obitum, aliquot annos in viduitate vitam duxit cœlibem. Demum ſanctæ Claræ Religioni dicata, in cœtu ſacrarum Virginum, quod reliquum fuit ætatis, Urbano in Monaſterio egit; ubi per labores maximos, quibus religioni operam exactiſſime dedit, pro adipiſcenda cœleſtium vita, cum ſumma omnium benevolentia & exemplo, ex hac vita demigravit. Multis memorabilibus documentis, & vitæ ſanctitate, quæ ad recte beateque vivendum Chriſtianis omnibus documentum certum eſſe potuerunt, claruit. Quibus ex rebus merito hæc Baptiſta inter claras mulieres hoc in loco a nobis venit computanda.

Ann. 1419. n. 39. Ann. 1444. n. 59.

LXIV. Eam diximus Monaſterium fundaſſe Piſauri, ſub titulo *Corporis Chriſti*, & beatæ Felici Medæ ſolemnes celebraſſe exequias. Poſt aliquos annos a viri deceſſu, Fulgineum venit anno MCCCCXLV. & in Monaſterio ſanctæ Luciæ Monialibus nomen dedit, deinceps vocata Hieronyma. In ſumma humilitate & morum probitate omnibus cara, omnibus veneranda, ſecundo hoc Monachatus anno, relicto magno ſui deſiderio & virtutis opinione, religioſiſſime diem clauſit extremum.

Fr. Laurent. Epiſcop. Tricaricen. Tomo 10. anno 1435. n. 16.

Frat. Cornelius Clonferten.

Fr. Antonius Milevitan.

Fr. Joannes Caſtren.

Fr. Anton. Doren.

LXV. Hæ occurrunt hujus anni Epiſcopatuum proviſiones; frater Laurentius a Neapoli transſertur ab Eccleſia Puteolana, ad quam alias aſſumptum diximus, ad Tricaricen. in regno Neapolitano, ſub Archiep. Materano, per obitum Sabæ, III. Kal. Aprilis. Clonferten. inſtituitur Epiſcopus in Hibernia, ſub Archiep. Tuamen. frater Cornelius Omulalay, per obitum Thomæ de Burgo: *Divina &c.* XI. Kal. Junii. In actis Conſiſtorialibus habetur, ad hanc Eccleſiam electum fuiſſe fratrem Joannem With, olim Hiberniæ Miniſtrum, ſed reſignaſſe. Milevitanus ſub Archiepiſc. Panormitano, Antonius de Alagona, per obitum Jacobi, XI. Kal. Julii. Caſtren. in Sardinia, ſub Archiep. Turritano, frater Joannes Gaſto, alias Leuzol, per obitum Franciſci: *Apoſtolatus officium*, V. Non. Julii. Doren. in provincia Hieroſolymitana, frater Antonius, per obitum Petri, ejuſdem Inſti-

ſtituti, pridie Idus Julii. Glandaten. in Gallia, ſub Archiep. Ebredunen. frater Marinus, per obitum Petri, v. Kal. Auguſti. Demetrien. in provincia Laricen. frater Joannes de Porriaco, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Guillelmi: *Apoſtolatus officium*, Kal. Septembris. Solſitan. in Sardinia, ſub Archiep. Turritano, frater Garſias, derogando hac vice unioni factæ ejuſdem Eccleſiæ cum Dolienſi, x. Kal. Octobris. Almarien. titularis in regno Granaten. in Hiſpania, frater Alphonſus Pernas, ſacræ paginæ profeſſor, per obitum Fernandi: *Apoſtolatus officium*, xvii. Kal. Novembris. Buduen. in provincia Raguſina, frater Jacobus de Breberio, per translationem Joannis ad Curculen. & Stagnen. *Apoſtolatus officium*, eodem die.

Frater Marinus Glandaten.
Fr. Joannes Demetrien.
Fr. Garſias Solſitan.
Fr. Alphonſ. Almarien.
Fr. Jacobus Buduen.

LXVI. In Italia valde multiplicata ſunt hoc anno Religionis domicilia: fratri Chriſtophoro de Modoetia, Vicario Fratrum regularis Obſervantiæ provinciæ Mediolanenſis, conceſſa eſt facultas quatuor Cœnobia erigendi, ſive admittendi: *Inter cetera deſiderabilia*, vii. Idus Junii. Et ſimiliter fratri Antonio de Zetzina Vicario Obſervantum in provincia Januenſi, duo recipiendi: *Sacræ religionis*, vii. Idus Junii. Fratribus Conventus ſancti Pauli extra muros Bononienſes, de quo non ſemel ſumus locuti, propter loci ab urbe diſtantiam, & Fratrum infirmorum incommoditatem, indulſit, ut aliam domum intra civitatem, adjecto ſub invocatione ſancti Hieronymi oratorio, ſine campanis tamen & campanili, a piis civibus Andrea Battaglia & Baptiſta Magnavacca, prope capellam S. Mamæ erectam, poſſent admittere: *Sacræ religionis*, Nonis Martii. Aliam capaciorem, erecta etiam Eccleſia, ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ, eodem ferme loco, ſub Sixto IV. Fratres obtinuerunt, quod ſuo tempore referemus. Vicario Obſervantum provinciæ ſancti Antonii facultatem impertivit admittendi domum, ædificandam a quibuſdam piis viris oppidi Leonici, Vicentinæ diœceſis, in loco ſancti Danielis nuncupato, mille paſſus diſſito ab oppido, apud jura plebis Sanctorum Chriſtophori & Quirici: *Humilibus ſupplicum votis*, Kalend. Februarii. Paulo poſt conſtructum eſt affabre Monaſterium ſub ſancti Danielis invocatione. Apud Tarentum, magnæ Græciæ urbem vetuſtiſſimam, a Tarante Neptuni filio, ut fertur, conditam, Joannes Antonius Baucius Urſinus Tarentinorum Princeps, in Minores, præſertim Obſervantes, ſumme beneficus, hoc anno domicilium extruxit, ſancto Antonio ſacrum, quod infirmis curandis, & Fratribus junioribus in re Philoſophica inſtruendis deſervit. ,, Sunt ibidem duæ tabulæ lapideæ cum inſignibus ipſius Principis, Latinis, & Gallicis litteris
,, idem continentibus. Utræque tabulæ hoc idem ſonant. *Joannes Antonius de Baucio de Urſinis, Tarenti Princeps, Dux Barii, Licii Comes,*
,, *regni Siciliæ magnus Coneſtabulus &c. hanc conſtrui fecit Eccleſiam, ſub*
,, *vocabulo, & nomine beati Antonii anno Chriſti* MCCCCXLVIII. Altera
,, tertia tabula rudiores quoſdam habet verſus, idipſum ita ſignificantes.

,, *Hæc domus Antonio Patavino ſacra locatur.*
,, *Principe Joanne Antonio Dominante Tarenti*
,, *Sub quo Præſes erat fidus Nicolaus ibidem*
,, *De Cupreſſano Leonardo milite cretus*
,, *Mille quatercentum Sol aureus orbes*
,, *Arce ſub ætherea Chriſti quadraginta rotabat.*

,, Ab eodem Principe fuit conſtructum ſacellum ſancti Antonii, quod
,, ferreis cratibus voluit circumdari, ibique videtur ejus ſtatuta genu-
,, flexa.

Multiplicata domicilia Obſervantum.
Tom. 1. an. 1220. n. 17. & alibi.
Conv. Leonici. *Gonza. in Prov. S. Anton. Conv. 18.*
Conv. Tarent. *Idem in Provin. S. Nicolai Conv. 14.*
ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

LXVII.

Conv. Mortarii. *Idem in Provin. Mediolan. Conv. 11.*

LXVII. Extra muros Mortarii, in Inſubria, oppidi (ita dicti a Longobardorum cæde illata Deſiderio Regi per Carolum magnum Imperatorem) incolæ, collatis ex communi ære ſumptibus, domum Minoribus poſuerunt. Conſtruendæ cauſa fuit horrendum incendium, quo univerſa conflagrarunt, & ferme ter centum homines abſumpti ſunt. Ut peculiarem haberent apud Deum tutelarem, qui a ſimili infortunio in poſterum præſervaret, decreverunt hoc obſequio ſanctum Franciſcum devincire. Obtenta itaque a Nicolao Pontifice licentia, pro temporis facultate & rerum penuria, ſtatim ædificarunt domicilium in loco amœno, proceris arboribus circumcincto, prope Eccleſiam ſancti Michaelis, tunc etiam igne deſtructam, accedente conſenſu Bartholomæi Epiſcopi Novarienſis, & Præpoſiti Sancti Albini ejuſdem oppidi, Ordinis ſancti Auguſtini, ad quem collatio dictæ Eccleſiæ ſpectabat: *Piis ſupplicum*, VII. Kal. Septembris. Refectam ornatamque Eccleſiam prædictus Epiſcopus conſecravit, & arridente ſolo, excitanteque populi pietate, Fratres, variis piorum auxiliis, domum capaciorem auguſtioremque reddiderunt, ita ut optimis hujus provinciæ Cœnobiis poſſet comparari. Vigente demum in Inſubria bello anno MDLIX & timentibus oppidanis, ne hoſti ſuperventuro deſeruiret, maxima ex parte diruta eſt, & paulatim refecta, ad priſtinum aſpirat ſplendorem. In prima ſua conſtructione ſub hunc annum titulum obtinuiſſe *ſancti Bernardini*, Gonzaga commemorat, ſed hic titulus acceſſit poſt canonizationem ſancti Bernardini, quæ non niſi poſt triennium facta eſt. Olim ſuberat regimini hujus Cœnobii Monaſterium Clariſſarum ejuſdem oppidi, ſed ſub Clemente VIII. factum eſt juriſdictionis Epiſcopalis.

Conv. Capiſtrani. *Idem in Prov. S. Bernard. Conv. 16.*

LXVIII. Beatus Joannes Capiſtranenſis donaturus ſuos Conſodales domicilio in ſua patria, hoc anno illic prædicavit, excitavitque totius populi erga Minoritas devotionem. Communibus ſuffragiis decreverunt domum extruere; ſed dum de loco dubitatur, Vir ſanctus quadam die inter concionandum de hac re ſermonem inſtituens, videnſque in aperto campo, ubi ex roſtris dicebat, prætervolantes columbas, inquit: *Locus ille ædificando Monaſterio adjudicetur, in quo columbæ illæ requieverint*. Quibus poſt longum vagumque volatum ſubſiſtentibus, non longe a veteri caſtro, quod Deſiderius Rex ad expugnandas Fidenas, accolaſque infideles, conſtruxerat, & tunc ad Celani Comites ſpectabat, Leonellus Comes & Cobella conjux libentiſſime, in tanti patris gratiam, fundum conceſſerunt, ubi domus ſancto Franciſco ſacra ex communi oppidanorum ære conſtructa eſt poſt unum vel alterum annum; invenio enim in regiſtro ejus ſecundi Vicariatus Generalis pacta & concordata cum fabris, prædictum Conventum fabricaturis, ab eodem ſcripta die XXV. Julii anno MCCCCXLIX. in Conventu ſancti Franciſci de Oſeno. In Eccleſia ſacellum eſt ipſi Capiſtranenſi dicatum, in quo ejus imago graphice depicta eſt, & plurima miracula, præſertim circa energumenos, contingunt. Ibidem in quadam arcula diligenter aſſervantur omnes ejus ſcripturæ, jocalia, & Pontificia diplomata, a ſummis Pontificibus ad ipſum directa, quæ nos curavimus, reiteratis præceptis, in Urbem tranſmitti, extractiſque exemplaribus, fideliter reſtitui.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ Omittere non poſſum inſtrumentum ſive ſcripturam donationis pro Con-
„ ventu fabricando, quam prædicta Cobella, Joanni & univerſo ejus inſti-
„ tuto addictiſſima, fieri curavit. In ea conſpicitur fœminæ erga Deum
„ grata reverentia, & erga Joannem ſanctumque ejus Inſtitutorem inexpli-
„ cabilis affectus. Et ſi aliquanto longioris dabo partem præcipuam.

„ LXIX. *Cobella de Celano Comitiſſa Celani &c. Omnibus Chriſtifide-*
„ *libus*

,, *libus ſalutem æternam, & ſinceram in Domino voluntatem. Immenſa Dei*
,, *noſtri beneficia mente perſpicua recenſentes, quaſque, quales & quantas*
,, *gratiarum actiones debitas Altiſſimo referamus, nec mens noſtra debilis*
,, *concipere poteſt, nec lingua proferre, nec manus articulus deſignare; cum*
,, *tot & tanta jam priſtinis vetuſtiſſimiſque temporibus retroactis, noſtris*
,, *magnificis excellentibuſque prædeceſſoribus dona contulit ſucceſſive, no-*
,, *biſque pariter hac noſtra ætate fragili munera non mediocria præſtitit di-*
,, *gnative, noſtramque perſonam & ſtatum a multiplicibus periculis & di-*
,, *ſcriminibus dignatus eſt iteratis & frequentibus vicibus, non noſtris meri-*
,, *tis, ſed ejus exuberantiſſima bonitate liberare. Quare ad bonorum cunctorum*
,, *temporalium & ſpiritualium largitorem, noſtræ mentis oculum elevantes,*
,, *noſtrique ingenii aciem pro viribus erigentes, obnoxias nos ipſas recogno-*
,, *ſcimus & ſtrictius obligatas, avide cupientes, ſi non pares & condignas*
,, *quales debemus & tenemur, ſaltem impares & imbecilles cunctis diebus*
,, *vitæ noſtræ gratiarum actiones reddere immortales juxta puſillam noſtram*
,, *valetudinem & virtutem; & quas per nos ipſas condignas laudes exſolvere*
,, *non valemus, per ſuos devotos famulos, ſuoque cultui dedicatos anhelamus*
,, *perpetuis temporibus explicari; ferventi deſiderio intendentes, ad hæc poſ-*
,, *ſibiliter opem ferre, curam gerere, operam præſtare, necnon conſilium*
,, *æquanimiter & auxilium exhibere, optantes bona temporalia in æterna*
,, *præmia commutare. Unde, ad perpetuam rei memoriam, univerſis & ſin-*
,, *gulis Chriſtifidelibus, ad quos præſentes noſtræ patentes litteræ & præſens*
,, *authenticum privilegium pervenerit in futurum, harum ſerie notum faci-*
,, *mus & teſtamur, quod de licentia, beneplacito, liberaliſſima voluntate*
,, *magnifici & excellentis Domini Conſortis noſtri, Domini Leonelli Accloze-*
,, *mora, Comitis Celani, ſtrenuiſſimi militis, ac armorum Capitanei &c.*
,, *Venerabilis in Chriſto Pater & fideliſſimus orator noſter, ac ſollicitus pro-*
,, *motor ad exercitium virtuoſum, atque prædicator & exhortator noſter*
,, *ferventiſſimus & devotus ad capeſcendam gloriam ſempiternam, fra-*
,, *ter Joannes de Capiſtrano Ordinis Minorum, ſuffultus auctoritate Apo-*
,, *ſtolica nobis evidenter patefacta, recepit, ſeu recipi fecit quemdam novum* Capiſtrani encomia.
,, *locum ſub vocabulo Seraphici Chriſti Confeſſoris beati Franciſci, ſub cujus*
,, *vexillo & Ordine ipſe idem frater Joannes, in Obſervantia regulari pro-*
,, *feſſus, exhibet Altiſſimo famulatum, & ad quem glorioſiſſimum Chriſti*
,, *confeſſorem beatum Franciſcum devotionem præcipuam gerimus cordialem,*
,, *in pertinentiis terræ noſtræ Capiſtrani, in loco, ubi dicitur Palumbara,*
,, *apud monticulum Caſtri Veteris, ubi fertur ſereniſſimum olim Regem De-*
,, *ſiderium feciſſe fieri baſtitam, ad debellandum perfidos infideles & Sarra-*
,, *cenos inhabitantes in antiqua Civitate, quæ Fidena tunc temporis diceba-*
,, *tur. Nos itaque ad proſecutionem atque perfectionem dicti loci, Eccleſiæ*
,, *& domorum cum neceſſariis & congruentibus officinis, ad uſum & habi-*
,, *tationem Fratrum dicti Ordinis, qui de Obſervantia nuncupantur, ad di-*
,, *vinum cultum perpetuo exhibendum, omnem noſtræ auctoritatis plenitudi-*
,, *nem offerentes, permutationes, donationes & conceſſiones, ſeu quaslibet*
,, *& quoslibet nuncupandas alienationes hinc inde factas, pro dicto loco ædi-*
,, *ficando per homines dictæ terræ noſtræ Capiſtrani, prædicto fratri Joanni,*
,, *vel alteri cuicumque perſonæ directas & collatas, recipienti pro Ordine*
,, *& Fratribus antedictis, ferventiori devotione accenſæ & affectuoſius ani-*
,, *matæ acceptamus, confirmamus, approbamus, & omnibus modo, jure,*
,, *via & forma, quibus melius poſſumus, roboramus. Et ex certa noſtra*
,, *ſcientia, & ampliſſima liberalitate noſtri pectoris, totum & quidquid ad*

„ *juriſdictionem noſtram pertinet, & ad noſtræ Curiæ jura ſpectat & contingit, aut poſſet quomodolibet pertinere, ſive ratione tertiariæ ex alienatione rerum Nobilium & Feudalium, ſive quibuſcumque aliis rationibus & cauſis, prædicto fratri Joanni recipienti, ut ſupra, concedimus, donamus, cedimus, tradimus, & integraliter ac plenarie relaxamus &c. Datum in Caſtro noſtro Galliani, anno* MCCCCXLVII. *die* I. *menſis Decembris*, XI. *Indictione*.

Conv. Syracuſan. *Idem in Prov. Sicil. Conv. 8.*

LXX. Ad mille paſſus a Syracuſis nobili Siciliæ civitate, tum Romanorum, tum Carthaginenſium bellis illuſtri, cives circa hoc tempus Conventum in honorem ſanctæ Mariæ de Jeſu Fratribus Obſervantibus poſuerunt. Cum vero locus, aeriſque temperies minime ſaluti Fratrum faveret, ſub annum MCCCCLXXIV. alio translatus eſt, aliquanto longius a Civitate. Ante hnnc annum Fratres domicilium habuiſſe in urbe Stabiarum, ſeu Caſtri-maris ad littus Mediterranei maris, non adeo longe ab urbe Neapolitana ſita, conſtat ex diplomate Nicolai Pontificis, quo facultatem concedit Fratribus regularis Obſervantiæ, ejuſdem Cœnobii incolis, alienandi bona quædam immobilia, quæ ad Patres Conventuales olim ſpectabant: *Cum primis temporibus*, XV. Kalendas Auguſti. Ter aut quater hic Conventus a Turcis direptus eſt, totieſque reſarcitus: commodum eſt facultatis Theologicæ ſeminarium. Ex eadem Bulla ſimiliter liquet, hoc anno priorem eſſe Conventum Surrentinum in Campania felici. Prius erat Monaſterium Sororum Ordinis ſancti Benedicti, deinde paruit annis multis Patribus Conventualibus, a quibus ad Obſervantes translatum eſt. Hic aliquando vixit & miracula patravit beatus Jacobus Picenus.

Conv. Caſtri-maris. *Idem in Prov. Principat. Con. 3.*

Conv. Surrentin. *Idem in Prov. Terræ lab. Conv. 20.*

Conv. Caſtri Bononien.

LXXI. Ut Minoritis ædificaretur domus in burgo, ſeu ſuburbio Caſtri Bononienſis, diœceſis Imolenſis, prope Eccleſiam Parochialem ſanctæ Luciæ, cui Joannes Rector hac de cauſa reſignaverat, indulſit hoc anno Pontifex, datis litteris ad Vicarium Petri Epiſcopi: *Ut ea quæ*, VIII. Idus Junii, & anno MCCCCL. adjudicavit Fratribus plenum jus ſacelli ſancti Blaſii in eadem Eccleſia erecti, & alterius ſancto Laurentio ſacri, quorum patroni varias moleſtias Fratribus inferebant. Claruit hoc in loco frater Joannes Malerba inſignis Theologus, & rerum agendarum peritus, in eodem caſtro ſamilia Amoniorum oriundus. Vixit ſub annum MDIV. Sequutus eſt alius non minoris famæ Magiſter Hieronymus Pallanterius, moribus & virtutibus clarus, prius Bononienſis provinciæ Miniſter, deinde ſtudii Bononienſis Regens. Nepotem habuit Joannem Paulum Pallanterium Epiſcopum Laquedoniæ, prius Magiſtrum artium Mediolani, & Regentem Cremonæ, deinde Theologiæ profeſſorem apud Benedictinos Ticinenſes. Multa ſcripſit, obiitque anno MDCXIV. Pertinet hic Conventus ad Patres Conventuales prædictæ Provinciæ & Cuſtodiæ Ravennatis.

Mon. MSS. Rodulph. fol. 263. Fr. Joan. Malerba.

Fr. Hieron. Palanterius. Fr. Paulus Palanterius Epiſc. Laquedoniæ.

LXXII. In vita beati Thomæ Florentini, a Leoniſſano ſcripta, legi ab eo aggregatos ſuo Sodalitio tres Conventus in inſula Corſicæ, Bonifacium, Calvium, & Nuntianum: de primo jam diximus, de reliquis duobus opportune hic agemus, præmiſſa morte fundatoris; neque enim ad annum certum ſtructuræ tempus, ut Gonzaga monuit, poterit reduci. Calvienſis itaque non longe a Calicula civitate diſtat, de quo illud ſolum memorabile, quod alumnum habuerit Joannem Calvum, totius Ordinis Minorum Miniſtrum Generalem, virum prudentiſſimum, ſub Paulo III. legatione ſunctum ad Galliæ & Luſitaniæ Reges. Obiit Tridenti, dum Oecumenico intereſſet Concilio. Tertius Conventus non procul a Nuntiæ Caſtro diſtat in ipſo littore maris. Ex eo migravit ad aſtra beatus Marianus Brandius Laicus,

Tom. 6. an. 1304. n. 19. Tom. 7. an. 1331. n. 21. Conz. in Prov. Corſica Conv. 2. & 7.

Conv. Calvii. Joan. Calvus.

Conv. Nuntiæ. Beatus Marianus Brandius.

cus, cujus ſanctimoniæ teſtimonium perhibuerunt miracula multa, & corporis poſt aliquot annos exhumati integritas.

Conv. Miricuriæ. *Idem in Prov. Franciæ Pariſ. Conv. 10.*

LXXIII. In Gallia etiam accreverunt aliquot hoc anno Ordinis domicilia. Miricuriæ in Lotharingia, vir pius Richardus Favard ſuis facultatibus, favente Renato Siciliæ Rege, domum ædificari curavit. Eccleſiam ſub invocatione beatæ Mariæ R. Epiſcopus Tullenſis anno MCCCCLI. conſecravit. Ita refert Gonzaga; ſed Diploma habeo Apoſtolicum, quo hoc anno facultas conceditur Renato Regi & Iſabellæ Reginæ Cœnobium hoc ædificandi in honorem ſancti Franciſci: *Inter &c.* Pridie Idus Decembris. Quid ſi impeditis Regibus aut circa alia diſtractis, Richardus operi manum appoſuerit, auxiliante tamen Renato? In oppido Ramberti Curiæ, ejuſdem diœceſis, aliam ſtatuerunt fabricare Joannes de Chaulx & aliqui Rectores ejuſdem oppidi, prope Eremitorium ſancti Martini, ſed ſub titulo ſancti Franciſci, & facultatem impetrarunt a Pontifice, intercedentibus Guardiano & Fratribus Conventus de Varennis, diœceſis Rhemenſis: *Inter Eccleſiaſticos &c.* XVII. Kalendas Novembris. Hujus tamen Cœnobii ego non invenio apud noſtros auctores mentionem, niſi fortaſſis idem ſit cum Miri-Curiano, ſed diſſident fundatores & Sanctorum invocationes. In Delphinatu prope civitatem Grationopolitanam & Eccleſiam de Eſſone, habito prius aſſenſu Capituli Grationopolitani, Ludovicus Dalphinus Viennenſis, Regis Caroli ſeptimi filius, ſtatuit Obſervantibus Cœnobium fabricare, cujus vota Pontifex probavit: *Humilibus ſupplicum &c.* Nonis Novembris. Non invenio tamen hujus Cœnobii memoriam inter ea, quæ recenſentur ſub provincia ſancti Bonaventuræ, ad quam ſpectabat Cuſtodia Viennenſis.

Conv. Ramberti Curiæ.

Conv. Grationopolitan.

Conv. de Lappa. *Idem in Prov. S. Gabriel. Con. 7.*

LXXIV. In Hiſpania Ferianus Comes, Laurentius Suarez a Figueroa, pro ſua in Deum pietate & in Franciſcanos animi propentione, Eremitorium ſancto Onuphrio ſacrum, ad quintum lapidem a Safra, ſui dominii oppido, ſitum, hoc anno in Cœnobium erexit, & Patribus tradidit Conventualibus. Poſt aliquot annos miſſum fecerunt, utpote ſibi minus opportunum, & anno MDVII. ceſſit Obſervantibus. Feriani Dynaſtæ non modico in Conventum hunc affectu feruntur; unus quippe illorum ſibi domicilium adjecit, quo ſtatis anni temporibus orationi & pietati vacaret; alter Xenodochium infirmis curandis Fratribus intra oppidum conſtruxit; tertius, Gomezulus Suarez a Figueroa, fundatoris prædicti pronepos, Eccleſiam reædificavit anno MDLX. & abundanter inſtruxit. In ea ſepulti ſunt frater Alphonſus ab Amygdaleto, & frater Joannes de Guinaldo Laici, plurima virtute, maxime ſacræ orationis inſigniti. In amœno colle intra Cœnobii muros quatuor conſpiciuntur devota ſacella, in quibus vitam ſolitariam & frequentem agunt orationem Religioſi, & in choro imago Chriſti Redemptoris, cruci affixi, in cujus conſpectu orans pius tiro loquela deſtitutus, impetravit, ut linguæ vinculum ſolveretur. Aucta populi erga Conventum hunc devotione, crevit etiam Fratrum numerus, inſtituto ibidem tironum ſeminario „ Verumtamen Cœnobium hoc ſuum habuiſſe „ initium anno MCCCCLXXXIX. manifeſte evincitur ex Diplomate Innocentii VIII. *Expoſuit tuæ devotionis*, III. Kalendas Martii, quam animadverſionem facit ad eumdem annum P. Waddingus, monens ut hoc „ in loco mendum, quod ex Gonzaga irrepſit, corrigatur.

ADDITIO, ET CORRECTIO ALIORUM. Ex Monitis a Patre Waddingo.

LXXV. Petrus Epiſcopus Calaguritanus, dedit fratri Roderico de Villalacre aliiſque Fratribus Regularis Obſervantiæ, Eccleſiam ſancti Andreæ de Muga, prope villam de Baſtida, ejuſdem diœceſis, ut Conven-

Conv. Baſtidæ.

tum ſibi fabricarent. Fecerunt illi, adjuti ſubſidio Comitis Salinarum, & domum undique completam inhabitare cœperunt. Sed dum ſe feciſſe abſque Sedis Apoſtolicæ licentia recogitant, veniam petunt. Conceſſit hoc anno Nicolaus, quem *quartum*, ex errore recenſet Gonzaga, commiſſa abſolvendi poteſtate Priori ſanctæ Mariæ de Stella: *Inter &c.* Pridie Kalendas Julii.

Gonz. in Prov. Cantabr. Con. 15.

LXXVI. Habitabant Fratres regularis Obſervantiæ in provincia Bætica ad Eremitorium *ſanctæ Mariæ del Alcor*, a Carmonæ villa, diœceſis Hiſpalen. per duo milliaria diſſitum; ſed cum aquæ penuria maxime laborarent, & proximorum ſalutem non poſſent ſine magno incommodo procurare, frater Alphonſus Palentinus, Vicarius Alphonſi Boroxii, Vicarii Provincialis provinciæ Caſtellæ, expoſuit Rectorum & Gubernatorum Carmonenſium deſiderium, ut ad Eremitorium ſanctæ Mariæ de Gratia, non longe ſepoſitum transferrentur, ibique domus Regularis Obſervantiæ ædificaretur. Annuit poſtulatis hoc anno Pontifex; an tamen ibi Fratres ædificaverint, vel ædificatum dimiſerint, non comperio: *Inter Eccleſiaſticos*, IV. Nonas Auguſti.

Conv. Carmonæ.

LXXVII. In Hiſpania Tarraconenſi prope Cæſarauguſtam, vel in ipſa urbe, ut domus ædificaretur pro Fratribus Regularis Obſervantiæ, & a civibus ædificatam admitteret Vicarius Obſervantum provinciæ Aragoniæ, indulſit hoc anno Nicolaus: *Inter Eccleſiaſticos &c.* Pridie Idus Decembris. Ædificandi cauſam hanc præceſſiſſe, narrant Gonzaga & monumenta illius provinciæ ad me tranſmiſſa. Duo Regularis Obſervantiæ profeſſores Cæſarauguſtani, tempore brumali ſub noctem acceſſerunt, ſed extra urbem ex altera parte Iberi fluminis hærentes apud pium quemdam vinitorem, eorum cauſa vel incuria, magna ſtrues ſarmentorum, aliquali etiam vineæ detrimento exarſit. Incendii monitus vineæ dominus Petrus Ferriz heros Cæſarauguſtanus, injuriis Fratres laceſſivit; ſed qui facit judicium injuriam patientibus, ſequenti vere, immiſſo æſtu, vineam exſiccavit. Ille ſupplicio culpam agnoſcens, Fratres in quodam tuguriolo commorantes rogavit ut parcerent, & apud Deum intercedentes, errati veniam impetrarent. Oraverunt, & exaudivit Dominus, mirabiliter prædicta vinea, revirentibus pampinis, priſtinæ gloriæ & vigori reſtituta. Tanto miraculo per Ferrizium publicato, Senatus Cæſarauguſtanus cum Alphonſo Aragonum Rege ſollicite egit, ut permitteret hujus Inſtituti Conſodalibus domum ædificari, & cum Nicolao Pontifice ageret, ut illis facultatem daret ædificatam recipiendi. Ita factum, obtentis hoc anno ſupradictis litteris Apoſtolicis, & aliis circa contradictionem quorumdam tollendam, directis Epiſcopo Tiraſonen. datis anno Pontificatus VIII. quas ſub illud tempus dabimus in Regeſto.

Conv. de Jeſu Cæſarauguſtan.

Gonzag. in Prov. Aragon. Conv. 1.

LXXVIII. Ædificari cœpit domus poſt biennium, collatis ſumptibus ex publico ærario, ipſo illo in loco, ex quo conſtruendæ accepit occaſionem, vineam etiam donantibus Petro Ferrizii filio, & Maria Agnnonenſe hujus genitrice. Eccleſiam pulchram adjecit, ſub *ſanctæ Mariæ de Jeſu* invocatione, vir nobilis Joannes Roldanus, uti hæc inſcriptio, charactere Gotico & idiomate Aragonico ſupra templi portam lapidi inciſa, commemorat: *Ad honorem & gloriam humilis virginis Dominæ noſtræ ſanctæ Mariæ de Jeſu, Eccleſia hæc cœpit ædificari per honorabilem Dominum Joannem Roldanum, cui Deus miſereatur, mercatorem, & civem Cæſarauguſtanum, anno* MCCCCLIV. *poſt cujus mortem opus abſolverunt teſtamenti executores, anno* MCCCCLVIII. Aulam capitularem & ſuperpoſitam bibliothecam magnifice

fice & affabre conſtrui curavit anno MDLXXXII. Franciſcus de Arinno Baro Oſſeræ & Figuarelæ, qui in eadem aula, concamerato ſepulcro voluit inter Fratres ſepeliri. Hujus pietatem æmulatus Franciſcus Herbas, Eccleſiæ Metropolitanæ Camerarius, ſacellum majus, ſumptuoſo adjecto undequaque ornamento, & alterum a tergo, egregiis picturis & variegato decoratum lapide, conſtruxit, ubi ipſius ſimulacro alabaſtriti ſub inciſi videntur hi characteres in lapide ſepulcrali. *S. D. F. H. S. C. E. M. C. O. M. D. C. IV. Æ. V. S. LXXIV.* quorum ſenſus eſt: *Sepulcrum Dom. Franciſci Herbas ſanctæ Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Metropolitanæ Camerarii. Obiit an.* MDCIV. *Ætatis vero ſuæ* LXXIV. Peculiarem bibliothecam, præter magnam quam diximus, copioſis ſuis libris condendis pulchre ornatam, ſacrarium, turrim Campanariam, ſui convictus cum Fratribus habitacula, veſteſque pretioſas Sacerdotales fieri curavit, inſumptis viginti duobus millibus aureorum: neque hic benefaciendi finem poſuiſſet, niſi vitæ finem mors eo anno conſtituiſſet. In ſacrario parvum eſt ſacellum plurimis Sanctorum reliquiis, thecisque argenteis conſpicuum, dormitoria tria, ſeptuaginta Fratrum capacia: invicem ſupereminent, & ſuper hæc ambulacrum ſeu ſpeculare pulcherrimum, unde planities amœniſſima, læti colles, viridantia oliveta, placidum Iberi flumen, & ſpecioſiſſima urbis frons, grato conſpiciuntur intuitu. Domus demum tota elegantiſſime conſtructa eſt, atque omni ex parte perfecta.

LXXIX. Illinc vero laudabilior, quod, perpetua ſucceſſione, ab ipſa ſui origine viros habuerit virtute inſignes & religione decoros. Aliquot indicabo. Bartholomæum Vadinia oriundum, profundiſſima humilitate, ardenti caritate, & præſago ſpiritu inſignitum, orationi inſuper aſſidue intentum, ſæpiſſime etiam divini amoris dulcedine ſenſibus ſopitis abſorptum; Joannem Gometium caritate erga proximum præcipue effulgentem; Joannem Alcozium Navarræum, erga animas defunctorum ſumme ſollicitum & mirabiliter propitiantem. Hi tres ex humili fuerunt claſſe Laicorum. Neque etiam defuerunt ex genere Sacerdotali viri optimi: inter quos connumerandi, Thomas Martinez provinciæ Miniſter; Martinus a ſancto Martino; Didacus Murillus, vir omnibus numeris abſolutus, non minus divinarum humanarumque rerum ſcientia & continua prædicatione, quam vitæ probitate clariſſimus. De ſingulis per ſua tempora opportune ſermo redibit.

Bartholomæus Vadiniæ.
Joannes Gometius.
Joannes Alcozius.
Thomas Martinez.
Didacus Murillus.

LXXX. Apud Nurinbergam, Germaniæ ſuperioris nobile oppidum, diœceſis Bambergenſis, nobile etiam fuiſſe Minoritarum Cœnobium, habeo ex litteris Eugenii Pontificis ſub mortem datis, in quibus refert, domum ædificiis ſolemnem & ſumptuoſam, in regularibus inſtitutis valde defeciſſe, & propterea voluiſſe Burgimagiſtros, Scabinos, Conſules & Proconſules, ut ad Regularem diſciplinæ normam reduceretur. Ita præcepit Pontifex per Fratres Regularis Obſervantiæ, commiſſa executione litterarum Apoſtolicarum Abbati Monaſterii ſancti Ægidii dicti oppidi, & Eccleſiarum Ratiſponenſis ac Heilmaſtad, Maguntinæ diœceſis Præpoſitis: *Ex Apoſtolicæ ſervitutis officio*. IV. Kal. Februarii. Anno ſequenti indulſit, ut in eodem Conventu ſtudia haberentur Philoſophiæ, Theologiæ, atque bonarum artium. Diploma dabitur in Regeſto. Miror valde nullam hucuſque adeo inſignis Cœnobii memoriam occurriſſe. Solum nudum nomen habetur in provincia Argentina & Cuſtodia Bavariæ.

Conv. Nurinbergæ.

LXXXI. In provincia Saxoniæ & Cuſtodia Aurei-montis Conventum fuiſſe oppidi Budeſini, Miſnenſis diœceſis, de quo ſimiliter aliud non occurrit hucuſque monumentum, patet ex Nicolai Pontificis diplomate, in quo deciſionem controverſiæ exortæ inter Fratres & Capitulum Eccleſiæ Budeſinæ

Conv. Budeſini.

næ circa ſolutionem portionis Canonicæ, Joanni Carvagialio Hiſpano, ſancti Angeli Diacono Cardinali, per Germaniam Sedis Apoſtolicæ Legato, committit: *Humilibus ſupplicum*. IV. Kal. Auguſti.

Conv. Antuerpien. LXXXII. In nobiliſſima Brabantiæ urbe, Antuerpia, quam digne laudant & plurimis afficiunt elogiis Georgius Braun, Julius Scaliger, Tilmannus Bredembacchius & Carolus Scribanius, hoc anno inchoatum fuiſſe Conventum Fratribus Regularis Obſervantiæ, ſcribit Gonzaga ex ſchedis acceptis anno MDLXXXI. a fratre Martino de Myrica, inferioris Germaniæ Miniſtro, quæ in meam poteſtatem ſimul cum aliis ejuſdem Illuſtriſſ. Dom. *Gonzag. in Prov. German. infer. Conv. 21.* Gonzagæ monumentis devenerunt. Sed ex iis quæ de ſua provincia collegerat vir doctus Henricus Sedulius, & ex ſcripturis provinciæ Colonienſis mihi transmiſſis, nobilis Cœnobii originem & progreſſum aliquanto diffuſius hic placet recenſere. Diffuſa per orbem Regularis Obſervantiæ optima fama, Senatus Antuerpienſis Fratres advocavit anno MCCCCXLVI. domumque aſſignavit in *Coubergh*, in qua commorati ſunt plus minus quinquennio. Cum vero illic decenter propter malos & turpes vicinos habitare non poſſent, in *Raem-velt* locum partim a Senatu, partim a bonis civibus comparatum acceperunt, in quo ædificari cœpit Conventus anno MCCCCL.

LXXXIII. Porro Monaſterio, in deſtinato fundo *Raem-velt* utcumque habitationi præparato, commigraverunt Fratres, Bullæ Nicolai Pontificis ſuper hac re editæ, executore Olando ſancti Michaelis Antuerpienſis Abbate. Data fuit Bulla anno MCCCCL. quam ſub illum annum dabimus in Regeſto. Ceterum hic Conventus ſemper floruit religioſis Patribus, & doctis concionatoribus, aduſque triſtem illum annum MDLXVI. quo Geuzii, ad exitium Belgii nati, urbem occuparunt, & Cœnobia, ac ſacra omnia barbare & feraliter deſtruxerunt, polluerunt, conculcarunt. In hujus Conventus Eccleſia, cum omnes imagines & altaria immaniter violaſſent, accurrerunt ad Virginis ſimulacrum, quod in medio templi pendebat, deturbandum. Sed nequidquam potuerunt ulla vi, cum maxime vellent, dejicere; de quo, quod *Bredemb. collat. ſacr. lib. 3. c. 23.* ſcribit Tilmannus Bredembacchius, eiſdem verbis exſcribo: *Antuerpiæ celeberrimo totius Belgii oppido, cum Iconomachi anno* MD: XVI. *ac deinceps Eccleſias paſſim vaſtarent, in Monaſterio Franciſcanorum eodem furore debacchati ſunt. Cumque altaria, imagines, & ſtatuas univerſas eſſent demoliti, progreſſi ſunt ad imaginem Deiparæ beatæ Virginis, amictam Sole, & Lunam ſub pedibus ejus habentem, ex laqueari Eccleſiæ dependentem. Hanc vero nulla vi, nec arte, quantumcumque fatigarentur, laxare, necdum deturbare potuerunt, invicta illa & immota, invitis omnibus iſtis perdurante, & de furore hoſtium ſuorum triumphante. Ipſi* (inquit Bredembacchius) *nos eamdem imaginem eodem in loco etiam pendentem paulo poſt conſpeximus. Non haberent homines iſti in Chriſti & Sanctorum ejus venerandas imagines poteſtatem vel minimam, niſi data illis eſſet deſuper. Qui legem poſuit aquis, ne tranſirent fines ſuos, idem & ejuſmodi hominum rabiem vel minimo nutu coercere poteſt; & ſæpe numero vel miraculoſe coercet, vel exertam in ſe ſuoſque Sanctos rabiem, cum acceperit tempus, ſeveriſſime vendicat.*

LXXXIV. Iſtorum feralitatem fugientes Fratres, recollegerunt ſe in Monaſterio, ubi inter quotidiana ſævientium pericula verſabantur. Anni ſequentis initio die XVI. Februarii, inſidioſe incenderunt Geuzii Cœnobium, *Henricus Pipinus.* incolas etiam perempturi. Erat Antuerpiæ R. P. Henricus Pipinus, Fratrum Obſervantum Provincialis Miniſter, quo celebriorem ætas illa, ſed neque poſteritas hactenus vidit prædicatorem. Is cum prima Dominica Quadrageſimæ ad horam tertiam pomeridianam, auditorio longe frequentiſſi-

Digitized by Google

tiſſimo, ſe quotidie prædicaturum denunciaſſet, iſti nebulones ſub chori tecto, quod turrim Eccleſiæ ferebat, artificioſe ſtruxerunt ignem, qui in certam horam ad gradum turris exæſtuans, aditum prohibuit omnem extinguendo incendio; quin potius, ut totum conflagraret Monaſterium, plures in Fratrum cellas immittebant ignes. Arſit igitur veſpere ad horam circiter nonam chori tectum totum, arſit instructa bibliotheca, duo quoque dormitorii latera. Spectatum multi accurrunt, non ut flammas extinguant, ſed magis nutriant, & ſi quæ poſſint, diripiant. Ita inſidiati ſunt impii homines Fratrum vitæ, atque aliis artibus honori. Eſt vicina Cœnobio domus verſus Septentrionem, id temporis hoſpitium Ooſterlingorum mercatorum Septentrionalium, qui cum mercibus ſuis hæreſim Lutheranam importaverunt. Paraverant illi ad veſperam Dominicæ primæ Quadrageſimæ epulum, carnes ad convivium in verubus torrentes, incurrunt audaciter in culinam, carnes de verubus rapiunt, inſerunt in Monaſterium, & ſpectatoribus oſtentant, Fratres incuſantes inſano clamore, quaſi jejunio Quadrageſimali carnium ſe deliciis explerent.

LXXXV. Et vero manſerunt Fratres in Conventu uſque ad annum MDLXXVIII. quo Maii XVIII. die, cum ſe nollent impio juramento contra Deum & Regem ſcelerare, proſcripti exulavere Lovanii. Anno MDLXXXV. die XXVII. Auguſti urbe in poteſtatem Regis redacta, die ſequenti Fratres in domum ſuam redierunt, & cum tempore meliora reſurrexere, quam quæ vaſtata fuerant; primo Guardiano ſupradicto Henrico ſedulio. Semper hic fuerunt viri pietate inſignes, ſed eorum memoria Geuziorum vaſtatione, & veterum monumentorum deſtructione eſt obliterata. Erat inter alios venerandus ſenex Joannes Trojus Sacerdos Confeſſarius, de quo agitur in auctario ad natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem ſecundum Februarii, & nos ſcribemus ad annum MDXCVII. quo deceſſit. Joannes Trojus.

LXXXVI. Coronidis loco hic exhibeo fragmentum diplomatis Philippi Boni, Burgundiæ Ducis, quo in ſuam tutelam ſuſcipit Fratres hujus Cœnobii, priori adhuc loco conſiſtentes. Illud etiam ſuis litteris inſeruit Philippus primus Archidux Auſtriæ, habenturque in archivo Conventus. *Sane cum noviter didicerimus, dilectos & fideles noſtros Burgimagiſtros, Scabinos & Conſules oppidi noſtri Antuerpienſis, ad prædicti ſacri Ordinis Obſervantiam promovendum caritate accenſos, Fratribus ejuſdem Ordinis, quos viderunt ad illibatam, quantum humana infirmitas, divino aſſlante adjutorio, conceſſit, ſe velle in eadem Ordinis Obſervantia, abſque voluntaria & irrationabili diſpenſatione unanimiter continere, commodaſſe certam quantitatem terræ in loco, qui nunc communi nomine,* Mons omnium Sanctorum *vocatur: ſuper quam, quibuſdam viris devotis hoc procurantibus, & aliis manum caritatis & devotæ liberalitatis ad hoc porrigentibus, ædificium ſatis conveniens, tam pro divino ſervitio, quam pro receptatione dictorum Fratrum erigere & fabricare inceperunt. Ne tam ſancto propoſito deeſſet auctoritas principalis, placuit id, quod ex devotionibus ſubditorum ſic eſt inceptum, auctoritate noſtra omni modo, tamquam ab initio manum appoſuiſſemus, ratum & gratum habere, & proinde nos ipſos, tenore præſentium, ejuſdem Monaſterii declarare & conſtituere archifundatores, idque ex nunc fundatum eſſe, & in antea ad reverentiam & honorem Dei & beati Andreæ Apoſtoli, patroni noſtri, per nos ſpeciali devotione electi, necnon beati Patris Franciſci, vitæ Apoſtolicæ ſectatoris, complendum & perficiendum, & ſub eorumdem patronorum & præcipue dicti beati Andreæ Apoſtoli perpetuis futuris temporibus*

ribus recolendum. Rogantes inſtantius Reverendum in Chriſto Patrem, Dominum Cameracenſem Epiſcopum, quatenus Eccleſiam ipſam, & altare majus, ac alia principalia ædificia, quæ conſecrari convenit, ad honorem dictorum patronorum, & præcipue beati Andreæ Apoſtoli, necnon minora altaria, & ejus alia loca partialia, per Dei gratiam & devotorum hominum caritatem perficienda, ipſiſque accommodata & commodanda, quæ congruum fuerit dedicare ad honorem Dei & aliorum Sanctorum, juxta devotionem eorum, qui eleemoſynas ad hoc contulerint, per ſe dedicare velit & conſecrare, aut per alium dedicari ordinet & conſecrari. Placuit nobis inſuper ex nunc Fratres omnes & ſingulos, qui in dicto Monaſterio poſt conſecrationem hujuſmodi, juxta dictam Regulæ Obſervantiam, ſunt ſanctam & religioſam vitam acturi, in noſtra protectione & ſalvigardia ſpeciali recipere; promittentes pro nobis & hæredibus noſtris, eos & eorum quemlibet, quamdiu in Ordinis Obſervantia perſeveraverint, quantum in nobis eſt, tueri & defendere adverſus omnes, qui eoſdem nunc vel inantea quibuslibet perſecutionibus, injuriis turbare ſategerint vel moleſtare, ſub pœna indignationis noſtræ, & ultionis conſonæ rationi, ſecundum menſuram & qualitatem delicti: omnibus ſubditis noſtris, cujuſcumque ſtatus aut conditionis extiterint, diſtrictius inhibentes, ne dictis Fratribus quamcumque moleſtiam aut injuriam, factis aut verbis quomodolibet inferre aut irrogare præſumant; præcipue antedictis Burgimagiſtris, Scabinis & Conſulibus, necnon Receptoribus principalibus, & aliis quibuslibet ejuſdem villæ obventiones recipientibus aut recepturis, diſtrictius inhibentes, ne de eſculentis & poculentis, quæ paucis diebus conſumuntur, & quæ eiſdem Fratribus a devotis & fidelibus ob amorem Dei in puram eleemoſynam conferentur, præſumant auſu temerario quidquam gabellæ, impoſitionis, talliæ, maletotæ, vel aſſiſiæ titulo exigere vel extorquere, ſed potius omittant penitus aurum & argentum exigere ab eis, qui nec id habent, nec in communi nec in privato licitum eſt habere. Et præterea mandantes & præcipientes omnibus Officialibus noſtris præſentibus atque futuris, quatenus eoſdem ab omni injuria, moleſtia & perſecutione, tamquam præcipuos Dei famulos, tueantur atque defendant adverſus omnes, qui ipſis hujuſmodi injurias, moleſtias aut perſecutiones inferre molientur; quoſque, ſi qui fuerint, tamquam hoſtes & adverſarios ſervorum Dei, meritis pœnis & ultionibus, omni diſſimulatione poſtpoſita, curent afficere: nec in hoc unus alium præſtolari, nec etiam aliud a nobis mandatum expectare; cum ita, ob ſingularem devotionem, quam habemus ad veram & illibatam dicti Ordinis regulam, & odium tranſgreſſionis ejuſdem, necnon ad reverentiam & honorem Dei, beatorumque Andreæ Apoſtoli, & Patris Franciſci, Apoſtolicæ vitæ præcipus ſectatoris, placet ex certa noſtra ſcientia & auctoritate principali, ſine contradictione fieri volumus cum effectu: reſervata nihilominus nobis & hæredibus ac ſucceſſoribus noſtris Ducibus & Duciſſis Brabantiæ, & Marchionibus ſacri Imperii, necnon Burbimagiſtris, Scabinis & Conſulibus dicti oppidi Antuerpienſis, libera & plenaria poteſtate, quandocumque nobis, ſine expectatione cujuſcumque alterius judicii ſpiritualis vel temporalis, apparuerit quod dicti Fratres vel eorum ſucceſſores a recta ſemita Regularis Obſervantiæ Ordinis beati Patris Franciſci fuerint incorrigibiliter prolapſi, nec a nobis ad eamdem Obſervantiam cum effectu quibuslibet perſuaſionibus ſe reduci permiſerint, quod tales omnes tranſgreſſores Ordinis a dicto loco, eis, ut prædictum eſt, commodato, poterimus, ſine cujuſcumque contradictione, expellere, & eumdem locum rurſus aliis viris religioſis, cujuſcumque Ordinis ſub forma conſimili commodare. In quorum omnium teſtimonium ſigillum noſtrum fecimus appen-

appendi præſentibus. Datum & actum in oppido noſtro Bruxellenſi XII. *menſis Martii, Anno Domini* MCCCCXLIX. *ſecundum ſtylum ſcribendi in Curia noſtra.*

LXXXVII. Neque Bonus hic Dux ſolummodo Fratres Conventus Anterpienſis in ſuam ſuſcepit tutelam, verum etiam Conventus Goudani, Leydenſis, Alcmarienſis, Mechlinienſis & Delphenſis, in quibus Regularis Obſervantia cœperat efflorere, dato diplomate anno MCCCCXLIX. die ultima Decembris. Lingua Theutonica ſcriptum ſervatur in eodem Conventu Antuerpienſi. Fratres autem juxta formam pactionis in prædicto Ducis diplomate, de retinenda ſemper Regulari Obſervantia, Senatui Antuerpienſi compromiſerunt, factumque compromiſſionis inſtrumentum, tribus ſigillis, Vicarii Provincialis, Guardiani Conventus,& Senatus conſignatum, nimirum: *Si Fratres contingeret Obſervantiam regularem deſerere, loco eſſe fugandos*. Datum anno MCCCCL. quod etiamnum in archivo civitatis cuſtoditur.

LXXXVIII. Conventus Mechlinienſis in Brabantia inſignis, de quo alias diffuſius egi, hoc anno translatus creditur ad Obſervantes, commiſſa per Eugenium poteſtate & auctoritate primum Epiſcopo Melfienſi, aliiſque coadjutoribus, ut Conventum, juxta civium deſiderium, reformarent: *Ex Apoſtolicæ ſervitutis*, XVI. Kal. Februarii. Deinde urbis Magiſtratui atque Univerſitati, & Decano ac Capitulo beati Rinoldi, ut Fratres introducerent: *Ex Apoſtolicæ ſervitutis*. Kalendis Februarii. Ex Gonzaga exſcripſimus, Conventum hunc non niſi anno ſexto poſt mortem ſancti Bernardini reformatum, ſed error eſt in numeris, & pro anno *ſexto* reponendus *tertius*, niſi fortaſſis uſque ad annum MCCCCXLIX. dilata ſit Diplomatis executio, ſeu operis inchoatio. Celebrata ſunt hic duo Comitia generalia anno MCCCCLXIV. & MCCCCXCIX. De ejus deſtructione & direptione per Geuzios alias dicemus opportunius.

Tom. 2. an. 1231. n. 50. Conv. Mechlinien. reformatur. *An. jam citato.* *An. 1580.*

LXXXIX. Fratres, quos diximus anno præcedenti in Scotiam miſſos, ut vel collapſam in veteribus domibus diſciplinam reſtituerent, vel novas ædificarent, hoc ipſo anno in civitate regia *Edimburgi*, tum ex publico ære, tum aliorum ſubſidiis, Conventum acceperunt in loco amœniſſimo magnifice extructum. Dubitavit vir timoratæ conſcientiæ Cornelius reliquorum Præfectus, an liceret domum adeo conſpicuam, & ſummæ, quam profitebatur, paupertati minus congruam inhabitare, atque per aliquot annos admittere recuſavit. Compuliſſe tamen ut acceptaret ſancti Andreæ Archiepiſcopum, Scotorum Primatem ſub Pio II. S. R. E. Cardinalem, & Pontificis Legatum ad præfatum Jacobum Regem refert Gonzaga. At nullum invenio hujus temporis Scotum, ſive ſancti Andreæ Archiepiſcopum ſub Pio II. Cardinalem. A Paulo II. lego creatum Cardinalem Thomam Bourcherium Anglicum, Cantuarienſem Archiepiſcopum, Angliæ Primatem, Henrici Comitis Eſſeſtriæ fratrem, quem ſemel, neſcio an ex errore, in recenſu Cardinalium conclavis Sixti quarti Ciaconus vocat Archiepiſcopum Andrianopolis, cum alias ubique eum Cantuarienſem appellet; & quidem Eccleſia ſancti Andreæ nonniſi anno I. Pontificatus Sixti IV. in Archiepiſcopalem erecta eſt. Uti tamen admiſerit, brevi abundavit Conventus doctis & præclaris Religioſis, quorum plurimi orti erant nobilibus familiis; & floruit nobili Academia ſive ſeminario Philoſophiæ & Theologiæ, donec hæreticorum rabie anno MDLIX. profligatis incolis, omnia perierunt. Multi Conſodales tunc fugerunt in Belgium duce viro optimo, Joanne Patritio.

Conv. Edimburgi. *Gonzag. in Prov. Scotia Conv. 1.*

XC. Unierat Eugenius IV. Vicariæ Boſnenſi, uti ſuperius diximus, do-

Vide ſupra hoc anno n. 15.

Diſſolvitur unio Conventuum ad Vicariam Boſnenſem.

domos quinque, videlicet, ſancti Franciſci, & Daxæ in territorio Raguſino; ſanctæ Crucis Jaderenſem, quartam Arbenſem, ac quintam Catharenſem. At, propter varias rationes Nicolaus hoc anno ſeparavit, & unionem factam diſſoluit, prædictoſque Conventus, ac reliquos omnes conſtructos vel conſtruendos, a mari Adriatico uſque ad Tartaricum, ſubjectos voluit Jacobo de Primaditiis, Vicario Generali ciſmontano Regularis Obſervantiæ, ejuſque ſucceſſoribus: *Apoſtolicæ nobis*, v. Kal. Octobris; & Vicarium Boſnenſem juſſit a Fratribus per ſuffragia eligi, cujus auctoritas contineretur infra antiquos limites, videlicet a flumine Drava uſque ad mare Adriaticum: *Cupientes circa bonum*, pridie Idus Maii. Hinc originem ſumpſit provincia Raguſii, quæ Illyrico mari a fronte alluitur, a tergo vero Dalmatiæ, ac Boſnæ Argentinæ provinciis cingitur. Tunc in provinciam evaſiſſe domos ſupra dictas refert Gonzaga; at diploma nihil agit de erectione novæ provinciæ, ſed Conventus prædictos dumtaxat ſubjicit regimini Vicarii Generalis ciſmontani, Regularis Obſervantiæ, neque domus Obſervantum in provincias tunc excreſcebant, ſed ſub Vicariis regebantur. Creſcentibus autem domibus in tractu Illyrico, Raguſini diviſi ſunt a Dalmatinis, & tamdem in duas excreverunt provincias.

Origo provinciæ Raguſii.

Gonz. in exordio prov. Raguſ.

XCI. Ad fœminarum Monaſteria devenio. In urbe Aquilana Beatus Joannes Capiſtranenſis, ſicut narravimus, hoc anno prædicabat, eumque præ aliis fructum tulit ſuarum concionum, ut Antoniam Florentinam & ſocias, duodecim Tertii Ordinis ſectatrices, ad perfectiorem & arctiorem vitam ſub primo Clariſſarum Inſtituto excitarit. Reliquerat Jacobus Calioſſus, nobilis Aquilanus, bona aliqua conſtruendo Monaſterio, ſub titulo Corporis Chriſti in loco ſancti Victorini, ſed ſub Regula ſancti Auguſtini & regimine Fratrum Prædicatorum. Initis hoc anno quibuſdam conventionibus cum Vice-procuratore Prædicatorum, ex conſenſu hæredum prædicti Jacobi, & Amici Epiſcopi Aquilani, Monaſterium adjudicatum eſt pauperibus Clariſſis, & poſſeſſiones Ordini Prædicatorum, pacta hæc approbante Nicolao Pontifice: *Gloriæ perennis*, viii. Idus Junii. In tantam crevit magnitudinem domus iſta, ut ultra centum contineat Moniales, ſub arctiſſima paupertate & magna pietate viventes, unde optimam in illa civitate, & vicinis urbibus famam ſunt conſecutæ. Opinionem & reverentiam augent quinque ſanctarum fœminarum corpora, diſtinctis loculis incluſa, prædictæ Antoniæ, primæ illius loci Abbatiſſæ, Jacobæ Aquilanæ, Ludovicæ ex eadem etiam urbe oriundæ, Bonaventuræ de Antrodoco, & Paulæ Fulginatis. Omnes miraculis & virtute floruerunt, quapropter ea in urbe in maxima habentur veneratione.

Hoc anno n. 16.

Monaſter. Corporis Chriſti Aquilanum.

Gonza. in Prov. S. Bernard. Monaſt. 1.

XCII. Diximus ſuperius, Albertum Sartianenſem virginibus & viduis domicilium poſuiſſe in urbe Brixienſi, ut ſub Regula ſanctæ Claræ Deo famularentur. In eadem urbe hoc anno alteram ejuſdem Inſtituti domum inchoavit, favente Senatu, & hoſpitale ſancti Chriſtophori in hunc uſum concedente. Hortum adjunxit Præpoſitus domus ſanctorum Jacobi & Philippi Ordinis Humiliatorum: *Inter univerſa*, iii. Kal. Octobris. Aliorum Monaſteriorum occurrit memoria, etſi alias fundatorum, & a nobis deſcriptorum: ſancti Stephani in Burgo urbis Sueſſanæ, quod a Superiorum Ordinis ad Epiſcopi jurisdictionem hoc anno translatum eſt: Ortani, ſub invocatione ſancti Georgii extra muros, quod ob ſummam paupertatem ſub Eugenio juſſum eſt extingui & uniri menſæ Epiſcopali; ſed hoc anno adhuc perſeverabat, & proviſum eſt, ut Epiſcopus de reditibus, quos percipiebat, Monaſterii, æquam portionem daret Abbatiſſæ & Monialibus ſan-

Ann. 1446. n. 24. Monaſt. Brixien.

Monaſt. Sueſſanum. Ortanum.

Digitized by Google

ſancti Pauli de Favarone extra muros Peruſii, quod Dominicus tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Sedis Apoſtolicæ Legatus in illis partibus, propter rationabiles cauſas univerat Monaſterio ſanctæ Mariæ Montis-Lucidi ejuſdem Ordinis; ſed Pontifex ad importunas Civium, Monialium, & conſanguineorum ipſarum preces in priſtinum ſtatum reſtituit.

XCIII. Mediolanenſis Monaſterii ſanctæ Mariæ de Cantalupo Moniales valde cupiebant a Fratribus Regularis Obſervantiæ Cœnobii beatæ Mariæ de Angelis, * extra muros urbis gubernari. Sed hi detrectabant, aſſerentes Monaſterium a ſua primæva fundatione inſtitutum eſſe ſub Regula ſancti Auguſtini, proinde licet habitum geſtarent ſanctæ Claræ, non licere ſibi regimen aſſumere. Suppreſſit itaque & extinxit Pontifex ibidem Regulam & Inſtitutum ſancti Auguſtini, inſtituitque ut ſub ſanctæ Claræ Ordine deinceps militarent: *Sacræ Religionis*, VII. Kal. Septembris. Jam ante aliquot annos, dereliɑa Regula ſancti Auguſtini, obſervabant primam & ſtrictam Clariſſarum, ita perſuadente ſancto Bernardino Senenſi, dum primum Mediolani prædicaret, qui ablegari cupiebat nimiam morum laxitudinem, & Regulæ tranſgreſſionem, quæ ſenſim erat introducta. Mutato titulo, nunc vocatur *Monaſterium ſancti Bernardini*, ob introductam ab illo reformationem. Ante ducentos annos geſtaſſe Moniales habitum ſanctæ Claræ narrat diploma Pontificium, atque totidem vel plures ab erectionis tempore numerare oportet, ſi verum eſt, quod Gonzaga narrat, Florianam Crivellam, Urbani Pontificis ſororem, plures reditus & bona huic Monaſterio contuliſſe; cum Urbanus ex gente Crivella *tertius* ſit recenſendus hujus nominis, iſque anno MCLXXXV. aſſumptus ſit ad Pontificatum. Ab Urbano IV. conceſſis privilegiis mitigatum eſſe apud eas rigorem primæ regulæ Clariſſarum, idem narrat Gonzaga, & Cœnobium eſſe capaciſſimum centum Monialium, duaſque habere Eccleſias, unam exteriorem, alteram interiorem.

Mediolan. de Cantalupe.

* Al. S. *Angeli. Gonzag. in Provinc. Mediolanen. Monaſt.4. Vide infra ann.* 1449.

XCIV. Floruerunt hic multa pietate, præter alias, Dorothea Liſſonia a Modoetia, miraculis & ſpiritu prophetiæ illuſtris, Paula Iſabella Mediolanenſis, paupertatis & jejunii virtutibus ſingularis, Angela Seraphina de Daveriis, paſſionis Dominicæ aſſidua meditatrix & particeps, Paula Maria Comenſis, corporis maceratione & regulari Obſervantia inſignis, Angela Felix Parpaliona, quæ perpetuo a carnibus abſtinuit; ſemel dumtaxat in hebdomada manducabat, & leguminibus ut plurimum veſcebatur. Perpetuo hærebat in choro ſive Eccleſia, ſacris meditationibus intenta. Propter admiſſas poſſeſſiones, præſertim villam Cantalupi, cujus habent dominium directum & utile, vocantur Sorores hujus Monaſterii: *Dominæ ſancti Bernardini*.

XCV. Etiam ſub hunc annum Monaſterium ſancti Antonii Barcinonenſe (quod ad Inſtitutum Benedictinum deflexiſſe alias commemoravimus) Regulam ſanctæ Claræ obſervabat, uti ex diplomate Nicolai manifeſte conſtat, in quo Abbatiſſæ auctoritatem & privilegium concedit inſtituendi & nominandi quoſdam Sacellanos ad beneficia Eccleſiaſtica, ſita in altaribus ſanctæ Mariæ, ſancti Antonii Viennenſis, ſancti Antonii Patavini, ſancti Bernardi & ſancti Jacobi. Vocat autem Abbatiſſam Monaſterii ſancti Antonii Barcinonen. Ordinis ſanctæ Claræ, alias ſancti Damiani. Hæreo itaque adhuc in dubio illo, quod alias expoſui, circa tempus, quo Moniales hujus ædis ad Benedictinum Inſtitutum tranſmigrarint. Monaſterio ſanctæ Claræ Villæ Comitis, Braccaren. diœceſis, confirmat unionem Eccleſiæ Parochialis ſancti Joannis ejuſdem villæ, alias factam per Archie-

*Tom.2.an.*1213. *n.*36.

Monaſter. S. Anton. Barcinonen. quando tranſivit ad Benedictinos.

Monaſter. Villæ-Comitis.

piſcopum Braccarenſem, mox per Eugenium Pontificem.

Varia domicilia Tertii Ordinis.

XCVI. Tertii Ordinis varia occurrunt hoc anno monumenta. Hujus Inſtituti profeſſoribus per Italiam plurima indulſit hoc anno Pontifex privilegia circa domorum erectionem, ſtatutorum conditionem, Viſitatoris & Confeſſoris electionem, aliaque hujuſmodi. Hoſpitale ſanctæ Crucis de Aravolte extra muros Narnienſes gubernari ſolitum per Sorores Tertiarias, propter malam adminiſtrationem juſſit committi curæ Thomæ Ladislai civis Narnien. & Petri Ariminenſis Presbyteri ejuſdem Inſtituti. Domui beatæ Mariæ Novæ, Terræ Montis-Ulmi, Firmanæ diœceſis, Fratrum ejuſdem Tertii Ordinis ſub regulari Obſervantia viventium, univit capellam ſanctæ Mariæ de Cruce, prope muros ejuſdem oppidi. Jubet dari Franciſco Verzino Calabro Tertiario capellam ſanctæ Mariæ de Priſſano ſitam in territorio Caſtri ſancti Lucidi, Cuſentinæ diœceſis, ut domum ſibi aliiſque ſui Inſtituti Conſodalibus ædificet. Fratribus & Sororibus univerſis ejuſdem Ordinis, tria vota Religionis emittentibus, in Morinen. Cameracen. Tornacen. & Leodien. diœceſibus, multa concedit circa Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentorum deligendos Miniſtros, circa Viſitatores & Miniſtros, modumque vivendi; atque ut Vicario Regularis Obſervantiæ Fratrum Minorum provinciæ Franciæ ſubdantur, indulget. In prædicta diœceſi Leodien. juſſit diſcriminari habitum Fratrum Pœnitentum in propriis domibus habitantium, ab habitu eorum, qui regulariter vivebant in domibus religioſis, & religioſa vota emittebant, & quod hi geſtarent caputia parva ſupra mantellum cum ſcapulari, quemadmodum portabant Fratres prædicti Ordinis in Zelandiæ & Hollandiæ provinciis, necnon in diœceſi Morinenſi; illi vero degentes in ſeculo uniformem gererent habitum, & viverent ſub uno Miniſtro Generali, juxta ſtatuta & privilegia eiſdem conceſſa per Joannem de Erkel, olim Epiſcopum Leodienſem, & a Nicolao IV. approbata.

XCVII. Sororibus ejuſdem Inſtituti, Catarinæ Sanctorii Viterbienſi, Lauræ Angeli Hiſpellati, Margaritæ Silveſtri Tudertinæ, Angelæ Colutii de Bieda, Viterbienſis diœceſis, & Franciſchinæ Scaramucciæ Romanæ, in civitate Viterbienſi, ſub arcta & incommoda nimis domo habitantibus, indulſit, ut alteram regulari Inſtituto opportunam poſſent conſtruere. Sorori Mariæ Varangæ Panormitanæ, atque aliis undecim collegialiter viventibus ſub hoc Inſtituto, ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Candelaria, ſive de populo, Panormitanæ diœceſis, indulſit, ut ibi vivere licite & tute poſſent, non obſtante conſtitutione: *Sancta Romana*. Joannis XXII. quæ videbatur prohibere congregationes utriuſque ſexus ſub hujuſmodi norma vivendi. Crevit hæc domus in amplum Monaſterium, & duravit uſque ad annum MDLXXXVI. Cæſar Merullus Archiepiſcopus Panormitanus, ut vivendi licentiam frænaret, ſtatuit & coegit, ut Moniales ad alia meliora ejuſdem diſciplinæ collegia emigrarent. Domus ipſa ceſſit Fratribus reformatis Ordinis ſancti Auguſtini.

Vide Pyrrum in notitia Panormit.

Privilegia.

XCVIII. Refero breviter privilegia aliquot Clariſſis conceſſa. Confirmavit Nicolaus, quæ Bonifacius VIII. & Joannes XXII. indulſerant, nimirum ne ſolverent decimas, aut alia quæcumque exactionum gravamina, præſertim in regnis Caſtellæ & Legionis: *Licet Romanus Pontifex*, pridie Kal. Julii. Monaſterium ſanctæ Margaritæ extra muros Eugubinos, quod indebito fine & modo, excuſſo jugo Superiorum Ordinis, ſe ſubjecerat regimini Epiſcopi, ad priſtinum redire ſtatum poſt multas altercationes præcepit: *Sedis Apoſtolicæ*, IV. Kal. Auguſti. Modum eligendæ Abbatiſſæ, & alia

& alia pleraque circa regimen Monaſteriorum præſcripſit: *Digna reddimur*, VII. Non. Martii. Monaſterio Corporis Christi Neapolitano multa a prædeceſſoribus conceſſa confirmavit, alia noviter adjecit: *Sacræ Religionis*, X. Kal. Octobris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. NOn explevit annum XVI. in ſuo Pontificatu Eugenius IV. cum „ tantum ſederit annos XV. menſes XI. cum viginti uno diebus, „ & ſuprema infirmitate correptus Romæ ad Vaticanum ſanctiſſime obierit „ VII. Kal. Martii, & in Baſilica ſancti Petri, pulchro & ſumptuoſo ſepul- „ cro ſepultus fuerit: miras viciſſitudines in ſuo Paſtorali regimine paſſus, „ non omnibus æque, ſed Minoritis de Obſervantia, quod eos maxime „ foverit, apprime laudatus. Vacavit Sedes dies decem, ac pridie nonas „ Martii Thomas de Sarzana, oriundus a Luca, unde Lucanus dictus (non „ enim ſtemmatibus glorioſus, ſuæ gentis cognomem præſeferebat, ſed „ propria virtute clarebat) cum eſſet Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis, „ in ſupremum Eccleſiæ Paſtorem electus, XIV. Kal. Aprilis in gradibus „ Baſilicæ Vaticanæ per manus Proſperi Cardinalis Columnæ S. R. E. Ar- „ chidiaconi coronatus eſt, & Nicolaus V. nominatus: qui, cum eſſet ho- „ mo pacis, Ferrariam ubi Oratores Veneti atque Florentini convene- „ rant, Legatum miſit, ut de Pace cum Philippo Maria Vice-Comite „ Mediolanenſium Duce ageretur; eratque fere concluſa, quando fama „ promulgante præfati Ducis obitum, eumque vocaſſe hæredem hoſtem „ ſuum Alphonſum Aragoniæ Neapolis Regem, omnia perturbata & con- „ fuſa fuere: Mediolanenſes libertatem proclamarunt, & eos imitati Tici- „ nenſes & Parmenſes idem fecere; ſed Lauda & Placentia ad Venetos „ declinarunt.

Eugenii obitus.

Dogl. cit. ſup.

„ II. Nicolaus Pontifex vigilans ſuper Dominicum gregem, in limine „ fere ſuæ aſſumptionis, ſtatuit Fratres Tertii Ordinis S. P. Franciſci de „ Pœnitentia nuncupatos, regimini Fratrum ſancti Spiritus Ferrarienſium „ ſubeſſe: *Romani Pontificis &c.* pridie Idus Martii. Tribus ante diebus „ ſuam coronationem, ideſt XVII. Kal. Aprilis, determinavit diſtantiam „ Conventus Vici ab aliis: *Inter &c.* & ipſa die ſuæ Coronationis, confir- „ matis litteris Eugenii IV. ſui prædeceſſoris pro Clariſſis Villæ Comitis, „ Bracharenſis diœceſis: *Rationi congruit &c.* necnon conceſſis exem- „ ptionibus domui ſancti Spiritus provinciæ Aragoniæ, & ſuorum Præde- „ ceſſorum litteris aſſertis: *Rationi congruit &c.* III. Kal. Aprilis Epiſcopo „ Eugubino pro quadam donatione facta Tertiariis Terræ Gualdi in diœ- „ ceſi Nucerina ſcripſit: *Ad ea, per quæ &c.* ſubinde pridie nonas Aprilis „ dato brevi ſpeciali pro fratre Dominico Maſcardo, & ſociis Cremonen- „ ſibus Tertii Ordinis: *Ad ea quæ &c.* Per aliud incipiens eodem modo, „ decrevit nonnullas domus Fratrum, Biſuntinæ diœceſis, Vicario Fra- „ trum de Obſervantia ſubeſſe XV. Kal. Maii: fratri Joanni Mauberto pro „ unione Provinciarum: *Quia experientia &c.* ſcripſit. II. Kal. Maii tam „ perſonas Fratrum, quam eorum bona a cujuſcumque juriſdictione exe- „ mit: *Quia nonnulli &c.* pro capella ſanctæ Mariæ Caſtri ſancti Lucidi „ Tertii Ordinis, in Cuſentina diœceſi, quodam breve expedivit: *Sacræ* „ *Religionis &c.* pridie nonas Maii: & pro Abbatiſſa ſancti Georgii Hor- „ tanæ aliud ſimili modo incipiens, XIII. Kal. Junii, & pridie Kal. ejuſdem „ Epiſcopo Melſiano ſcripſit circa bona fratris Antonii de Monte Falcone:

Indic. ex Vatic.

Ex copia.

Ex Archiv. SS. Apoſt. & Aracœli.

In

„ *In ſupremæ dignitatis &c.* & ipſis Kalendis pro Fratribus Tertii Ordinis in Firmana diœceſi beatæ Mariæ Novæ Montis-Ulmi: *Ad ea Romanus &c.* VII. vero Kal. Julii Breve dedit: *Cum intellexerimus &c.* pro eleemoſyna Conventus ſanctæ Mariæ de Angelis, & Monaſterio Clariſſarum Aſſiſii; & V. nonas ejuſdem pro Sororibus Tertii Ordinis, diœceſum Morinen. Cameracen. Tornacenſis & Leodienſis: *Sacræ Religionis &c.* Kalendis autem Auguſti Fratribus Tertii Ordinis poſſe uti latiore habitu, quo diſtinguerentur ab Eremitis, indulſit: *Hodie ſiquidem &c.* cujus rei in Archivo SS. Apoſtolorum de Urbe eſt Bulla incipiens: *Paſtoralis officii &c.* pro Monaſterio beatæ Mariæ de Baſico, Meſſanen. diœceſis breve expedivit: *Digna redimur &c.* idibus præſati menſis: Tertii Ordinis Fratres Leodienſes voluit reformari: *Sedes Apoſtolica &c.* XIV. Kal. Septembris: & contra Emulos Fratrum Minorum Bituricenſium in Gallia, ad Archiepiſcopum Turonenſem, alioſque Prælatos ſcripſit: *Sedes Apoſtolica &c.* VI. Kal. Septembris; & pridie Idus ejuſdem pro quibuſdam bonis capellæ Angelorum ſancti Franciſci Ariminen. *Univerſalis Eccleſiæ &c.* XIII. Kal. Octobris beneficium Clariſſis Barchinonenſibus conceſſit: *Inter cetera &c.* ad Sorores Tertii Ordinis ſanctæ Mariæ de Candelaria Panormitan. litteras direxit: *Proviſionis noſtræ &c.* V. nonas ejuſdem, & ad nonnullas Sorores ejuſdem Tertii Ordinis, in diœceſi Viterbienſi alias: *Copioſa Sedis &c.* III. Kal. Decembris: nobis vero ejuſdem nonnullos Conventus provinciæ Boſnæ voluit ſub obedientia Vicarii: *Ad ea &c.* ac tamdem XIII. Kal. Januarii ad Fratres Tertii Ordinis de Pœnitentia dictis circa Hoſpitale ſanctæ Crucis de Arovalte Narnien. breve direxit: *Sedis Apoſtolicæ &c.*

„ III. His temporibus inter Siculos Fratres, Anonymum ejuſdem nationis, profeſſione Laicum Converſum, pietate, religione, pluribuſque aliis virtutibus inſignem, eiſque eam Provinciam mire exornaſſe, Freſque ſuos jugiter ad meliora chariſmata excitaſſe; ac tamdem hoc anno Corleone die XIX. Junii ſancte obiiſſe, refert auctor Beatorum Arboris illius provinciæ, Eminentiſſimo Simeoni de Aragonia S. R. E. Cardinali Talliavia dedicatæ, ut refert in ſuo Theatro Seraphico Hieronymus a Bajardo, Religioſus admodum pius. Floruit etiam in Monaſterio Clariſſarum ſanctæ Mariæ, ſeu ſancti Bernardini de Cantalupo, quarto provinciæ Mediolanenſis, Soror Angela Seraphina de Daveriis, ſapiens Virgo de numero prudentum, quæ lampade ne vacua cœleſti Sponſo obviaret, ad crucem Domini patientis vigilans, aſſidua meditatione, ejuſdem compaſſione, ac amoris dulciſſima teneritudine confortabatur: per idem etiam tempus ibidem, pluribus chariſmatibus & virtutibus cumulata clarebat ſoror Paula Maria, patria Comenſis, corporis maceratione & regulari Obſervantia inſignis: cujus meminit in ſuo Martyrologio Franciſcano Arthurus de Monaſterio.

Monumt. MSS. illius Monaſt. ad annum 1447. 5. Idus Febr.

Angela Seraphina de Daveriis.

Paula Maria Comenſis.

fol. 40. §. 10.

RE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

EUGENII IV.

ANNO CHRISTI 1437. PONTIFICATUS ANNO 7.

BULLA I.

Eximuntur a ſolutione quartæ partis Ordinario debitæ. Ex lib. I. de Regularibus anno 7. fol. 240.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ de Baſico Meſſanen. Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. SACRÆ Religionis zelus, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, devotum ac ſedulum exibetis Altiſſimo famulatum, non indigne meretur, ut votis veſtris, illis præſertim, per quæ veſtro & Monaſterii veſtri beatæ Mariæ de Baſico, Meſſanen. diœceſ. Ordinis ſanctæ Claræ, ſtatui & indemnitati conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet vos a quinque annis citra in Monaſterio prædicto ſub regulari dicti Ordinis Obſervantia laudabiliter permanſeritis, ac in Monialium numero multiplicatæ permaneatis etiam de præſenti, & alias in Eccleſiis, ac aliis ſtructuris, & ædificiis reformaveritis, ac ad perfectionem reformationis hujuſmodi intendatis: tamen quia ad illam faciendam, ac pro ſuſtentatione veſtra, ac aliis inibi oneribus ſupportandis, ipſius Monaſterii facultates ſuppetere poſſe non videntur, vos plura incommoda de cetero pati plurimum dubitatis, & a receptione plurium mulierum, quæ una vobiſcum in prædicto Monaſterio ſub regulari habitu vivere deſiderant, vos retrahitis. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi omnium pecuniarum, rerum, ac bonorum mobilium & immobilium, vobis ac dicto Monaſterio, pia largitione vel alias quomodolibet ex nunc in antea legandorum, ſeu relinquendorum, aut alias a vobis acquirendorum, quarta pars, loci Ordinario tunc debita, vobis libere dimitteretur, ex hoc etiam plures fidelium eorumdem ad exhibendum vobis & dicto Monaſterio plura caritatis ſubſidia facilius invitarentur, ipſumque Monaſterium in ſpiritualibus & temporalibus plura ſuſciperet incrementa.

§. II. Nos igitur &c. vos, ſi eſt ita, ac alias futuras Abbatiſſam & Moniales ſub hujuſmodi Obſervantia dumtaxat in prædicto Monaſterio degentes, ipſumque Monaſterium a quibuſcumque ſolutionibus quartæ partis omnium & ſingulorum pecuniarum, rerum & bonorum, hinc ad decennium a data præſentium computandum, vobis & dicto Monaſterio a fidelibus legandorum, relinquendorum, ſeu alias per vos acquirendorum, hujuſmodi Archiepiſcopo Meſſanen. pro tempore exiſtenti faciendis & debendis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium eximimus pariter & liberamus; necnon vobis, dictiſque Abbatiſſæ & Monialibus in hujuſmodi

Obſervantia perſiſtentibus, eadem auctoritate concedimus, quod ad ſolvendum quartam partem, ſeu alias aliquid illius ratione de pecuniis, rebus ac bonis infra decennium relinquendis, legandis ſeu acquirendis, hujuſmodi Archiepiſcopo prædicto minime teneamini, nec ab eodem vel alio quomodolibet ad id invitæ compelli poſſitis: decernentes ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, quaſcumque excommunicationnm, ſuſpenſionum & interdicti ſententias, cenſuras & pœnas in ſe continentes, quos contra exemptionem, liberationem & conceſſionem prædictas haberi, ſeu fulminari contigerit, irritos &c. Nulli ergo &c. noſtræ liberationis, exemptionis, & conceſſionis, ac conſtitutionis infringere.

Datum Bononiæ anno &c. MCCCCXXXVII. Pridie Nonas Maii, anno VII.

II.

Ut reformet Monaſterium ſancti Guillelmi Ferrarien. Ex Archivo ſecreto lib. 12. Bullar. fol. 18.

Dilecto filio Joanni de Capiſtran. Ordinis Minorum &c.

§. I. AD Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum, ac in eis præſertim ſub fragili ſexu, & ſacræ Religionis habitu degentium perſonarum omnium ſtatum ſalubriter dirigendum paterna ſollicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus, & ut illa ex eis, quæ deformationis opprobrio ſubjacere videntur, optatæ reformationis beneficio gaudeant, opem & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficacem. Sane ad audientiam noſtram nonnullorum fide dignorum relatione, non ſine cordis noſtri diſplicentia, deductum extitit, Monaſterium Monialium ſancti Guillelmi Ordinis ſanctæ Claræ extra muros Ferrarien. propter incuriam & negligentiam, ac malum regimen Sororum in eo degentium, ac alias ex nonnullis cauſis, divino cultu & regulari Obſervantia in illo poſtpoſitis, tam in capite quam in membris deformationi non modicæ ſubjacere, pluraque propterea etiam cum Religionis opprobrio, divinique cultus diminutione, & fidelium ſcandalo ſuſcipere detrimenta &c.

§. II. Nos igitur &c. devotioni tuæ &c. mandamus, quatenus ad Monaſterium prædictum perſonaliter te conferens, ipſum auctoritate noſtra viſitare, necnon de vita & moribus, ac regimine Abbatiſſæ & Sororum in eo degentium te diligenter informare cures. Nos enim tibi Monaſterium ipſum tam in capite quam in membris viſitandi, & in eo reformationis officium juxta ſanctiones Canonicas, & prædicti Ordinis regularia inſtituta exercendi, exequendi & adimplendi; necnon omnes & ſingulas perſonas dicti Monaſterii pro earum exceſſibus, criminibus & delictis, prout tibi viſum fuerit, alias juxta ſanctiones & ſtatuta prædicta corrigendi, puniendi, carcerandi, & alias a regimine & adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium dicti Monaſterii in perpetuum amovendi, vel ad tempus ſuſpendendi; aliaque omnia & ſingula, quæ ad prædicti Monaſterii & perſonarum hnjuſmodi ſalutem & commodum, necnon eorumdem ſpiritualium & temporalium adminiſtrationem, Religionis & cultus præfatorum conſervationem, necnon morum, vitæ & honeſtatis regularem ampliationem tibi expedire videbitur, reformandi, ordinandi & exequendi; necnon perſonas Monaſterii prædicti, de quibus tibi videbitur, ad alia Monaſteria ejuſdem Ordinis, prout tibi expedire videbitur, transferendi: Con-

Contradictores &c. compeſcendi, aliaque, ut præfertur, gerendi, faciendi &c. invocato &c. brachii ſecularis, plenam &c. concedimus facultatem. Non obſtan. ſtatutis &c.

Datum Bononiæ anno &c. MCCCCXXXVII. VI. Kal. Junii, anno VII.

III.

Ut poſſint benedicere veſtes, calices, corporalia, & alia ad uſum Eccleſiarum & Sacerdotum ſpectantia. Ex lib. I. de Regularib. an. 7. fol. 270.

Dilectis filiis Cuſtodibus & Vicario Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, in Vicariatu Boſnæ conſtitutis.

Piis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod propter locorum diſtantiam & diſcrimina, quæ ſine magnis difficultatibus adire non poteſtis, corporalia, veſtes, calices & cetera ad uſum Sacerdotum & altarium pertinentia, in partibus Vicariatus Boſnæ ab Epiſcopis, juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem, plerumque benedici non poſſunt. Et ſicut eadem petitio continebat, ne divini officii cultus, qui in partibus illis plurimum neceſſarius dignoſcitur, diminuatur, ſive retardetur, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. vobis & cuilibet veſtrum, quando Epiſcopi præſentia ſine magno incommodo a vobis haberi non poterit, ut corporalia, veſtes, calices & cetera ad uſum Sacerdotum & altarium perrinentia, ſolitis ceremoniis adhibitis, benedicere valeatis, conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Bononiæ anno &c. MCCCCXXXVII. III. Idus Junii, anno VII.

IV.

Ut Fratribus tertii Ordinis conferat capellam ſanctæ Eulaliæ de Trevio in domum erigendam. Ex lib. 2. de diverſis formis an. 7. fol. 8.

Venerabili Fratri Epiſcopo Legionen.

§. I. Exigit dilecti filii Joannis de Oviedo civis Oveten. devotionis ſinceritas, qua nos & Romanam Eccleſiam reveretur, ut ea, quæ pro divini cultus augmento per ipſam provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, confirmationis munimine roborentur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte ipſius Joannis petitio continebat, quod cum olim ipſe cupiens terrena in cœleſtia &c. commutare, de bonis a Deo ſibi collatis quamdam capellam in honorem beatæ Mariæ Magdalenæ, infra limites parochialis Eccleſiæ ſanctæ Eulaliæ de Trevio, Aſtoricen. diœceſ. pro loco oratorii, & manſionis unius perpetui Eremitæ inibi Altiſſimo ſerrituri, pro ſua & ſuorum animarum ſalute inſtituiſſet, fundaſſet, & erigi ab Ordinario loci obtinuiſſet, illamque de bonis ſuis hujuſmodi ſufficienter dotaſſet; poſtmodum tamen ipſe Joannes zelo devotionis accenſus, quem ad Fratres de Tertio Ordine ſancti Franciſci gerere comprobatur, capellam ipſam ſive oratorium, de conſenſu & auctoritate venerabilis fratris noſtri Sanctii Epiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Aſtoricen. in locum ipſorum Fratrum de tertio Ordine erigi, deputari & inſtitui procuravit, & cetera ad hoc neceſſaria fecit & ordinavit, prout in inſtrumento publico, dicti Epiſcopi ſigillo vallato plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjun-

gebat, idem Joannes cupiat pro ſuæ devotionis incremento, & ipſorum Fratrum ſtatu & pace, erectionem, inſtitutionem & deputationem prædictam Apoſtolico munimine roborari, pro parte ipſius Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus &c. te diligenter informes &c. & ſi ad id quorum intereſt accedat aſſenſus &c. inſtitutionem &c. omnia in præfato inſtrumento contenta &c. confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forte intervenerint in eiſdem, ac ipſis Fratribus, quantum opus ſit, pro uſu & habitatione ipſorum in perpetuum, tradas, dones etiam & conſignes: conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcumque. Nos enim, ſi inſtitutionem &c. per te fieri contigerit, ut præfertur, omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere &c. decernimus; jure &c. ſalvo.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. II. Kal. Julii, anno VII.

V.

Ut Clariſſæ admittant Monaſterium in loco de Heſdino a Duciſſa Burgundiæ erigendum. Ibidem fol. 47.

Dilecto filio Officiali Morinen.

§. I. Eximiæ devotionis affectus, quem dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Iſabella Duciſſa Burgundiæ ad nos & Romanam gerit Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitiones ſuas, illas præſertim quæ ad laudem Altiſſimi, ac Religionis propagationem cedere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictæ Duciſſæ petitio continebat, quod ipſa cupiens terrena &c. commutare &c. unum Monaſterium cum Eccleſia, campanili &c. officinis in loco de Heſdino, Morinen. diœceſ. pro uſu & habitatione quarumdam dicti Ordinis Monialium, quarum una illius Abbatiſſa exiſtat, quæ inibi ſub Regulari Obſervantia dicti Ordinis, ac perpetua clauſura, & arctiſſima paupertate vivere deberent, de novo conſtruere & ædificare, ſeu quoddam in eodem loco per dilectum filium Guidonem Guilbaut, dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ Theſaurarium, ad ſimiles uſum & habitationem inchoatum Monaſterium ulterius perficere &c. intendit &c. Quare pro parte dictæ Duciſſæ nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita &c. præfatæ Duciſſæ unum in loco præfato cum Eccleſia, campanili &c. officinis de novo conſtruendi & erigendi, ſeu jam inceptum Monaſterium hujuſmodi ad debitam perfectionem deducendi, ſeu conſtrui & erigi, aut deduci faciendi, pro uſu tamen & habitatione perpetuis Abbatiſſæ & Monialium prædictarum, quæ inibi ſub Obſervantia, clauſura & paupertate hujuſmodi perpetuo vivere debeant; necnon ipſis Monialibus illud recipiendi &c. licentiam largiaris. Nos enim, ſi licentiam per te, vigore præſentium concedi, & Monaſterium hujuſmodi perfici contingat, Abbatiſſæ & Monialibus in dicto Monaſterio pro tempore degentibus, earumque ſervientibus & perſonis, ut ipſæ & earum ſingulæ quibuſcumque privilegiis &c. conceſſis, uti valeant &c. indulgemus.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. V. Kal. Julii, anno VII.

VI. *Ut*

VI.

Ut Monaſterio ſancti Guillelmi Ferrarien. idoneam Monialem in Abbatiſſam præficiat. Ex Archivo ſecreto lib. 12. Bullarum fol. 21.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano Fratrum Ordinis Minorum &c.

§. I. Dudum de providentia & integritate, ceteriſque virtutibus, quibus te earum largitor Dominus inſignivit, præcipuam in Domino fiduciam obtinentes, cum multa nobis enormia & abominanda tam circa diſſolutionem vitæ Monialium, quam malum regimen, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus Monaſterii ſancti Guillelmi extra muros Ferrarien. noſtris fuiſſent ſæpius auribus intimata, diſcretioni tuæ per noſtras certi tenoris litteras commiſimus & mandavimus, quatenus ad dictum Monaſterium perſonaliter accedens, ipſum, prout tibi ſecundum Deum, & ipſius Monaſterii regularia inſtituta videretur, viſitares, & tam in capite quam in membris reformares, omniaque faceres, diſponeres & ordinares, quæ tibi pro bono ſtatu, ac reformatione ejuſdem Monaſterii neceſſaria fuiſſent &c.

§. II. Demum, cum tu mandata noſtra diligenter, quantum tibi Altiſſimus condonavit, fueris executus, multaque pro bono ſtatu dicti Monaſterii ſalutaria diſpoſueris & ordinaveris, quæ, niſi nova in dicto Monaſterio Abbatiſſa eligatur, non videntur ſucceſſum efficacem habitura fore: & ſi in Moniales, ſeu Capitulum dicti Monaſterii electio hujuſmodi conferatur, propter voluntatum varietatem & diverſitatem morum, veriſimiliter hujuſmodi electio non poterit pacifice & canonice celebrari. Quocirca Nos de ſinceritate & integritate tuis firmam in Domino ſpem gerentes, devotioni tuæ, familiari experientia multipliciter nobis notæ, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus ad Monaſterium memoratum iterum, & quoties pro actu iſto opus fuerit, perſonaliter accedens, perſonam aliquam de Capitulo dicti Monaſterii, prout tibi melius viſum fuerit, ad id idoneam, in Abbatiſſam dicti Monaſterii dicta auctoritate eligas, eidem curam, regimen & adminiſtrationem ipſius Monaſterii in ipſis ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Nos enim tibi hujuſmodi ſic electam Abbatiſſam confirmandi, conſecrandi, in poſſeſſionem ipſius Monaſterii, ac bonorum & rerum dicti Monaſterii, ſecundum ipſius Regularia Inſtituta, per te vel alium inducendi, omniaque alia & ſingula circa hoc faciendi & gerendi, quæ ad id neceſſaria fore videris ſeu etiam opportuna, facultatem & poteſtatem plenam & liberam, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. VI. Idus Julii, anno VII.

VII.

Ut libri a Fratribus domus S. Franciſci a Vinea de Venetiis acquiſiti, poſt ipſorum obitum in eadem remaneant. Ex lib. 1. de Regularib. an. 7. fol. 263.

Dilectis filiis, Guardiano & Fratribus Conventus ſancti Franciſci a Vinea de Venetiis, Caſtellan. diœceſ. Ordinis Minorum de Obſervantia *nuncupat. præſentibus & futuris*.

Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas piis fidelium, præſertim ſub Religionis habitu Domino militantium, votis libenter annuit, & honeſtis co-

eorum precibus favorem benevolum impertitur. Sane exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod cum nonnullos Fratres de veſtro Conventu nonnumquam emptionis, ſeu alio quovis titulo libros de eleemoſynis pia fidelium Venetorum iiſdem largitione collatis procurare, eoſdemque, poſtquam ipſos ad eorum uſum toto tempore vitæ ſuæ tenuerunt, ipſis viam univerſæ carnis ingreſſis, ad manus perſonarum a dicto Conventu extranearum ſæpius devenire contingat, in prædicti Conventus grave præjudicium & jacturam; quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos veſtris opportunitatibus providere cupientes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ, ut prædicti libri, poſtquam Fratres, qui illos, ut præmittitur, obtinuerint, defuncti fuerint, ad prædictum Conventum veſtrum ipſo facto devolvantur, ac eidem pleno jure cenſeantur acquiſiti, ita ut vos ſeu per vos deputati, propria auctoritate veluti res ipſius Cenventus capere, & ad ipſum Conventum deferre, ac in uſum ipſius deputare valeatis, tenore præſentium indulgemus; privilegiis, conſtitutionibus ſeu ſtatutis, vel indultis ipſi Ordini, ſeu ejus perſonis quoquomodo conceſſis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. IV. Non. Aug. anno VII.

VIII.

Confirmatur donatio Eccleſiæ ſanctæ Birgittæ, & hoſpitalis ſancti Martini prope muros Meſſanen. Tertiariis facta. Ex lib. 2. de Regularib. an. 7. fol. 300.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſanctæ Mariæ Rocheamatoris, Meſſanen. diœceſ. & Henrico de Avellino Canonico Meſſanen.

AD ea ex Apoſtolicæ ſervitutis officio libenter intendimus, per quæ Eccleſiarum & Hoſpitalium, aliorumque piorum locorum, necnon piæ ſtudio vitæ famulantium Domino perſonarum ſtatui conſulitur, libenter intendimus, & iis quæ propterea proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, dum a nobis petitur, Apoſtolici diſponimus adjici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Antonii Scataretica, Fratris tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater noſter Bartholomæus Archiepiſcopus Meſſanen. attendens, quod Eccleſia ſine cura S. Birgittæ extra muros Meſſanen. & hoſpitale pauperum ſancti Martini prope dictam Eccleſiam conſiſtens, in ſuis ſtructuris & ædificiis deformata &c. ſubjacebant, illaque tunc certis modis vacarunt, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis Antonio prædicto, qui etiam tunc Presbyter erat, necnon aliis Fratribus ipſius Ordinis, pro eorum uſu & habitatione in perpetuum, auctoritate ordinaria conceſſit; necnon Antonius prædictus & aliqui alii Fratres dicti Ordinis, vigore conceſſionis & donationis hujuſmodi, corporalem Eccleſiæ & hoſpitalis prædictorum poſſeſſionem apprehendentes, illa ex tunc tenuerunt, prout tenent in uſus propios eorumdem. Quare pro parte dicti Antonii aſſerentis, quod Eccleſiæ trium, & hoſpitalis eorumdem ſeptem Florenorum auri de Camera, fructus, reditus & proventus, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut illas, ac quæcumque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica approbetis & confirmetis. Non obſtantibus omnibus &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. VII. Idus Aug. anno VII.

IX.

IX.

Ut poſſit Obſervantibus erigere Cœnobium in Vicaria Boſnæ. Ex lib. 2. de diverſis formis, anno 7. folio 84.

Dilecto filio nobili Viro Georgio Vaivodæ Marchioni partium infernalium Boſnæ.

APoſtolicæ nobis, licet immeritis, injunctæ deſuper ſervitutis officium nos curis perurget & inducit aſſiduis, ut circa ea, per quæ ad Dei laudem & gloriam Religioſis ubertas diſcendi ſecernitur, & cum ipſorum propagatione ſalutis divinus cultus augeri ſperatur, quantum ex alto permittitur, ſtudiis operoſis jugiter intendamus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu zelo devotionis accenſus &c. necnon ad Fratres Ordinis Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, ſingularem gerens devotionis affectum, unum in honorem & ſub vocabulo beatæ Mariæ Virginis Monaſterium, cum Eccleſia, campana &c. officinis pro nonnullis Fratribus dicti Ordinis, inibi virtutum Domino juxta regularia ejuſdem Ordinis inſtituta conventualiter perpetuo ſervituris, de novo fundare &c. deſideras &c. Nos igitur &c. tibi Monaſterium præfatum, in loco alias ad hoc idoneo & accommodo, & ſub regimine Vicarii Boſnæ conſiſtente, cum Eccleſia, campanili &c. pro Fratribus ipſis, juxta inſtituta præmiſſa ibidem ſua Domino vota directuris, de bonis tibi a Deo collatis fundandi &c. licentiam impertimur. Et nihilominus univerſis & ſingulis, quos in eodem fundando Monaſterio ſub regulari Obſervantia, pro tempore morari, ſive reſidere contigerit, ipſius Ordinis Fratribus, ut privilegiis &c. conceſſis, uti &c. valeant &c. indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis &c. jure &c. ſalvo. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. XII. Kal. Septembris, anno VII.

X.

Ut facta informatione privilegiorum, declaret Fratres & Sorores Tertii Ordinis poſſe ad ſecundas nuptias tranſire. Ex lib. 2. de Regularibus anno 7. fol. 253.

Venerabili fratri Jordano Epiſcopo Sabinen. &c.

§. I. EX injuncto nobis officii Paſtoralis debito, perſonas notæ Religionis divinis obſequiis perpetuo dedicatas, quantum cum Deo poſſumus, præſervamus a noxiis, & piis eorum petitionibus remediis opportunis occurrimus, ut eædem perſonæ debitum præſtare valeant, prout tenentur, quietius altiſſimo famulatum. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* communiter nuncupati, civitatis & diœceſis Aquilan. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet Fratribus Ordinem ipſum intrantibus & etiam profitentibus, quem glorioſus Chriſti Confeſſor beatus Franciſcus inſtituit, & in eodem Ordine receptis, neque ex regulari dicti Ordinis Obſervantia, neque ex privilegiis & indultis per felicis recordat. Nicolaum IV. qui normam & modum vivendi in eodem Ordine profeſſoribus ipſis regulares inſtituit, necnon Cœle-

leſtinum V. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, iiſdem profeſſoribus conceſſis, in eorum ingreſſu votum aliquod ſive caſtitatis, ſive continentiæ reperiatur indictum, per quod ad ſecunda & alia matrimonii vota, ſicut aliis Chriſtifidelibus ſecularibus, & in mundanis commerciis ſe gerentibus dignoſcitur, tranſire non poſſint. Nihilominus tum diverſi ſeculares partium illarum, privilegiorum hujuſmodi penitus ignari, non conſiderantes, quod hujuſmodi Fratres Ordinem ipſum ingreſſi, & in matrimonio conſtituti, eodem matrimonio juxta ipſius Ordinis regularia inſtituta licite uti poſſunt, ad fidelium aures, quod religioſi hujuſmodi ad ſecunda & alia vota prædicta tranſire non poſſunt, deducere non verentur, in Miniſtri, Fratrum & Sororum prædictorum præjudicium non modicum, & Ordinis hujuſmodi ſcandalum, vilipendium & jacturam. Quare pro parte eorumdem Miniſtri, Fratrum & Sororum, aſſerentium quod propter perſonarum hujuſmodi taliter detrahentium malitiam, eidem Ordini & profeſſoribus ſcandala plurima poſſent veriſimiliter exoriri, niſi per Sedem Apoſtolicam dubium hujuſmodi declaretur, ac pro parte ipſorum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ſcandalis hujuſmodi ſuccidendis, proque ſoliditate ſtatus & Obſervantiæ regularis dicti Ordinis, & ut etiam ipſi profeſſores religionis ejuſdem Ordinis, hujuſmodi conſuetudines & ſtatuta clarius & attentius complectantur, quo per eorum ſemitas facilius gradientur, declarare eis tramitem, per quem incedere poſſint & debeant, ad perpetuam rei memoriam, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. circumſpectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, necnon adjunctis tibi, prout videbitur, aliquibus ex profeſſoribus antedictis, honeſtis viris & Deum timentibus, privilegia, conſuetudines & ſtatuta hujuſmodi auctoritate noſtra recenſeas, & examines diligenter; ac quidquid pro regulari Obſervantia, proque ipſius Ordinis honeſtate, necnon Religioſorum hujuſmodi ſtatu utiliter & rationabiliter expedire & etiam congruere videbitur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, juris & æquitatis obſervato tramite, præſertim circa hujuſmodi matrimonia, ac ſecunda & alia vota, ad quæ religioſi hujuſmodi, ut præfertur, aſpirant, Apoſtolica auctoritate dilucides & declares, prout ſecundum Deum & rectam conſcientiam videbitur faciendum; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. X. Kalend. Septembris, anno VII.

XI.

Præficitur Eccleſiæ Lauſanen. Ex lib. I. de præbendis &c. anno 6. fol. 239.

Dilecto filio fratri Joanni Electo Lauſanen.

Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ Sedis ſpecula, licet immeriti conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus: ſed de illis propenſius cogitare nos convenit, quas propriis carere paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum viri præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam, ſalubriter dirigant & informent, ac Eccleſias ipſas non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incremen-

mentis. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Willelmo Epiſcopo Lauſanen. regimini Lauſanen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes &c. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia, per obitum ejuſdem Willelmi, qui extra Roman. &c. Nos vacatione &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum &c. providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. Idibus Septembris, anno VII.

XII.

Fratres & Sorores Tertii Ordinis Venetiis commorantes eximuntur a viſitatione Fratrum Minorum. Ex lib. 2. de Regularibus anno 7. fol. 86.

Venerabilibus Fratribus Caſtellanen. & Tarviſin. Epiſcopis.

§. I. AD ſacram Petri Sedem divina diſpoſitione vocati, juxta paſtoralis officii debitum, ſingulorum & præſertim ſub Regulari Obſervantia, piæ ſtudio vitæ degentium, penſare conditiones habemus, ut convenientem dirigentes ad ſingula reſpectum, ſic circa illorum ſtatum ſalubrem vigilanti cura vacemus, quod, ſuperni favoris affluente præſidio, proſperi ſucceſſus opere juventur, & excuſſis quæ diſpendii vel turbationis extiterint, optata ſuſcipiant jugiter incrementa. Dudum ſiquidem felic. record. Nicolaus Papa IV. prædeceſſor noſter inter cetera ſtatuit, quod Miniſtri & Fratres, ac Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncapati, civitatis & loci cujuslibet, ad viſitationem communem in aliquo loco religioſo vel Eccleſia, ubi locum hujuſmodi contingeret deeſſe, convenirent, & Viſitatorem haberent Sacerdotem, qui alicujus approbatæ Religionis exiſteret, ac illis de commiſſis exceſſibus injungeret pœnitentiam ſalutarem, nec quivis alius poſset eis hujuſmodi viſitationis officium exhibere, prout in ipſius prædeceſsoris inde confectis litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum, ac dilectarum in Chriſto filiarum Miniſtræ & Sororum domorum loci de Venetiis dicti Ordinis, Caſtellan. diœceſis, petitio continebat, Generalis & Provincialis Miniſtri, necnon Guardianus domus ejuſdem loci de Venetiis, Ordinis Fratrum Minorum, contra ſtatutum & litteras hujuſmodi, quorum veriſimiliter ignari non ſunt, ipſis Miniſtro & Fratribus, necnon Miniſtræ & Sororibus domorum Tertii Ordinis hujuſmodi, etiam renitentibus & invitis, præfatum viſitationis officium conentur impendere; necnon eos deſuper præſumpſerint hactenus multipliciter moleſtare, plurimis inde ſcandalis inconvenientiiſque ſubortis, & aliis, niſi deſuper Apoſtolicæ proviſionis adminiculum ſuccedat, veriſimiliter emerſuris; ipſique Miniſter & Fratres, necnon Miniſtra & Sorores domorum Tertii Ordinis hujuſmodi, quominus eis ac dicto Tertio Ordini conceſſis privilegiis & libertatibus uti gaudereque pacifice poſſint, progreſsu temporis timeant impediri.

§. III. Nos igitur &c. fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum ſtatutum prædictum, cui, auctoritate Apoſtolica, quoad Miniſtrum & Fratres, necnon Miniſtram & Sorores domorum Tertii Ordinis hujuſmodi, ut ipſum Viſitatorem de conſilio & aſsenſu alicujus veſtrum, quoties opus fuerit, eligant & aſsumant, per præſentes adjicimus, ubi & quando expedire videbitis, auctoritate Apoſtolica, ſolemniter publicantes, ac ipſis Miniſtro & Fratribus, necnon Miniſtræ & So-

Sororibus domorum Tertii Ordinis hujuſmodi, quoties ſuper hoc pro parte ſua deſuper requiſiti fueritis, efficacis præſidio defenſionis aſſiſtentes, non permittatis aliquem ex eis per Generalem & Provincialem Miniſtros ac Guardianum prædictos, vel quempiam ipſorum, vel quoſvis alios contra ſtatutum, privilegia vel libertates hujuſmodi, ſeu ſuper eorum juribus, & bonis impeti quomodolibet indebite vel moleſtari, aut ipſis gravamina, damna vel injurias irrogari: facturi Miniſtro & Fratribus, ac Miniſtræ & Sororibus domorum Tertii Ordinis hujuſmodi ſuper præmiſſis omnibus, in illis videlicet quæ judicialem requirunt indaginem, ſummarie, ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout eorum qualitas exegerit, juſtitiæ complementum. Contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, Ordinis & conditionis extiterint, quandocumque & quotieſcumque expedierit, auctoritate prædicta, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus tam piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. &c. quam aliis quibuſcumque conſtitutionibus a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris &c.

§. IV. Volumus inſuper & eadem auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus; quodque a Data ſit vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ut ſi præmiſſa omnia coram vobis cœpta fuiſſent, ac juriſdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in præmiſſis omnibus & ſingulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet: conſtitutione prædicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium ædita, non obſtantibus; præſentibus perpetuo valituris.

Datum Bononiæ &c. MCCCCXXXVII. VI. Idus Octobris, anno VII.

XIII.

Conceduntur indulgentiæ Eccleſiæ domus oppidi Campi ſancti Petri. Ex libro 1. de Regularibus &c. anno 7. folio 295.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis &c.

§. I. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ei, quaſi quibuſdam allectativis muneribus, indulgentiis videlicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cum itaque, ſicut accepimus, in domo oppidi Campi ſancti Petri, Ordinis Fratrum Minorum, Tarviſin. diœceſis quædam in honorem & ſub vocabulo ſancti Joannis Eccleſia de novo erecta, ſed nondum perfecta exiſtat, ipſaque domus clauſtro, dormitorio & aliis, quæ Fratribus ibidem neceſſaria forent, careat locis, pro quibus perficiendis Chriſtifidelium ſuffragia fore noſcuntur plurimum opportuna. Nos cupientes, ut dicta Eccleſia congruis honoribus frequentetur, necnon convenientibus ſtructuris ac ædificiis perficiatur &c. de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœ-

pœnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, & dictorum Apoſtolorum, ac ipſius Eccleſiæ Dedicationis feſtivitatibus, & in celebritate omnium Sanctorum, ac per ipſarum Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Corporis Domini, necnon Nativitatis & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, ac Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ & Apoſtolorum prædictorum, feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad perfectionem necnon fabricam prædictas manus adjutrices porrexerint, ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis tres annos & totidem quadragenas, octavarum vero & ſex dierum prædictorum diebus, quibus Eccleſiam viſitaverint, & ad perfectionem & fabricam hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ut præfertur, centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus; præſentibus poſt viginti annos minime valituris.

§. II. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus Eccleſiam, vel ad perfectionem ac fabricam hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſinas erogantibus, vel alias aliqua alia indulgentia, in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per nos conceſſa fuerit, hujuſmodi præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. VII. Nonas Novembris, anno VII.

XIV.

Ut componat controverſiam inter Fratres domus Caſtri-Novi, & quoſdam ſeculares. Ex lib. 2. de Regularibus, anno 7. fol. 124.

Venerabili fratri Epiſcopo Terdonen.

§. I. Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum Ordinis Minorum domus Caſtri-Novi, Terdonen. diœceſis, petitio continebat, quod olim bonæ memoriæ Bartholomæus Epiſcopus Arcen. qui dicti Ordinis profeſſor, & de nobili genere procreatus exiſtens, a Guardiano & Fratribus domus & aliis Superioribus Ordinis prædictorum, ipſum tam ratione dignitatis, quam nobilitatis perſonæ ſuæ honorare volentibus, gubernationis dictæ domus obtinuit poteſtatem, & illius vigore legata, eleemoſynas aliaque caritatis ſubſidia eidem domui obvenientia recipiens, illa diſpenſavit, & pro libito diſpoſuit de eiſdem; necnon quaſdam domos infra ambitum loci hujuſmodi conſiſtentes, & ad illum legitime pertinentes reparavit, & pro uſu ſuo retinuit, quoad vixerit; & demum infirmitate, qua mortuus expiravit, infirmus exiſtens, nulla, ut creditur, ſaltem idonea poteſtate ſuffultus condidit teſtamentum, & nonnullis per eum legatis tam ad pias, quam alias cauſas factis, in certis ſuis bonis Joannem, Petrum & Stephanum nepotes ſuos univerſales ſibi hæredes inſtituit, qui ex domibus reparatis hujuſmodi nonnulla bona mobilia, pecunias & res alias receperunt, & contra voluntatem dictorum Fratrum exportarunt, eos illis indebite ſpoliando.

§. II. Cum igitur ſpoliatis injuſte ſit reſtitutionis beneficio ſuccurrendum,

dum, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi per diligentem informationem per te ſuper iis, auctoritate noſtra, habendam inveneris ita eſſe, vocatis dictis nepotibus & aliis qui fuerint evocandi, ipſiſque Guardiano & Fratribus, prout juſtum fuerit, in integrum reſtitutis, omnes & ſingulas cauſam & cauſas, quam & quas Fratres contra nepotes, & nepotes hujuſmodi contra Fratres eoſdem hinc inde movent ſeu movere intendunt, ſummarie, ſimpliciter & de plano audias, & fine debito decidas, faciens, quod decreveris, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. IV. Non. Novemb. anno VII.

XV.

Ut Tertiariis concedat Eremitorium ſanctæ Mariæ de Sanzellis. Ibidem fol. 291.

Dilecto filio Abbati Collegiatæ & ſecularis Eccleſiæ beatæ Mariæ Valliſoleti, Palentin. Diœceſ.

AD ea ex Apoſtolicæ Sedis officio libenter intendimus, per quæ, cum Divini cultus incremento, fidelium quorumlibet ſtatui & indemnitati valeat ſalubriter provideri. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis de Paradines Fratris Tertii Ordinis ſancti Franciſci petitio continebat, ſtructuræ & ædificia & eremitorium beatæ Mariæ de Sanzellis, Abulen. Diœc. ruinoſa exiſtant, ipſumque Eremitorium congruis eccleſiaſticis careat ornamentis, ac prædictus Joannes ſtructuras & ædificia hujuſmodi reparari facere, & ornamenta congrua inibi procurare affectet, ſi dictum Eremitorium ſibi pro ſe ac duobus vel tribus aliis ejuſdem Ordinis Fratribus pro ipſorum uſu & habitatione perpetuo concedatur. Nos eumdem Joannem in ſuo propoſito confovere cupientes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictum Eremitorium, cujus fructus, reditus & proventus ſeptem librarum Turonen. parvorum, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut etiam ipſe Joannes aſſerit, non excedunt, ſi, & in quantum ad præſens illud habitatore carere inveneris, cum omnibus juribus & pertinentiis dicto Joanni pro ſuis ac duorum vel plurimorum ejuſdem Ordinis, quos ipſe Joannes ad hoc eligendos duxerit, Fratrum, inibi ſub regularibus ejuſdem Ordinis habitu & Obſervantia Altiſſimo perpetuo famulaturorum, uſu & habitatione perpetuis, auctoritate noſtra, concedas, faciens dicto Joanni de ipſius Eremitorii fructibus, reditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis integre reſpondeń. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. XVII. Kalendas Decembris, anno VII.

XVI.

Ut cum Monialibus Monaſterii ſanctæ Claræ de Medina de Pomar diſpenſet circa victum & veſtitum. Ibidem, fol. 189.

Dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Minorum.

§. I. REgulari caſtimoniæ deditis, præſertim fœminei ſexus, quibus propter illius fragilitatem multa ſuffragia debentur, ſic omnem tur-

turbationis & inquietitudinis materiam ſubtrahi convenit, quod in contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii ſanctæ Claræ de Medina de Pomar, Ordinis ejuſdem Sanctæ, Burgen. Diœceſ. petitio continebat; licet ipſæ, quæ ſub clauſura & obſervantia regulari vivunt, ab eſu carnium abſtinere, necnon certis & determinatis veſtimentis ac calceamentis, & in lectulis earum raupis uti conſueverunt; tamen propter infirmitates, debilitates ac plures paſſiones, quibus illæ frequenter affliguntur, ab eſu carnium hujuſmodi abſtinere, & ob frigiditates, quæ in partibus illis plerumque vigent, abſque veſtibus, calceamentis, & raupis adverſus frigiditates hujuſmodi neceſſariis, in dicto Monaſterio ſine gravi ipſarum periculo commorari non poſſunt; pro parte earum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes &c. circa ſingula, quæ Abbatiſſæ necnon Monialibus prædictis de veſtibus, calceamentis, & in lectulis earum raupis, quodque diebus, in quibus alias eſus carnium prohibitus non eſt ab Eccleſia, ipſæ dictis carnibus veſcantur, neceſſaria fore proſpexeris, auctoritate Apoſtolica, provideas &c. non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. XIII. Kalendas Decembris, anno VII.

XVII.

Inſtituitur Reformator omnium Monaſteriorum Monialium ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſarum. Ibidem, fol. 284.

Eidem.

§. I. AD ſtatum ſingulorum fidelium præſertim Religioſarum perſonarum ſalubriter dirigendum, prout ex debito paſtoralis obligamur officii, intendentes, ad ea maxime, per quæ ipſarum reformatio ſubſequatur, libenter adhibemus ſollicitudinis noſtræ partes. Sane, ſicut ex fide dignorum relatione percepimus, nonnulla Monaſteria Monialium ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſarum in diverſis locis conſiſtentia, propter nonnullarum Abbatiſſarum, ac in eis degentium culpam Monialium, quæ plerumque a jugo regularis obſervantiæ deviantes, laxiorem, quam deceat, vitam ducunt, ac propter varia diſſenſiones & ſcandala, quæ in eiſdem Monaſteriis quotidie oriuntur, non modica reformatione indigere noſcuntur.

§. II. Nos igitur in præmiſſis debite providere cupientes, ac ſperantes quod tu propter impoſitum tibi dicti Ordinis gubernandi & regendi onus, ad ejus & Monaſteriorum prædictorum reformationem &c. tibi omnia & ſingula hujuſmodi Monaſteria eorumque perſonas tam in capite, quam in membris auctoritate noſtra viſitandi; ac ea, de quibus tibi videbitur, aperta Monaſteria ſub debita clauſura ponendi, necnon ipſorum Abbatiſſas ſecundum demerita earum deponendi, & alias de novo inſtituendi & deſtituendi; Moniales quoque cum rebus & bonis ſuis de uno Monaſterio ad aliud transferendi, bona inſuper unius Monaſterii ad aliud applicandi; ac omnia alia & ſingula agendi, faciendi & ſtatuendi, quæ in ipſis Monaſteriis ſecundum Deum, pro eorumdem & perſonarum hujuſmodi ſtatu &c. de conſilio

filio tamen & aſſenſu diſcretorum, correctionis & reformationis officio noveris indigere; contradictores etiam auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam & alia Juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, invocato &c. ſecularis &c. facultatem concedimus &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. Kalendis Decembris, anno VII.

XVIII.

Ut Sorores ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſæ audiant ſub unico ſanctæ Claræ *vocabulo, & reformationi & correctioni Generalis Miniſtri ſubjiciantur.* Ex lib. 1. de Regularibus &c. anno 7. fol......

Ad perpetuam rei memoriam.

Guillelmus Generalis Miniſter reformationem Monialium intentat.

§. I. Ad ea quæ felicem & proſperum ſtatum Eccleſiarum & Monaſteriorum reſpiciunt, libenter intendimus, & ea favoribus proſequimur opportunis. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii fratris Guillelmi ſacræ paginæ profeſſoris, Ordinis Minorum Generalis Miniſtri petitio continebat, quod; cum ipſe ad generale Capitulum Toloſæ nuper celebratum proficiſcens, tam ex incumbente ſibi officio quam ex noſtro mandato, deformationes & abuſus Monaſteriorum Ordinum ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſarum, ſibi & provincialibus Miniſtris ſui Ordinis immediate auctoritate plenaria a Sede Apoſtolica commiſſorum, reformare, tam in eundo quam in redeundo tentavit, & quibuſdam in locis provinciarum Provinciæ & Aquitaniæ, ſecundum morem ſui Ordinis, conatus fuerit ordinationibus & reformationibus, ac neceſſariis clauſuris ipſa Monaſteria ad regularem obſervantiam revocare, vectes etiam in exterioribus portis ipſorum Monaſteriorum apponendo cum ſeris, ut clauſura, quæ in quibuſdam male ordinata, in quibuſdam nulla penitus erat, de cetero ſervaretur, ſicque mandaverat a Miniſtris poſtea in ceteris Monaſteriis fieri & ſervari; tamen ipſorum quamplurimorum Monaſteriorum Sorores, præſertim Avenionis, Montis-Peſſulani, Maſſiliæ & aliorum reformari nolentium, ab ipſis inſtitutis & ordinationibus appellarunt; quibuſdam ex ipſis amoventibus ſeras & vectes, vel facientibus amoveri; aliis recuſantibus ipſas apponi; aliis etiam clauſuræ, quæ ſub voto regulæ prædictarum continetur, ſub frivolis & repellendis omnino exemptionibus, quas hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, contradicentibus; hujuſmodi reformationes ab ipſo factas confirmare, & facultatem inſuper rebelles quaſcumque puniendi, & ad obſervantiam earumdem compellendi, ſibi dare & concedere dignaremur.

Quædam Monaſteria renuunt.

§. II. Nos autem volentes ipſa Monaſteria, & cetera dictorum Ordinum ubicumque conſiſtentia penitus reformari tam circa divinum cultum, quam alias regulares obſervantias, & præſertim circa clauſuram, quæ eſt clypeus honeſtatis, ad quam, ut præfertur, tam ex voto profeſſionis, quam ex proviſionibus felicis recordationis Benedicti XII. prædeceſſoris noſtri tenentur, prædicti Generalis ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulas reformationes Monaſteriorum ſupradictas per eum, ut præfertur, factas, auctoritate Apoſtolica approbantes, ac inviolabiliter obſervari mandantes, ſibi inſuper ac prædictis Miniſtris Provincialibus rebelles & fautores quoſcumque compeſcendi, etiam per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia Juris remedia cum invocatione brachii ſecularis, & cum facultate etiam dictas Moniales privandi, ſi rebelles fuerint, bonis temporalibus ad earum uſum deputatis, ac aliis

Mandat Pontifex Contumaces compelli.

aliis Monaſteriis eorumdem Ordinum obſervanter viventium, vel Eccleſiis Cathedralibus aut hoſpitalibus applicandis, licentiam, auctoritate prædicta, & plenariam concedentes, tenore præſentium, facultatem.

§. III. Volumus autem, quod ſicut Abbatiſſæ, & aliæ Sorores ex earum profeſſionibus ad hoc deputatæ, tenent claves, quibus ad intra portæ Monaſteriorum prædictorum clauduntur, ſic per Confeſſores, aut alias honeſtas perſonas, per ipſos Generalem & Miniſtros deputandas, claves prædictæ ex exteriori teneantur & conſerventur. Et nihilominus præcipientes omnibus & ſingulis tam Clericis, quam Religioſis & Regularibus perſonis, cujuſcumque conditionis, gradus, præeminentiæ vel dignitatis exiſtant, ſub pœna excommunicationis, quam tranſgredientes ipſo facto incurrant, & a qua, niſi a Romano Pontifice non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti, quatenus neque prædicta Monaſteria, nec aliquod ipſorum ingredi præſumant, præter formam regulæ & proviſionum Apoſtolicarum ſuper hoc ſpecialiter editarum: unumquemque inſuper Ordinum prædictorum, qui Ordines quandoque ſub nomine *Minoriſſarum*, quandoque *ſancti Damiani*, quandoque *ſanctæ Claræ* nominantur, ſub unico *ſanctæ Claræ* vocabulo, juxta veteres Apoſtolicas ſanctiones decernimus appellari, & per vos, ut præfertur, in regulari obſervantia gubernari: contradicentes autem Moniales excommunicationis ſententiam,& ſi fuerint Abbatiſſæ, præter hoc privationem ſuorum officiorum ipſo facto incurrere, & ceteras ad electionem alterius ſecundum formam juris procedendum teneri volumus, niſi eſſent omnes, vel major pars earum etiam excommunicationis vinculo innodatæ: quo caſu & in aliis, in quibus circa prædicta opportunum eſſe videbitur, prædictos Generalem & Provinciales Miniſtros, juxta eorum conſcientias, etiam cum invocatione brachii ſecularis, ſi opus eſſe videbitur, procedere etiam volumus & mandamus; præmiſſis appellationibus & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, mandati, conceſſionis, præcepti, conſtitutionis & voluntatis infringere &c.

Confeſſarii Clavium inſtituuntur cuſtodes.

Nemo intra Monaſt. ſepta ingredi permiſſum.

Pœnæ in Rebelles.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. VII. Idus Decembris, anno VII.

XIX.

Ut in regno Hungariæ ſeptem loca recipiant, & verbum Dei inibi prædicent.
Ex lib. 2. de Regularibus, anno 7. fol. 24.

Dilectis filiis Fratribus Vicariæ Boſnæ, Ordinis Minorum profeſſoribus.

§. I. Sacræ Religionis &c. Hinc eſt quod nos dilecti filii Jacobi Ordinis Minorum profeſſoris, Vicarii Boſnæ, aſſerentis, circa ſexdecim Eccleſias & domus Fratrum dicti Ordinis ſpatio duorum annorum ab immaniſſimis Turcis, Chriſti nominis inimicis, deſtructas & combuſtas fuiſſe, ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in regno Hungariæ ſeptem loca, ſi vobis pia largitione fidelium largiantur, vel alias juſtis modis illa poteritis adipiſci, recipere & retinere, & in quolibet ipſorum locorum Eccleſiam cum campanili &c. ſervata debita diſtantia, conſtruere & ædificare; necnon quoſcumque Fratres dicti Ordinis, etiam de Vicaria Boſnæ exiſtentes, ad id voluntarios, de Superiorum ſuorum licentia transferre & recipere, ac inibi una cum eiſdem Fratribus ſub regularibus inſtitutis dicti Ordinis Altiſſimo famulari, necnon Miſſas & alia divina Officia celebrare, ac verbum Dei prædicare libere & licite valeatis, Ordinarii loci &c. minime requi-

Vide Conſt. 1. hujus Pontif.

quinio; juribus tamen paroc hiallum &c. ſalvis &c. concedimus facultatem.

§. II. Et nihilominus vobis & univerſis Fratribus, in eiſdem domibus & locis pro tempore moraturis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere valeatis & valeant &c. indulgemus: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. & allis conſtitutionibus Apoſtolicis &c. non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Bononiæ, anno &c. mccccxxxvii. vii. Idus Decembris, anno vii.

XX.

Præficitur Eccleſiæ Dolen. Ex libro 1. de Beneficiis vacant. &c. anno 7. folio 297.

Dilecto filio Albano de l'Eſpervier Electo Dolen.

APoſtolatus officium, quamquam inſufficientibus meritis, nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, duce Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Joanne Epiſcopo Dolen. regimini Dolen. Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum ipſius Joannis Epiſcopi, qui extra Romanam &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Bononiæ, anno &c. mccccxxxvii. iii. Idus Decembris, anno vii.

XXI.

Eligitur Epiſcopus Lavellen. Ex lib. 1. de Præbendis &c. anno 6. fol. 259.

Dilecto filio Michaeli Angelo Electo Lavellen.

Ut ſupra. APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Franciſco Epiſcopo Lavellen. Eccleſiæ Lavellen. regimini præſidente &c. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum dicti Franciſci Epiſcopi, qui extra Romanam &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Bononiæ, anno &c. mccccxxxviii. vi. Idus Januarii, anno vii.

XXII.

Aliqui Conventus ſe ab ejus obedientia ſubtrahentes, ei declarantur ſubjecti. Ex lib. 2. de Regularibus &c. anno 7. fol. 162.

Dilecto filio fratri Guillelmo de Caſali ſacræ Paginæ profeſſori, Ordinis Minorum Miniſtro Generali.

AD ea, quæ religionis augmentum, Religioſorumque Ordinum conſervationem concernunt, intendentes, illa libenter favore proſequimur op-

opportuno. Sane cum ex inſtitutione Regulæ beati Franciſci univerſi ejuſdem Ordinis Fratres unum ex Fratribus dictæ Religionis teneantur habere ſemper Genetalem Miniſtrum, & illi firmiter obedire, & fide digna relatione intellexerimus, quoſdam dicti Ordinis Conventus, prætenſis quibuſdam privilegiis, aliiſque excuſationibus, præſertim Conventum ſancti Spiritus, in termino Muri-Veteris in valle, quæ dicitur *de Trillio*, Diœc. Valent. & juxta dicti Ordinis morem provinciæ Aragoniæ, ſe a ſua obedientia ſubtrahere, prout idem Conventus certo tempore ſe ſubtraxit: Atque de Conventu Pariſien. intelleximus, quod nonnulli in eo degentes, prætextu privilegiorum Apoſtolicorum Univerſitati Pariſien. conceſſorum, ſe de corpore ſtudii eſſe dicentes, a Miniſtrorum & aliorum officialium dicti Ordinis obedientia ſe ſubtrahere conentur, decenſque & rationabile exiſtimemus nullum fore, qui a Regula tam ſalubriter inſtituta, & quam omnes tenentur obſervare, ſe ſubtrahat; idcirco omnes & ſingulos dicti Ordinis Fratres, cujuſcumque gradus & conditionis exiſtant, & quibuſcumque nominibus cenſeantur, eorumque Conventus, domos & loca ubicumque conſtituta, necnon perſonas eorum, ubicumque reperiantur vel in ſuis Conventibus & locis vel extra, & præſertim Conventus prædictos ſancti Spiritus in termino Muri-Veteris, & Pariſien. obedientiæ, ſubjectioni & juriſdictioni tuæ ſecundum formam Regulæ & profeſſionis ipſorum, ſtatutorumque ejuſdem Ordinis tam a Pontificibus Romanis, quam a Generalibus emanatorum, ſubmittentes, plenariam tibi & per te deputandis obedientiam in cunctis, juxta prædictam Regulæ formam, exhibere volumus, & præſentium tenore mandamus. Conſuetudinibus quibuſcumque, & privilegiis Apoſtolicis cuicumque Univerſitati, Collegio vel perſonis particularibus ſub quacumque verborum forma conceſſis, & de quibus etiam de verbo ad verbum facienda eſſet mentio ſpecialis, indultis etiam, præſertim Benedicti XIII. in ſua obedientia nominati, quæ quantum ad hoc, ceteris immunitatibus prædicto Conventui ſancti Spiritus reſervatis, caſſamus &c. Tibi nihilominus & per te deputandis omnes & ſingulos ſupradictos obedire recuſantes, & contradictores quoſcumque per cenſuram Eccleſiaſticam & alia Juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, auctoritate & tenore ſimilibus, licentiam poteſtatemque plenariam concedentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Nulli ergo &c. noſtræ ſubmiſſionis, voluntatis, mandati, caſſationis, revocationis & conceſſionis infringere &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. V. Idus Januarii, anno VII.

XXIII.

Præficitur Eccleſiæ Nuſcan. Ex lib 1. de Præbendis &c. anno 6. fol. 228.

Dilecto filio Jannucio Paſcaſii Electo Nuſcan.

Eccleſiarum utilitati tunc recte conſulitur, & indemnitati ſalubriter prævetur, cum providis & diſcretis earum cura committitur, & vacantium regimini paſtores idonei præponuntur. Hinc eſt quod Romanus Pontifex, cui ex Apoſtolatus incumbit officio de univerſis Eccleſiis ſollicite conſiderare, ad id propenſius vigilat & intendit, ut Eccleſiæ ipſæ paſtoribus talibus committantur, per quorum induſtriam præſerventur a noxiis, ac felicibus in ſpiritualibus & temporalibus proficiant incrementis. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Carlutio Epiſcopo Nuſcan. regimini Nuſcan. eidem

Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectæ, præſidente &c. Poſtmodum vero præfata Nuſcan. Eccleſia per obitum ejuſdem Carlutii Epiſcopi, qui extra Roman. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. III. Idus Januarii, anno VII.

XXIV.

Fit Epiſcopus Dimitrien. Ex lib. 1. de Dignitatibus &c. an. 6. fol. 162.

Dilecto filio Roderico Regamia Electo Dimitrien.

Vide Conſtit. 11. hujus Pontif.

DIvina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bon. mem. Georgio Epiſcopo Dimitrien. regimini Dimitrien. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ipſius Georgii Epiſcopi, qui extra Roman. &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVII. Pridie Nonas Februarii, anno VII.

XXV.

Conceduntur indulgentiæ pro reparatione domus de la Rabida. Ex lib. 2. de Regularibus &c. an. 7. fol. 208.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

Vide Conſtit. 13. hujus Pontif.

LIcet is, de cujus munere &c. Cum itaque, ſicut accepimus, plurimum Chriſticolæ pro tempore transfretantes plerumque, pelagi tempeſtates, & navigantium infidelium Sarracenorum hoſtiles incurſus evadendo, ad domum beatæ Mariæ *de la Rabida*, Ordinis Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupati, Hiſpal. diœceſ. juxta littus maris ſitam, tamquam ad tutum refugium declinent, ac ibidem caritativæ refectionis commodis recreentur; aliique fideles ingenti devotione permoti, ad Eccleſiam dictæ domus, ex eo præſertim, quod pius & miſericors Dominus, ſua ineffabili operante virtute, Fratres inibi ſub obſervantia Regulari degentes ſæpenumero a nefariis dictorum Sarracenorum, eos potenter invadentium, ac capere ſatagentium, auſibus mirabiliter præſervavit, confluant in multitudine copioſa; necnon domus & Eccleſia prædictæ in ſuis ſtructuris & ædificiis reparatione non modicum ſumptuoſa indigeant, nullaſque ad illam faciendam, cum iidem Fratres de eleemoſynis dumtaxat vivere noſcantur, habeant facultates &c. Nos cupientes, ut Eccleſia congruis honoribus frequentetur &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Corporis Domini, ac Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Purificationis & Aſſumptionis beatæ virginis Mariæ, Nativitatiſque beati Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli, ac in ipſius Eccleſiæ Dedicationis feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Corporis Domini, ac Nativitatis & Aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, Nativitatis quoque beati Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli prædictorum feſtivitatum octavas, ac per ſex dies dictam

ctam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes,eamdem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim,& ad hujuſmodi reparationem & conſervationem manus porrexerint adjutrices; ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis, quatuor annos & totidem quadragenas, octavarum vero & ſex dierum prædictorum diebus, quibus Eccleſiam ipſam viſitaverint, & ad hujuſmodi reparationem & conſervationem manus adjutrices porrexerint, ut præfertur, centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus poſt viginti annos minime valituris. Volumus autem quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, aut ad ejus & domus prædictæ fabricam, ſive hujuſmodi reparationem & conſervationem manus adjutrices porrigentibus, vel alias inibi pias erogantibus eleemoſynas, ſeu alias aliqua alia indulgentia, in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per nos conceſſa fuerit, hujuſmodi præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVII. XIII. Kalendas Martii, anno VII.

XXVI.

Aliæ indulgentiæ pro reparatione ſacrorum locorum Terræ ſanctæ. Ibidem, folio 159.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

Licet is, de cujus munere &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſiæ, ſtructuræ, & ædificia ſacrorum locorum ſancti Sepulcri Dominici Hieroſolym. beatæ Mariæ in Bethleem, & Montis-Sion per nonnullos Fratres Ordinis ſancti Franciſci cuſtodiri ſolitorum, miſerabili ruinæ ſubjaceant. Nos &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, Eccleſias dictorum locorum devote viſitantibus, & ad illarum, ſtructurarum & ædificiorum hujuſmodi reparationem & conſervationem manus adjutrices porrigentibus, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. *Vide ut ſupra.*

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVII. VI. Nonas Martii, an. VII.

XXVII.

Ut Obſervantinis ponat Cœnobium in burgo de Moilleron. Regeſt. Vatic. Ex lib. 1. de Regularibus &c. an. 7. fol. 158.

Dilecto filio nobili viro Arthuro, Comiti Richemondiæ.

Ximiæ tuæ devotionis ſinceritas &c. Cum itaque &c. in Burgo de Moilleron, Lucionen. diœc. tuo temporali dominio ſubjecto, unam domum cum Eccleſia, campanili &c. officinis pro uſu &c. quorumdam Religioſorum prædicti Ordinis &c. fundari &c. concupiſcas. Nos &c. tibique, qui etiam Comeſtabularius Franciæ exiſtis, necnon, ſi forte te interim ab hac luce migrare contigerit, hæredibus & ſucceſſoribus tuis domum prædictam cum Eccleſia, campanili, campana &c. & aliis officinis in burgo prædicto pro uſu & habitatione perpetuis quorumdam Religioſorum de Obſervantia Ordinis hujuſmodi fundandi &c. necnon Religioſis prædictis & eorum ſingulis domum prædictam recipiendi &c. contrariis nequaquam ob- *Vide Conſtit. 5. hujus Pontif.*

obſtantibus &c. licentiam, jure &c. ſalvo; necnon omnibus & ſingulis Guardianis & Fratribus in dicta domo ſub hujuſmodi obſervantia pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti valeant &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. mccccxxxviii. v. Nonas Martii, an. viii.

XXVIII.

Ut componat controverſiam inter Rectores parochialium Eccleſiarum & Mendicantes urbis Reatin. Ibidem, fol. 31.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Angeli in Maſſa, extra muros Narnien.

§. I. Ad ea, per quæ Monaſteriorum & aliarum domorum, ac Religioſorum locorum, ac perſonarum inibi ſub regulari habitu Domino famulantium omnium commodo & indemnitati conſulitur, libenter intendimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Priorum ſancti Dominici & ſancti Auguſtini, ac Guardiani ſancti Franciſci Reatin. domorum Fratrum Prædicatorum, ac Eremitarum ipſius ſancti Auguſtini, & Minorum Ordinum eorumque Conventuum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet anteacto tempore citra, cujus initii ſeu contrarii memoria hominum non exiſtit, pro ſingulis fidelium utriuſque ſexus decedentium corporibus in Eccleſiis domorum hujuſmodi aut earum cœmeteriis pro tempore ſepultis, ipſorum hæredes & conſanguinei ſingulis Conventibus domorum hujuſmodi, in quibus corpora hujuſmodi ſepulta fuerint, unum caſtratum, ſeu aliarum carnium, aut, dum illarum eſus ab Eccleſia interdicitur, piſcium, necnon vini & panis certas quantitates, pia largitione donare & concedere conſueverint: tamen nonnulli Rectores parochialium Eccleſiarum, infra quarum parochiarum metas dictæ domus conſiſtunt, a duobus menſibus citra, ſuper quarta parte donatorum & conceſſorum hujuſmodi, aſſerentes falſo illa ad eos de jure pertinere, prædictos exponentes multipliciter moleſtarunt & moleſtant, ac fecerunt & faciunt, quominus ipſi Conventus donata & conceſſa eis hujuſmodi integre percipere potuerint & poſſint. Quare &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ, cum ipſi exponentes, potentiam dictorum Rectorum perhorreſcentes, in civitate & Diœc. Reatin. non ſperent conſequi poſſe juſtitiæ complementum, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis dictis Rectoribus & aliis qui fuerint evocandi, tibi de conſuetudine hujuſmodi legitime conſtiterit, tu illam perpetuis temporibus inviolabiliter obſervandam fore, & quod juxta eam, ex nunc in antea, dicti Conventus & eorum ſinguli caſtratos ac carnium & piſcium, necnon panis & vini quantitates hujuſmodi integre & cum effectu percipere poſſint, abſque alicujus quartæ partis de illis ſolutione, decernas: Rectoribus ipſis & eorum ſucceſſoribus prædictis, ne de cetero prædictos Conventus aut eorum aliquos contra conſuetudinem prædictam ſuper hoc impedire præſumant, eadem auctoritate inhibeas; ipſis etiam ſuper moleſtiis & inquietationibus ſupradictis perpetuum ſilentium imponendo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque.

Datum Ferrariæ, anno &c. mccccxxxviii. v. Nonas Martii, an. viii.

XXIX.

XXIX.

Confirmatur unio Monaſterii ſancti Petri de Muralto Monaſterio ſancti Salvatoris de ſancto Severino. Ex libro 1. de Regularibus & exhibitis, anno 8. fol.297.

Dilecto filio Plebano plebis Turriti, Spoletan. diœceſ.

APoſtolicæ nobis deſuper injunctæ ſervitutis officium &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Salvatoris de ſancto Severino, Ordinis ſanctæ Claræ, Camerinen. diœc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Magiſter Guillelmus de Caſali, ſacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, provide conſiderans, quod Monaſterium ſancti Petri de Muralto, Ordinis & Diœc. prædictorum, in quo dudum laudabilis Monialium cœtus Altiſſimo famulari conſuevit, cauſantibus guerris, epidemiis &c. Abbatiſſa & Monialibus remanſerat penitus deſtitutum: ne bona & jura ejuſdem Monaſterii de Muralto indebite ab aliis occuparentur, habens ad hoc plenam, ut dicebat, a Sede Apoſtolica facultatem, Monaſterium de Muralto, cujus viginti quinque, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, Monaſterio ſancti Salvatoris hujuſmodi, cujus triginta quinque Florenorum auri, fructus, reditus & proventus ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedunt, in vim facultatis hujuſmodi univit, annexuit &c. ipſæque Abbatiſſa & Conventus, unionis, annexionis & incorporationis prædictarum vigore, poſſeſſionem præfati Monaſterii de Muralto fuerunt pacifice aſſecutæ, ac tenent & poſſident de præſenti. Quare pro parte Abbatiſſæ &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis &c. te diligenter informes &c. unionem, annexionem & incorporationem prædictas, & quæcumque inde ſecuta, auctoritate noſtra prædicta approbes & confirmes &c. *Vide Conſtitut. 9. hujus Pontif.*

Datum Bononiæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. V. Nonas Martii, an. VIII.

XXX.

Monaſterium ſancti Apollinaris de Arcuto unitur Monaſterio ſancti Apollinaris extra muros Mediolanenſ. Ex libro 1. de Regularibus & diverſis formis, anno 8.

Dilecto filio Archipresbytero Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Monte, Mediolanenſ. diœceſ.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii ſancti Apollinaris, extra muros Mediolanenſ. Ordinis ſanctæ Claræ, devotum &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum petitio continebat, quod licet Monaſterium ſancti Apollinaris de Arcuto, Ordinis ſancti Benedicti, Mediolanenſ. diœceſ. fuiſſet dudum pro Abbatiſſa & certo numero Monialium conſtructum & ſufficienter dotatum; nihilominus tamen, temporum cauſante malitia, & etiam ex mala gubernatione & incuria præſidentium in eodem, adeo in ſuis ſtructuris & ædificiis dirutum & quaſi collapſum, poſſeſſioneſque ejus & bona neglectui data & inculta exiſtant, quæ propter fructuum exilitatem, qui viginti Florenorum auri de Camera ſecundum communem æſti- *Vide Conſtitut. ii. hujus Pontif.*

æſtimationem valorem annuum non excedunt, nedum Abbatiſſa & Monialibus a nonnullis citra temporibus caruerit, prout caret, quinimo divinus cultus in eo penitus ceſſaverit &c. ſi Monaſterium novum de Arcuto cum omnibus juribus & pertinentiis præfato Monaſterio ſancti Apollinaris extra muros hujuſmodi, in quo Abbatiſſa & Moniales in notabili Monaſterio Conventum inibi facientes, ſub perpetua clauſura ibidem Altiſſimo famulantur, perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, Abbatiſſa & Conventus præfati Monaſterii ſancti Apollinaris devotius Deo ſervire & commodius ſe ſuſtentare valerent; pro parte earumdem Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii, extra muros hujuſmodi, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus &c. te diligenter informes &c. Monaſterium de Arcuto præfatum, cujus viginti, ut præfertur, Ordine ſancti Benedicti prædicto in eo penitus per te ſuppreſſo, eidem Monaſterio ſancti Apollinaris, cujus ducentorum Florenorum auri ſimilium ſecundum eamdem æſtimationem valorem annuum, ut eædem Abbatiſſa & Conventus aſſerunt, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, auctoritate noſtra præfata, in perpetuum unias, incorpores & annectas; ita quod liceat præfatæ Abbatiſſæ & Conventui per ſe vel alium vel alios corporalem dicti Monaſterii de Arcuto poſſeſſionem, juriumque & pertinentiarum prædictorum libere apprehendere & perpetuo retinere, ac hujuſmodi illius fructus, reditus & proventus in earum, & Monaſteriorum prædictorum uſus & utilitates convertere, diſponere &c. Diœceſani &c. minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. Volumus autem, quod propter annexionem, unionem & incorporationem prædictas præfatum Monaſterium de Arcuto debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus onera conſueta debite ſupportentur &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. V. Idus Martii, an. VIII.

XXXI.

Confirmatur unio trium Monaſteriorum Tudertin. Reg. Vat. ex lib. I. de Regularibus & exhibitis, anno 8. fol. 153.

Dilecto filio Priori Prioratus ſancti Nicolai Tudertin.

§. I. Injunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium tunc digne peragere non ambigimus, cum ad ea, quæ pro fidelium quarumlibet animarum ſalute, necnon Eccleſiarum indemnitate profutura fore perſpicimus, Apoſtolicæ curas ſollicitudinis exquiſitius impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii ſancti Franciſci Tudertin. Ordinis ſanctæ Claræ, petitio continebat, quod licet olim Abbatiſſa & Moniales Monaſterii majoris, alias Montis-Sancti extra muros Tudertin. Ordinis ſancti Damiani, propter guerras & calamitates alias &c. dictum Monaſterium reliquiſſent, ac ſe infra civitatem Tudert. in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Paraguano, Ordinis ſanctæ Claræ, ſito prope arcem dictæ civitatis, una cum Abbatiſſa & Monialibus ejuſdem Monaſterii ſanctæ Mariæ tranſtuliſſent, habitumque & Religionem dictæ ſanctæ Claræ recipiſſent, ac morarentur &c. nihilominus tamen Bonifacius Papa IX. ſic in ſua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nominatus, accepto per eum, quod locus dicti Monaſterii ſanctæ Mariæ pro defenſione dictæ civitatis &c. neceſſarius exiſtebat, Monaſte-

ſterium ipſum ſanctæ Mariæ, pro fortalitio ibidem erigendo, communitati civitatis dari, concedi & aſſignari ſtatuit & mandavit: & volens inter cetera quod Abbatiſſa & Moniales tam Majoris, quam ſanctæ Mariæ Monaſteriorum invicem unitæ, & ſub profeſſione & Ordine dictæ ſanctæ Claræ viventes, ad Monaſterium Monialium, ſancti Franciſci nuncupatum, Ordinis ſancti Benedicti, Epiſcopo Tudertin. jure ſubjectum, & in quo Abbatiſſa & Moniales Majoris & ſanctæ Mariæ Monaſteriorum una cum Abbatiſsa & Monialibus Monaſterii ſancti Franciſci hujuſmodi commode morari poterant, & ſub habitu & Ordine dictæ ſanctæ Claræ Altiſſimo famulari, præfato Ordine ſancti Benedicti in præfato Monaſterio ſancti Franciſci motu ſuo proprio penitus & omnino ſuppreſso, omnique Jure-patronatus ad quoſcumque in dicto Monaſterio ſancti Franciſci ſpectante & pertinente, omnique præceptione, ſubjectione & juriſdictione Epiſcopo præfato quomodolibet competentibus, etiam omnino ſublatis; ſe transferrent; ipſumque Monaſterium ſancti Franciſci ad Ordinem dictæ Sanctæ reducens, præfato Monaſterio Majori, auctoritate Apoſtolica in perpetuum cum omnibus membris, juribus, pertinentiis & juriſdictionibus ſuis univit, annexuit & etiam incorporavit: decernens Abbatiſsam & Moniales dicti Monaſterii ſancti Franciſci, poſtquam Ordinem dictæ ſanctæ Claræ profeſsæ fuiſsent, & profeſſionem, per Sorores dicti Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, emiſiſsent, omnibus privilegiis &c. uti & gaudere poſse, quibus cetera loca Ordinis ſanctæ Claræ gaudent & utuntur, ac gaudere ſolita ſunt & debent; prout in litteris dicti Bonifacii exinde confectis, quarum tenores hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, dicitur plenius contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet poſtmodum unio, annexio & incorporatio ac translatio prædictæ ſuum ſortitæ fuiſsent effectum, & per nonnulla tempora ipſa Abbatiſsa & Moniales dictorum Monaſteriorum in caritate & quietudine in dicto Monaſterio ſancti Franciſci vixiſsent, accedentibus conſenſu pariter & aſsenſu Epiſcopi prædicti; nihilominus tamen cum, inimici humani generis procurante nequitia, Moniales dicti Monaſterii Majoris de dicto Monaſterio ſancti Franciſci temeritate propria exiviſsent, & ſe ad loca alia tranſtuliſsent, alicujus ſuper hoc licentia non obtenta; bonæ memoriæ Antonius Epiſcopus Tudertin. ad id more pii pstris intendens, Religioſas hujuſmodi ...... ad dictum Monaſterium ſancti Franciſci reduxit, & una cum aliis reintegravit, ac in eorum primo bono propoſito confirmavit; prout in inſtrumentis ſuper hujuſmodi reductione & unione confectis, quorum etiam tenores haberi volumus præſentibus pro expreſſis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Abbatiſsæ & Sororum omnium dicti Monaſterii ſancti Franciſci nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus &c. informes &c. ſuppreſſionem, reductionem, incorporationem, unionem, annexionem, necnon revocationem & reintegrationem per dictum Epiſcopum, ut præmittitur, factas & procuratas, auctoritate noſtra approbes pariter & confirmes &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXVIII. XII. Kalend. Aprilis, anno VIII.

XXXII.

XXXII.

Confirmantur quædam pacta inter Fratres domus ſancti Franciſci Cæſarauguſt. & Dominos Baroniæ de Alſagiarim. Ex lib. 1. de Regularibus & diverſis formis, anno 8. fol. 11.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſanctæ Fidei, Cæſarauguſtanæ diœceſis.

§. I. EA quæ pro Monaſteriorum, ac aliorum religioſorum bonorum & locorum, necnon perſonarum in eis ſub Religionis habitu Altiſſimo famulantium omnium commodo perinde proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolico mandamus munimine roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Conventus domus ſancti Franciſci Cæſarauguſtan. Ordinis Fratrum Minorum petitio continebat, quod olim ipſi provide conſiderantes, quod nonnulla, ad ſummam mille quingentorum ſolidorum Jaccen. monetæ illarum partium annis ſingulis aſcendentia, ratione certarum capellaniarum in Eccleſia prædictæ domus inſtitutarum, ac pro divinorum officiorum inibi propterea per eos celebratione facienda, ſuper loco *de Latux*, Cæſarauguſtan. diœceſis, necnon per quondam Eximium Cornelium, & ſucceſſive quemdam Ludovicum ejus filium, olim loci prædicti, ac Baroniæ Alſagiarim Dominos, ſuper Baroniæ prædictæ, ſeu quorumdam illius locorum juribus, reditibus & introitibus, quædam alia jura & emolumenta, ac reditus & proventus tunc expreſſa, etiam ex teſtamentis, eis ac dictæ domui dudum relicta & legata, pro eo quod Baronia & loca prædicta, diverſis ſiniſtris cauſantibus, in eorum fructibus & introitibus ad magnam declinationem ac diminutionem tunc devenerant, integre percipere & habere non poterant; ac volentes ſuper eo conditionem ipſius domus efficere meliorem, ex præmiſſis & aliis tunc expreſſis rationabilibus cauſis, omnia & ſingula jura, emolumenta, ac fructus, introitus ſive reditus, ad eos in Baroniis & locis prædictis tunc pertinentia, quæ etiam ex tunc in antea ratione Capellaniarum ac legatorum & relictorum prædictorum, ac alias quomodolibet ipſis & dictæ domui provenire poterant, Miniſtri tunc exiſtentis provinciæ Aragoniæ, juxta morem dicti Ordinis, ad id conſenſu & voluntate tunc ſpecialiter accedentibus, in dilectum filium Joannem Mur, prædictorum Baroniæ & locorum temporalem Dominum, & ſibi, necnon prædictus Joannes pro illis, tam ſuper quatuor millibus & ſuper regno Aragoniæ, quam ſuper decem & ſeptem millibus ſolidis ſimilibus cenſualibus ipſius proprietatis, ſibi ſingulis annis debitis, cenſum annuum mille ſolidorum ſimilium per ipſos Guardianum & Conventum annuatim integre percipiendorum, in prædictos Guardianum & Conventum, ac eis tranſtulerunt, donarunt & addiderunt, conceſſerunt & aſſignarunt, ac deſuper nonnulla pacta, concordiam, tranſactiones, promiſſiones, obligationes, ceſſiones ac remiſſiones, & quædam alia tunc expreſſa, etiam ſub certis modis, formis & conditionibus tunc expreſſis, fecerunt & ordinarunt, prout in quodam inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri. Quare pro parte Conventus & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. quatenus de præmiſſis omnibus &c. diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera, ac in evidentem dictæ domus utilitatem ceſſiſſe & cedere repereris &c. tranſlationes, donationes, aſſignationes, tranſactiones, pacta, concordiam, conditiones, ordinationes, obligationes, promiſſiones, ceſſiones

ſiones & remiſſiones hujuſmodi, ac alia omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta, & inde ſecuta auctoritate prædicta approbes & confirmes, ſupplealque omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. IX. Kalendas Aprilis, anno VIII.

XXXIII.

Conceduntur Indulgentiæ Eccleſiæ domus ſancti Franciſci Chien. Ibidem folio 233.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

§. I. Licet is de cujus munere &c. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Andreolus Juſtinianus, Domicellus Januen. ex Dominis Maonenſibus, inſulæ Chien. de bonis ſibi a Deo collatis quamdam capellam ſub vocabulo ſancti Andreæ Apoſtoli, in Eccleſia domus ſancti Franciſci Chien. Ordinis Fratrum Minorum, operoſo opere conſtrui & ædificari fecerit, ac illi de libris, calicibus, paramentis & aliis ad divini cultus decorem neceſſariis ornamentis providerit. *Vide Conſtit. 13. hujus Pontif.*

§. II. Nos &c. de omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in feſto ſancti Andreæ Eccleſiam cum capella hujuſmodi devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem prædictam manus porrexerint adjutrices, quinque annos & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi viſitantibus prædictas Eccleſiam & capellam, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias alia aliqua indulgentia, in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. III. Kalendas Maii, anno VIII.

XXXIV.

Ut habeant cœmeterium prope Eccleſiam Polen. Ibidem fol. 130.

Venerabili fratri Dominico Epiſcopo, & dilectis filiis Capitulo Polen.

Injunctum nobis &c. Cum itaque in civitate Polen. unicum dumtaxat Eccleſiæ domus Fratrum Minorum cœmeterium exiſtat, & in ſtatutis dictæ civitatis caveatur expreſſe, quod nullus ibi decedens, ſub pœna conſiſcationis omnium bonorum ſuorum, poſſit extra dictum cœmeterium ſepeliri, ac plurimum congrueret, quod Eccleſia Polen. etiam cœmeterium haberet pro decedentium inibi, ac ſepulturam ibidem eligentium corporibus tumulandis, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. vobis, ut cœmeterium in aliquo congruo loco & honeſto, dictæ Eccleſiæ Polen. propinquo & contiguo, pro fidelium in eodem cœmeterio ſepulturas eligentium corporibus ſepeliendis, habere poſſitis, ac illud ibidem ſit; necnon tu, frater Epiſcope, etiam illud dedicare, ſive conſecrare poſſis, aut illud per alium Catholicum Antiſtitem &c. conſecrari valeat, abſque hoc quod conſiſcationi hujuſmodi, aut cuicumque alteri pœnæ locus *Vide Conſtit. 10. hujus Pontif.*

ſit &c. indulgemus: jure &c. contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. pridie Kalendas Maii, anno VIII.

XXXV.

Ut Fratres & Sorores Tertii Ordinis inſerviant infirmis in xenodochio domus Dei *Forolivien.* Ibidem fol. 273.

Dilectis filiis Antianis, & Conſilio civitatis noſtræ Forolivien.

Vide conſtitut. 5. hujus Pontif.

EXimiæ devotionis affectus &c. utilitatem hoſpitalis pauperum, *domus Dei* nuncupati, Foroliv. cujus protectionem ac juſpatronatus habere videmini, reſpicientibus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt quod nos &c. Rectori, qui erit pro tempore, dicti hoſpitalis, ut ex nunc in antea quoſcumque Fratres & Sorores ſeu mulieres Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, in hoſpitalis prædicti, ac pauperum etiam infirmorum, & aliarum miſerabilium perſonarum inibi pro tempore exiſtentium, ſervitiis inſiſtere volentes, in prædicto hoſpitali ad ſervitia hujuſmodi recipere, necnon ipſis Fratribus & Sororibus ſeu mulieribus & eorum cuilibet, ſui Superioris per eos petita & obtenta licentia, in hoſpitali prædicto ad ſervitia præfata permanere libere & licite valeant &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. Nonis Maii, anno VIII.

XXXVI.

Conceduntur Indulgentiæ pro reparatione domus Minorum vici ſancti Evaſii. Ibidem fol. 246.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

Vide Conſtit. 13. hujus Pontif.

LIcet is de cujus &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia & domus ſancti Franciſci de Caſali ſancti Evaſii, Ordinis Fratrum Minorum, Vercellen. diœceſis, in ſuis ſtructuris & ædificiis, ne in collapſum decidant, reparatione non modicum ſumptuoſa indigere noſcantur, ad quam faciendam ipſius domus non ſuppetunt facultates, ſintque propterea eis Chriſtifidelium ſuffragia plurimum opportuna. Nos cupientes, ut Eccleſia congruis honoribus frequentetur &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in feſtivitate Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis prædictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem ac conſervationem Eccleſiæ, & domus hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod ſi &c. alia aliqua indulgentia, in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. XVIII. Kalendas Junii, anno VIII.

XXXVII.

XXXVII.

Ut Fratres Tertii Ordinis libere retineant duas Eccleſias, unam intra, alteram extra oppidum Montis-Politiani. Ex libro 2. de Regularibus & diverſis formis, anno 9. folio 141.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Benignitas Sedis Apoſtolicæ gratioſa perſonas Deo devotas aſſuetæ caritatis affectu benigno favore proſequens, ad illarum profectum libenter intendit, & iis quæ pro divini cultus augmento cedere proſpicit, favorem benevolum libenter impertitur. Sane, pro parte dilecti filii Antonii de Monte-Politiano, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſub habitu pauperum Eremitarum degentis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum ipſe Antonius &c. unam ſub ſancti Hieronymi titulo intra erexit & ædificavit, & aliam ſub ſanctæ Mariæ Magdalenæ extra muros dicti Montis-Politiani, Cluſin. & Aretin. diœceſis, cum hortis & aliis pro uſu & habitatione ipſius, & Sociorum ejus, Ordinis hujuſmodi neceſſariis, ex pia Chiſtifidelium largitione &c. inſtauravit Eccleſias &c. & ſicut eadem petitio ſubjungebat, Antonius & Socii prædicti dubitant, præſertim ſi loca hujuſmodi, quæ nondum perfecta ſunt, compleantur & plene ædificata fuerint, per Apoſtolicas, vel alias proviſiones ab ipſis Eccleſiis amoveri &c. Quare pro parte prædicti Antonii nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. Antonio & Sociis hujuſmodi, & aliis præſentibus & futuris, in Eccleſiis, & vita prædictis pro tempore degentibus, quod deinceps prædictæ Eccleſiæ ſub quibuſcumque litteris Apoſtolicis, gratiis ſive conceſſionibus, ſub quacumque verborum forma conceptæ reperiantur, nullatenus comprehendantur, ſed Antonius, Socii & ſucceſſores, qui pro tempore erunt, illas retinere libere valeant &c. concedimus & confirmamus: inhibentes nihilominus locorum ipſorum Ordinariis, & aliis quibuſcumque, ne hujuſmodi &c. quamdiu Antonius, Socii & ſucceſſores prædicti in eiſdem ſub vita hujuſmodi, & humilitatis ſpiritu vixerint, conferre, ſeu alias de illis quoquo modo in præjudicium Antonii, Sociorum & ſucceſſorum prædictorum diſponere quovis modo præſumant &c. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, confirmationis, inhibitionis ac conſtitutionis infringere &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. IV. Nonas Junii, anno VIII.

XXXVIII.

Ut Oratorium ſanctæ Mariæ plenæ gratia *nuncupatum in territorio Liburnii Fratribus Tertii Ordinis civitate vel diœceſ. Piſan. oriundis conferat.* Ibidem folio 12.

Dilecto filio Priori ſancti Pauli ad hortum Piſan.

Ub experientia paupertatis extremæ, dilecti filii Miniſter & Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, ad hoc vigilant & intendunt, ut cœleſtis gratia ipſis & proximis ex divinæ proveniat indulgentia pietatis; hinc enim vitæ ſanctitas eos apud Sedem Apoſtolicam dignos facit, ut in omnibus quæ a nobis digne poſtulant, prompti favoris gra-

tia proſequamur. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum domus oratorii *ſanctæ Mariæ plenæ gratia* nuncupati &c. ad locum ipſum, quod in territorio terræ Liburnii, Piſan. diœceſis ſitum eſt, quodque Miniſtro & Fratribus dicti Ordinis pia fuit dudum largitione conceſſum, & quod Fratres ejuſdem Ordinis inhabitant de præſenti, magna populi utriuſque ſexus confluat multitudo, nonnullique extranei, ſicut ipſi Miniſter & Fratres aſſerunt, etiam per inexquiſitas vias, potius affectionis, quam devotionis cauſa, etiam cum temporali ſavore oratorium hujuſmodi anhelent gubernare. Pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum, ac Univerſitatis & hominum dictæ terræ nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita, regimen & gubernationem oratorii hujuſmodi de civitate vel diœceſi prædictis oriundis Fratribus, abſque tamen præjudicio aliorum dicti Ordinis Fratrum, perpetuo auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. Kalendis Julii, anno VIII.

XXXIX.

Ut Fratres recipiant domum prope pontem Lacuſcuri. Ex lib. 3. de Regularibus & diverſis formis, anno 8. fol. 156.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Ravennat.

COgnita devotionis conſtantia, fidei quoque integratio, quibus dilectus filius nobilis vir Hugucio de Contineriis, domicellus Ferrarien. erga nos & Romanam Eccleſiam gerere dignoſcitur, non indigne merentur, ut petitiones ſuas, illas præſertim quæ divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Hinc pro parte dicti Hugucionis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe &c. quamdam domum cum Eccleſia & aliis neceſſariis officinis Eccleſiæ inibi ulterius ampliandis, ſub vocabulo *beatæ Mariæ*, juxta pontem Lacuſcuri, Ferrarien. diœceſis, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum &c. de novo conſtrui & erigi fecit, quam cum Eccleſia, campanili &c. officinis hujuſmodi ipſis Fratribus &c. donare deſiderat &c. Quare pro parte dicti Hugucionis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfato Hugucioni domum prædictam, cum Eccleſia, campanili &c. hujuſmodi eiſdem Fratribus donandi, ac ipſis illam pro eorum uſu & habitatione recipiendi &c. licentiam elargiaris. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod poſtquam Hugucioni & Fratribus prædictis hujuſmodi licentiam conceſſeris, ipſi Fratres, qui pro tempore in dicta domo reſidebunt, omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. poſſint &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. XVI. Kalendas Augusti, anno VIII.

XL. *Con-*

XL.

Confirmantur litteræ ad eum directæ, ut reciperet ſeptem loca in Hungaria. Ex lib. 1. de beneficiis &c. annis 8. & 9. folio 304.

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

Alias de tua ſincera in Domino devotione, multiplicique bonitate, quibus apud nos digne comendatus exiſtis, conſiſi, tibi per alias noſtras litteras inter alia ſeptem loca pro Conventibus tui Ordinis, cum Eccleſiis, campanilibus &c. neceſſariis &c. recipiendi &c. & perficiendi facultatem conceſſimus, prout in ipſis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ex eo quod loca recipienda hujuſmodi per eorum nomina, circumſtantias & vicinia deſcripta & ſpecificata non ſunt, a nonnullis cavillatur, litteras noſtras hujuſmodi vires non habere, teque, qui illarum vigore duo jam loca recepiſti, ad illa aliaque loca recipiendi poteſtatem non habuiſſe. Nos volentes in iis providere &c. declaramus, noſtræ intentionis fuiſſe & eſſe, te loca ſeptem quæcumque alias commoda, ubicumque in partibus regnorum cariſſimi in Chriſto filii Hungariæ Regis pro tempore exiſtentis, conſiſtentia recipere, inibique Conventus ſecundum tenorem dictarum litterarum noſtrarum erigere potuiſſe & poſſe in omnibus & per omnia, ac ſi loca hujuſmodi per eorum nomina, vicinia & confinia ſpecifice in dictis litteris deſcripta & denominata fuiſſent. Non obſtantibus Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis &c. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis, declarationis & voluntatis infringere &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. XVI. Kalendas Septembris, anno VIII.

XLI.

Ut Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Briviesca in Monaſterium Clariſſarum erigant. Ex lib. 2. de Regularib. & diverſis formis anno 9. folio 183.

Dilectis filiis Abbati ſanctæ Mariæ de Aquilari, ac Priori ſanctæ Catarinæ de Corvari per Priorem ſoliti gubernari, Burgen. Diœceſ.

§. I. Sedis Apoſtolicæ benignitas &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Mariæ Sanctii de Caſtello, & Mariæ de Aquilari mulierum, in Eccleſia, ſive domo beatæ Mariæ de Brivieſca, Burgen. Diœceſ. commorantium &c. petitio continebat, quod ipſæ ob devotionis fervorem, quem ad Ordinem ſanctæ Claræ gerere dignoſcuntur, Eccleſiam ipſam, ſive domum &c. in Monaſterium, ſive domum Ordinis dictæ Sanctæ erigi, & nonnullas mulieres inibi ſub dicto Ordine, & ſub perpetua clauſura, ac ipſius Ordinis Regularibus inſtitutis ſervituras inſtitui, & deputari deſiderant &c. Quare &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. *Ut in Conſtit. 7. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum Eccleſiam ſive domum prædictam pro uſu & habitatione Sororum hujuſmodi, cum campanili &c. in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ auctoritate noſtra erigatis, ac in eo numerum totidem Sororum ipſius Ordinis ſanctæ Claræ, ſicuti Eccleſiæ, ſive domus hujuſmodi, & quæ pro illius uberiori dotatione ante hujuſmodi erectionem pia largitione fidelium forſan donata & aſſignata fuerint, bona, pro eorum vitæ & victus ne-

neceſſariis rationabiliter ſufficere proſpexeritis, prædicta auctoritate inſtituatis; quodque Sorores pro tempore degentes in erigendo Monaſterio hujuſmodi per unam ex eis, quæ *Abbatiſſa* nuncupetur, & aliis præſit, cuique etiam prædictæ aliæ Sorores obedientiam &c. præſtare tenebuntur, regi; & ſub Franciſci de Soria Ordinis Minorum eo vivente, & poſt ejus obitum, ſub illius, qui Sororum Monaſterii de Oterdeſillas etiam ex cura & directione dicti Franciſci Obſervanter vivere teneantur, ac debeant &c. Ordinarii loci &c. minime requiſita, jure &c. ſalvo. Non obſtantibus &c. contrariis quibuſcumque. Et inſuper, ſi erectionem &c. fieri contigerit, ut præfertur, univerſis & ſingulis Sororibus in dicto erigendo Monaſterio degentibus, quod cum earum rebus & bonis mobilibus & immobilibus, præſentibus & futuris, omnibus & ſingulis Monaſteriis & locis, ac perſonis dicti Ordinis ſanctæ Claræ, in illius favorem quovis modo conceſſis, & etiam in antea concedendis, ac illis prorſus ſimilibus privilegiis &c. uti &c. valeant.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. Idibus Septembris, anno VIII.

XLII.

Ut ipſe & ſocii poſſint Confeſſorem eligere. Ibidem folio 308.

Dilecto filio Antonio de Monte-Politiano, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſub habitu pauperum Eremitarum degenti.

Probatæ fidelitatis integritas, quam ad nos, & Romanam Eccleſiam habere dignoſceris, promeretur, ut votis tuis, illis præſertim quæ animarum ſalutem reſpiciunt, favorabiliter annuamus. Hinc eſt quod nos &c. tibi & Fratribus tuis in ſancti Hieronymi intra, & beatæ Mariæ Magdalenæ extra muros terræ Montis-Politiani, Cluſin. & Aretin. Diœceſ. Eccleſiarum domibus reſidentibus, præſentibus & futuris, ut aliquem ex Fratribus, vel aliis in dictis domibus in Sacerdotio conſtitutis, quem quilibet veſtrum duxerit eligendum, in ſuum poſſit eligere confeſſorem, qui quoties ſibi vel illis videbitur, confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis, niſi talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, beneficium abſolutionis impendat, & injungat pœnitentiam ſalutarem; quodque idem Sacerdos Euchariſtiam, & Extremam-Unctionem, Eccleſiaſticam ſepulturam, & alia quæcumque Eccleſiaſtica Sacramenta tibi, & Fratribus prædictis, in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificium canonice intrantium perſiſtentibus, impendere &c. valeat; jure tamen &c. ſalvo; quodque tu, & Fratres prædicti in domibus eiſdem commorantes, præſentes, & qui pro tempore fuerint &c. vitamque eremiticam ducentes, ut domos eaſdem pro uſu & habitatione veſtra retinere, & celebrare Miſſas &c. per vos, vel alios idoneos Sacerdotes &c. valeatis, nec domus ipſæ a vobis ſubtrahi, ſeu ab illis licentiari, ſeu amoveri poſſitis inviti &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Ferrariæ anno &c. MCCCCXXXVIII. IV. Idus Octobris, anno VIII.

XLIII.

XLIII.

Ut Sorores Monaſterii de Carrione ſub clauſura & ſtrictiori regula vivant, pluraque bona ad id aſſignata retineant. Ibidem folio 271.

Dilectis filiis Monaſterii ſanctæ Catarinæ de Corvan, per Priorem ſoliti gubernari, ac ſeculari & Collegiatæ ſanctorum Emeterii, & Chelidonii de ſancto Anderio, Burgen. Diœceſ. Prioribus.

§. I. Eximiæ devotionis affectus, quem dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Aldonza Comitiſſa de Caſtannada ad nos &c. Sane pro parte dictæ Aldonzæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſa &c. & in Monaſterio ſanctæ Claræ de Carrione Ordinis dictæ Sanctæ, Palentin. Diœceſ. Obſervantiam Regularem jugiter vigere, ſicut illa in Monaſterio beatæ Mariæ Regalis de Oterdeſillas, Ordinis & Diœceſ. prædictorum, ſub perpetua clauſura laudabiliter ſervatur, pro uberiori proviſione dilectarum in Chriſto filiarum Sororum prædicti Monaſterii de Carrione, ſi regularis vitæ diſciplinam ſub hujuſmodi clauſura aſſumpſerint, & in illa permanſerint, plura bona immobilia, &, ut ſimilia pro eis acquirantur, notabilem pecuniarum ſummam, quam acceptarunt, perpetua donatione conſignavit. Quare pro parte ipſius Aldonzæ ſperantis, ut aſſerit, quod Obſervantia hujuſmodi in eodem Monaſterio de Carrione in perpetuum ſtabilietur, ſi dilecto filio Franciſco de Soria Ordinis Fratrum Minorum profeſſori quoad vixerit, & poſt ejus obitum illi, qui curam prædicti Monaſterii ſanctæ Mariæ pro tempore geret, ejus regimen committatur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut regimen Monaſterii de Carrione hujuſmodi eiſdem Franciſco, & pro tempore curam dicti Monaſterii de Oterdeſillas gerenti committere, & alias in præmiſſis ſalubriter providere, paterna ſollicitudine dignaremur. *Vide Conſtit. 5. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis &c. Aldonzam ipſam prædictam eidem Monaſterio de Carrione, ut illius Sorores prædictæ Obſervantiam hujuſmodi acceptent &c. ut præfertur &c. committatis antedicta. Nos enim ſi &c. Franciſco, ac curam gerenti prædictis, & cuilibet ipſorum, Monaſterium de Carrione hujuſmodi, ejuſque perſonas, quoties expedire videbitur, tam in capite, quam in membris viſitandi &c. corrigendi, emendandi &c. contradictores quoque per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia compeſcendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, plenam &c. concedimus facultatem &c. Non obſtantibus &c. quibuſcumque privilegiis &c. ſanctæ Claræ prædictis, ac quibuſvis aliis in genere vel in ſpecie conceſſis quomodolibet, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.

Datum Ferrariæ anno &c. MCCCCXXXVIII. XII. Kalendas Novembris, anno VIII.

XLIV.

XLIV.

Ut mittat Obſervantes ad Conventum Bettoniæ. Ex Archivo ſecreto lib. 12. Bullar. folio 125.

Dilecto filio Guillelmo de Caſali, Ordinis Minorum Generali Miniſtro &c.

CUm ſit debitum & conſonum rationi, devotis & fidelibus noſtris, & Eccleſiæ filiis in iis, quæ a nobis ſupplicantur honeſta & laudabilia, libenter gratificari, illa præſertim, quæ ad augmentum Religionis, & zelum devotionis pertinent, nedum concedere inſtanter petentibus, ſed ad illa ipſa vehementer perſuadere, hortari, atque etiam obſecrare debemus. Cum igitur dilecti filii Univerſitas & homines Terræ noſtræ Bettoniæ, Diœceſ. Aſſiſinat. Eccleſiam habeant, & Conventum tui Ordinis &c. & qui, ut aſſerunt, certis ex cauſis jam ferme Fratribus deſtitutus eſt, in non parvum detrimentum, jacturam & ſcandalum animarum terræ prædictæ, & quod ſine aliqua æſtimationis totius Ordinis, ac principaliter tuæ devotionis jactura tranſire non poteſt; propterea nobis inſtanter ſupplicari fecerunt &c. providere. Igitur &c. devotioni tuæ injungimus &c. quatenus diligenter curare velis, ne inconveniens hujuſmodi procedat ulterius, ipſi Conventui de ſufficienti numero Fratrum de Obſervantia, poſtquam ita deſiderant homines &c. mandando dilecto filio Bernardino de Senis tui Ordinis, & ejuſdem devotionis tuæ Vicario, quatenus Fratres aliquos &c. ad dictum Conventum quantocitius deſtinare; ac deinceps, ut Fratres hujuſmodi, quod eidem loco ſatisfacere poſſint, in eodem loco permaneant, diſponere & ordinare procuret. Volumus etiam & tuam in Domino requirimus & hortamur caritatem, quatenus dilectum filium Benedictum de Spoleto, Fratrem ejuſdem tui Ordinis, qui fere ſolus in eodem Conventu remanſit, ad gratiam & clementiam tuam in viſceribus caritatis recipias: & ſi qua in re tibi non plene obediens fuiſſe viſus ſit, quod etiam de mandato quorumdam Officialium noſtrorum fecit, eidem pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia indulgeas. Si enim tibi, illiſque propoſitum eſt, ut certe eſſe debet, animas fidelium Deo lucrifaciendi, idque ſit inſigne opus & officium caritatis, niſi ex machinatione humani generis inimici procedat, neſcimus unde inter vos poſſit hujuſmodi intervenire diſſenſio. Ne ipſum igitur inimicum gloriari contingat, danda opera eſt, ut demolita omni diſſenſionis hujuſmodi machinatione, caritas ipſa, quæ Deus eſt, prævaleat, cujus inſtinctu omnia in pacis & concordiæ vinculo conſervantur: quod ſane faciendo, gratam ipſi Deo rem, & nobis valde acceptam, animabus etiam illis valde utilem efficies.

Datum Ferrariæ VII. Novembris, anno VIII.

XLV.

Monaſterio ſanctæ Mariæ de Preſagnolo oppidi Mercatelli, aliud ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Ponte, & hoſpitale de Flumiello uniuntur. Ex lib. 2. de Regularib. & anno 9. folio 121.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Petri de Maſſa, Callien. Diœceſ.

Vide Conſtit. 8. hujus Pontif.

§. I. AD ea ex injunctæ nobis &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Mariæ de Preſagnolo loci de Mercatello, Ordinis ſanctæ Claræ, Civitatis Caſtellan. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Ma-

Magiſter Guillelmus de Caſali, ſacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter provide conſiderans, quod Monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Ponte, Ordinis & Diœceſ. prædictorum, quod extra muros dicti loci ſituatum exiſtit, dudum notabili Conventu, & Monialium numero ſub ipſius Ordinis Obſervantia Altiſſimo ſua vota reddentium refertum fuerat & ornatum, & quod tunc cauſantibus epidemiis & calamitatibus &c. ad hoc redactum exiterat, ut, ceteris Monialibus inibi ex hac vita ſublatis, in eo non remanſiſſet, niſi una tantummodo Monialis; pro evitandis ſcandalis, quæ tam propter gentes armigeras per partes illas plurimum diſcurrentes, & alios diſcolos homines, contingere poterant, tam etiam ne bona ipſius Monaſterii taliter Monialibus deſtituti, per perſonas alias Altiſſimum non verentes occuparentur, habens ad hoc plenam, ut dicebat, a Sede Apoſtolica facultatem, prædicta Moniali ad dictum Monaſterium de Preſagnolo tranſlata atque locata, Monaſterium de Ponte prædictum cum omnibus bonis tam mobilibus, quam immobilibus, necnon reditibus & proventibus ac juribus ſuis quibuslibet, una cum hoſpitali de Flumiello extra locum Mercatelli poſitum prædicto, & eidem Monaſterio de Ponte jam dudum canonice annexo, cum ea conditione, qua ipſi Monaſterio annexum exiterat, prædicto Monaſterio de Preſagnolo in vim facultatis hujuſmodi univit, annexuit & incorporavit, prout in ipſius Miniſtri litteris ſuper hujuſmodi unione confectis, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, dicitur plenius contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet prædictæ exponentes, unionis & litterarum hujuſmodi vigore, poſſeſſionem Monaſterii de Ponte, & hoſpitalis prædictorum fuerint pacifice aſſecutæ, illaque teneant & poſſideant de præſenti; nihilominus tamen dubitantes hujuſmodi unionem, annexionem & incorporationem ex eo viribus non ſubſiſtere, quod in prædicto hoſpitali a centum & triginta annis vel circa, quibus Monaſterio de Ponte prædicto annexum extitit, ut præfertur, modica vel nulla hoſpitalitas tenta fuerit, prout Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii de Ponte tenebantur & erant aſtrictæ, ac certis aliis de cauſis viribus non ſubſiſtere, poſſeque propterea ſuper hoc, procedente tempore moleſtari, ac etiam perturbari: pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tranſlationi Monialis, necnon unioni, annexioni & incorporationi hujuſmodi, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere; necnon ut hoſpitale prædictum ad aliquem alium locum convenientem & honeſtum inter muros dicti loci de Mercatello transferendi, & conſtrui &c. providere dignaremur. Nos itaque &c. diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes &c. reductionem ſeu tranſlationem, necnon unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi, ac alia inde ſecuta, auctoritate noſtra approbes & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus, ſi qui forſan ob ſolemnitates juris omiſſas interveniſſent quomodolibet in eiſdem; ac etiam, quatenus id expedire videris, dictum Monaſterium de Ponte cum dicto hoſpitali prædicto Monaſterio de Preſagnolo eadem auctoritate de novo unias, incorpores & annectas. Et nihilominus, ſi approbationem, confirmationem & ſuppletionem, ſeu de novo unionem, incorporationem & annexionem hujuſmodi per te fieri contigerit, ut præfertur; tranſlationem, conſtructionem & reædificationem hujuſmodi intra muros dicti loci, pro ſervanda & tenenda hoſpitalitate ad uſum pauperum mulierum hujuſmodi, per Abbatiſſam & Moniales dicti Monaſterii de Preſagnolo faciendi & procurandi, auctoritate præ-

prædicta plenam & liberam licentiam tribuas, & etiam facultatem. Conſtitutionibus Apoſtolicis &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque: proviſo quod Monaſterium de Ponte, & hoſpitale prædicta propterea ad profanos uſus minime redigantur &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. VII. Idus Novembris, anno VIII.

XLVI.

Confirmatur unio Monaſterii ſancti Silveſtri facta Monaſterio ſanctæ Luciæ Urbinat. Ex lib. I. de Regularib. & Exhibitis, anno 8. folio 273.

Venerabili Fratri Epiſcopo Stanen.

§. I. Ad ea, quæ pro commodo & utilitate Monaſteriorum, aliorumque piorum locorum, necnon perſonarum Religioſarum inibi ſub Religionis habitu Altiſſimo famulantium, provide facta ſunt, libenter intendunus, &, ut illibata perſiſtant, cum a nobis petitur, confirmationis Apoſtolicæ munimine roboramus. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Guidantonii, Comitis Montis-Feretri, Feretran. diœceſ. fel. record. Martino Papæ V. prædeceſſori noſtro expoſito, quod Monaſterium ſancti Silveſtri Ordinis ſanctæ Claræ, Urbinat. diœceſ. in loco campeſtri ſitum, & in quo Abbatiſſa & nonnullæ Moniales in caſtimoniæ puritate ſub Religionis habitu vota ſua Altiſſimo exolvere conſueverant, a nonnullis citra temporibus, laxato pudicitiæ fræno, Dei timore poſpoſito, & ad carnis lubricitatem prolapſæ, vitam ducebant per omnia diſſolutam &c. quodque ad hujuſmodi ſcandala ſummovenda, ſi Monaſterium ipſum, Abbatiſſali dignitate in eo ſuppreſſa, Monaſterio ſanctæ Luciæ Urbinat. &c. uniretur, incorporaretur & annecteretur, domus ipſius Monaſterii melius gubernari, Monialeſque ibi degentes ad Monaſticam vitam reduci &c. & demum per eumdem Comitem pro hujuſmodi unione humiliter ſupplicato eidem prædeceſſori, idem prædeceſſor dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Urbinat. ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis litteris dedit in mandatis, ut ſi vocatis Abbatiſſa & Conventu dicti Monaſterii ſancti Silveſtri & aliis, qui forent evocandi, per diligentem informationem ſuper præmiſſis habendam, ea vera eſſe reperiret, Abbatiſſali dignitate in ipſo Monaſterio ſancti Silveſtri ſuppreſſa penitus & extincta, illud cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis præfato Monaſterio ſanctæ Luciæ auctoritate Apoſtolica incorporaret, uniret, & annecteret, prout in litteris ejuſdem prædeceſſoris, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Luciæ præfati, petitio continebat, idem Præpoſitus ad litterarum dicti prædeceſſoris executionem procedens, Abbatiſſalem dignitatem in dicto Monaſterio ſancti Silveſtri ſuppreſſit, ac ipſum cum omnibus juribus & pertinentiis Monaſterio ſanctæ Luciæ præfato in perpetuum annexuit, univit & incorporavit, quarum unionis, annexionis, & incorporationis vigore, Abbatiſſa & Conventus prædictæ poſſeſſionem dicti Monaſterii ſancti Silveſtri aſſecutæ, illud tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent & poſſident de præſenti pacifice, & quiete. Quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter in-

informes &c. ſuppreſſionem, annexionem &c. alia omnia inde ſecuta, prout rite & provide facta ſunt, auctoritate noſtra approbes &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. XVIII. Kalendas Januarii, anno VIII.

XLVII.

Ut Fratres Boſnæ pacifice poſſideant domum oppidi Rinadominarum. Ibidem folio 227.

Venerabili Fratri Epiſcopo Agrien.

§. I. DEcet Romanum Pontificem piis ſupplicum votis libenter annuere, & iis quæ ex devotionis fervore prodire conſpicit, Apoſtolicum favorem liberaliter impertiri. Dudum ſiquidem dilecto filio Jacobo Ordinis Minorum profeſſori, Vicario Boſnæ & illius Fratribus ſeptem loca in regno Hungariæ, ſi eis pia Chriſtifidelium largitione concederentur, recipiendi & retinendi, ac in quolibet illorum locorum Eccleſiam ſive Oratorium cum neceſſariis officinis pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub regulari Obſervantia viverent, conſtruendi &c. facultatem conceſſimus. Cum autem &c. nonnulli Fratres dicti Ordinis vigore conceſſionis prædictæ, & ex aſſignatione dilecti filii nobilis viri Georgii Deſpoti regni Hungariæ, inter cetera, prope oppidum Rinadominarum, Agrien. diœceſ. quamdam Capellam ruinoſam, omnibus juribus & pertinentiis illius dilecto filio Nicolao Rectori parochialis Eccleſiæ, ſub cujus limitibus ipſa Capella exiſtit, dimiſſis, obtinuerunt; ipſamque Capellam ex voluntate & conſenſu tuo, & Nicolai prædicti ædificare incœperunt, eamdem pro Oratorio, pro uſu & habitatione ſuis reformare & reparare intendentes: &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Rector prædictus dolens forſitan, ut creditur, de populi devotione erga ipſos, opus incœptum perficere non permittit, eos perturbans &c. Quare pro parte dictorum Jacobi, & Fratrum, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus tibi conſcio de prædictis præfato Rectori ſub excommunicationis, & privationis ſuorum beneficiorum ſententiis, & pœnis, præcipias & mandes, ne ipſos Fratres quovis modo inquietet, ſeu perturbare præſumat. Simili pœna quoſvis alios in prædicto opere ipſis Fratribus, quominus illud perficere, & ibi Altiſſimo famulari poſſint, ſe opponentes, & ipſis quoad hoc, impedimentum afferentes plectendo, invocato ad hoc &c. ſeculari. Non obſtante ſi Rectori prædicto & quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas &c.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXVIII. IX. Kal. Januarii, an. VIII.

ANNO CHRISTI 1439. EUGENII IV. ANNO 9.

XLVIII.

Conceduntur Indulgentiæ capellæ ſanctiſſimæ Trinitatis Eccleſiæ domus Fratrum Ferrarien. Ex lib. 2. de Regularib. anno 9. folio 169.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

LIcet is, de cujus munere &c. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Joannes de Gualengiis, Domicellus Ferrarien. &c. quam- *Vide Conſt. 13. hujus Pontif.*

dam in Eccleſia domus Fratrum Minorum Ferrarien. capellam, qua ipſius domus Fratres pro Sacriſtia utuntur, ſub vocabulo *ſanctiſſimæ Trinitatis*, ſumptuoſo opere conſtrui, & ædificari fecerit. Nos cupientes, ut capella ipſa debite conſervetur &c. de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in ſingulis Nativitatis, & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, ſingulisque cujuslibet Septimanæ ſanctæ diebus capellam ipſam annis ſingulis devote viſitaverint, quinque annos & totidem quadragenas ſingulis diebus prædictis, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus futuris perpetuis temporibus in ſuo robore duraturis.

Datum Ferrariæ, anno &c. MCCCCXXXIX. VI. Idus Januarii, an. IX.

XLIX.

Ut reformet Monaſterium ſancti Guillelmi Ferrarien. Ex archivo ſecreto lib. 20. Bullar. folio 49.

Dilecto filio Guillelmo de Caſali, Generali Miniſtro Ordinis Minorum.

§. I. Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnumquam conceſſa per eamdem moderatur, ampliat, vel immutat, prout, rerum, temporum, aut perſonarum qualitate penſata, in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem, cum Ferrariæ eſſemus cum noſtra Curia conſtituti, fuiſſemus etiam longe antea adviſati, quod Monaſterium Monialium ſancti Guillelmi, Ordinis ſanctæ Claræ extra muros Ferrarienſes, viſitationis ac reformationis officio indigeret, tu vero tunc in remotis, nec etiam corpore valens, ſed aliqualiter infirmus exiſteres; ne Monaſterium debito viſitationis ac reformationis deſtitueretur officio, venerabili fratri noſtro Epiſcopo Ferrarien. atque ejus in ſpiritualibus Vicario dedimus in mandatis, ut Monaſterium ipſum ac perſonas in ipſo degentes viſitarent, reformarent, atque omnia operarentur & agerent, quæ ad honorem Dei, augmentum divini cultus, ac ſalutem animarum perſonarum dicti Monaſterii pertinerent, niſi tu per te ipſum Monaſterium hujuſmodi viſitandi velles alioquin officium exercere; prout in litteris noſtris ſuper inde confectis, quarum tenorem hic pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur.

§. II. Cum autem tu ad præſens, licet corpore ſanus effectus, tamen pro negotio unionis Græcorum hic valde utilis & neceſſarius ſis, & propterea ad dictam Ferrarienſem civitatem inpræſentiarum non poſſis accedere. Nos volentes, ut ipſum viſitationis dicti Monaſterii officium per te, vel alium idoneum tui Ordinis Fratrem, quem ad hoc duxeris eligendum, valeas integraliter exercere; non obſtan. prædictis litteris, quas ceſſare omnino decernimus & declaramus, tibi viſitandi, corrigendi, & reformandi per te vel alium, ut præfertur, dictum Monaſterium, in eoque degentes perſonas, prout tibi competere de jure non ambigitur, ac nos tibi per alias noſtras certi tenoris litteras, quarum tenorem hic pro expreſſo haberi volumus, dudum in civitate noſtra Bononiæ conceſſimus &c. concedimus facultatem.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. v. Kal. Martii, anno IX.

L. *Ut*

L.

Ut Sorores culpabiles puniat, & omnes præſentes & futuræ Confeſſorem eligant. Ex lib. 1. de Regularib. & Exhibitis anno 9. folio 46.

Dilectæ in Chriſto filiæ Magdalenæ de Peruſio, Generali Miniſtræ Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c.

§. I. DEo devotarum & Religioſarum perſonarum vota, illa potiſſimum, quæ animarum ſalutem, ac Religionis decus & honeſtatem reſpicere dignoſcuntur, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & favore benevolo confovemus.

§. II. Dudum ſiquidem tibi etiam tunc Generali Miniſtræ, ac omnibus aliis tunc exiſtentibus Sororibus Tertii Ordinis beati Franciſci, *de Penitentia* nuncupati; ut Confeſſor, quem ſingulæ veſtrum eligerent, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde & ore confeſſæ eſſetis, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem, ſub certis tunc expreſſis conditionibus, ac modis & formis, vobis auctoritate Apoſtolica concedere valeret, per alias noſtras litteras duximus indulgendum, prout in illis plenius continetur.

§. III. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, poſt indultum hujuſmodi nonnullæ aliæ mulieres diverſas domos ejuſdem Ordinis ingreſſæ ſint, & in dies ingrediantur, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut etiam ad illas indultum ipſum extendere, & alias tuo, ac ipſarum omnium ſtatui, & animarum ſaluti opportune providere &c. dignaremur.

§. IV. Nos itaque &c. indultum & litteras prædicta cum conditionibus, ac modis & formis in eis contentis hujuſmodi, etiam ad omnes & ſingulas Sorores, Ordinem ipſum expreſſe profeſſas, quæ poſt ipſum indultum quaſvis dicti Ordinis domos fuerint ingreſſæ & in antea ingredientur, ac in illis ſub Regularibus ipſius Ordinis inſtitutis perpetuo remanebunt, extendimus per præſentes. Et nihilominus tibi & ſingulis Sororibus dicti Ordinis præſentibus & futuris, ut a quocumque ſeculari vel regulari Sacerdote idoneo, Euchariſtiæ, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica, quoties fuerit opportunum, recipere, eidemque Sacerdoti, ut illa vobis miniſtrare; necnon tibi, ut omnes & ſingulas Sorores, quæ tuo tempore fuerint, propter exceſſus, crimina & delicta, ſi quæ commiſerint, debite corrigere, eiſque pœnas condignas infligere; ac omnia & ſingula deſuper neceſſaria & opportuna peragere valeatis, plenam & liberam harum ſerie licentiam elargimur & facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ extenſionis, & conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno MCCCCXXXIX. III. Idus Aprilis, anno IX.

LI.

Ut Monaſterium ſanctæ Catarinæ de Betona Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci tradat. Ex lib. 2. de Regularib. anno 9. folio 162.

Venerabili Fratri Epiſcopo Peruſin.

§. I. HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Doniæ, quondam Joannis Criſpolti de Betona na-

natæ, mulieris Aſſiſinat. Diœceſ. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, petitio continebat, quod, cum poſtquam Damianus Epiſcopus Aſſiſinas provide conſideraſſet, Monaſterium ſanctæ Catarinæ de Betona Ordinis ſancti Benedicti, dictæ Diœceſis, a diu fuiſſe, prout tunc erat, Abbatiſſa & Monialibus deſtitutum, nec ſpem aliquam fore ipſum ad ſtatum priſtinum reduci poſſe quoquo modo; idem Epiſcopus Monaſterium ipſum, ne ad profanos uſus converti valeret, pro ipſius conſervatione & manutentione, tenendum & inhabitandum prædictæ Doniæ auctoritate ordinaria dedit, conceſſit & aſſignavit, ipſaque Donia ex tunc, donationis, conceſſionis & aſſignationis præfatarum vigore, Monaſterium ipſum adivit, & in eo moram fecit, ipſumque habitavit & tenuit, prout etiam tenet & inhabitat de præſenti.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, nonnullæ devotæ dicti tertii Ordinis mulieres in dicto loco exiſtant, quæ in eodem Monaſterio una cum dicta Donia perpetuum deſiderent Altiſſimo reddere famulatum, dummodo Monaſterium ipſum, Ordine ſancti Benedicti & Abbatiſſali dignitate ſuppreſſis in eo, eis per Sedem Apoſtolicam concederetur, & perpetuo pro ipſis & aliis hujuſmodi Sororibus, in eo pro tempore ſucceſſuris, donaretur; pro parte ipſius Doniæ nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos itaque &c. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Ordinem & dignitatem hujuſmodi in dicto Monaſterio auctoritate noſtra in perpetuum ſupprimas & extinguas, ac poſtquam illos ſuppreſſeris & extinxeris, ut præfertur, Monaſterium ipſum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Doniæ & Sororibus hujuſmodi per eas in perpetuum tenendum &c. concedas. Conſtitutionibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. Kalendis Maii, anno IX.

LII.

Ut Sorores Tertii Ordinis domus ſancti Hieronymi Florentin. a cenſuris abſolvantur, & mulieres ad Ordinem recipere, ac Miniſtram eligere poſſint. Ibidem folio 22.

Venerabili Fratri Epiſcopo Florentin.

Vide Conſt. 1. hujus Pontif.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua Liſa, Clara, Eliſabeth, Magdalena, Maria, Joanna, Nicolaa, Gerarda & Birgitta, ceteræque Sorores inpræſentiarum exiſtentes domus ſancti Hieronymi Florentini, tertii Ordinis ſancti Franciſci, *Continentes*, ſeu *de Pœnitentia* nuncupatæ, ſedulum &c. Sane petitio pro parte earumdem Sororum nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ipſæ, id ſibi licere putantes, & tamquam Juris ignaræ, ob frugem melioris vitæ, & ut ſub debito obedientiæ gubernaculo alterius earumdem honeſtius vivendo, converſatio ipſarum acceptior Deo fieret, & quietius ſalubriuſque proficere in eo valerent, eamdem domum intrarunt, unam ſibi ex eis Miniſtram concorditer eligendo, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, excommunicationis ſententiam, ac nonnullas alias cenſuras & pœnas propterea forſitan incurrentes. Quare pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. quod unam ex eis, quæ ceteris præſit, eaſque juxta ipſius Ordinis regulam, ſeu ipſarum vivendi modum dirigat & gubernet &c. perpetuis futuris temporibus hac vice, & ſucceſſive cum

cum per ejuſdem Miniſtræ ceſſum, vel deceſſum, aut alias quovis modo eadem domus Miniſtra caruerit, ſibi Miniſtram, quæ per Viſitatorem per eas &c. ex aliqua etiam approbata Religione, eligendum, ſuis demeritis exigentibus, de conſilio tamen & aſſenſu earumdem Sororum, valeat amoveri, eligere; quodque mulieres ſeculum fugientes, & in domo prædicta Domino famulari cupientes, Miniſtra pro tempore exiſtens ad habitum & profeſſionem ipſius regulæ juxta ipſius Ordinis Inſtituta admittere valeat & recipere; & Viſitator, qui pro tempore fuerit, hujuſmodi Miniſtram & Sorores eaſdem, cum expediens viſum fuerit, ſepta tamen domus hujuſmodi non intrando, pro corrigendis exceſſibus, viſitare, excedenteſque repertas corrigere valeat, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes & ſingulas Sorores prædictas ab excommunicationis ſententia, aliiſque cenſuris &c. ut præfertur, ſi id a te humiliter petierint, abſolvas, hac vice dumtaxat, in forma Eccleſiæ conſueta, injuncta eis & earum cuilibet pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & eis quæ de Jure fuerint injungenda. Et nihilominus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes &c. eiſdem Sororibus præſentibus & futuris dictæ domus Miniſtram eligendi, ac Miniſtræ ſic electæ domum & Sorores hujuſmodi, regendi & gubernandi, ac mulieres e ſeculo fugientes in domum ipſam, & ab eis profeſſionem juxta conſuetudines dicti Ordinis recipiendi, & admittendi; necnon Viſitatori, ut præmittur eligendo, Miniſtram, ſuis demeritis exigentibus, de conſilio tamen & aſſenſu Sororum hujuſmodi, privandi, illamque & Sorores eaſdem, cum ſibi viſum fuerit, viſitandi, earumque exceſſus corrigendi, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Et nihilominus Miniſtræ & Sororibus pro tempore exiſtentibus, ac domui prædictis, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, perpetuo uti & gaudere valeant, eadem auctoritate concedas. Fel. rec. Clementis V. Joannis XXIII. & Bonifacii VIII. &c. & quibuslibet aliis Apoſtolicis &c. contrariis nequaquam obſtantibus, etiamſi de illis earumque totis tenoribus de verbo ad verbum præſentibus habenda foret mentio ſpecialis.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. IV. Non. Maii, anno IX.

LIII.

Ut Fratribus concedat Eccleſiam ſancti Sani Spoletan. Ex lib. I. de Regularibus & Exhibitis anno 9. folio 92.

Dilecto filio Priori ſancti Felicis de Vallenarg. Spoletan. diœceſ.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua dilecti filii Guardianus & Fratres domus ſancti Simonis, Ordinis Fratrum Minorum Spoletan. devotum &c. *Vide ut ſupra.* Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte prædictorum Guardiani & Fratrum petitio continebat, quod cum domus ſancti Simonis prædicta, in qua Fratres Ordinis Minorum conſueverunt olim conventualiter vivere &c. propter guerras &c. Eccleſia, ceteraque illius ædificia &c. diruta & collapſa exiſtant, quod Fratres ulterius inibi morari nequeant quovis modo, ac propterea opus ſit eis, niſi aliunde provideatur, domum hujuſmodi ex toto deſerere &c. quod non libenter facerent, ſi in civitate præfata aliquis locus eis accommodus concederetur, quodque quædam parochialis Eccleſia ſancti Sani Spoletan. a Monaſterio ſancti Juliani extra muros Spoletan. Ordinis

nis ſancti Benedicti dependens, quæ ex fructibus & reditibus propriis nullius annui valoris exiſtit, cuique animarum cura per conductitium gubernari ſolita imminet, & in qua pro Sacerdote hujuſmodi nulla habitatio exiſtit, nullique vel pauci inhabitant circa eam, eiſdem Fratribus concederetur, cum ſit in aptiſſimo loco ſita, Fratres ipſi circa ipſam Eccleſiam domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, ædificiis conguentibus, & aliis neceſſariis officinis &c. ædificari ex Chriſtifidelium ſuffragiis procurarent. Quare pro parte Guardiani & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. diſcretioni tuæ per &c. mandamus, quatenus, ſi eſt ita &c. eiſdem Guardiano & Fratribus, dummodo locus ipſe congruus & honeſtus exiſtat, & in eo habitatio pro Sacerdote hujuſmodi ædificari et conſtrui per Fratres eoſdem debeat, Eccleſiam ipſam recipiendi, & circa illam domum cum dormitorio &c. et aliis neceſſariis officinis pro eorum uſu et habitatione de novo conſtrui & ædificari faciendi, ac ibi perpetuo remanendi, Diœceſani loci, et cujuslibet alterius licentia ad hoc minime requiſita, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, quod prædicti Ordinis Fratres, qui in eadem domo, poſtquam, ut præfertur, conſtructa fuerit et ædificata, pro tempore reſidebunt, omnibus et ſingulis privilegiis &c. gaudeant et utantur, quibus ceteri dicti Ordinis Fratres ex conceſſionibus Apoſtolicis gaudent, ſeu etiam utuntur; jure tamen &c. ſalvo.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. VIII. Idus Maii, anno IX.

LIV.

Ut Fratres domus de Valle-bona ab excommunicatione & aliis cenſuris abſolvantur. Ex lib. I. de Regularibus, anno 9. folio 253.

Dilecto filio Abbati Monaſterii de Alcobatia, Ulyſſiponen. diœceſis.

Vide ut ſupra.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua Guardianus & Fratres domus ſive oratorii ſancti Franciſci de Valle-bona, Ordinis Minorum, Ulyſſiponen. diœceſis, devotum &c. Sane pro parte dilecti filii Guillelmi de Caſali, Miniſtri Generalis prædicti Ordinis, ac dictorum Guardiani & Fratrum, nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim, poſtquam felicis recordationis Bonifacius Papæ VIII. prædeceſſor noſter expreſſe prohibuerat, ne quis ex Mendicantium &c. ac piæ memoriæ Clemens Papæ V. prædeceſſor noſter tranſgreſſores prohibitionis hujuſmodi excommunicationis ſententiæ, ipſo facto ſubjacere decreverat; quondam Joannes de Riparia tunc Miniſter Provincialis provinciæ Portugalliæ, Fratrum Tertii Ordinis dicti Sancti, *de Pœnitentia* nuncupatorum, provide conſiderans, quod domus ſive oratorium hujuſmodi per ipſius Tertii Ordinis Fratres dudum conſtructa & ædificata, ac temporum cauſante malitia, derelicta, ruinæ multipliciter ſubjacebat, & quod Tertii Ordinis Fratres hujuſmodi illam ſeu illud reparare non curabant; ut in ea vel in eo nomen Domini jugiter invocaretur, ad illius laudem & gloriam, dilecto filio Petro Alvari, & nonnullis aliis dicti Ordinis Minorum Fratribus, de voluntate, conſilio & aſſenſu dilectorum filiorum Capituli provincialis Fratrum Tertii Ordinis provinciæ hujuſmodi, pure & libere conceſſit & donavit; necnon Petrus & alii Fratres prædicti ſimplices & Juris ignari, credentes eis hoc licere, domum ſive oratorium hujuſmodi, conceſſionis & donationis prædictarum præ-

prætextu, de facto acceptantes, illam ſeu illud in ſuis ædificiis & ſtructuris fidelium ſuffragiis repararunt &c. Quare pro parte ipſorum Guillelmi Miniſtri, Guardiani &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut iiſdem Guardiano &c. de abſolutionis beneficio ab excommunicationis ſententia &c. providere &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus Petrum & Fratres domus ſive oratorii hujuſmodi, ſi hoc humiliter petierint, ab eadem excommunicationis ſententia, auctoritate noſtra, hac vice dumtaxat, abſolvas in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis &c. quæ de jure fuerint injungenda, & cum illis ſuper irregularitate &c. diſpenſes, aboleaſque omnem inhabilitatis & infamiæ maculam &c. Et inſuper, ſi conceſſionem vigore præſentium per te fieri contigerit, ut præfertur, Fratribus Ordinis Minorum in domo vel oratorio hujuſmodi ſub dicta Obſervantia pro tempore degentibus, ut ipſi omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis in perpetuum uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. XI. Kal. Junii, anno IX.

LV.

Ut recipiant unum in terra Milionici, & tria alia loca in provincia Apuliæ. Ibidem folio 164.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus domorum Ordinis Minorum, in provincia Apuliæ conſiſtentium, ſecundum morem &c.

Merita veſtræ Religionis expoſcunt, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quæ veſtri Ordinis commoda cum augmento divini cultus reſpicere dignoſcuntur. Hinc eſt, quod nos &c. unum vobis in terra Milionici, Acherontin. diœceſis pro Fratribus ſub regulari Obſervantia, & tria alia loca infra provinciam Apuliæ &c. pro Fratribus veſtri Ordinis etiam ſub regulari Obſervantia hujuſmodi inibi deputandis recipiendi &c. Eccleſiam cum campanili &c. officinis, pro uſu & habitatione Fratrum hujuſmodi fundandi, conſtruendi &c. felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus &c. licentiam elargimur. Et inſuper Fratribus in domibus ſive locis deputandis hujuſmodi &c. ſingulis gratiis &c. uti & gaudere valeant &c. concedimus per præſentes: jure tamen &c. ſalvo. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. X. Kal. Junii, anno IX.

LVI.

Tertiarii domus ſancti Fructuoſi eximuntur ab omnibus contributionibus & decimis. Ex lib. I. de Regularibus & exhibitis, anno 9. folio 21.

Ad perpetuam rei memoriam

Ad ea, per quæ fidelium &c. Hinc eſt, quod nos dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum domus ſancti Fructuoſi, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Aſtoricen. diœceſis, in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut ipſi & qui pro tempore fuerint Miniſtri & Fratres dictæ domus, cujus fructus, reditus & proventus quindecim librarum Turonenſium parvorum, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut dicti ſupplicantes aſſerunt, non excedunt, ratione quorumcumque fructuum

Ut in Conſt. 28. hujus Pontif.

ex terris ſive prædiis ad eos ac dictam domum pro tempore pertinentibus, quæ per ipſos vel eorum ſumptibus excoli contigerit pro tempore, excreſcentium & provenientium, necnon etiam animalium ſuorum, in domibus ſeu paſcuis eorumdem pro tempore nutritorum, quibuſvis locorum Ordinariis, ac parochialium Eccleſiarum Rectoribus, in quorum videlicet Ordinariorum diœceſibus & Eccleſiarum hujuſmodi parochiarum limitibus terræ, prædia ac paſcua prædicta conſiſtunt, decimas ſolvere, & alias in talliis & ſubſidiis quibuslibet Apoſtolica vel alia auctoritate impoſitis hactenus & in antea imponendis contribuere minime teneantur, nec ad ſolutionem decimarum ac contibutionem talliarum & ſubſidiorum hujuſmodi, vel alicujus eorumdem aliqualiter ab Ordinariis & Rectoribus prædictis, vel eorum aliquo ſeu aliis quibuſcumque quavis auctoritate, ullo unquam tempore cogi, neque compelli poſſint nec debeant, quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. mccccxxxix. v. Idibus Junii, anno ix.

LVII.

Ut Sorores domus ſanctæ Margaritæ Senen. Confeſſorem & Miniſtram eligant, mulieres ad Ordinem admittant, & a cenſuris abſolvantur. Ex lib. i. de Regularibus, anno 9. folio 100.

Venerabili fratri Epiſcopo Senen.

Vide Conſt. 1. hujus Pontif.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua Benedicta de Peruſio, ceteræque Sorores domus ſanctæ Margaritæ Senen. Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. Sane pro parte earumdem Sororum &c. (*ut in Bulla* lii. *ejuſdem Eugenii uſque ad* repertas corrigere) ipſæque Sorores ſibi Confeſſorem eligere, qui earum confeſſionibus auditis abſolvere, eiſque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & vota per eas emiſſa in alia pietatis opera commutare; quodque ipſæ, quæ miſſam & alia divina officia, juxta inſtituta dicti Ordinis, diebus ſingulis audire tenentur, ne, præſertim juvenibus, mulieribus ibidem exiſtentibus, et quæ de cetero erunt, Domino concedente, vagandi occaſio præbeatur, ad audienda illa diebus Dominicis et feſtivis tantummodo teneantur, ac legata eis in ultimis voluntatibus aut alias quovis modo relicta abſque diminutione exigere et recipere valeant, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. *ut in eadem Bulla uſque ad*, auctoritatem concedas. Et inſuper, ut Miniſtra et Sorores prædictæ tam præſentes, quam quæ pro tempore erunt, in eadem domo votivis auctore Domino proficiant incrementis, eis, ut aliquem idoneum et diſcretum Presbyterem in ſuum poſſint eligere Confeſſorem, qui, quoties eis fuerit opportunum, earum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendat et injungat pœnitentiam ſalutarem, niſi talia forent, propter quæ eſſet merito Sedes Apoſtolica conſulenda; quodque eiſdem Sororibus miniſtrare valeat Eccleſiaſtica Sacramenta: vota autem per eaſdem Sorores forſan emiſſa & in poſterum emittenda (Religionis, obedientiæ, continentiæ & caſtitatis votis dumtaxat exceptis) eadem auctoritate in alia pietatis opera commutare, prout, ſecundum Deum, animarum earum ſaluti viderit expedire. Volumus quoque quod diebus Dominicis et feſtivis, Miſſis & aliis divinis officiis per eaſdem Sorores devote auditis, ad id diebus

bus aliis minime teneantur. Et demum Sororibus ipſis recipiendis perpetuo pia legata, ipſis, ſeu earum alteri per quoſcumque Chriſtifideles quorumcumque locorum in eorum ultima voluntate vel alias relicta, aut in poſterum relinquenda, Ordinarii loci ac parochialis Eccleſiæ et cujuſvis alterius jure ſalvo, exigendi & recipiendi &c. concedimus facultatem. Felicis recordationis Clementis V. Joannis XXII. et Bonifacii VIII. &c. nequaquam obſtantibus &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. IV. Nonas Julii, anno IX.

LVIII.

Ut Confeſſorem eligant, legata recipiant, & ad audiendum ſingulis diebus Sacrum non teneantur. Ex lib. I. de Regularibus & exhibitis, anno 9. folio 24.

Dilectis in Chriſto filiabus, univerſis Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia, *in domibus erectis per dilectam olim in Chriſto filiam Angelinam degentibus, præſentibus & futuris.*

SAcræ Religionis &c. Nos igitur &c. vobis, inter quas, ut aſſeritis, nonnullæ juvenes mulieres exiſtunt, quibus periculoſum eſſet ſingulis diebus pro audiendis miſſis, ut tenentur, de domo, in qua degunt, exire, ut aliquem diſcretum Presbyterum in veſtrum poſſitis eligere Confeſſorem, qui quoties fuerit opportunum &c. *ut in Bulla præcedenti uſque ad*, expedire: quodque diebus Dominicis et feſtivis, Miſſis et aliis divinis officiis per vos devote auditis, ad id diebus aliis minime teneamini; recipiendi quoque pia legata Domui veſtræ ſeu vobis aut alteri veſtrum &c. Ordinarii loci & parochialis &c. ſalvo, exigendi et recipiendi, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque, plenam et liberam facultatem &c. devotioni veſtræ &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. *Vide ut ſupra.*

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. IV. Nonas Julii, anno IX.

LIX.

Ut in clauſura eaſdem Indulgentias conſequantur, quas conſequuntur alii fideles in Eccleſiis urbis Neapolitan. Ibidem folio 72.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis, & Sororibus domus ſancti Franciſci de Eleemoſynis Neapolitan. Tertii Ordinis ejuſdem Sancti.

ODor famæ bonæ, et vitæ regularis Obſervantia, ſub qua ſedulum præſtatis Altiſſimo famulatum, nos inducunt, ut ſpiritualibus donis & indulgentiarum muneribus vos ditantes, ita intra veſtræ clauſuræ terminos contineamus, ut extra Deum quærere non ſit opus. Cum itaque, ſicut nobis nuper exhibita petitio continebat, vos, quæ ſub perpetua clauſura & regulari Obſervantia continetis &c. cupiatis indulgentiis et remiſſionibus adjuvari: ne extra veſtram clauſuram exeundi ulla de cauſa vobis occaſio præbeatur &c. vobis vere pœnitentibus et confeſſis, quandiu in clauſura et regulari Obſervantia vos ipſas ſervabitis, ut viſitando Eccleſiam veſtræ domus in diebus et feſtivitatibus, quibus Chriſtifidelibus reliquas Eccleſias in civitate Neapolitan. conſiſtentes, indulgentiæ et peccatorum remiſſiones ſunt conceſſæ, illas indulgentias et peccatorum remiſſiones conſequamini, in eadem ipſa clauſura et Obſervantia viventes, quas conſequeremini, ſi

prædictas Eccleſias tempore feſtivitatum, et viſitationis hujuſmodi viſitaretis, et ſpeciales Altiſſimo pro bono ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ preces &c.
Datum Florentiæ, anno &c. mccccxxxix. v. Idus Julii, anno ix.

LX.

Ut domus Dertuſen. a nullis aliis quam Obſervantibus habitetur. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 9. folio 45.

Venerabili fratri Epiſcopo Ilerden.

§. I. Piis devotorum deſideriis, illis præſertim, quæ divini cultus augmentum, animarum ſalutem, et ſub regulari habitu ſtudio piæ vitæ vacantium perſonarum commoditates reſpiciunt, libenter annuimus, illiſque, quantum cum Deo poſſumus, Apoſtolicos favores impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani et Fratrum domus ſancti Barnabæ Apoſtoli prope civitatem Dertuſen. Ordinis Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, petitio continebat, quod olim, poſtquam quondam Guillelmus de ſancto Miniate, tunc Archidiaconus Dertuſen. de bonis ſibi a Deo creditis, in quodam manſo, *Largoſa* nuncupato, apud dictam civitatem conſiſtente, et ad eum juſto titulo pertinente, ad laudem Dei, ſub vocabulo dicti Sancti, quamdam capellam cum domo fundaverat, ac illi manſum, et domum eoſdem cum horto, vinea ei adjacentibus, aliiſque terris et poſſeſſionibus pro ſuſtentatione unius perſonæ, quæ ipſius Rector exiſteret, ac perpetuis temporibus illi laudabiliter deſerviret in divinis, pro dote aſſignaverat, jus quoque patronatus, ſive præſentandi perſonam idoneam ad dictam capellam, quoties illam vacare contingeret, tali adjecto onere, quod quilibet ex Canonicis Dertuſen. Eccleſiæ, quando ſibi placeret, abſque moleſtia Rectoris, ac læſione domus, jurium et capellæ prædictorum, recreationis cauſa, ad tempus inhabitare poſſet, dilecto filio Infirmario prædictæ Eccleſiæ reſervaverat; quondam Petrus de Garreto, tunc Rector dictæ capellæ, in remiſſionem ſuorum peccaminum, poſt obitum ejuſdem Guillelmi, cum auctoritate et decreto tunc Vicarii in ſpiritualibus generalis Venerabilis fratris noſtri Ottonis Epiſcopi Dertuſen. ac voluntate quondam Eduardi de Monte-Latino tunc Infirmarii, & de conſenſu dilectorum filiorum Capituli prædictæ Eccleſiæ, capellam cum manſo, domo, horto et aliis præmiſſis quondam Matthæo Thamos et Raymundo de Meureſſa tunc præſentibus, et de licentia Sedis Apoſtolicæ acceptantibus, ac eorum ſucceſſoribus prædicti Ordinis profeſſoribus, *de Obſervantia* nuncupatis, inibi degere volentibus, tali conditione, quod Matthæo et Raymundo capellam & domum prædictas dimittentibus, ac aliis profeſſoribus prædictis ibidem non habitantibus, eo caſu et non alias, capella, manſus, domus & alia præmiſſa ad prædictum Petrum vel ſuum ſucceſſorem, dictæ Capellæ Rectorem pro tempore exiſtentem, abſque cujuſvis contradictione reverterentur, ſponte & libere in precarium donavit; ipſique Matthæus & Raymundus atque alii, qui interim deguerunt in eadem domo, profeſſores ſimplices, & precariæ donationis naturam ignorantes, prædictam domum cum non modicis ſolertia et ſollicitudine pro commoditatibus ſuis, piis fidelium ſubventionibus ampliarunt, et ad inſtar aliarum præfati Ordinis ſimilium profeſſorum domorum adaptarunt, ejuſque ædificia et hortum decenter reformarunt, ac dicto Petro vita functo, dilecto filio Joanni de Volabro Rectori capellæ, ne per ipſum et dilectum filium Franciſcum Rubei Infirmarium Eccleſiæ, prædictarum, aſſerentes, quod

Joan-

Joannes Rector prædictus in fructibus, reditibus et proventibus dictæ capellæ ſibi competentibus plurimum deſraudatus remanſerat, horum occaſione, prout ab illis comminabatur, lites moverentur, eiſdem honeſtam & ſufficientem recompenſam aſſignarunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Guardianus & Fratres prædicti timeant, profeſſores Ordinis hujuſmodi, procedente tempore in prædicta domo degentes, eadem donatione infirmata per Capitulum, ab ipſa domo expelli, et per Canonicos eoſdem, qui cum eis diſparis ſunt profeſſionis et habitus, ſi prædictam domum, quam ante ampliationem & adaptationem hujuſmodi parum curarunt, quando eis placeret, inhabitare deberent, ab intima ſua devotione plurimum retrahi: pro parte ipſorum Guardiani et Fratrum nobis ſuit humiliter ſupplicatum &c. Nos qui &c. necnon cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Aragonum illuſtris, nobis etiam ſuper hoc humiliter ſupplicantis, conſideratione inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes; & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris, et in contrarium nihil rationabile, quod merito impedire debeat, deductum fuerit ſeu etiam allegatum &c. prædictis Guardiano et Fratribus, pro ipſorum et dictorum profeſſorum uſu et habitatione, dictam domum cum aliis præmiſſis, in perpetuum auctoritate concedas memorata: decernens, domum eamdem a ſervitute inhabitandi illam per dictos Canonicos inantea debere manere liberam, necnon Guardianum et Fratres, ac inibi pro tempore degentes profeſſores prædictos per Canonicos prædictos ſuper inhabitatione hujuſmodi non poſſe impediri, ſeu quomodolibet moleſtari: contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ, anno &c. MCCCCXXXIX. XV. Kal. Auguſti, anno IX.

LXI.

Ut Maria de Finali Soror Tertii Ordinis ædificet domum prope capellam ſancti Geneſii Januen. Ex lib. I. de Regularibus & exhibitis, anno 9. folio 131.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Siri Januen.

§. I. Piis fidelium votis, illis præſertim quæ ſalutem animarum, necnon divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, & ut optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Mariæ de Finali, Sororis Januen. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, petitio continebat, quod ipſa zelo devotionis accenſa, et ob ſingularem affectionem, quam gerit ad capellam, oratorium nuncupatum, ſancti Geneſii Januen. ad quam propter multa miracula, quæ Deus Omnipotens, ipſius Sancti intervenientibus meritis, operatus eſt, maxima concurrit populi multitudo, proponat capellam ipſam reparare ac augere, & in quadam domo per eam legitime acquirenda, eidem capellæ propinqua hoſpitalitatem ſervare, ſi ſibi illius cura et regimen committantur; necnon Sacerdotem idoneum, qui Miſſas & alia divina officia in dicta capella, quæ proprios reditus nullos habet, celebret, ponendi & deputandi; ac eidem Sacerdoti illa celebrandi, necnon ipſius Mariæ, ac pauperum

in

in dicta domo pro tempore degentium confeſſiones audiendi, & pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, facultas & licentia plenaria tribuatur.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus et ſingulis, et eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, et ſi &c. poſtquam dicta Maria capellam prædictam reparaverit, ut præfertur, eidem Mariæ, ut in dicta domo hoſpitalitatem tenere, pauperesque ad eamdem pro tempore venientes recipere, ac in dicta capella aliquem Sacerdotem idoneum, qui Miſſas et alia divina officia ibidem celebret, ponere et deputare, necnon eidem Sacerdoti, ut Miſſas & officia hujuſmodi celebrare, ac ejuſdem Mariæ et pauperum prædictorum confeſſiones audire &c. eisque Euchariſtiam et alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, diœceſani loci &c. minime requiſita, libere liciteque valeat, auctoritate noſtra facultatem et licentiam omnimodam largiaris; jure &c. ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, et aliis contrariis quibuſcumque.

Datum Florentiæ &c. mccccxxxix. vi. Idus Auguſti, anno ix.

LXII.

Moniales ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſæ, ſub cura & regimine Fratrum Ordinis Minorum conſtitutæ, a quibuſvis impoſitionibus declarantur immunes. Ibidem folio 174.

Ad perpetuam rei memoriam.

Moniales Sedem Apoſtolicã ſupplicant.

§. I. Licet Romanus Pontifex omnes Religiones, & religioſas perſonas, earumque Monaſteria ſive loca aſſueto benignitatis affectu proſequi conſueverit, illa tamen ſpecialius ſibi ſubdita, a cujuſlibet alterius juriſdictione, onerumque quorumlibet ſubjectione & ſolutione libera facit penitus & exempta, quo majoribus oppreſſionibus exactionibuſque gravata noſcuntur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum & Conventuum univerſorum Monaſteriorum ſancti Damiani, ac Minoriſſarum, ac ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, ſub Generalis Miniſtri, aliorumque Officialium Ordinis Fratrum Minorum cura ubilibet conſtitutarum, petitio continebat, quod ob varias decimarum & caritativorum ſubſidiorum, aliorumque onerum impoſitiones, tam pro Romanæ Eccleſiæ, eorumque Legatorum & Nuntiorum incumbentibus, quam pro honorandis Regibus & Principibus, ac Communitatum ſubventionibus, Apoſtolica auctoritate hactenus ordinatas, conſtitutas atque decretas, necnon gabellas, pedagia & gravamina, aliaque onera realia per Poteſtates, Rectores atque Regimina ſecularia factas, impoſitas & illatas, petitioneſque & exactiones, quæ ratione fructuum, quæ in earumdem Monaſteriorum & locorum agris et poſſeſſionibus, infra nonnullarum cum cura, et ſine cura Eccleſiarum limites conſiſtentibus, colliguntur, a nonnullis illarum Rectoribus et beneficiatis factæ ſunt hactenus, & fiunt etiam de præſenti, Abbatiſſæ, Conventus, Moniales, Monaſteria & loca hujuſmodi in tantam paupertatem, inopiamque venerant, quod pia earum vota exolvere non valentes, in Monaſteriis et locis ipſis divinus cultus eſt adeo diminutus, quod, niſi provideatur celeriter, veriſimiliter formidatur in eis extinctio Obſervantiæ regularis. Quare pro parte Abbatiſſarum et Conventuum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos

§. II. Nos igitur, qui ad eoſdem Fratrum Minorum & ſanctæ Claræ Ordines ſpecialem gerimus devotionis affectum, piæ memoriæ Nicolai IV. Bonifacii VIII. Joannis XXII. Clementis VI. Alexandri IV. & Benedicti XI. prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, earumdem Abbatiſſarum & Conventuum, necnon dilecti filii Guillelmi de Caſali, ejuſdem Fratrum Minorum Ordinis Generalis Miniſtri, ſacræ paginæ profeſſoris, nobis nuper ſuper hoc humiliter ſupplicantis, in hac parte ſupplicationibus inclinati &c. Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria, atque loca hujuſmodi cum omnibus juribus & pertinentiis, ac bonis earumdem mobilibus & immobilibus quibuſcumque, tam præſentibus quam futuris, ab omni juriſdictione, dominio, poteſtate quorumcumque Legatorum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Nuntiorum, & aliorum quorumcumque Ordinariorum Judicum, ad inſtar præfatorum Pontificum conceſſorum privilegiorum, quæ hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, anctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium prorſus eximimus, ac perpetuo liberamus, & ſub beati Petri ac Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus atque noſtra, illaque nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, & dictæ Sedi dumtaxat immediate volumus ſubjacere: ita quod Legati & Nuntii dictæ Sedis, ac Judices prædicti, aut alia quævis perſona ſecularis vel Regularis, Eccleſiaſtica vel mundana, quacumque fulgeat dignitate, nullam in Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria, ſive loca hujuſmodi, utpote prorſus exempta, poſſint excommunicationis vel interdicti ſententias promulgare, vel juriſdictionem, dominium aut poteſtatem aliquam exercere, ratione delicti, contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat: quinimo Abbatiſſas, Conventus & Moniales eaſdem cum earum Monaſteriis atque locis perpetuo exemptas eſſe volumus, immunes a pedagiorum, fructuumque, & aliorum hujuſmodi ſolutione, contributione, reſponſione & aliis quibuſcumque. Non obſtan. fel. rec. Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, & aliis quibuslibet conſtitutionibus & privilegiis, indulgentiis & litteris Apoſtolicis, & generalibus locorum Ordinariis, vel aliis quibuſcumque & quovis nomine conceſſis & in poſterum concedendis, necnon ſtatutis, conſuetudinibus & ordlnationibus Monaſteriorum, locorum & ordinum prædictorum, ac obligationibus, promiſſionibus & ſolutionibus per eaſdem Abbatiſſas, Conventus & Moniales hactenus forſan factis contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis: mandantes omnibus & ſingulis Legatis, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ordinariis, Rectoribus & aliis ſupradictis, cujuſvis Ordinis, gradus, ſtatus & conditionis exiſtant, etiamſi Cardinalatus præfulgeant dignitate, ne Abbatiſſas, Conventus, Monaſteria & loca hujuſmodi ſuper præmiſſis, & circa ea impetant, aut vexent quomodolibet, vel moleſtent, quinimo nec ſinant ab aliis, quantum in eis fuerit, quomodolibet moleſtari, etiam per litteras Apoſtolicas, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum confectas, ſeu conficiendas in poſterum, & etiamſi litteræ ipſæ de eiſdem Monaſterils, Abbatiſſis, Prioriſſis, Conventibus, Ordinibus, & Religione, ac privilegiis & indultis ipſarum, & de præſenti indulto plenam & expreſſam facerent mentionem; ac etiam ſi in eiſdem litteris conceſſis vel concedendis clauſulæ infra ſcriptæ, videlicet, quod omnes perſonæ Eccleſiaſticæ & Religioſæ, exemptæ & non exemptæ, ad præſtationem, ſeu ſolutionem decimarum, collectarum, ſubſidiorum, procurationum, angariarum, perangariarum, ac aliarum quarumlibet exactionum, quocumque nomine nuncupentur, ſeu ad contribuendum in eis, compelli valeant, inſertæ forent,

Bona Monaſteriorum ab impoſitionibus declarantur exempta.

Suſcipiuntur ſub protectione ſancti Petri.

Mandata facta univerſis Prælatis.

Nequeunt ab ullo ad contributiones compelli.

rent; non obſtantibus, ſi dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis & Conventibus dictorum Monaſteriorum, & ipſis univerſis Monaſteriis, vel Ordini ſeu Religioni ipſarum in ſpecie vel in genere, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ad ſolutionem, ſeu præſtationem decimarum, collectarum, talliarum, ſubſidiorum, procurationum & aliarum impoſitionum hujuſmodi, ſeu ad contribuendum in eis minime tenerentur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, quæ de indulto hujuſmodi, & toto tenore ipſius plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum non facerent mentionem; ſive quibuslibet privilegiis vel indulgentiis eis, vel quibuſcumque perſonis, locis, vel ordinibus a prædicta Sede conceſſis vel concedendis, de quibus opporteret in dictis litteris ſpecialem fieri mentionem, & per quæ effectus litterarum ipſarum quomodolibet impediri valeret, vel etiam retardari, vel aliæ quæcumque & qualeſcumque clauſulæ prædictis ſimiles vel diſſimiles, ſub quorumcumque tenore, vel expreſſione verborum inſertæ fuerint, quæ conſtitutioni & ordinationi noſtris hujuſmodi poſſent in aliquo derogare, compelli poſſint invitæ: decernentes ex nunc omnes excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, ac quoſcumque proceſſus quaſvis perſonas continentes, quos vel quas adverſus Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria, loca & bona prædicta contra tenorem & formam exemptionis hujuſmodi quomodolibet haberi contigerit, ſeu etiam promulgari, irritas & inanes, ac nullius exiſtere roboris vel momenti. Per hoc autem dilectis filiis Generali Miniſtro, & aliis Ordinis Minorum hujuſmodi pro tempore exiſtentibus Officialibus nullum, quin omnem, quam hactenus habuerunt & de preſenti habent, curam, diſpoſitionem, & quamvis aliam adminiſtrationem Abbatiſſarum, Conventuum, Monaſteriorum & locorum prædictorum libere & licite valeant exercere, volumus præjudicium generari. Nulli ergo &c. noſtræ exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, mandati, conſtitutionis & voluntatis infringere &c.

Fratribus nullū infertur præjudicium.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. Idibus Auguſti, anno IX.

LXIII.

Ut Obſervantes admittant Eccleſiam intra Prioratum S. Gabrielis Cremonen. pro Cœnobio ædificando. Ex lib. I. de Regularib. anno 9. folio 112.

Dilecto filio Abbati Monaſterii omnium Sanctorum juxta muros Cremonen.

§. I. JUſtis & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim quæ ad divini cultus augmentum, & Religionis propagationem cedere dignoſcuntur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Pridem ſiquidem dilectis filiis civibus Cremonen. qui propter devotionem, quam ad Ordinem gerunt Fratrum Minorum, domum unam cum campanili, campana, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro uſu &c. dictorum Fratrum conſtruere &c. affectabant, per alias noſtras litteras domum hujuſmodi &c. infra, vel extra civitatem eorumdem civium cum campanili, campana, officiniſque, ut præfertur, fundandi &c. ipſiſque Fratribus aſſignandi, ac illis eam recipiendi & inhabitandi licentiam concedi mandavimus, & etiam facultatem, prout in dictis litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rizardi de Mediolano, & Franciſci de Bononia, dicti Ordinis profeſſorum, petitio continebat, dilectus filius Joannes Prior Prioratus ſancti Gabrielis extra muros Cremonen. Ordinis ſancti Benedicti, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecti, Eccleſiam ſub vocabulo *beatæ Mariæ* infra limites dicti Prio-

Prioratus conſiſtentem, & ad ipſum Prioratum pleno jure pertinentem, quæ totalis ruinæ deformitati ſubjacere dignoſcitur, tectiſque eget & pavimento, cum ejuſdem Prioratus domibus, quæ etiam ruinoſæ ſunt, ac clauſuris vacuis & intermediis, juxta & apud dictam Eccleſiam exiſtentibus, pro annuo cenſu, ſeu canone libræ unius ceræ; necnon pro ipſius domus erigendæ hortis, hortalitiis, & aliis officinis ad uſum eorumdem Fratrum, de agris, hortis, ſive campis inibi contiguis & adjacentibus, ad dictum Priorem ratione dicti Prioratus ſimiliter ſpectantibus, uſque ad quantitatem, decem & octo perticarum, ſecundum illarum menſuram partium, per modum excambii ſive permutationis cum aliis agris & poſſeſſionibus, civibus, & Fratribus prædictis, ſi ad id Apoſtolica interveniat auctoritas, dare & aſſignare proponat: pro parte dictorum Rizardi & Franciſci, aſſerentium, Eccleſiam & domos hujuſmodi piis dictorum civium, & aliis mediantibus eleemoſynis, reædificari & reparari, ac pro ipſo excambio alios æquivalentes campos & poſſeſſiones eidem Priori exhiberi & aſſignari facere poſſe, ſeu etiam ſperare, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ per &c. mandamus, quatenus, ſi narrata hujuſmodi inveneris veritate fulciri, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eidem Joanni Priori Eccleſiam cum domibus, clauſuris vacuis, intermediis, muraliiſque ruinoſis, ut præfertur, ſub annuo cenſu, ſive canone unius libræ ceræ, ſibi & pro tempore exiſtentibus ipſius Prioratus Prioribus annis ſingulis, in terminis ad id per te ſtatuendis, per Fratres, ſive cives prædictos perſolvendo, dandi & concedendi, necnon hortos & campos uſque ad quantitatem menſuræ hujuſmodi, pro ejuſdem domus erigendæ hortis, hortalitiis & aliis præfatis officinis in uſu & habitatione dictorum Rizardi & Franciſci, aliorumque Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum pro tempore inibi degentium, pro æquivalentibus bonis aliis ſtabilibus dicto Prioratui applicandis, permutandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris; quodque, ſi præmiſſa per te vigore præſentium fieri contigerit, eiſdem Rizardo, Franciſco & Fratribus, donec & quouſque Eccleſia reparata & domus hujuſmodi conſtructa & ædificata fuerint, ut de voluntate & conſenſu Prioris ipſius Prioratus pro tempore exiſtentis, in Eccleſia ejuſdem Prioratus, apud quam Prior & Monachi aliqui a ſexaginta annis citra nullam fecerunt, prout nec faciunt reſidentiam, divina interim celebrare officia valeant, præfata etiam auctoritate concedas. Non obſtantibus conſtitutionbus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Per hoc autem nullum eiſdem Rizardo, Franciſco & Fratribus in dicto Prioratu ejuſque Eccleſia jus acquiri volumus quovis modo: aliis noſtris hujuſmodi litteris in ſuo robore nihilominus alias permanſuris.

Datum Florentiæ, anno &c. mccccxxxix. xvi. Kalend. Septembris anno ix.

LXIV.

Monaſteria ſanctarum Claræ & Agnetis Hiſpalen. eximuntur ab omnibus contributionibus. Ibidem folio 301.

Venerabili fratri Epiſcopo Gadicen.

§. I. ETſi perſonis quibuslibet voto Religionis aſtrictis debeamus favores & gratias impertiri, eas tamen, quæ prudentum Virginum more, virginitatem ſuam Virginis filio devoventes, parant accenſis lampadibus obviam ire ſponſo, nos convenit propenſiore ſtudio caritatis com-

plecti, quo propter fragilitatem ſexus majori noſcuntur auxilio indigere.

§. II. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum ſanctæ Claræ, & ſanctæ Agnetis Hiſpalen. Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, Monaſteriorum Abbatiſſarum & Conventuum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim fel. record. Gregorius Papa XI. prædeceſſor noſter per ſuas litteras, quibus non fuit hactenus per Sedem Apoſtolicam in aliquo derogatum, ſub data x. Kalendas Decemb. Pontificatus ſui anno III. dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui de Guadalfagiara dicti Ordinis, Toletan. Diœceſ. quæ, licet dictum earum Monaſterium varias poſſeſſiones obtineret, tamen eodem Ordine in paupertate fundato, voluntariæ pauperes Chriſto pauperi deſerviebant, ut ipſæ, ſeu earum aliquæ ad exhibendum procurationes aliquas Legatis vel Nuntiis dictæ Sedis, ſive ad præſtandum ſubventionem quamcumque, vel ad contribuendum in exactionibus, vel collectis, ſeu ſubſidiis aliquibus per litteras Sedis, aut Legatorum ſeu Nuntiorum prædictorum, ſeu Rectorum terrarum vel regionum quarumcumque minime tenerentur, nec ad id cogi poſſent, etiam ſi in hujuſmodi Sedis litteris contineretur, quod ad quævis exempta & non exempta loca & Monaſteria ſe extenderent, & eis aliqua dictæ Sedis indulgentia, cujuſcumque tenoris exiſteret, non obſtaret, niſi forſan litteræ Sedis hujuſmodi de prædictis indulto, & Ordine plenam & expreſſam facerent mentionem, indulſit atque conceſſit: mandans Legatis, Collectoribus, vel Nuntiis dictæ Sedis, ne eas ſuper hoc moleſtarent, aut de Conventu dicti Monaſterii de Guadalfagiara procurationes aliquas, vel ſubſidium, aut tributum exigerent: ac volens quod prædictum Monaſterium de Guadalfagiara a dictis procurationibus vel ſubſidiis, aut aliis tributis eſſet exemptum, decrevit quoque idem prædeceſſor irritas & inanes interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas in eaſdem Abbatiſſam & Conventum de Guadalfagiara, vel aliquam ipſarum, ſeu quaſcumque alias earum occaſione, præmiſſorum prætextu, contra hujuſmodi conceſſionis ſuæ tenorem, per quemcumque ex tunc in antea contingeret promulgari; prout in eiſdem litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſæ exponentes in præmiſſis oneribus & aliis ſimilibus, & circa ea ſæpius moleſtentur &c. pro parte ipſarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus, ſi litteris ipſis in earum propria & originali forma per te diligenter inſpectis & examinatis, eas veras, ac ſanas & integras eſſe, dictaſque Abbatiſſam, & Conventum de Gualdafagiara jure exemptionis onerum hujuſmodi, dummodo poſtea contra illud legitime præſcriptum non fuerit, uſas eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, prædictis exponentibus, ut etiam ipſæ de cetero, quandiu in hujuſmodi Obſervantia vixerint, ſimilibus conceſſione & indulto in omnibus & per omnia uti & gaudere poſſint ac debeant, auctoritate noſtra concedas, non permittens eas ſuper præmiſſis contra earumdem litterarum tenorem, perinde ac ſi illæ eis dirigerentur, per quempiam indebite moleſtari: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. VI. Kalendas Septembris, anno IX.

LXV.

LXV.

Joannes de ſancta Anna inſtituitur earum Viſitator. Ibidem folio 300.

Dilectis in Chriſto filiabus, ſanctæ Claræ, & ſanctæ Agnetis Hiſpalen. Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, Monaſteriorum Abbatiſſis & Conventibus.

Sacræ Religionis, ſub qua &c. Vobis, ut dilectus filius Joannes de ſancta Anna, Ordinis Fratrum Minorum & ſacræ Theologiæ profeſſor, qui, ſicut aſſeritis, per plures annos ex conceſſione & permiſſione Generalium dicti Ordinis Miniſtrorum, qui interim fuerunt, viſitationis officium in vos, & dicta Monaſteria laudabiliter exercuit, & de præſenti exercet, illud, quoad vixerit, ulterius exercere poſſit &c. indulgemus. Nos enim de ipſius Joannis vita laudabili, morum integritate, pura conſcientia, & aliis virtutum donis, quibus perſonam ſuam, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, Altiſſimus inſignivit, plurimum confidentes, ſibi, quoad vixerit, Monaſteria prædicta eorumque Moniales ſive Sorores, & perſonas præſentes & futuras tam in capitibus, quam in membris, quoties expedierit, viſitandi, necnon ea, quæ ſecundum Deum, & regularia veſtri Ordinis inſtituta inibi correctione, reformatione & punitione indigere repererit, corrigendi &c. & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam &c. compeſcendi &c. concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. *Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.*

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. Non. Septembris, anno IX.

LXVI.

Ut in civitate Paduan. erigat Monaſterium ſanctæ Claræ, in eoque habitum regularem ſuſcipiat. Ex ipſo autographo.

Dilectæ in Chriſto filiæ Dorotheæ ex Comitibus de Panico, Domicellæ Bononien. in civitate Paduan. commoranti.

§. I. Pia vota fidelium, quæ ſalutis operibus obſequuntur, libenter Apoſtolico favore proſequimur, eiſque gratioſum & benevolum impertimur aſſenſum. Sane petitio, pro parte tua nobis ouper exhibita, continebat, quod tu de propria ſalute cogitans &c. ac gerens ad Ordinem ſanctæ Claræ ſpecialem devotionis affectum, de bonis tibi a Deo collatis unum Monaſterium dicti Ordinis cum Eccleſia ſeu oratorio, campanili &c. neceſſaris officinis in civitate Paduan. fundare & conſtrui facere, ac de congruis reditibus annuis pro una Abbatiſſa, & certis aliis Monialibus in eodem Monaſterio inſtituendis, ſervitricibuſque & aliis eis neceſſariis, ad inſtar Monaſterii ſanctæ Claræ Corporis Chriſti de Mantua nuncupati, ſufficienter dotare proponis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fundandi, conſtruendi & dotandi in dicta civitate, in loco tamen congruo & honeſto, prædictum Monaſterium, ut præfertur, Diœceſani &c. minime requiſita, prius tamen per te ſufficienti dote aſſignata, ac jure &c. ſalvo; quodque tu, quæ ut aſſeris, in dicto Monaſterio una cum certis aliis honeſtis mulieribus ſub regula & juxta inſtituta regularia Monaſterii ſanctæ Claræ Corporis Chriſti de Mantua nuncupati, ut præfertur, ejuſdem Ordinis, Altiſſimo perpetuo famulari deſideras, poſtquam illud erectum & dotatum fuerit, regularem habitum cum eiſdem mulieribus recipere, ac profeſſionem in eodem, per Moniales inibi in ſimilibus Monaſteriis in ma-

manibus ad id juxta inſtituta dicti Ordinis poteſtatem habentis emitti ſolitam, emittere poſſis & valeas, devotioni tuæ auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et nihilominus eidem Monaſterio, ſi illud per te, ut præfertur, fundari, conſtrui & dotari contigerit, & ejus Abbatiſſæ & Monialibus, quæ in ipſo Monaſterio pro tempore fuerint, auctoritate prædicta concedimus, quod Abbatiſſa & Moniales ipſæ omnibus & ſingulis privilegiis &c. præfato Monaſterio ſanctæ Claræ Corporis Chriſti de Mantua nuncupato, ut præfertur, ac aliis &c. conceſſis, libere potiri valeant & gaudere. Nulli ergo &c. conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. XVIII. Kalendas Octobris, anno IX.

LXVII.

Confirmantur litteræ Clementis IV. continentes Ordinis privilegia. Ex lib. I. de Regularib. & Exhibitis anno 9. folio 74.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet debitum Paſtoralis officii omnibus regularem vitam profeſſis, ut in ſuis conſerventur privilegiis, nos reddat favorabiles et benignos, ad ſacrum tamen Ordinem Fratrum Minorum, quorum præclara Religio, veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum ad laudem Dei et fidei incrementum ſemper attulit et affert quotidie verbo, et exemplo in populo Chriſtiano, dirigentes præcipue, velut pius Pater oculos mentis noſtræ, dignum cenſemus et debitum, ut ipſum Ordinem, ejuſque in odorem ſuavitatis Altiſſimo deſervientes perſonas, in ſuis privilegiis, præſertim per Romanos Pontifices conceſſis, debite conſervemus, ac illa, ne de eorum robore ullatenus hæſitari valeat, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboremus. Hinc eſt, quod nos dilectorum filiorum Guillelmi de Caſali, Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum prædictorum ſupplicationibus inclinati, litteras quaſdam fel. record. Clementis Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, dicto Ordini conceſſas, quarum tenorem inferius de verbo ad verbum deſcribi fecimus, ac omnia et ſingula in eis contenta, pro ipſarum ſubſiſtentia firmiori, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium confirmamus, et præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero prædictarum litterarum ſequitur et eſt talis: *Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Virtute conſpicuos &c. ut in Tomo* IV. *in Bulla* LV. *in Regeſto Alexand. IV. uſque ad finem.* Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. IV. Idus Novembris, anno IX.

LXVIII.

Præficitur Eccleſiæ Thanen. Ex lib. I. de Exhibitis anno 9. folio 311.

Dilecto filio Baſilio Electo Thanen.

Vide Conſtit. 20. hujus Pontif.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bon. mem. Franciſco Epiſcopo Thanen. regimini Thanen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes &c. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi, qui extra Roman. &c. deſtituta, demum ad te Ordinis Fratrum

Mi-

Minorum profeſſorem &c.providemus, teque ei præficimus in Epiſcopum et Paſtorem &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. III. Idus Decemb. an. IX.

LXIX.

Eccleſia & ædificia Monaſterii ſanctæ Mariæ de Paradiſo Viterbien. conceduntur Obſervantinis. Ex lib. 1. de Regularib. & Exhibitis an. 9. fol. 110.

Venerabili Fratri Epiſcopo Cornetan.

§. I. Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas piis quarumlibet regulari ſub caſtimonia firmaque Regulæ obſervantia Domino militantium perſonarum votis libenter annuit, et etiam illis, quæ pro hujuſmodi perſonis ejus auctoritate pie et provide facta comperit, ulterioris interdum ſui muniminis adminiculum adjicit, ut eo firmius illibata perſiſtant, quo frequentiori ſuo fuerint præſidio pro tempore ſtabilita.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Jacobi de Reate Vicarii et aliorum Fratrum, *de Obſervantia* nuncupatorum, Ordinis Minorum Romanæ provinciæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilectus filius noſter Joannes tituli ſancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, in dicta Provincia et aliis locis pleriſque etiam tunc prædictæ Sedis Legatus, Monaſterium Monialium ſanctæ Mariæ de Paradiſo extra muros Viterbien. tunc Ciſtercien. Ordinis exiſtens, ex certis cauſis legitimis tunc expreſſis, ſub certis modo et forma, menſæ Capitularis Eccleſiæ Viterbien. univit, annexuit et incorporavit, etiam confirmatione Apoſtolica deſuper ſubſecuta, ac ſubſequenter facta per nos eidem Cardinali oraculo vivæ vocis, ſuper eo quod Eccleſiam, clauſtrum et ædificia dicti Monaſterii, illiuſque locum dictis Vicario et Fratribus concederet et aſſignaret, idem Cardinalis Apoſtolica eis auctoritate illa conceſſit et aſſignavit, prout in quibuſdam litteris deſuper confectis, ſuo quoque ſigillo ſignatis, dicitur plenius contineri.

§. III. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ambitus dicti Monaſterii infra antiquos muros Viterbien. partim ruinoſos, ubi Laici non pauci frequenter diſcurrere, vagarique ſolent, conſiſtens, tam propter eorumdem Laicorum ſtrepitum Fratres in Monaſterio ipſo exiſtentes valde perturbantem, quam etiam pro horto, et aliis Fratrum eorumdem commoditatibus, ipſis bene neceſſarius et accommodus cenſeatur, ac propterea, ut eiſdem Fratribus hujuſmodi perturbationis materia ſubtrahatur,et pro dictis horto et commoditatibus locum habeant latiorem, Vicarius et alii Fratres prædicti in affectu gerant, quod dictus ambitus Fratribus ipſius Monaſterii approprietur, pro parte ipſius Vicarii et Fratrum aſſerentium, ambitum non magni ſpatii, modicique valoris fore, ac Monaſterium hujuſmodi fere totali ruinæ ſubjacere, reparationeque magna plurimum indigere, fuit nobis humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur, etiam quoad dictum ambitum, ut per hoc ab eiſdem Fratribus omnis perturbationis inde provenire ſolitæ tollatur occaſio, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, et poſt quam vocatis dilectis filiis Capitulo Viterbien. et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de hujuſmodi aſſertis, et aliis præmiſſis legitime conſtiterit, conceſſionem et aſſignationem prædictas Apoſtolica auctoritate approbes et confirmes; dictis quoque ipſius Monaſterii Fratribus ambitum perpetuo concedas antedictum: nos enim, ſi approbationem, confirmationem et conceſſionem hujuſmo-

juſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, univerſis et ſingulis Fratribus dicti Monaſterii præſentibus et futuris, ut omnibus privilegiis &c. conceſſis uti gaudereque valeant, dicta auctoritate concedimus per præſentes. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque; jure tamen &c. ſalvo.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. XVII. Kal. Jan. anno IX.

LXX.

Confirmantur quædam ſtatuta a Sororibus tertii Ordinis Collegii Peruſin. compacta. Ibidem folio 98.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Sedis Apoſtolicæ providentia circumſpecta perſonas ſub Religionis obſervantia vacantes aſſiduo ſtudio piæ vitæ benigno favore proſequitur, ac ea, quæ pro ipſarum perſonarum commodo et Religionis præſervatione, provida deliberatione facta ſunt, ut illibata conſiſtant, conſuevit Apoſtolico munimine roborare. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, univerſarum Sororum tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Collegii Peruſini, petitio continebat, quod licet ipſæ a tempore quondam Bonifacii IX. &c. nuncupati, prætextu cujuſdam confirmationis ſtatutorum per bonæ memoriæ Franciſcum tituli ſanctæ Suſannæ Presbyterum Cardinalem factæ, per quæ eædem Sorores ſub cura et regimine unius Generalis Miniſtræ, per eaſdem Sorores pro tempore eligendæ, vivere, illique obedire haberent, mulieres quoque ſeculum fugientes, et ad Collegium hujuſmodi pro tempore venientes, ad Miniſtram prædictam irent, ab ea et non ab alia, vel alio hujuſmodi tertii Ordinis habitum recipere, & nonnulla alia, quæ in hujuſmodi ſtatutis, in ipſius Cardinalis litteris inſertis, plenius continentur, juxta quæ ipſæ Sorores hactenus invicem laudabiliter vixerunt, prout vivunt etiam de præſenti.

Sorores tertii Ordinis eligebant Generalem Miniſtram.

§. II. Verum quia a nonnullis aſſeritur, prædictum Cardinalem confirmationem hujuſmodi ſtatutorum facere minime potuiſſe, & propterea eaſdem Sorores excommunicationis ſententiam, aliaſque cenſuras & pœnas incurriſſe. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, propter præmiſſa inter eaſdem Sorores murmurationes, & ſcandala in partibus illis oriuntur, adeo ut ſine mentis quiete viventes, quæ Dei ſunt, minus debite valeant cogitare, & niſi eis de celeri remedio ſuccurratur, eadem Religio, ſeu ipſarum vivendi modus, poſſet ad nihilum veriſimiliter pervenire. Quare pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſas, quæ dicti Cardinalis poteſtatem probabiliter ignorabant, a quibuſvis excommunicationum ſententiis, aliiſque cenſuris &c. abſolvere, omniaque per eaſdem Miniſtram & Sorores, alias rite geſta, rata habere &c. dignaremur.

Dubitatur an licite.

Abſolutionem petunt a cenſuris ſi quas incurrerint & obtinent.

§. III. Nos igitur &c. Miniſtram & Sorores prædictas ab omnibus excommunicationum ſententiis, aliiſque cenſuris &c. abſolventes, omniaque per eaſdem Miniſtram & Sorores & ſingula rite geſta, grata & rata habentes, illaque & prædicta ſtatuta in ipſius Cardinalis litteris inſerta, ac cetera in eis contenta, quæ in Cancellaria noſtra inſpici fecimus diligenter, & quæ ibidem rationabilia &c. confirmamus &c. Tenor vero dictorum Statutorum ſequitur & eſt talis.

Cardinalis S. Suſannæ ſtatuta.

In nomine Domini Amen. Quoniam, ut ait Sapiens Eccleſ. 36. Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio, *neceſſe eſt religioſis perſonis regulam eis tradi-*

ditam, tamquam poſſeſſionem vallatam, ſepe utilium ſtatutorum quaſi circumdare manimine, ne Obſervantia regularis vitæ pateat incurſibus ſpiritualium beſtiarum &c. Igitur cum ille malignus antiquus hoſtis, zizanii ſeminator, inter Fratres de Pœnitentia tertii Ordinis ſancti Franciſci de Peruſio zizania avaritiæ, ambitionis, indignationis, invidiæ & ſcandali derivaverit &c. Ideo viſum eſt nobis, Miniſtræ & Sororibus aliis Ordinis prælibati, civitatis Peruſinæ, apud locum Fratrum Minorum de Peruſio in Capitulo congregatis, unanimiter & concorditer cum conſilio, conſenſu & voluntate religioſi viri fratris Benedicti de Tuderto, noſtri Viſitatoris, præſentes conſtitutiones, plenaria deliberatione præbabita, condere, conſtituere & ordinare, ac perpetuo obſervare. Motivum has Conſtitutiones condendi.

Cum Regula noſtra ſic incipiat: Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Fratribus, & dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia, tam præſentibus quam futuris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem &c. *Et Sorores omnes Ordinis prælibati de civitate prædicta, ſub diſcretione, conſilio, protectione, regimine, correctione & reformatione Fratrum dicti Ordinis hactenus conſueverunt permanere, necnon in earum bonis moribus confoveri, & in contrariis ſubſidium recipere, & ſalutem; & nunc propter aliquorum Fratrum malam vitam &c. ex quibus ipſi, & totum Collegium Fratrum & Sororum in perſonam eorum verſi ſunt in deriſum, opprobrium & contemptum omnium Peruſinorum &c. idcirco omni modo, via, jure & forma, quibus melius poſſumus, ſtatuimus & ordinamus pro præſenti conſtitutione perpetuis temporibus duratura, jubemus, quod Collegium & Capitulum Sororum veſtrarum de civitate prædicta, ſit in omnibus & per omnia totaliter diviſum & ſeparatum a Collegio dictorum Fratrum & Capitulo, & nulla Soror teneatur, nec debeat obedire in aliquo Miniſtro electo vel eligendo per ipſos Fratres, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & conſuetudinibus huc uſque factis ſeu habitis, quas &c. nullius roboris, ſeu efficaciæ eſſe jubemus, niſi illas, quas in præſenti, & infraſcriptis conſtitutionibus confirmabimus; ſed univerſæ Sorores veſtri Collegii & Capituli unam de Sororibus veſtræ Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtram, quæ illam habeat auctoritatem & poteſtatem, quæ conceditur Miniſtro a Regula, a Sede Apoſtolica vobis conceſſa, & eidem teneantur firmiter obedire in omnibus, quæ ad ſuæ ſollicitudinis officium ſpectant: & pro qualibet porta aſſignentur una Prioriſſa & una diſcreta, quarum electio fiat ſicut inferius deſcribitur.* Regulæ initium. Collegiũ Sororum ab illo FF. debet eſſe diviſum. Miniſtra Generalis & Prioriſſæ Oſtiatiæ.

Et caveant omnes & ſingulæ Sorores, ne in Capitulo vel conſilio, ſeu extra audeant vel præſumant publice vel occulte proponere, ratiocinari, ordinare, vel quomodolibet loqui, quocumque quæſito colore vel titulo, quod prædictum Collegium dictarum Sororum uniatur iterum, vel incorporetur cum Collegio prædictorum Fratrum, niſi ſit ſub regimine, protectione, gubernatione & correctione, punitione, informatione, ſeu obedientia eorumdem: quæ autem contra fecerit, taliter puniatur per Miniſtram & Viſitatorem, quod cæteris tranſeat in exemplum; & ſi in ſua pertinacia, perfidia & contumacia manere voluerit, ex tunc ipſo facto de veſtro Collegio & Capitulo ſit totaliter expulſa, & tamquam turbatrix veſtræ pacis, bonoris & libertatis ab ipſo penitus ſit ejecta, & omni beneficio & dignitate veſtri Collegii ſit privata, & de veſtra matricula charta abolita & cancellata. Nequeunt Sorores iterũ deCollegiorum unione loqui.

Item ſtatuimus, quod ſi aliqua perſona, Spiritu ſancto inſpirata, veſtram voluerit Religionem intrare & venerit ad Sorores ipſas, mittant eam ad prædictam Miniſtram Generalem veſtram, cui, & non alii, recipiendi aliquam perſonam ad Ordinem veſtrum licentia concedatur. Miniſtra vero di- Miniſtra ſola poteſtatem habet recipiendi Novitias ad Ordin.

li-

ligenter examinet eam, ſicut in veſtra Regula continetur. Et ſi perſona præfata recipienda voluerit omnia obſervare, tunc exponat prædictis Abbatiſſis, & diſcretis perſonam, ſtatum, conditiones volentis intrare, & ſi eiſdem placuerit, vel majori parti earum, recipiatur, & aliter non: & ſi Miniſtra contrarium fecerit, puniatur acriter per Viſitatorem de conſilio dictarum Prioriſſarum & diſeretarum. Et nihilominus ipſa receptio nulla ſit, niſi per ipſas Prioriſſas & diſcretas approbetur, & earum judicio videatur ipſam fuiſſe bonam & utilem pro Religione. Et nulla alia exiſtens de fraternitate quapiam recipiatur ad veſtrum Ordinem, niſi ante receptionem ſufficienter promittat, quod non dimittet ea, quæ ſpectant ad Ordinem veſtrum, propter quæcumque fienda in fraternitate prædicta. Habitus vero Religionis dari poſſit poſt mortem petentibus perſonis ante mortem, ſi Miniſtræ & prædictis Prioriſſis, ac diſcretis videbitur expedire. Receptione facta ad Ordinem, & completo anno, recipiatur quælibet ad profeſſionem ſecundum formam Regulæ; & nihilominus promittat omnes præſentes conſtitutiones obſervare, ut de ignorantia non poſſit ſe excuſare, eidemque ipſæ ſpecialiter vulgarizentur de verbo ad verbum, & de prædictis omnibus fiat publicum inſtrumentum.

Receptio debeat a Prioriſſis approbari.

Profeſſio poſt ann. prob. facienda.

Cum Regula veſtra dicat, quod Sorores chlamyde induantur, & tunica de hujuſmodi panno &c. *ſtatuimus, quod omnes & ſingulæ Sorores chlamydes portent affibulatas, & clauſas naticbia idonea & honeſta; & ſine mantellis ſic affibulatis & clauſis extra domum non vadant, nec etiam diſcalceatæ ultra tres domos, niſi eſſent in itinere conſtitutæ. Item velum in capite portent tam longum & magnum, quod protendatur inferius ſub mantello, & claudatur cum naticbia mantelli, & mantellum ſit talis longitudinis, quod non protrahatur per terram: & caveant omnes & ſingulæ Sorores a curioſitatibus in veſtimentis, calceamentis, ligaturis capitis & cum aliis rebus, de quibus poſſent de curioſitate, vel vanitate notari: & quæ contra fecerit in prædictis, vel aliquo prædictorum, puniatur per Viſitatorem de conſilio Miniſtræ, ſicut eis videbitur expedire.*

Modus & qualitas indumentorum.

Item ſtatuimus, quod Sorores non ſedeant extra domum in via, nec diſcurrant per vicinas, ſine mantello clauſo & affibulato, nec exeant de nocte extra domum nulla ratione, vel cauſa, niſi in caſu neceſſitatis, & tunc de licentia Viſitatoris vel Miniſtræ, ſuper quibus ipſi habeant judicare: & ſi caſus neceſſitatis occurreret, teneatur notificare Miniſtræ in die; nec vadant extra domum diſcalceatæ, vel calceatæ planellis non clauſis, nec colligolis coloratis, nec ſe aſſocient cum mulieribus ornatis mundano cultu, præterquam cum familia propria, ſcilicet nuru, vel filia, ſeu cognata, niſi in tertio gradu: nec vadant nimis diſcurrendo per terram, nec Sorores, quando extra domum egrediuntur, ſimul vadant, ſed cum eis adſit aliqua, ſcilicet una, ſi plures eſſe non poſſint; quæ vero ſunt juvenilis ætatis: & ſtudeant pro poſſe Sorores, & maxime iuvenes, habere ſocietatem Sororum ſuarum, & non ſecularium mulierum.

Quomodo ſe debeant extra Collegium gerere.

Item ſtatuimus, quod nulla Soror vadat extra parochiam ſuam ad domum alicujus funeris in die ſepulturæ ipſius, ubi perſona defuncta eſſet ſibi in conſanguinitate conjuncta, nec aliqua Soror pro aliquo vel pro aliqua perſona defuncta, ſeu ex alia mæſtitia dilaniet ſibi veſtimenta vel faciem, nec depilet capillos vel amputet, nec ſingultus magnos vel clamores emittat, & contrarium faciens puniatur per Viſitatorem de conſilio Miniſtræ, ſicut eis videbitur expedire. Item, quod quæcumque in caſibus non conceſſis in Regula diebus abſtinentiæ carnium, cum perſonis vel coram perſonis extra veſtrum Ordinem, niſi eſſent de familia propria, carnes comederit, puniatur per Viſitatorem de conſilio Miniſtræ, ſicut eis videbitur expedire, niſi caſus infirmitatis excuſet judicatæ judicio medicorum.

Non pergant ad funera.

Neque carnibus veſcantur diebus abſtinentiæ.

Cum

Cum Regula veſtra dicat, *quod* ſinguli Fratrum & Sororum ter in anno peccata propria confiteantur, & Euchariſtiam devote ſuſcipere non poſtponant &c. *ſtatuimus & ordinamus*, *quod omnes Sorores menſe quolibet peccata ſua ſtudeant confiteri*, *cum frequens confeſſio conſervet conſcientiæ puritatem*. *Item*, *quæcumque Soror habuerit in domo aliquam perſonam de ſua familia*, *quæ publice fœneretur*, *vel ſe intromittat neg.tiis*, *de quibus lucretur illicite*, *procuret dicta Soror*, *ne particeps ſit in cr..ine*, *quod talis fœnerator vel lucrans a tali fœneratione vel lucro illicito deſiſtat*, *& ſi a prædictis eum removere non poſſet*, *teneatur bonorum diviſionem facere*, *& ſecum ulterius non habitare*: *& ſi talis Soror prædicta non fecerit*, *per Viſitatorem ad faciendum cogatur de conſilio Miniſtræ*, *Prioriſſarum & diſcretarum prædictarum*; *niſi talis Soror eſſet uxor vel filia*, *vel eiſdem in tertio gradu affinitatis vel conſanguinitatis conjuncta talis fœneratoris vel illicite lucrantis*, *& de prædictis omnibus & ſingulis teneatur Miniſtra per ſe vel per alias*, *ſicut ſibi videbitur*, *ſollicite inveſtigare*. *Item*, *nulla Soror ſine licentia Miniſtræ poſſit recipere fideicommiſſionem*, *vel executionem alicujus ultimæ voluntatis*, *niſi pro viro*, *patre*, *filio vel filia*, *vel alia perſona attinente ſibi in aliquo gradu conſanguinitatis vel affinitatis*, *& quæ contra fecerit*, *puniatur per Viſitatorem de conſenſu Miniſtræ*; *ſi vero inſtituta fuerit fideicommiſſaria ab aliqua perſona veſtri Ordinis*, *cogatur ad exequendum dictam fideicommiſſionem*, *ſi Miniſtris*, *Prioriſſis & Diſcretis videbitur expedire*; *proviſo tamen quod dicta Soror de prædicta fideicommiſſione reddat debitam rationem de iis*, *quæ relinquuntur Ordini*, *Miniſtræ*, *Prioriſſis & Diſcretis*.

Menſe quolibet confiteatur peccata & ſumant ſacramSynaxim.

Alia etiam ſalubria ipſis præſcribuntur.

Item ſtatuimus, *quod quæcumque Soror fuerit reperta crimen perjurii incurriſſe*, *poſtquam fuerit recepta ad Ordinem*, *ſeu in poſterum incurrere in judicio*, *ſeu extra*, *quia inducit mortale peccatum*, *& de hoc conſtiterit Viſitatori & Miniſtræ*, *dictus Viſitator vel Miniſtra in primo Capitulo poſtea ſequenti debeat ipſam perjuram publicare*, *nominare*, *& ex tunc dicta perjura non poſſit nec debeat aliquod officium in dicto Ordine obtinere*, *& careat voce Capituli*, *& quolibet officio de Ordine*, *donec per Viſitatorem*, *Miniſtram*, *Prioriſſas & Diſcretas*, *vel per majorem partem ipſarum fuerit reſtituta ad omnia prædicta*.

Pena in perjuras.

Item ſtatuimus, *quod quæcumque Soror*, *quæ tractata & ordinata*, *vel in poſterum tractabuntur in Capitulo dictarum Sororum*, *vel extra Capitulum qualitercumque*, *& mandatum fuerit per Viſitatorem vel Miniſtram*, *vel per eorum vicesgerentes teneri ſecreta*, *vel aliqua facta Ordinis*, *ex quorum relatione poſſet oriri ſcandalum & confuſio Ordini veſtro in generali*, *vel alicui perſonæ de Ordine veſtro ſeu Collegio in ſpeciali*, *revelaverit*, *& hoc pervenerit ad notitiam Viſitatoris ſeu Miniſtræ*, *per aliquem modum probandi*, *qui Viſitatori*, *Miniſtræ*, *Prioriſſis & Diſcretis*, *vel majori parti ipſarum videatur ſufficere*; *dictus Viſitator vel Miniſtra in proximo ſequenti Capitulo debeat dictam perſonam revelantem nominare & publicare*, *& ex tunc dicta perſona revelans ipſo facto ſit ſuſpenſa a voce dicti Capituli*, *& omni officio Ordinis ſit privata*, *donec per ipſum Viſitatorem de conſilio Miniſtræ*, *Prioriſſarum & Diſcretarum fuerit reſtituta*.

In revelantes Capituli ſecreta.

Item ſtatuimus, *quod unus libellus vel matricula fiat*, *in quo vel qua ſcripta ſint omnia & ſingula nomina omnium perſonarum*, *quæ ſunt de veſtro Collegio*; *illæ vero perſonæ*, *quarum nomina in dictis libro vel matricula non ſunt deſcripta*, *non reputentur*, *nec ſint*, *nec eſſe debeant in veſtro Collegio*, *nec vocentur ad congregationes*, *nec ad aliqua negotia Ordinis maxime ſecreta*, *non obſtante quod portent habitum veſtræ Religionis*; *nec alicujus*

Libellus habeatur in quo earum nomina deſcribantur.

perſonæ nomen poſſit ibidem ſcribi, niſi ſit ipſa profeſſa in Ordine, & recepta per veſtrum Collegium. Item, quod omnes & ſingulæ Sorores veſtri Ordinis, niſi legitimo impedimento fuerint impeditæ, conveniant & convenire teneantur ad locum, in quo Miniſtra ſtatuerit, in ultima ſexta feria cujuslibet

Ultima ſexta feria menſis ſimul conveniant. menſis, aut in alio die vel termino, ſicut eidem videbitur expedire, ad audiendum Miſſam, quæ in prædicto loco cantatur, & ad faciendum aliqua, quæ in prædicta congregatione fienda, & a Regula imponuntur, necnon ordinandum & faciendum omnia facienda, quæ pro bono & tranquillo ſtatu & utilitate veſtri Collegii eidem Miniſtræ videbitur expedire; ſi vero aliqua Soror non fuerit in Miſſa, nec in congregatione, legitimo impedimento ceſſante, puniatur arbitrio Miniſtræ, & non in Miſſa ſolvat. Item, nulla Soror, dum proponitur aliquid in Capitulo, ſuper quo eſt conſilium tribuendum, aliqua alia loquente loquatur, & quæ contrafecerit, puniatur per Viſitatorem vel Miniſtram, ſicut eis videbitur expedire: ac omnes & ſingulas ſupradictas pœnas teneatur Miniſtra firmiter exigere, ipſas quoque exactas pœnas in libro quodam conſcribere vel conſcribi facere; necnon omnes & ſingulos alios introitus, & bona pertinentia ad veſtrum Collegium, & etiam expenſas in eodem libro ſcribere vel ſcribi facere, de quibus omnibus & ſingulis bis in anno Prioriſſis & Diſcretis reddat debitam rationem: & ſi in prædictis vel aliquo prædictorum ipſa Miniſtra negligens fuerit, puniatur per Viſitatorem de conſilio Prioriſſarum & Diſcretarum, prout eis videbitur expedire.

Infirmæ viſitandæ & pauperes ſuccurrendæ. Item ſtatuimus, ut Sorores infirmæ melius viſitentur, quod quælibet Prioriſſa pro ſua porta teneatur viſitare per ſe vel per aliam Sorores infirmas etiam ſuæ portæ ſemel in hebdomada ad minus, & confortare eas ad ſalutem animarum; & ſi in prædictis ipſa vel illa, cui Prioriſſa commiſerit, fuerit negligens, puniatur per Viſitatorem de conſilio Miniſtræ. Si vero dicta Soror infirma eſſet paupertate gravata, teneatur prædicta Prioriſſa ſtatum notificare Miniſtræ, & ipſa Miniſtra teneatur de denariis Capituli, & aliis bonis communibus ſibi facere ſubveniri: & ſi aliqua ex dictis Sororibus deceſſerit, Prioriſſa illius portæ teneatur denuntiare Miniſtræ, & Miniſtra faciat denuntiari aliis Sororibus omnibus, ad cujus ſepulturam teneantur inſimul convenire, & nulla remaneat ſine licentia ſpeciali, niſi ſit legitime impedita: quæ autem contrafecerit, puniatur arbitrio Miniſtræ.

Item ſtatuimus, quod ſingulis annis de menſe Maii fiat electio Miniſtræ

Singulis annis fiat electio Miniſtræ & Prioriſſarum. generalis, & Prioriſſarum quinque portarum pro anno ſequenti, quæ Miniſtra & Prioriſſæ in Kal. Junii in eorum officiis incipiant præſidere. Ut autem ad electionem prædictam melius procedatur, Miniſtra, quæ pro tempore fuerit, teneatur bona fide denuutiare vel denuntiari facere omnibus Sororibus profeſſis de veſtro Capitulo & Collegio, ut in loco aſſignato ab ipſa, ac in die & hora ab ea præfixis ad electionem prædictam teneantur & debeant per obedientiam firmiter convenire: quibus congregatis, nulla poſſit recedere ſine licentia Viſitatoris vel ejus Vicarii, ſub pœna quinque ſolidorum, donec ipſæ Miniſtra & Prioriſſæ fuerint electæ: ad quam electionem procedatur hoc

Methodus faciendi electiones. modo, videlicet; in primis, congregatis Sororibus, Viſitator vel ejus Vicarius præcipiat per obedientiam omnibus Sororibus, ut quælibet Soror unam de Sororibus profeſſis de ſua porta eligat in Prioriſſam pro ſua porta, quam credit ſecundum ſuam conſcientiam magis idoneam ad prædictum Officium exequendum. Hoc facto, Viſitator vel ejus Vicarius audiat in ſecreto Sorores cujuslibet portæ per ſe & ſeparatim, & ſcribat ſigillatim voces omnium in ſecreto. Quibus auditis & computatis, illa Soror, quæ habuerit plures voces medietate omnium, ſit vera Prioriſſa, & pro vera Prioriſſa habeatur, & ſic ſucceſſive faciat de omnibus aliis Sororibus cujuslibet portæ. Quibus omnibus

Digitized by Google

bus ad effectum perductis, publicet & nominet prædictas Prioriſſas hoc modo: Talis prioriſſa talis portæ eſt electa, *& ſic de ſingulis. Quibus omnibus ſic perexpeditis, prædictus Viſitator vel ejus Vicarius præcipiat per obedientiam Prioriſſis antiquis & novis, ac etiam diſcretis, quod unam de Sororibus profeſſis veſtri Collegii, quam credunt magis idoneam ad prædictum officium miniſterii exequendum, eligant in Miniſtram generalem veſtri Collegii. Hoc autem facto, Viſitator vel ejus Vicarius audiat prædictas Prioriſſas & Diſcretas in ſecreto, & ſcribat ſingillatim voces earum; quibus auditis & computatis, Viſitator vel ejus Vicarius dicat, non publicando nomina eligentium: talis Soror habet plures voces medietate omnium: & ex tunc dicta Soror ſit vera Miniſtra, & pro vera Miniſtra habeatur ab omnibus Sororibus veſtri Collegii, & de prædictis electionibus fiat publicum inſtrumentum. Si vero voces prædictæ datæ in ſecreto ſic dividerentur, quod nulla Soror eſſet, quæ haberet plures voces medietate omnium, iteretur & teneatur ſecretum, donec per pluralitatem vocum altera alteri præferatur: & illa Soror, quæ electa fuerit in Miniſtram, teneatur officium prædictum ſine contradictione ſuſcipere, quod ſi non faceret, pro qualibet die ſuæ contumaciæ teneatur ſolvere pro pœna ipſius contumaciæ viginti ſolidos, donec officium prædictum ſuſcipiat; in cujus principio eligat ſeu inſtituat quinque Diſcretas Sorores ipſius conſiliarias una cum dictis Prioriſſis, videlicet pro qualibet porta unam Diſcretam cum conſilio Prioriſſarum. Miniſtræ igitur præſidenti in officio omnes Sorores obediant, non ſolum in iis, quæ Regula veſtra mandat, ſed in iis, quæ in veſtris conſtitutionibus præceptorie vel inhibitorie continentur, & in omnibus, quæ noſcuntur ad bonum ſtatum veſtri Ordinis & Collegii pertinere. Et caveant omnes & ſingulæ Sorores, ne aliqua audeat vel præſumat contra prædictam Miniſtram irreverentur loqui, aut corde, verbo vel facto, publice vel occulte injuriam inferre; & ſi in prædictis, vel aliquo prædictorum inventa fuerit culpabilis, per Viſitatorem taliter puniatur, quod cæteris tranſeat in exemplum. Et ſi contingat, prædictam Miniſtram infra dictum tempus ſui Officii de hac vita migrare, electio Miniſtræ ſuccedentis fiat a prædictis Prioriſſis novis & antiquis, ac Diſcretis infra quindecim dies a die obitus ipſius, ubicumque a Viſitatore fuerit ordinatum: ad ejus electionem dictus Viſitator debeat eas cogere. Et ſi aliquo tempore appareret, quod abſit, Univerſitati dictarum Sororum, prædictam Miniſtram non eſſe ſufficientem ad ſervitium & communem utilitatem Sororum veſtri Collegii, teneantur prædictæ Sorores, quibus electio data eſt, aliam ſibi eligere Miniſtram. Inhibemus autem ſtricte, ut nulla Soror audeat vel præſumat facere colligationes vel inductiones, nec procurare voces pro aliqua parte, ex quibus poſſet oriri ſcandalum, diviſio vel diſſenſio inter ipſas Sorores: & quæ contra fecerit, puniatur graviter per Viſitatorem, de conſilio Miniſtræ, Prioriſſarum & Diſcretarum.*

Item ſtatuimus, quod Miniſtra, quæ pro tempore erit, una cum Prioriſſis novis & antiquis, & Diſcretis per eam electis, vacante officio Viſitatoris, eligant & eligere teneantur unum Viſitatorem Sacerdotem, qui alicujus approbatæ Religionis exiſtat, ſeu Presbyter ſecularis bonæ famæ, ſicut earum diſcretioni videbitur, pro honore, & ſtatu pacifico & tranquillo veſtræ veſtræ Religionis expedire; qui Viſitator per eas, vel majorem partem earum electus, ſit verus & legitimus Viſitator, & pro vero & legitimo Viſitatore habeatur: & eidem præſidenti in officio, omnes & ſingulæ Sorores veſtri Collegii in omnibus, quæ ad ſuum ſpectant officium, teneantur firmiter obedire; cujus officium duret uſque ad beneplacitum Miniſtræ & Capituli, vel ma-

Miniſtra & Prioriſſæ debent Viſitatorem eligere.

majoris partis ipſius: qui Viſitator in officio præſidens habeat plenam & liberam auctoritatem & poteſtatem viſitandi publice vel occulte, ſemel vel pluries in anno, ſicut ſibi expedire videbitur; ipſaſque Sorores, & quamlibet earum admonendi, informandi, corrigendi & puniendi, ac pœnitentias in præmiſſis conſtitutionibus taxatas addendi, minuendi, ſicut ſibi videbitur expedire, ſecundum qualitatem & quantitatem exceſſuum; necnon propter inobedientias, & alios enormes exceſſus ipſarum Sororum, eas de Ordine expellendi, ſervato tamen modo dato in Regula, & in præmiſſis conſtitutionibus.

Non ſpectant in domibus tabernas, neque alios offendant.

Item ſtatuimus, quod nulla præſumat vendere vinum ad minutum, nec in domo propria tenere tabernam publice. Item ſtatuimus, quod quæcumque Soror de Ordine & Collegio veſtro præſumpſerit contra aliquam perſonam religioſam vel ſæcularem, cujuſcumque conditionis exiſtat, verba injurioſa, gravia & contumelioſa, maxime improperando eidem aliquid, quod eſſet in verecundiam ſuam, vel ſuorum conſanguineorum, profilire, vel irato animo contra aliquam perſonam manum ad percutiendum levare vel percutere, puniatur arbitrio Viſitatoris & Miniſtræ, cum conſilio Prioriſſarum & Diſcretarum, vel majoris partis earum, pœna ſpirituali, ſecundum qualitatem & quantitatem exceſſus, conſiderata perſona delinquente vel offendente, & perſona offenſa; quam ſi facere recuſaret, procedatur tamquam contra inobedientem, ſicut in Regula continetur.

Correctiones & punitiones quomodo faciendæ.

Item ſtatuimus, quod in admonitionibus, reprehenſionibus, correctionibus & punitionibus faciendis a Viſitatoribus & Miniſtris veſtræ Religionis & Collegii de quibuſcumque Sororibus, & pro quibuſcumque exceſſibus, & delictis perpetratis & perpetrandis per ipſas Sorores veſtri Collegii, procedatur de facto ſecundum Deum, & conſcientiæ puritatem, quolibet juris & judicii earum ordine prætermiſſo. Et ſi aliqua dictis admonitionibus, reprehenſionibus, correctionibus & punitionibus parere & obedire, ipſaſque humiliter ſuſcipere & adimplere noluerit, poſt primam, ſecundam & tertiam admonitionem factam per ipſos Viſitatores & Miniſtras cum conſenſu prædictarum Prioriſſarum & Diſcretarum, ipſo facto pœnam privationis a conſortio dictarum Sororum, & Ordinis incurrat, & ex tunc per ipſos Viſitatorem & Miniſtram, de voluntate dictarum Prioriſſarum & Diſcretarum, vel majoris partis ipſarum de Ordine expellatur, tamquam inobediens & incorrigibilis, & membrum putridum a corpore abſcindendum. Etſi contigerit, aliquam Sororem de veſtro Collegio & Ordine expelli, & nomen ejus de matricula ſeu libro veſtri Collegii cancellari de mandato Viſitatoris & Miniſtræ, cum conſilio Prioriſſarum & Diſcretarum, vel majoris partis ipſarum, propter prædictam cauſam, vel propter alios exceſſus per eas, vel per aliquam ipſarum commiſſos, de ipſis exceſſibus, delicti probatione & ſententiæ prolatione non quæratur: & quod omnis amotio ſeu cancellatio, vel expulſio facienda de aliqua dicti Ordinis & Collegii, habeatur, ſit, & intelligatur juſta & legitima, ac juſte & legitime lata & facta penitus cenſeatur.

Pœnæ in eas, quæ correctionibus ſubjacere nolunt.

Nulli appellatio & reclamatio licita.

Item ſtatuimus, & inviolabiliter obſervari mandamus, quod ab obedientiis, admonitionibus, punitionibus, reprehenſionibus & correctionibus factis per Viſitatorem vel Miniſtram, de conſilio Prioriſſarum & Diſcretarum, vel a pœnis injunctis aut injungendis Sororibus dicti Ordinis vel Collegii, & contentis in dictis conſtitutionibus, vel earum aliqua, vel ejus cohærentia, aut connexa, ſeu dependentia ab eiſdem, vel eas, aut aliquam earum tangentia quomodocumque vel qualitercumque, nulla Soror, quæ nunc eſt in veſtro Collegio, vel quæ pro tempore erit, poſſit, & ſibi liceat ad alium

alium vel alias recurrere, conqueri, vel querimoniam proponere, vel ab eis appellare vel reclamare, niſi ad Ordinarium loci, aut ſummum Pontificem pro tempore exiſtentes, quocumque quæſito colore.

Item ſtatuimus, quod non ſolum propter inobedientiam vel incorrigibilitatem Sorores poſſint de veſtro Ordine & Collegio expelli; ſed etiam propter alios errores & exceſſus; & pœnitentia cum miſericordia imponatur eidem juxta ſententiam Domini dicentis: Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. *Contra vero prædictas conſtitutiones delinquentem vel facientem, propter hoc ad nullam volumus culpam obligari mortalem, ſed ad pœnam, quæ in prædictis conſtitutionibus infligitur; & quod Viſitator, quando debet corrigere vel punire aliquam Sororem de aliqua culpa levi vel gravi, tamen occulte debeat, & poſſit ipſam punire cum conſilio Miniſtræ tantum, ut delinquens propter peccatum occultum non diffametur, juxta ſententiam Salvatoris dicentis*: Vade & corripe inter te & ipſum ſolum. *Si vero culpa Sororis fuerit gravis & manifeſta, puniatur per Viſitatorem de conſilio Prioriſſarum & Diſcretarum, vel majoris partis ipſarum.*

Pro omnibus erroribus corripi poſſunt.

Quando expediat corrigere occulte.

Item ſtatuimus, quod nulla Soror reclamet ad aliquem judicem Clericum vel ſecularem, pro quacumque injuria reali vel perſonali recepta ab aliqua Sorore veſtri Ordinis & Collegii, niſi tantum ad Viſitatorem veſtrum, qui una cum Miniſtra definiat dictam cauſam, ac corrigat & puniat dictam injuriam realem & perſonalem, ſicut eis videbitur expedire; ſi vero aliqua receperit aliquam injuriam ab aliqua perſona Religioſa extra veſtrum Ordinem & Collegium exiſtente, vel ab aliqua perſona ſeculari, teneatur ipſa veſtra Soror præſens recurrere ad veſtrum Viſitatorem & Miniſtram, qui Viſitator & Miniſtra ſtudeant, quantum poſſunt, eas pacificare: quod ſi facere non potuerint ex defectu dictæ perſonæ, quæ non eſſet de Ordine veſtro, vel quia cauſæ vel injuriæ eſſent tam graves & difficiles ad diffiniendum & terminandum, quod non poſſent per Viſitatorem & Miniſtram definiri & declarari, tunc Viſitator & Miniſtra dent licentiam dictis Sororibus, quod recurrant ad illum, apud quem poteſtas reſidet judicandi.

Ad ſolum Viſitatorem recurſus habendus.

Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, confirmationis, communitionis & ſuppletionis infringere &c. Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. XVIII. Kal. Februarii, anno IX.

LXXI.

Ut ab omnibus gravaminibus eximat Mendicantes, & Moniales ſub eorum cura viventes, Diœceſ. Piſtorien. Ibid. folio 115.

Dilecto filio Juliano tituli ſanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali.

§. I. Dudum, videlicet IV. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno IX. cum perciperemus, taxationem valoris bonorum, fructuum, ac redituum Eccleſiæ & aliorum beneficiorum, ac piorum locorum, civitatis & diœceſis Piſtorien. cum eis gravamina imponerentur, inæqualiter factam fuiſſe, & nonnullos ſupra ſuarum facultatum vires gravari, aliquos vero minus gravari, quam eorum conditio poſtulabat, licet de voluntate noſtra gravamina, quæ per Communitatem Florentiæ nunc exiguntur, non procedant: volentes tamen hujuſmodi errorem & inconvenientiam tolli, & taxationem prædictam ad debitam æſtimationem reduci, venerabili fratri noſtro Roberto Epiſcopo Aretin. & nonnullis aliis Eccleſiaſticis perſonis, Piſtorien. Diœceſis per noſtras certi tenoris litteras commi-

miſimus & dedimus in mandatis, ut facta diligenti inquiſitione, dictam taxationem corrigerent, & ad juſtam æqualitatem reducerent: qui Epiſcopus & dictæ perſonæ in hac cauſa Commiſſarii procedentes, Eccleſiis et domibus Fratrum Ordinum Mendicantium et Monaſteriis Monialium ſub cura ipſorum viventibus, Civitatis & Diœceſ. earumdem, ultra commiſſionem eis per nos factam, cum ſolum de Eccleſiis et locis piis, ac beneficiis, et nullo modo de præmiſſis domibus et Eccleſiis Mendicantium, vel Monaſteriis eorum curæ commiſſis, noſtræ litteræ facerent mentionem, taxam et extimum impoſuerunt, et cataſto in archivio Eccleſiæ Piſtorien. collocarunt.

§. II. Nos itaque hujuſmodi Eccleſias et domos Ordinum Mendicantium et eis ſubjecta Monaſteria, quibus ſpecialia privilegia, propter Fratrum merita, et fructus quos in Eccleſia Dei uberes faciunt, a Sede Apoſtolica ſingulariter ſunt conceſſa, et in ſimilibus taxationibus, ut fructificare in ſalutem animarum, et quietius Deo vacare poſſint, cum Clero, Eccleſiis, et locis hujuſmodi, alias cataſtis talibus non venerant adſcribenda, volentes in eorum gratiis et privilegiis conſervare et confovere, circumſpectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus et mandamus, quatenus dictarum Eccleſiarum et domorum Ordinum Mendicantium prædictorum et Monaſteriorum ſub illorum cura viventium, ſi tamen ipſa Sororum Monaſteria alias in cataſtis cum Clero non conſueverint annumerari, hujuſmodi taxationem et extimum, noſtrarum litterarum vigore, ut dicitur, facta, a cataſto et libro taxationum hujuſmodi in Eccleſia Piſtorien. et ubicumque alibi etiam apud Scribam Commiſſariorum hujuſmodi exiſtentibus, auctoritate noſtra per te, vel alium ſubdelegatum abradi et aboleri facias, ac procures realiter et cum effectu: contradictores quoslibet, cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis vel conditionis exiſtentes, et quacumque etiam Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate, per cenſuram Eccleſiaſticam &c. compeſcendo; prædictis litteris, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Super quibus plenam eidem tuæ cirumſpectioni, tenore præſentium concedimus facultatem.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXXXIX. VIII. Kalendas Martii, anno IX.

ANNO CHRISTI 1440. EUGENII IV. ANNO 10.

LXXII.

Ut Fratres Vicariæ Boſnæ admittant decem loca in Hungaria & vicinis partibus. Ex Archivo ſecreto lib. 5. Bullarum folio 3.

Dilecto filio Dionyſio, tituli ſancti Cyriaci in Thermis Presbytero Cardinali, & venerabilibus Fratribus Veradien. & Diachen. Epiſcopis.

§. I. Inter cetera cordis noſtri deſiderabilia illud intentis deſideramus affectibus, ut ubique Majeſtas Altiſſimi, etiam cum ſacræ Religionis augmento, in gratiarum benedictionibus collaudetur, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur. Sane, pro parte dilectorum filiorum Franciſci de Alba Regali, ac Victoris de Boſna, necnon Stephani de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, Vicariatus Boſnæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ab aliquibus annis citra, plura ac diverſa domus atque loca dictæ Vicariæ tam infra regnum Hungariæ, quam etiam nonnullas vicinas partes tunc conſiſtentia, videlicet partim per Turcas et in-

infideles combuſta et diruta; partim vero cauſantibus eorumdem inſultibus derelicta remanſerunt atque remanent; quodque ipſi exponentes, qui ſub regulari dictæ Vicariæ Obſervantia laudabiliter vivunt, pro augmento divini cultus et Religionis hujuſmodi, etiam ad fidelium animarum conſolationem atque ſalutem, loco combuſtorum et derelictorum domorum ac locorum præfatorum, decem alia, intra regnum Hungariæ et partes hujuſmodi, domus atque loca conſtrui et ædificari, ac per Religioſos de Obſervantia Vicariatus hujuſmodi, ſub obedientia et devotione Vicarii Boſnæ pro tempore exiſtentis, juxta morem dictæ Vicariæ, dumtaxat recipi et habitari deſiderant &c. Quare pro parte dictorum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, Vicario pro tempore prædicto, intra prædictum regnum Hungariæ, ac partes hujuſmodi, locis tamen in illis ad id congruis et honeſtis, decem domos ſive loca, pro uſu et habitatione perpetuis quorumdam prædictæ Vicariæ Religioſorum, ſub Obſervantia, ac obedientia et ſubjectione Vicarii pro tempore hujuſmodi, et illius Vicariatus officii pro tempore permanentium, cum Eccleſia, humili campanili, campana &c. et aliis neceſſariis officinis, in ſingulis eorumdem ad iuſtar aliarum prædictæ Vicariæ domorum, ex fidelium ſuffragiis ſimul vel ſucceſſive, forma tunc per conſtitutiones Apoſtolicas ſuper hoc ſervata, conſtrui et erigi faciendi, illaque tunc conſtructa et erecta, Diœceſani &c. minime requiſita, recipiendi; necnon Religioſis de Obſervantia Vicariatus hujuſmodi præſentibus et futuris in eis et eorum ſingulis perpetuo morandi, ita quod illa tunc Vicario pro tempore et illius Vicariatui prædicto perpetuo ſubjecta exiſtant; jure &c. ſalvo &c. licentiam elargiamini. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi licentiam prædictam per vos concedi contingat, domibus ac locis conſtruendis, eorumque pro tempore Cuſtodibus, Guardianis et Fratribus, ut omnibus privilegiis &c. conceſſis uti valeant pariter et gaudere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. VII. Idus Martii, anno X.

LXXIII.

Ut Obſervantes provinciæ Apuliæ ſingulis annis congregati Vicarium eligant.
Reg. Vat. Ex libro I. de Regularib. anno 10. folio 172.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua mundanis abjectis illecebris, dilecti filii Fratres Ordinis Minorum, nuncupati *de Obſervantia*, provinciæ Apuliæ devotum &c. Sane nuper fide digna relatione intelleximus, quod Fratres Minores, *de Obſervantia* nuncupati, in quamplurium familiarum Italiæ locis conſueverunt ſemel in anno congregari, ac in uno locorum hujuſmodi electionem Vicarii celebrare, qui Vicarius ſic electus præſentatur Miniſtro Provinciali, ut eum confirmet; inſuper in hujuſmodi congregatione eliguntur Guardiani locorum eorumdem, qui præſentantur Capitulo provinciali, & ab eodem confirmantur. *Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur cupientes Fratres provinciæ Apuliæ hujuſmodi aliis Italiæ locis & familiis conformari, necnon ipſorum paci & quieti providere, Fratribus eiſdem, ut ſemel in anno Fratres ſub Obſervantia prædictæ provinciæ Apuliæ viventes, in uno locorum eorum ſolemniter congregare, & in

in congregatione ipſa unum ex dictis Fratribus in eorum Vicarium, & alios Fratres in Guardianos eligere & deputare, ipſeque Vicarius ſic concorditer electus Miniſtro dictæ provinciæ, Guardiani vero prædicti Capitulo provinciali, ut per illud confirmentur, præſentari: Miniſter autem Vicarium, & Capitulum hujuſmodi Guardianos prædictos auctoritate ſua infra triduum confirmare debeant & teneantur. Quod ſi ipſorum omnium Pater Generalis electioni hujuſmodi perſonaliter intereſſet, ipſe Vicarius electus eorum Generali dumtaxat debeat præſentari.

§. III. Præterea, ſi Miniſter Vicarium & Capitulum prædicti Guardianos, ut præfertur, ſic electos confirmare infra illud triduum recuſaverint, electio ipſa tamquam per Sedem Apoſtolicam, & ejus auctoritate legitime confirmata cenſeatur & approbata. Porro ut ipſe Vicarius curam ſibi commiſſam ſalubrius exercere poſſit, quod omnibus & ſingulis gratiis & privilegiis a Miniſtro Generali prædicti Ordinis Vicariis, qui hactenus fuerunt, generaliter vel ſpecialiter conceſſis uti, ac ea habere valeat, decernimus per præſentes. Addentes nihilominus motu proprio, quod ipſe Miniſter confirmatione Vicarii, & prædictorum Guardianorum facta, in nullo alio circa Fratres ipſos ſe habeat impedire, omni appellatione poſtpoſita: obedientia nihilominus conſueta dilecti filii fratris Bernardi Vicarii generalis, ſuper ipſis Fratribus *de Obſervantia* per Italiam deputati, aut ejus ſucceſſoris, qui pro tempore erit, ſalva remanente & illæſa; conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſamiliis ipſis conceſſis litteris ac privilegiis, dictique Ordinis juramento &c. ceteriſque contraris nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. XVI. Kal. Aprilis, anno X.

LXXIV.

Ut nullas Sorores recipiant invitæ. Ibidem folio 248.

Dilectis in Chriſto filiabus, Sororibus domus Aldenarden. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia *nuncupati*, *Tornacen. Diœceſ. præſentibus & futuris*.

Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne ſorte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eas a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis enervet. Cupientes igitur ut in domo veſtra regularis obſervantia, quæ in illa, ſicut accepimus, exemplariter initium ſumpſit, inantea cum caritate feliciter conſervetur &c. vobis &c. indulgemus, quod ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus aliquam Sororem ex aliis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, domibus, ſine veſtro vel plurium ex vobis, ac dilectorum filiorum prædictæ veſtræ domus Viſitatoris & Miniſtri unanimi conſenſu, in Sororem ejuſdem domus veſtræ recipere non teneamini, nec ad id a quoquam invitæ valeatis aliquatenus coarctari: nullique etiam veſtrum liceat, ſine conſimili conſenſu, ſe ab eadem domo veſtra quomodolibet abſentare. Non obſtan. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. pridie Non. Aprilis, anno X.

LXXV.

LXXV.

Conſtructiones domorum, receptiones Sororum, electiones Miniſtrarum, & alia a beata Angelina de Fulgineo facta confirmantur. Ibidem folio 110.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Apoſtolicæ Sedis providentia circumſpecta perſonas ſub regulari obſervantia vacantes ſtudio piæ vitæ benigno favore proſequitur, & in iis quæ pro ipſarum commoditatibus provide geſta ſunt, defectus ſupplet, ac ea de novo concedit, prout animarum earumdem ſaluti in Domino conſpicit expedire. Sane petitio pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Margaritæ ſanctæ Annæ Fulginat. Franciſcæ ſancti Onofrii Florentin. Cæciliæ ſancti Joannis Tudertin. Margaritæ ſancti Quirici Aſſiſinat. Claræ ſanctæ Margaritæ Eſculan. aliarumque Sororum, ſub Regula & Obſervantia Tertii Ordinis, quem beatus Franciſcus inſtituit, & qui *de Pœnitentia* nuncupatur, viventium, nobis nuper exhibita continebat, quod dudum fel. rec. Urbanus Papa V. prædeceſſor noſter quondam dilectæ in Chriſto filiæ Angelinæ de Fulgineo, ejuſdem Ordinis profeſſæ, ut ipſa quarumcumque mulierum ſemotius a ſæculo pro divino ſervitio ſe conſtituere, & ſe ſub ſtrictiori ejuſdem Ordinis obſervantia & Regula, quam Ordo ipſe inſtituit, vivere volentium, congregationem facere, & eas non ſolum in Monaſterio ſanctæ Annæ de Fulgineo ipſius Ordinis, ſed etiam in aliis domibus per eamdem Angelinam in aliis partibus propterea erigendis, in quibus mulieres ipſæ ſeculum fugientes Deo liberius & quietius famulari poſſent, recipere & aggregare valeret, vivæ vocis oraculo dumtaxat gratioſe conceſſit: cujus conceſſionis vigore dicta Angelina, de ipſa conceſſione confiſa, plura domos & loca ad hoc erexit; & deinde ad nonnullorum Religioſorum conſilium & exhortationem, ut conceſſio ipſa majoris obtineret roboris firmitatem, pro parte ipſius Angelinæ & plurium aliarum Sororum dicti Ordinis Martino Papæ V. prædeceſſori noſtro extitit ſupplicatum, ut ipſe conceſſionem hujuſmodi & erectionem, ac omnia alia geſta & facta per dictam Angelinam & Sorores eaſdem, etiam de electione & ordinatione Miniſtrarum in Monaſteriis, domibus & locis hujuſmodi, & Viſitatoribus earumdem, ac de modo Miniſtras & Viſitatores hujuſmodi eligendi & ordinandi, poteſtateque eis per dictas Sorores attributa, confirmare & approbare, ac illa eis de novo concedere vellet: ipſeque Martinus prædeceſſor, de iis tunc, ut aſſerebat, notitiam non habens, bon. mem. tunc Antonio Epiſcopo Tudert. per ſuas certi tenoris litteras dedit in mandatis, ut ipſe de petitis tunc & expoſitis hujuſmodi ſe diligenter informaret, & ſi reperiret, ea de jure, & ſecundum Ordinis inſtituta fieri poſſe, illa omnia juxta dictarum Sororum petitionem, auctoritate Apoſtolica concederet & confirmaret; prout in litteris ipſis, quarum tenorem hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſo, plenius continetur: ipſeque Epiſcopus ad executionem præmiſſorum tamdem procedens, de Juriſperitorum conſilio, ut aſſeruit, omnia & ſingula in eiſdem litteris contenta, de jure & inſtitutione ipſius Ordinis fieri poſſe decrevit, & dicta Apoſtolica auctoritate confirmavit, ac eiſdem Sororibus juxta ipſarum petitionem conceſſit; ut in proceſſu deſuper habito, ipſius etiam ſigillo munito, cujus tenorem hic etiam haberi volumus pro ſufficienter expreſſo, plenius continetur.

§. II. Et deinde nos ad dictarum Sororum, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium inſtantiam, omnia & ſingula in litteris & proceſſu prædictis con-

contenta & narrata ſimiliter confirmavimus & approbavimus, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenisſent in eiſdem. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis Juriſperitis aſſeratur, litteras & proceſſus prædictos, ac omnia inde ſecuta fore invalida, illaque ſecundum inſtituta dicti Ordinis, & de jure fieri nequiviſſe, maxime ob quamdam extravagantem conſtitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Sancta Romana Eccleſia*, qua cavetur expreſſe, ne Fratres vel Sorores dicti Ordinis congregationem faciant: pro parte Miniſtrarum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. omnia loca prædicta, receptiones, omniaque geſta, & conceſſiones hujuſmodi valere decernentes, approbantes, & denuo confirmantes, Sororibus ſingulorum locorum prædictorum unam particularem, quæ Sororibus locorum prædictorum præſit, ac omnibus omnium locorum hujuſmodi unam aliam generalem Miniſtram ſingulis trienniis, quæ cum Viſitatoris pro tempore exiſtentis conſilio, loca hujuſmodi reformare, particulareſque locorum eorumdem Miniſtras male ſe gerentes deponere, ipſaque generalis Miniſtra Sorores delinquentes punire valeat, eligendi; necnon eidem generali Miniſtræ in ejus abſentia, alii vel aliis ex Sororibus dictorum locorum, prout ſibi videbitur, in præmiſſis vices ſuas committendi, ac mulieres loca ipſa intrare volentes recipiendi, eiſque regularem habitum exhibendi, & ad profeſſionem, locorum hujuſmodi Sororibus ſolitam, admittendi, & loca earum vendendi, & alia magis accomoda emendi, necnon illa permutandi, ac nova conſtruendi & recipiendi, jure parochialium &c. ſalvo: Cordam inſuper loco corrigiæ gerendi, ac eis & earum cuilibet idoneum Presbyterum ſecularem vel Regularem cujuſvis Ordinis in Confeſſorem eligendi &c. eidem Confeſſori cum eiſdem Sororibus ſuper quibuſcumque votis (Caſtitatis & Religionis votis dumtaxat exceptis) diſpenſandi, illaque in alia pietatis opera commutandi, Sororibuſque ipſis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandi, plenam & liberam concedimus &c. facultatem: volentes quod eadem generalis Miniſtra eo ipſo, quod electa canonice fuerit, confirmata eadem auctoritate cenſeatur. Et inſuper Miniſtris & Sororibus locorum & domorum hujuſmodi, ac eiſdem domibus atque locis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis aut concedendis perpetuo uti & gaudere valeant, extravaganti prædicta, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, eadem auctoritate concedimus per præſentes. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis, approbationis, confirmationis, conceſſionis & voluntatis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. VI. Nonas Maii, anno X.

LXXVI.

Ut Monaſterium omnium Sanctorum de Valle-Oleti regimini & viſitationi Franciſci de Soria ſubjiciatur. Ibid. fol. 123.

Dilecto filio Priori Monaſterii ſancti Benedicti de Valle-Oleti per Priorem ſoliti gubernari, Palentin. Diœceſ.

§. I. EX ſuſcepto ſervitutis officio, ad ea per quæ quorumlibet fidelium, illorum præſertim, qui carnalibus abjectis deſideriis in humilitatis ſpiritu, ſub regulari obſervantia gratum Altiſſimo jugiter impendunt famulatum, ſtatui votive conſulitur, noſtræ partes ſollicitudinis diffuſius impertimur.

§. II. Cum itaque, ſicut pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ

tiſſæ & Conventus Monaſterii omnium Sanctorum *de Valle-Oleti* Ordinis ſanctæ Claræ, Palentin. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, ſi dicti Monaſterii regimen, cura & directio, dilecto filio Franciſco de Soria, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, per cujus frequens ſtudium & fructuoſum exercitium Monaſterium *de Oterdeſillas* Ordinis ſanctæ Claræ, & Diœceſ. prædictorum, ex poteſtate a Sede Apoſtolica per illius litteras ſibi tradita, factum cernitur Monaſticæ vitæ ſpeculum, & poſt ejus obitum illi, qui regimen & curam dicti Monaſterii *de Oterdeſillas* pro tempore gerit, auctoritate Apoſtolica committerentur cum plena poteſtate ipſi Franciſco ſuper eodem Monaſterio *de Oterdeſillas* data, ejus ſtatus in ſacræ Religionis obſervantia proſperos ſucceſſus completi poſſe ſperaretur, ac illius Sorores a venantium ereptæ laqueis, repulſa ab eis illicitæ converſationis inſania, ſinceris mentibus ſua vota Altiſſimo exolvere ſtuderent, ac Chriſti veſtigia, mundum cum ejus concupiſcentiis mentis deſpectu calcando, diſcerent jugiter imitari; pro parte ipſarum Abbatiſſæ & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus de præmiſſis te diligenter informes &c. curam & directionem Monaſterii prædicti, & dictarum perſonarum Franciſco prædicto, quamdiu egerit in humanis, & poſt ejus obitum, illi, qui curam & regimen ipſius Monaſterii *de Oterdeſillas* ſuſceperit, prout ipſi Franciſco dicta auctoritate Apoſtolica eſt commiſſa; & inſuper Abbatiſſæ & Conventui, ac perſonis prædictis, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. Monaſterio *de Oterdeſillas* prædicto, ac dilectis in Chriſto filiabus ejus Abbatiſſæ & Conventui per Sedem prædictam, vel alium quemcumque conceſſis, ac illis prorſus ſimilibus in omnibus & ſingulis, pari modo uti, frui & gaudere poſſint & debeant, auctoritate noſtra concedas memorata. Non obſtantibus &c. quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. X. Kalendas Auguſti, anno X.

LXXVII.

Ut Moniales Monaſterii ſanctæ Claræ Segobien. diſperſæ in illud redeant, & a Franciſco Soriano regantur. Ibidem, fol. 169.

Venerabili fratri Epiſcopo Segobien.

§. I. Creditæ nobis diſpenſationis &c. Sane, ſicut pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Claræ Segobien. Ordinis ejuſdem Sanctæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, olim, poſtquam Abbatiſſa quæ tunc erat, & Conventus Eccleſiæ beatæ Mariæ Magdalenæ extra muros Segobien. quæ tunc Monaſterium dicti Ordinis exiſtebat, in ea Monaſterii & Abbatiſſalis dignitatis, ac prædicti Ordinis nominibus ſuppreſſis penitus & extinctis, canonice ab ipſa Eccleſia ad prædictum Monaſterium ſanctæ Claræ, quod tunc multæ deformationis opprobrio plurimum ſubjectum intuebatur, ut optatæ reformationis effectus contingeret, viſitationis, correctionis, & juxta regularia dicti Ordinis inſtituta, inſtructionis miniſterium dilecto filio Franciſco de Soria, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, per cujus ſollicitam curam & frequens ſtudium Monaſterium *de Oterdeſillas* ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, Palentin. Diœceſ. regularis obſervantiæ norma, & monaſticæ vitæ ſpeculum factum fuerat, commiſſum extiterat, ipſo Monaſterio ſanctæ Claræ ignis voragine miſerabiliter deſtructo, illius Abbatiſſa & Conventus ad prædictam Eccleſiam, ut apud eam, donec prædictum Monaſterium ſanctæ Claræ repararetur, moram facerent, declinarunt; & licet eodem Monaſterio ſanctæ Claræ in parte

reparato, nonnullæ ex ipſis Sororibus ad illud redierint, & in eo ex directione dicti Franciſci ſuam Altiſſimo ſub regulari Obſervantia integritatem puris mentibus conſecrantes, laudabilem vitam ducant; reliquæ tamen ex eiſdem Sororibus reformari non curantes, non ſolum cum diſſolutæ converſationis infamia manſionem ſuam apud dictam Eccleſiam facere eligentes, ad ipſum Monaſterium ſanctæ Claræ ſerioſius redire contradicunt, loco & tempore congruis deſuper requiſitæ, ſed etiam alias Sorores ſuo numero aggregantes, bona prædicta ad prædictam Eccleſiam ſpectare contendunt, ac prædictum Monaſterium ſanctæ Claræ, ac ejus perſonas poſſeſſione eorumdem bonorum, in qua ante hujuſmodi deſtructionem aliquandiu fuerant, ſpoliare,& ſibi illa temere uſurpare moliuntur, in animarum ſuarum periculum, Religionis ſanctæ Claræ prædictæ opprobrium, ac hujuſmodi Monaſterii ſanctæ Claræ, & perſonarum detrimentum non modicum & jacturam. Quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Claræ prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ſuper ipſis præmiſſis te diligenter informes &c.bona prædicta a translationis,applicationis & appropriationis hujuſmodi tempore ad prædictum Monaſterium ſanctæ Claræ ſpectaſſe & pertinuiſſe, ac ſpectare & pertinere, illa ei etiam de novo, quatenus opus videatur, applicando & appropriando; necnon reliquis & aggregatis Sororibus prædictis, poſtquam aliæ Sorores prædictæ ad ipſum Monaſterium ſanctæ Claræ redierint, apud eamdem Eccleſiam remanere minime licuiſſe, neque licere decernas; necnon illas ex eis, quæ cum aliis ad prædictam Eccleſiam declinarunt, ut redeant, & quæ ex ipſis illis pro tempore aggregatæ fuerint, ut ſe conferant ſine moræ diſpendio ad dictum Monaſterium ſanctæ Claræ &c. per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, conſtringas & compellas; quodque dictum Monaſterium ſanctæ Claræ, & ejus perſonæ exiſtentes pro tempore ſub Franciſci prædicti, eo in humanis agente, & poſt ejus obitum, ſub ejus ſint & maneant, ſub cujus dictum Monaſterium *de Oterdeſillas*, & illius perſonæ erunt pro tempore, regimine, cura & directione, ſtatuas & ordines; necnon Franciſco, & habenti pro tempore regimen, curam & directionem Monaſterii ſanctæ Claræ hujuſmodi, quoties opus videbitur, ad illud accedendi, ipſumque, & illius perſonas tam in capite, quam in membris congruis temporibus viſitandi, corrigendi &c. contradictores quoque &c. compeſcendi; necnon omnia alia &c. exequendi, licentiam & facultatem, ac prædictis perſonis in ipſo Monaſterio ſanctæ Claræ pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. Monaſterio *de Oterdeſillas*, ac dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui per Sedem Apoſtolicam &c. conceſſis, ac illis prorſus ſimilibus in omnibus & ſingulis, pari modo uti, frui & gaudere poſſint &c. Non obſtant. &c. quibuſcumque &c.

Datum Florentiæ, anno MCCCCXL. X. Kalendas Auguſti, anno X.

LXXVIII.

Omnibus Eccleſiis domorum Fratrum de Obſervantia in Oriente ſub cura fratris Jacobi de Bononia exiſtentium conceditur indulgentia Portiunculæ ſimilis. Ibidem, folio t t 4.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

Splendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de ipſius clementiſſima pietate ſperantium, benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum meritis & pre-

precibus adjuvatur. Cupientes igitur, ut omnia & ſingula loca Fratrum Minorum de Obſervantia, Ordinis beati Franciſci, in omnibus partibus Orientalibus, necnon & in aliis partibus, quorum dilectus filius Jacobus de Primaditiis de Bononia ejuſdem Ordinis profeſſor curam & regimen habet, vel ſucceſſores ſui habebunt in poſterum, illorum nomina & cognomina præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, congruis honoribus frequententur, & ut Chriſtifideles eo libentius devotionis cauſa confluant ad eadem, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia &c. omnibus Ordinis beati Franciſci Fratribus de Obſervantia regulari, ac Tertii Ordinis ejuſdem Sancti utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, qui a primis uſque ad ſecundas Veſperas feſti beati Franciſci prædicti dicta loca devote viſitaverint annuatim, illam indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedimus, quam ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Angelis, Aſſiſinat. Diœceſ. a Primis uſque ad ſecundas Veſperas conſecrationis ejuſdem accedentes, auctoritate Apoſtolica conſequuntur.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. Nonis Auguſti, anno X.

LXXIX.

Ut erigant domum Obſervantibus in villa Maraſii. Ex bulla originali.

Dilectis filiis, nobili Viro Andreæ Bartholomæo de Imperialibus Domicello, ceteriſque civibus Januen. in villa Maraſii prope Januam habitantibus.

§. I. Sincerum habentes ad præſentis vitæ & futuræ gloriæ largitorem devotionis affectum, illa vigili mente proſequimur, quæ ad ſui laudem nominis fore conſpicimus fructuoſa.

§. II. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos, fervore devotionis accenſi &c. quemdam locum, ſive domum pro uſu & habitatione Guardiani & nonnullorum Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, in villa Maraſii prope Januam cum Eccleſia campanili &c. & aliis neceſſariis officinis de bonis vobis a Deo collatis, piis Chriſtifidelium adjuti ſuffragiis, ædificare &c. proponatis; pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. vobis faciendi præmiſſa licentiam concedere, necnon dilecto filio fratri Franciſco de Neapoli, ejuſdem Ordinis de Obſervantia profeſſori, ut locum ipſum pro uſu &c.

§. III. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in villa prædicta in veſtro, vel alieno ſolo per vos legitime acquiſito vel acquirendo, ad id congruo & honeſto, domum & locum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili &c. neceſſariis officinis conſtruendi & ædificandi licentiam concedentes, eidem fratri Franciſco præcipimus & mandamus, ut locum ipſum pro ejuſdem Ordinis de Obſervantia Fratrum uſu & habitatione recipiat ſub cura Vicarii prælibati, ac ipſis Fratribus illum pro eorum uſu & habitatione præmiſſis perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & quibuslibet aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, tenore præſentium concedentes: jure &c. ſalvo. Volumus autem quod Guardianus & Fratres, qui in dicta domo pro tempore morabuntur, omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudeant &c. quibus alia ejuſdem Ordinis loca, ac Fratres in eiſdem commorantes, gaudent & utuntur. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, mandati, præcepti & voluntatis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. XIII. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno X.

LXXX.

LXXX.

Confirmatur donatio parochialis Eccleſiæ ſancti Floriani in urbe Æſin. Fratribus conceſſæ. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 10. fol. 167.

Dilecto filio Abbati Monaſterii de Mogliis, Æxin. Diœceſ.

Vide Conſtit. 32. hujus Pontif.

§. I. Ea quæ pro religioſorum locorum &c. Sane, pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus ſancti Marci extra muros Æxin. Ordinis Minorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater noſter Innocentius Epiſcopus Æxin. provide conſiderans, quod domus prædicta, quæ extra muros Æxin. ut præfertur, ſituata exiſtit, propter gentium armorum juges incurſus &c. propter quæ Religioſi hujuſmodi non poterant cum quiete animi inibi devotum Altiſſimo reddere famulatum, ac cupiens eorum quieti providere, parochialem Eccleſiam ſancti Floriani Æxin. cum omnibus ſuis domibus & ſtructuris, ac certis pertinentiis ſibi contiguis, pro una domo inibi ad uſum & habitationem Fratrum hujuſmodi ædificanda & conſtruenda cum domibus & aliis neceſſariis officinis, etiam cum conſenſu & beneplacito dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Æxin. necnon populi & Communis ipſius civitatis Æxin. ac Cypriani ejuſdem Eccleſiæ Rectoris, & univerſorum ipſius Eccleſiæ parochianorum, auctoritate ordinaria deputavit, dedit, tradidit & aſſignavit; cura Parochianorum hujuſmodi, necnon fructibus, reditibus & proventibus prædicto Eccleſiæ Rectori, quoad vixerit, reſervatis: ſtatuens cum ejuſdem conſenſu Capituli, curam hujuſmodi ex poſt, necnon fructus, reditus & proventus ipſius Eccleſiæ ad Cathedralem Eccleſiam omnimode pertinere; prout in inſtrumento exinde confecto, cujus tenorem præſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſo, dicitur plenius contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſi Guardianus & Fratres deputationis, traditionis & aſſignationis prædictarum vigore dictam parochialem Eccleſiam aſſecuti, illam ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de præſenti, reddentes ibidem Altiſſimo ſua vota; pro parte eorumdem exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis te diligenter informes &c. deputationem, aſſignationem, traditionem & aſſecutionem prædictas & alia inde ſecuta, prout provide facta ſunt, auctoritate prædicta approbes pariter & confirmes, ſuppleaſque omnes defectus &c. Et nihilominus, ſi præmiſſa per te approbari & confirmari contigerit, ut præfertur, eiſdem Guardiano & Fratribus domum hujuſmodi fundandi, erigendi &c. cum clauſtro, dormitorio &c. aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum hujuſmodi, ſecundum inſtituta Ordinis antedicta, cum omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus & indultis, quibus ceteræ domus & loca prædicti Ordinis potiuntur & gaudent, eadem auctoritate noſtra licentiam largiaris: jure &c. ſalvo. Conſtitutionibus Apoſtolicis &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. IV. Kal. Septembris, anno X.

LXXXI.

Digitized by Google

LXXXI.

Ut applicent Monaſterio omnium Sanctorum Valli-ſoleti quædam bona ad domum ſancti Franciſci ejuſdem oppidi reformatam ſpectantia. Ibid. fol. 121.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Hiſpalen. & Epiſcopo Palentin. ac dilecto filio Baptiſtæ de Padua, Canonico Toletan.

§. I. Sinceræ devotionis affectus, quem dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ et Conventus Monaſterii omnium Sanctorum extra muros oppidi Vallisſoleti, Ordinis ſanctæ Claræ, Palent. dioec. ad nos et Romanam gerit Eccleſiam, promeretur, ut votis earum, illis præſertim, quæ animarum ſalutem et divini cultus augmentum, ac Religionis propagationem reſpicere dignoſcuntur, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Abbatiſſæ et Conventus prædictarum petitio continebat, quod olim Leonora Claræ memoriæ Henrici Caſtellæ et Legionis Regis Illuſtris nata, cupiens diem ſuum extremum teſtamentaria diſpoſitione prævenire &c. prædictas Abbatiſſam et Conventum in reliquis ſuis bonis univerſales hæredes inſtituit, volens quod reliqua bona hujuſmodi in perpetuum conſervarentur, et cum conſilio et conſenſu dilectorum filiorum Guardiani et Diſcretorum virorum domus ſancti Franciſci prædicti oppidi, Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, regerentur, ac ſine illorum voluntate, et requiſitione vendi, alienari, ſeu permutari non poſſent; quodque emolumentis ex illis annuatim provenientibus, in tres æquales partes diviſis, una Monaſterio prædicto, et alia pro duabus Capellaniis in capella per ipſam Leonoram in Eccleſia dictæ domus conſtructa, pro duobus Presbyteris inibi Miſſam celebraturis, fundandis, ac duabus lampadibus, quæ ſine intermiſſione ardeant, una videlicet in capella, et alia ante locum, in quo corpus Chriſti conſervaretur pro tempore in Eccleſia antedicta, ac indumentis pauperum juvenum Fratrum in ipſa domo pro tempore degentium; necnon tertia pars reliquorum bonorum prædictorum pro neceſſitatibus infirmorum Fratrum ejuſdem domus applicarentur et cederent: rogans profeſſores Ordinis Minorum hujuſmodi in ipſa domo pro tempore degentes, ut de tertia parte bonorum hujuſmodi quinque aut ſex boni lecti in Infirmaria dictæ domus ponerentur et ſervarentur, ac indigentiis eorum infirmorum Fratrum jugiter provideretur; prout in inſtrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædicta domus poſtmodum ad regularem Obſervantiam reducta fuerit, et Fratres in eo degentes, abdicatis a ſe omnibus temporalibus et curis ſecularibus, ſub voluntaria paupertate, non curantes de craſtino, juxta ipſius Ordinis Minorum Inſtituta, de eleemoſynis fidelium laudabiliter vivant, et de reliquis bonis prædictis a ſeptem annis proxime præteritis nihil percipientes, ſe a proſecutione voluntatis ipſius Leonoræ penitus abſtinuerunt; fructus quoque, redditus et proventus prædicti Monaſterii, in quo cum Sororibus in ſimili obſervantia viventibus, ac illius Capellanis, ſervitoribus et ſervitricibus ſexaginta quatuor, vel quaſi, ſunt numero, et cujus certa bona mobilia pro ipſius, et ejus officinarum ædificiorum, antequam illud ad prædictam obſervantiam reduceretur, multipliciter collapſorum reparatione, et aliis neceſſitatibus ipſius Monaſterii pignori intuentur tradita, adeo ſunt tenues et exiles, quod dictæ perſonæ ex illis, qui quingentorum Florenorum auri de camera ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt,

dunt, commode ſuſtentari nequeant; ac Abbatiſſa et Conventus prædictæ omnia illa in prædicto Monaſterio & ejus Eccleſia paratæ ſint facere, quæ præmiſſæ voluntatis occaſione debuiſſent & deberent in domo fieri antedicta; pro parte ipſarum Abbatiſſæ & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut attentis præmiſſis voluntatem prædictam commutando, eis, quod reliqua bona prædicta, ſine conſenſu vel requiſitione alterius cujuſcumque regere & gubernare, ac illorum partes pro uſu & utilitate domus deputatas hujuſmodi integre retinere, ac de illis, & parte contingente Monaſterium hujuſmodi diſponere & ordinare libere & licite valeant, concedere &c. dignaremur.

§. III. Nos &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum ſuper præmiſſis &c. eamdem voluntatem commutando, Abbatiſſæ & Conventui prædictis, quod ipſæ, quamdiu in hujuſmodi Obſervantia vixerint regulari, ſine conſenſu vel requiſitione alterius cujuſcumque, reliqua bona prædicta regere & gubernare, ac illorum partes pro uſu & utilitate domus deputatas hujuſmodi integre retinere, de illis, & parte contingente Monaſterium hujuſmodi diſponere & ordinare libere & licite valeant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ea eis in ipſa voluntate plenarie conceſſa extitiſſent, auctoritate concedatis antedicta. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Proviſo quod in Monaſterio & ejus Eccleſia prædictis, conceſſione hujuſmodi ſubſiſtente, ea omnia irremiſſibiliter fiant, & adimpleantur, quæ ipſa Leonora in domo & ejus Eccleſia prædicta fieri voluit & obſervari.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. IV. Kalendas Septembris, anno X.

LXXXII.

Ut duas domos fundatas, & tria loca fundanda in provincia Aragoniæ recipiat. Ex lib. 1. de Regularibus & exhibitis, anno 9. fol. 65.

Dilecto filio Vicario Religioſorum Ordinis Fratrum Minorum, ſub illius regulari Obſervantia degentium, provinciæ Aragoniæ juxta morem dicti Ordinis.

§. I. INter deſiderabilia cordis noſtri illud intentis deſideramus affectibus, ut ubique Majeſtas Altiſſimi in gratiarum benedictionibus collaudetur, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur, & ad eorum promotionem, necnon ſacræ Religionis propagationem libenter, cum a nobis petitur, opem & operam, quantum cum Deo poſſumus, impendimus efficaces. Sane, pro parte tua & univerſorum Religioſorum Ordinis Fratrum Minorum, ſub illius regulari Obſervantia degentium, provinciæ Aragoniæ juxta morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in dicta Provincia duæ tantum domus cum Eccleſiis & aliis neceſſariis officinis ad uſum & habitationem Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, una videlicet in civitate Valentin. ſub *beatæ Mariæ de Jeſu*, & alia domus prædictæ in villa *de Alcala*, Carthaginenſ. diœceſ. ſub *beatæ Mariæ de Gratia* vocabulis conſtructæ reperiuntur, quodque illæ pro Fratribus Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi in dicta Provincia numero copioſo exiſtentibus, capaces non exiſtunt, & alias quod plures Univerſitates civitatum, villarum, terrarum & locorum Provinciæ ſupradictæ in illis domos pro Fratribus *de Obſervantia* prædictis habere deſiderant. Quare pro parte dictorum Exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos

§. II. Nos igitur &c. erectiones & fundationes duarum domorum hujuſmodi, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; ac etiam tibi &, qui pro tempore erit, Fratrum Provinciæ hujuſmodi Vicario, tres alias domos in quibuſvis locis ad id aptis & accommodis Provinciæ ſupradictæ cum Eccleſiis, campanilibus &c. neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum dumtaxat, in dicta Provincia pro tempore exiſtentium, ex fidelium eleemoſynis, ſeu conceſſionibus acquirendi ſeu conſtrui &c. Diœceſanorum locorum, & aliorum quorumcumque licentia deſuper minime requiſita, juribus parochialium &c. ſalvis, necnon forma ſuper his ſecundum conſtitutiones Apoſtolicas obſervata, plenam & liberam auctoritate prædicta, tenore præſentium licentiam elargimur. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Nos enim quibuslibet Miniſtris, Guardianis & Fratribus in erectis & erigendis domibus prædictis pro tempore degentibus, ac eiſdem domibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis uti & gaudere valeant, auctoritate prædicta concedimus de gratia ſpeciali.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. IV. Idus Septembris, anno X.

LXXXIII.

Ut quædam Sorores tertii Ordinis conſtruant domum in civitate Reatin.
Ex lib. I. de Regularibus, anno 10. fol. 53.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Sacræ Religionis &c. Sane petitio pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Margaritæ, Magnæ, Nicolaæ, de civitate Ducali, Reatin. diœceſ. aliarumque Sororum ſuarum tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipſæ terrena deſideria evitare &c. habitum Ordinis prædicti piis mentibus in Domino aſſumpſerunt, in quo, quantum cum Deo ex tunc potuerunt, in civitate Reatin. ſegregatæ commorantes, honeſte vixerunt; quia tamen loco carent, in quo poſſint ſe a mundanis illecebris &c. pro parte Margaritæ, & Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. *Vide Conſt. 1. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur Margaritam & Sorores antedictas in ſuo laudabili propoſito confovere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Margaritæ & Sororibus præſentibus & futuris, domum aliquam in urbe aut civitate Reatin. orationi & Religioni earum accommodam recipiendi, & in illa commorandi, Miniſtramque ſibi unam ex eis, quæ aliis præſit, ſingulis trienniis eligendi, ac Miniſtræ ſic eligendæ domum & Sorores hujuſmodi regendi & gubernandi; necnon mulieres e ſeculo fugientes in domum ipſam, & ad profeſſionem juxta conſuetudines dicti Ordinis recipiendi & admittendi, eiſque regularem habitum exhibendi; eiſdem Miniſtræ & Sororibus locum recipiendum hujuſmodi, poſtquam receptus fuerit, vendendi, & alium commodiorem, prout eis videbitur, emendi ſive permutandi, & novum conſtruendi & recipiendi; chordam quoque, ſi ex devotione placuerit, loco corrigiæ gerendi, & cujuſvis Ordinis Presbyterum Religioſum vel Regularem, ſive etiam ſecularem in Confeſſorem eligendi; ac omnia alia & ſingula in præmiſſis & circa ea neceſſaria, prout Sorores ejuſdem Ordinis in Peruſin. Fulginat. Aquilan. Viterbien. & aliis civitatibus degentes faciunt & facere poſſunt, exercendi; idemque Confeſſor, quoties ei viſum fuerit opportunum, dictarum Sororum confeſſionibus dili-

genter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam ſalutarem, niſi talia fuerint, propter quæ Sedes &c. conſulenda; quique eiſdem Sororibus miniſtrare valeat Eccleſiaſtica Sacramenta, necnon in mortis articulo ſemel tantum omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritæ & ore confeſſæ fuerint, plenam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, unitate ſacræ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat: ita tamen quod de his, de quibus fuerit ſatisfactio impendenda, eam illis per eas, ſi ſupervixerint, aut per alios, ſi tunc forte tranſierint, faciendam injungat, quam ipſæ, vel illæ facere teneantur, ut præfertur: Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod, ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forſan commiſerint, quoad illa prædicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur: Et inſuper, quod per unum annum, a tempore quo præſens noſtra conceſſio ad earum & cujuslibet ipſarum notitiam pervenerit, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent; quod ſi prædictis feriis ex præcepto Eccleſiæ, regulari Obſervantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non ſint adſtrictæ, jejunent; & ſi in dicto anno vel aliqua ejus parte eſſent legitime impeditæ, anno ſequenti, vel alias quam primum poterunt, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneantur: Porro ſi forſan alias prædictum jejunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commode nequiverint, eo caſu Confeſſor, quem ad hoc ipſarum quælibet elegerit, jejunium ipſum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum ſuarum ſaluti commode viderit expedire, quæ ipſæ pari modo adimplere debeant; alioquin hujuſmodi plenæ remiſſionis conceſſio, quoad præmiſſa non obſervantes, nullius ſit roboris vel momenti; plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Eidem inſuper Confeſſori cum eiſdem Sororibus ſuper quibuſcumque votis, caſtitatis & Religionis exceptis, diſpenſandi, illaque in alia pietatis opera commutandi, eadem auctoritate ſimiliter facultatem concedentes: volentes etiam quod eadem Miniſtra eo ipſo quod electa canonice fuerit, per id tempus auctoritate prædicta confirmata cenſeatur; quodque Miniſtra & Sorores, quæ pro tempore fuerint, necnon earum loca omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis aut concedendis perpetuo uti valeant & gaudere. Extravaganti felicis recordationis Joannis Papæ XXII. &c. *Sanctæ Roman.* & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. XII. Kalendas Octobris, anno X.

LXXXIV.

Ut a fratre Joanne de ſancta Anna viſitentur & gubernentur. Ibid. fol. 7.

Dilectis in Chriſto filiabus Agneti Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Claræ de Moguerio, Ordinis dictæ Sanctæ, Hiſpalen. diœceſ.

DIgna reddimur attentione ſolliciti, ut illis per nos Apoſtolicæ Sedis miniſtretur libertas, quæ, ſpreto mortalis viri thoro, ei qui ſpecioſus eſt

præ

præ filiis hominum ſe ſponte voventes, ſub Religionis habitu Monaſticæ normæ laudabiliter ſe cooptant. Cum itaque,ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, dilectus filius Joannes de ſancta Anna Ordinis Fratrum Minorum profeſſor, ſuper hoc a dilecto filio Guillelmo de Caſali, dicti Ordinis Generali Miniſtro, ſufficienti poteſtate ſuffultus, in vos & veſtrarum quamlibet viſitationis officium per plures annos exercuerit, prout exercet de præſenti. Nos veſtris, quæ, ſicut aſſeritis, ſub perpetua clauſura virtutum Domino famulamini, in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod dictus Joannes ſolum Deum præ oculis habens, quoties ſibi videbitur, Monaſterium ipſum tam in capite, quam in membris viſitare, & in eo inquirere, corrigere &c. quæcumque inquiſitionis, punitionis, correctionis, reformationis & ordinationis officio, juxta regularia Ordinis ſanctæ Claræ Inſtituta, idem Joannes viderit indigere, contradictores & rebelles per cenſuram &c. compeſcendo, quo ad vixerit, valeat, vobis & prædicto Joanni auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes: jure tamen Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtentis in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus &c. quibuſcumque &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. Kalendis Octobris, anno X.

LXXXV.

Confirmantur aſſignatio & poſſeſſio Eccleſiæ & ædificiorum Monaſterii ſanctæ Mariæ de Paradiſo Viterbien. Obſervantibus conceſſorum. Ibidem, folio 227.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. His quæ pro Eccleſiarum & Monaſteriorum, ac perſonarum in eis degentium commodo & utilitate facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Jacobi de Reate, Vicarii Provincialis Miniſtri, & Fratrum provinciæ Romanæ, Ordinis Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, nobis expoſito, quod, cum olim bonæ memoriæ Joannes, tituli ſancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, tunc in provincia Patrimonii beati Petri, in Tuſcia, ac nonnullis aliis locis circumvicinis Apoſtolicæ Sedis Legatus, Monaſterium Monialium ſanctæ Mariæ de Paradiſo extra muros Viterbien. tunc Ordinis Ciſtercienſis, menſæ Capitularis Eccleſiæ Viterbien. legationis ſuæ hujuſmodi auctoritate, univiſſet, annexuiſſet & incorporaſſet,confirmatione Apoſtolica &c. deſuper ſubſecuta; necnon poſtmodum Eccleſiam, clauſtrum & ædificia, ac loca ejuſdem Monaſterii,illa ab omni prorſus dominio & juriſdictione eximendo, præſertim Viterbien. Eccleſiæ prædictæ, dictæque unioni derogando, Vicario & Fratribus prædictis,de mandato noſtro vivæ vocis oraculo ſibi facto, & auctoritate prædicta conceſſiſſet & aſſignaſſet; noſque venerabili fratri noſtro Epiſcopo Cornetan. noſtris litteris, ejus proprio nomine non expreſſo, dediſſemus in mandatis, quatenus vocatis Capitulo dictæ Eccleſiæ & aliis, qui forent evocandi, conceſſionem & aſſignationem prædictas, ac omnia inde ſecuta auctoritate Apoſtolica approbaret & confirmaret, ipſiuſque Monaſterii ambitum Vicario & Fratribus prædictis concederet; ipſeque Epiſcopus aliis tunc forſan negotiis præpeditus, litteras hujuſmodi executioni non demandaſſet: dilectus filius noſter Ludovicus, tituli ſancti Laurentii in Damaſo Presbyter Cardinalis, tunc Patriarcha Aquilegien. & in illis partibus Apoſtolicæ Sedis Legatus, de intentione no-

noſtra certam habens notitiam, venerabili fratri noſtro Lotto Epiſcopo Spoletan. dictæ provinciæ pro nobis & Eccleſia Romana Rectoris, ſuis dedit litteris in mandatis, ut de quodam horto muris circumvallato, eidem Monaſterio contiguo, & ad ipſum dudum ſpectante, Vicario & Fratribus prædictis provideret, ac eos faceret dicti horti pacifica poſſeſſione gaudere, idem Lottus Epiſcopus Vicario & Fratribus eiſdem, hujuſmodi poſteriorum litterarum vigore, horti prædicti poſſeſſionem corporalem capiendi, captamque tenendi & conſervandi plenariam conceſſit licentiam & etiam facultatem, mandans Capitulo prædicto, ac ceteris ſua intereſſe putantibus, ne dictos Vicarium & Fratres in horti poſſeſſione hujuſmodi quomodolibet impedirent; prout in Legatorum & Lotti Epiſcopi prædictorum inde confectis litteris, eorum ſigillis munitis, quarum tenores haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Vicarii & Fratrum petitio continebat, ipſi dubitent conceſſionem, aſſignationem, licentiam & facultatem prædictas, ac inde ſecuta ex certis cauſis viribus non ſubſiſtere, & ſuper illis in poſterum poſſe moleſtari, pro parte eorumdem Vicarii & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. conceſſionem, aſſignationem, licentiam & facultatem prædictas, ac omnia inde ſecuta rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: volentes quod dicti Vicarius & Fratres, necnon eis conceſſus locus hujuſmodi omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & concedendis perpetuo uti valeant & gaudere; Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, communitionis, ſupletionis & voluntatis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. IV. Idus Octobris, anno X.

LXXXVI.

Ut conforment ſe Monaſterio de Oterdeſillas, & a fratre Franciſco de Soria viſitentur. Ex lib. I. de Regularibus, & diverſis formis, anno 10. fol. 47.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Claræ extra muros Burgen. Ordinis ejuſdem Sanctæ.

§. I. Æternæ beatitudinis amatricum, quæ florentis mundi ſpreta gloria, immortali Deo, qui præ filiis hominum ſpecioſus eſt, dedicatæ ſunt, ut incontaminatum Agnum quocumque ierit, caſtitate, quæ ſola paradiſum replet, caſtimoniæ integritate, cum multiplicato fructu ac devotionis propagatione, ſequi valeant, votis ſupplicibus annuimus gratioſe. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos, quæ, cooperante Altiſſimi gratia, veſtra ſub Regulari Obſervantia in veſtro, in quo divinis mancipatæ eſtis obſequiis, Monaſterio, Deo exolvere vota ſincero corde geritis &c. necnon præfatam Regularis Obſervantiæ normam comitari propenſius affectatis, & propterea Monaſterio *de Oterdeſillas* Ordinis ſanctæ Claræ, Palentin. Diœceſ. quod in ſalubribus dilecti filii Franciſci de Soria, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, qui illud in capite & membris viſitandi ac reformandi, & certa alia tunc expreſſa faciendi, per litteras Sedis Apoſtolicæ poteſtatem habere dignoſcitur, directionibus & exhortationibus grata in ſpiritualibus & temporalibus, cum felici Religionis propagatione incrementa ſuſcepit, conformari, necnon ipſius Franciſci viſitatio-

tationi & reformationi ſubjici plurimum exoptatis &c. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis ac Monaſterio veſtro, ut perpetuis futuris temporibus omnibus & ſingulis privilegiis &c. dicto Monaſterio *de Oterdeſillas*, ejuſque Abbatiſſæ, Sororibus, ac perſonis ab eadem Sede quomodolibet conceſſis, in omnibus & per omnia libere & licite uti & gaudere valeatis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Et nihilominus poteſtatem, quæ dicto Franciſco, vigore litterarum hujuſmodi, quoad dictum Monaſterium *de Oterdeſillas*, quomodolibet competit aut competere poteſt, ac litteras prædictas ad prædictum Monaſterium veſtrum præſentium ſerie extendentes, volumus, & eadem vobis ac dicto Franciſco auctoritate concedimus, ut ipſe Franciſcus (quoties opportunum fuerit) vos & prædictum veſtrum Monaſterium in capite & in membris viſitare, & ea quæ ſecundum Deum corrigenda & reformanda fuerint, juxta dictarum litterarum formam & continentiam, ac Regularia dicti Ordinis inſtituta corrigere &c. ac pro felici dicti Monaſterii veſtri ſtatu, & votiva directione profutura fuerint, facere, diſponere &c. libere & licite poſſit & valeat: ſuper quibus eidem Franciſco plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ extenſionis, voluntatis & conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno MCCCCXL. XIV. Kalendas Novembris, anno X.

LXXXVII.

Ut Sorores domus ſanctæ Catarinæ de ſancto Audomaro, Tertii Ordinis, vivant in communi. Ex lib. I. de Regularibus, anno 10. fol. 44.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Dum ſedulæ mentis & devotæ meditationis acie contemplamur, quantum dedicatarum Virginum ſpecioſo præ filiis hominum ſponſo ſuo accepta ſit virginitas, illa profecto libenter Apoſtolicæ auctoritatis robore ſolidamus, quæ in ipſarum Virginum animarum ſalutem, ac illis adverſantium paſſionum remedium, digeſta ſapientium conſultatione proceſſerunt; alia nihilominus eiſdem Virginibus concedentes, per quæ pia ac religioſa earum vota ad Divini nominis laudem poſſint ſalubriter adimplere. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magiſtræ & Sororum domus ſanctæ Catarinæ extra portam Alti-pontis, oppidi ſancti Audomari de ſancto Audomaro, Morinen. Diœceſ. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim pro parte earum dilectis filiis generalibus dilecti filii noſtri Joannis, tituli ſanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis & Epiſcopi Morinen. in ſpiritualibus Vicariis expoſito, quod ipſæ ob melioris arctioriſque vitæ frugem, & ut veræ regulari obſervantiæ magis ſe conformarent, in communi, ac ſine proprio, atque conventualiter vivere & cohabitare, & communitatem obſervare, necnon tria principalia religionis vota, Obedientiam videlicet, Caſtitatem & Paupertatem voluntariam, citra tamen mendicitatem publicam, retentis etiam factis eis pro tempore a Chriſtifidelibus donationibus & cōceſſionibus, promittere & obſervare cupiebant; prædicti Vicarii, facta primitus per eos de dictarum Magiſtræ & Sororum ſtatu, vita, converſatione, moribus & honeſtate informatione diligenti, eis vivendi, cohabitandi, & communitatem obſervandi, ut præfertur, ac vota prædicta emittendi; necnon

non unum ex Fratribus dicti Ordinis, de illius Viſitatoris conſilio, in earum Miniſtrum pro ipſarum libito eligendi, conceſſerant facultatem; prout in eorumdem Vicariorum deſuper confectis litteris plenius continetur. Quare pro parte Magiſtræ & Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. conceſſionem, & contenta hujuſmodi rata & grata habentes, illa & quidquid eorum obtentu factum eſt, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus Magiſtræ & Sororibus prædictis, & aliis, quæ deinceps in perpetuum in eadem, ſeu alia illius domo dicti Ordinis fuerint, Sororibus, quod Miniſter ſeu Viſitator, ac eis nolentibus, ſeu ex quacumque cauſa non valentibus, Magiſtra pro tempore exiſtens domus hujuſmodi, a Sororibus illam ingredi volentibus, regularem profeſſionem juxta morem profitentium ſolemniter recipere & admittere, eiſque habitum Regularem cum ſcapulari & chorda dare, ac ipſas velare; necnon Magiſtra dictæ domus pro tempore exiſtens quarumlibet pro tempore degentium inibi Sororum exceſſus, cum conſilio tamen Viſitatoris ſive Miniſtri hujuſmodi, uſque ad carceres incluſive corrigere & punire; ac eiſdem Viſitatori & Miniſtro, quod Magiſtræ, & pro tempore degentium Sororum hujuſmodi, quoties opportunum fuerit, confeſſiones audire, ipſiſque Magiſtræ & Sororibus pro commiſſis ſalutarem pœnitentiam injungere, Euchariſtiæ inſuper, & quævis alia Eccleſiaſtica Sacramenta & ſacramentalia in capella ejuſdem domus, abſque tamen juris alieni præjudicio, miniſtrare libere & licite valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes. Ceterum ſi fortaſſis domum ſanctæ Catarinæ hujuſmodi quandocumque & quacumque occaſione demoliri ſeu vaſtari contigerit, nos Magiſtræ & Sororibus domus pro tempore exiſtentibus hujuſmodi aliam cum capella & aliis neceſſariis, in loco ad hoc congruo & honeſto, infra oppidum prædictum, aut extra illos muros, domum, quæ ac in ea degentes Sorores omnibus & ſingulis privilegiis &c. quibus Magiſtra & Sorores, ac domus hujuſmodi uti & gaudere poſſunt, uti etiam & gaudere valeant, de novo erigi & conſtrui faciendi, ac illam, alieno jure ſalvo, inhabitandi, eadem auctoritate licentiam elargimur. Non obſtantibus felicis recordationis Gregori Papæ X. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ ratificationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis & conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno MCCCCXL. VI. Kalendas Januarii, anno X.

LXXXVIII.

Ut Moniales Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. ab injuſtis gravaminibus eximantur. Reg. Vat. ex libro I. de Regularibus, & diverſis formis, anno 10. fol....

Venerabili fratri Epiſcopo Palentin. & dilectis filiis Abbati ſancti Facundi, ac Priori ſancti Benedicti per Priorem ſoliti gubernari, Legionen. & Palentin. Diœceſ. Monaſteriorum.

§. I. ETſi de ſingularum eccleſiaſticarum perſonarum ſtatu ſalubriter & feliciter dirigendo aciem noſtræ conſiderationis libenter extendimus, illarum tamen, quæ maritorum relictis thoris, & liberorum ſpreta progenie, ſuam integritatem immaculato Virginis Filio conſecrare diſpoſuerunt, & ſe lampadibus accenſis ſponſo obviam ire parant, tanto propenſiori

tiori caritatis ſtudio convenit utilitatibus intendere, & diſpendiis obviare, quanto propter fragilitatem ſexus majori noſcuntur ſuffragio indigere. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. Ordinis ejuſdem Sanctæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim inter dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Conventum ſanctæ Claræ prædictæ de Reynoſo, Ordinis ipſius Sanctæ, Palentin. Diœceſ. ex una, ac dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Palentin. inter quos ſuper conſtructione prædicti Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. ac jure ſepeliendi corpora defunctorum, apud illud ſuas ſepulturas eligentium, ac percipiendi funeralia & oblationes in eo provenientia pro tempore, ac diverſis aliis articulis, ex altera partibus, materiam quæſtionis & diſcordiam oriri dubitaretur, intervenientibus bonæ memoriæ Petro Archiepiſcopo Toletan. ac Guterio Palentin. & Gondiſalvo Calaguritan. & Calcietan. Epiſcopis, de mandato claræ memoriæ Henrici Regis Caſtellæ & Legionis, ac Joannæ ejus conſortis, in præſentia quondam Alphonſi de Almanza, tunc Miniſtri Provincialis provinciæ Caſtellæ, Ordinis Fratrum Minorum juxta illius morem, ſub cujus Fratrum cura & directione perſonæ, Monaſteria & alia loca prædicti Ordinis ſanctæ Claræ conſiſtunt, licentiam, conſenſum, aſſenſum & auctoritatem ipſis Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii de Reynoſo in hoc præſtantis, & Petri Fernandi de Villegas, tunc majoris Computatoris ipſius Regis, talis compoſitionis ſive concordiæ tractatus concluſus fuit: quod dictum Monaſterium ſanctæ Claræ Palentin. in loco, in quo ædificatum apparet, ædificaretur, & quod illius Abbatiſſa exiſtens pro tempore, & Conventus prædictæ Eccleſiæ, ratione dicti loci ſex ſolidorum, qui de illo ipſi Eccleſiæ antea ſolvi conſuevit, donec illi prædicta conthoralis condignam recompenſam exhiberet, & de quibuſcumque aliis fundis ſeu domibus cenſualibus, quos vel quas ipſum Monaſterium ſanctæ Claræ Palentin. acquirere contingeret, de illis ſolvi conſuetos cenſus poſt hujuſmodi acquiſitionem, ac indiſtincte de omnibus oblationibus, quæ in Eccleſia dicti Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. pro tempore fierent, medietatem, & quia tota civitas Palentin. cum ejus territorio de Parochia ipſius Eccleſiæ Palentin. fore dignoſcitur, ſicut ad illam de jure communi pertinet, de univerſis donatis & oblatis Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. hujuſmodi, communiter & diviſim per quaſcumque perſonas, quomodocumque & qualitercumque ratione ſepulturæ quartam partem, demptis quoque dumtaxat primitiis & decimis ex viridariis & hortis infra ambitum dicti Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. conſiſtentibus, pro tempore provenientibus, venerabili fratri noſtro Epiſcopo Palentin. & dilectis filiis, Capitulo, Canonicis & perſonis prædictæ Eccleſiæ Palentin. necnon beneficiatis in eadem, de quibuſdam in dicto territorio conſiſtentibus, tunc deſignatis, & quibuſcumque aliis per eaſdem Abbatiſſam & Conventum Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. emptionis, donationis, legationis, ſucceſſionis, ingreſſus Monialium, aut quovis alio titulo acquirendis poſſeſſionibus & hæreditatibus, de quibus ipſi Epiſcopus & Capitulum, Canonici, perſonæ & beneficiati communiter vel diviſim percipere conſueverant, primitias & decimas ſolvere tenerentur: ac pro ſolvendis hujuſmodi primitiis, decimis, oblationibus, & quarta funeralium dumtaxat juriſdictioni prædicti Epiſcopi Palentin. ſe ſubmitterent & jurarent, prout ſubmiſerunt ſe, & jurarunt pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, inter alia, omnia & ſingula præmiſſa integre adimplere & firmiter obſervare, & contra illa vel aliquod ipſorum nunquam facere, dicere, vel venire per ſe vel alium ſeu alios, publice vel occulte; neque a Sede Apoſtolica, Principe, Prælato, vel alia

Controverſiæ ſtatus exponitur.

Compoſitionis factæ conditiones recenſentur.

Juramentum de ſtando promiſſis.

alia Eccleſiaſtica vel ſeculari perſona privilegia, exemptiones, immunitates & libertates quovis modo impetrare, neque in judicio vel extra uti impetratis, ſive Ordini vel Monaſterio ſanctæ Claræ Palentin. aut ipſius Monaſterii Abbatiſſæ & Conventui prædictis communiter vel diviſim, in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio conceſſis pro tempore, etiam ſi in illis de concordia vel compoſitione prædicta plena & expreſſa mentio fieret: quodque Abbatiſſa prædicti Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. antequam ad illius regiminis & adminiſtrationis corporalem poſſeſſionem admitteretur, in Epiſcopi Palent. & Capituli prædictorum, ſingulæ inibi recipiendæ Moniales, antequam in illo reciperentur, in ipſius Abbatiſſę manibus juramentum præſtare tenerentur: tractatum quoque hujuſmodi, & contenta in eo partes prædictæ hinc inde ratificarunt, ac bonæ memoriæ Joannes Epiſcopus Palentin. ordinaria primo, & deinde Petrus, ſanctæ Mariæ in Coſmedin. Diaconus Cardinalis, tunc in partibus illis dictæ Sedis Legatus, hujuſmodi legationis auctoritatibus approbarunt & confirmarunt; prout in litteris patentibus & publicis inſtrumentis, authenticorum ſigillorum appenſionibus munitis, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius dicitur contineri.

Legati Cardinalis confirmatio.

Tractatus facti abſque licentia Generalis Miniſtri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Abbatiſſa & Conventus Monaſterii ſanctæ Claræ prædictæ pro eo, quod tractatus concordiæ & compoſitionis, ac contenta hujuſmodi ſine licentia, conſenſu & auctoritate dilecti filii Miniſtri Generalis prædicti Ordinis Minorum, & plura ex ipſis contentis contra formas & tenores privilegiorum, exemptionum, immunitatum & libertatum ipſi Ordini ſanctæ Claræ a prædicta Sede, & alias indulta, laudabilium quoque conſuetudinum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, in dictis partibus conſiſtentium, inconcuſſe obſervatarum, in ſuum & dicti Ordinis Monaſterii præjudicium graviſſimum proceſſerint; illa etiam ex eis, ad quæ juxta tenores & formas privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum & conſuetudinum prædictorum ſe adſtrictas conſpexerunt, infra quadraginta annos proxime præteritos minime obſervarint: pro parte ipſarum Abbatiſſæ & Conventus ſanctæ Claræ aſſerentium, quod de illis omnibus expreſſis, ad quæ juxta tenores & vires privilegiorum, exemptionum, immunitatum, libertatum & conſuetudinum earumdem obligatæ fuerint, pro annis præteritis, & etiam inantea Epiſcopo, Decano, Capitulo & Beneficiatis prædictis cum effectu ſatisfacere diſpoſitæ ſunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

Delegatio Epiſcopis facta.

§. III. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, vocatis Epiſcopo, Decano, Capitulo & Beneficiatis prædictis, atque aliis, qui fuerint evocandi, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi, tractatum & contenta prædicta ſine conſenſu, licentia & auctoritate Generalis Miniſtri, ac plura ex eiſdem contentis contra vires & tenores privilegiorum, exemptionum, immunitatum, libertatum & conſuetudinum prædictorum proceſſiſſe repereritis, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus, Abbatiſſam & ſingulas Moniales Monaſterii ſanctæ Claræ Palentin. hujuſmodi, ſi, & poſtquam ipſæ Epiſcopo, Decano, Capitulo & Beneficiatis prædictis, de illis omnibus, in quibus eis juxta tenores & vires ipſorum privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum & conſuetudinum obnoxiæ fuerint, pro annis præteritis congruam ſatisfactionem fecerint, vel ſecum illis deſuper amicabiliter concordaverint, aut quod eis de illis dumtaxat infra certum peremptorium competentem ad hoc per vos aſſignandum terminum, cum effectu ſatiſ-

ſatisfeciſſe debeant, idoneam cautionem præſtiterint; a reatu perjurii, ſi forſan de aliquo propter præmiſſa aliquatenus notari poſſint, dicta auctoritate noſtra abſolvatis; tractatum quoque & contenta prædicta, ac omnia inde ſecuta, in ea dumtaxat parte, in qua privilegiis, exemptionibus, immunitatibus & libertatibus ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ quovis modo obviant, ac cum conſuetudinibus hujuſmodi non concordant, nulla & invalida, ac viribus penitus vacua fuiſſe & eſſe, eadem auctoritate noſtra declaretis; necnon Abbatiſſam & Moniales ejuſdem Monaſterii ſanctæ Claræ exiſtentes pro tempore ad obſervantiam illorum in ea dumataxat parte, in qua dictis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus & conſuetudinibus ſunt conformia, & ab illis aliquatenus non diſcrepant, fuiſſe & eſſe obligatas, prædicta auctoritate noſtra decernatis pariter & nuncietis: non permittentes,eas præmiſſorum occaſione contra præſentium tenorem ab Epiſcopo, Decano, Capitulo & Beneficiatis omnibus prædictis, aut quocumque alio impeti ſeu quomodolibet moleſtari: impetitores & moleſtatores ipſos, ac contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXL. Kalendis Martii, anno X.

Anno Christi 1441. Eugenii IV. anno 11.

LXXXIX.

Ut Moniales Monaſterii ſancti Leonis prope & extra Muros Burgi, vendant quaſdam domos. Reg. vat. ex lib. 1. de Regularibus, anno 11. fol. 213.

Venerabili fratri Epiſcopo Civitatis Caſtelli.

§. I. AD ea, per quæ perſonarum &c. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Leonis prope & extra muros Burgi, Ordinis ſanctæ Claræ,Civitatis Caſtelli Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum quondam Joannes Gutiarelli de dicta terra, condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter cetera, quaſdam domos ad eum tunc legitime ſpectantes, ac infra dictam terram conſiſtentes, Monaſterio beatæ Mariæ *della Strata* extra muros prædictos legavit atque reliquit; hac tamen conditione adjecta, quod illæ nullo unquam tempore vendi, aut ad modicum ſeu magnum tempus locari valerent, ſed quod eas Abbatiſſa & Moniales pro tempore exiſtentes dicti Monaſterii beatæ Mariæ, quoties ad terram ipſam confugere eas contigeret, habitare deberent, ac in ipſarum abſentia per earum familiares, ſeu aliquas Eccleſiaſticas, vel pauperes perſonas gratis & abſque pretio habitari facerent; quodque ſi conditionem hujuſmodi minime ſervari contingeret, tunc & in eo caſu, quoad hæc, eidem Monaſterio beatæ Mariæ dictum Monaſterium ſancti Leonis, ac Monaſterium ſancti Franciſci terræ & Ordinis prædictorum prædicto Monaſterio ſancti Leonis, necnon dicto Monaſterio ſancti Franciſci ſub certis modo & forma tunc expreſſis Monaſterium ſancti Bartholomæi de Monte-Oliveto prope muros Florentin. prædicti Ordinis ſucceſſive ſubſtituit; prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri. *Vide Conſtit. 12. hujus Pontif.*

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædictæ exponentes, quæ præmiſſorum vigore, & etiam ex donatione & renunciatione dictarum domorum in earum favorem per dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Moniales dicti Monaſterii beatæ Mariæ olim factas, domos hujuſmodi

præſentialiter tenent & poſſident, provide conſiderent, quod earum Monaſterium prædictum propter guerras &c. dirutum & ſolo quaſi adæquatum exiſtit, & quod in domibus prædictis,pro eo quod ad id aptæ & accommodæ non exiſtunt, commode permanere nequeant, ac propterea ad laudem & gloriam Altiſſimi &c. unum Monaſterium infra muros terræ hujuſmodi conſtrui, erigi & ædificari facere deſiderent, ſed ad id ſuæ, ac earum Monaſterii hujuſmodi non ſuppetant facultates: pro parte dictarum exponentium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis quod, hujuſmodi conditione non obſtante, domos prædictas vendere, ac illarum pretium in conſtructionem erigendi Monaſterii hujuſmodi dumtaxat convertere,& quod in eo perpetuo permanere libere & licite valeant, licentiam concedere, & alias ſuper hoc ipſarum, ac ſuorum ſucceſſorum ſtatui opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur &c. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſancti Leonis hujuſmodi, Superiorum aliorum Monaſteriorum eorumdem & aliorum quorumlibet ſuper hoc licentia minime requiſita, prædictas domos, quas per earum qualitatem, quantitatem, atque loca præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quibuſvis perſonis, etiam laicis pro congrua pecuniarum ſumma, ad uſum prædictum dumtaxat convertenda, ſimul vel ſucceſſive, libere vendendi, & liberæ venditionis titulo concedendi, necnon etiam unum Monaſterium ſub vocabulo dicti ſancti Leonis in terra prædicta inibi,in loco utique ad id apto & accommodo & honeſto, erigi, conſtrui &c. & ad illud de prædicto earum Monaſterio ſe transferendi &c. licentiam plenam & liberam auctoritate prædicta concedas. Non obſtantibus conditione, & aliis in inſtrumento hujuſmodi contentis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi vigore præſentium conceſſionem & erectionem hujuſmodi fieri contigerit, Abbatiſſæ & Monialibus in dicto erigendo Monaſterio pro tempore degentibus, earumque ſervientibus perſonis, quod ipſæ ac prædictum Monaſterium omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis uti valeant &c. indulgemus: ac volumus quod pretium, quod ex venditione hujuſmodi proveniet, penes aliquem fide & facultatibus idoneum mercatorem deponatur, ac juxta ordinationem Exponentium prædictarum in fabricam & conſtructionem erigendi Monaſterii hujuſmodi, & non alias, realiter convertatur; quodque propter translationem & alia præmiſſa, dictum Monaſterium ſancti Leonis, velut hæreditas ad profanos uſus minime deducatur, ſed tamquam locus ſacer & Eccleſiaſticus debite conſervetur.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. VI. Nonas Maii, anno XI.

XC.

Ut ſtabiliatur reformatio Ordinis ſanctæ Claræ introducta in Monaſterium ſancti Nicolai de Murano, Diœceſ. Torcellanæ, olim Ordinis ſancti Benedicti. Ibidem, folio 303.

Dilecto filio Magiſtro Fantino Dandalo Notario noſtro, & venerabili fratri Thomæ Epiſcopo Feltren.

§. I. EX paſtoralis officii debito,ſingulorum fidelium, & præſertim Altiſſimo in Religionis decore ſua vota exolventium, ſupplicibus votis

tis libenter annuimus, ut exinde ipſorum devotionis amplius prodire valeat incrementum. Cum itaque accepiſſemus alias, quod Moniales Monaſterii ſancti Nicolai de Muriano, tunc Ordinis ſancti Benedicti, Torcellan. Diœceſis, propriæ ſalutis immemores, fræno regulæ & profeſſionis abjecto, vitam earum profeſſioni minime congruentem ducerent, in animarum ſuarum periculum, diſpendium Monaſterii, Ordinis vilipendium, & exemplum damnabile plurimorum: Nos deformitati hujuſmodi &c. providere cupientes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandavimus, ut ſuper &c. inquireretis diligentius veritatem, & ſi præmiſſa reperiretis fulciri veritate, Moniales prædictas extra dictum Monaſterium ponendo & in aliis collocando; puniretis & corrigeretis, prout vobis videretur expedire &c.

§. II. Demum cum eſſemus aviſati, vos mandata noſtra diligenter executioni mandaſſe, & inter alia Ordinem ſancti Benedicti juxta mandatum noſtrum in dicto Monaſterio ſuppreſſiſſe, & in ipſo Ordinem ſanctæ Claræ, ac Moniales ejuſdem Ordinis inſtituiſſe; ac dudum ad noſtram notitiam devenerit, quod dilecta in Chriſto filia Felix de Verona Abbatiſſa Monaſterii *de la Cella*, Tarviſin. Diœceſ. quæ in ipſa Religione converſationis ſtudio, virtutum Domino ſibi gratiam largiente, Monaſterium ipſum *de la Cella*, olim multis defectibus & detrimentis obnoxium, in rectam Religionis & obſervantiæ normam reduxerit, & hoc præcipue ad imitationem conſtitutionum & ordinationum, quæ in Monaſterio Corporis Chriſti Mantuano ſervari dicuntur; ea propter reformationem dicti Monaſterii ſancti Nicolai totis affectibus fieri cupientes &c. diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de prædictis diligentem fieri informationem curetis &c. poteſtatem largiamini. Conſtitutionibus Apoſtolicis &c. non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. pridie Kal. Junii, anno XI.

XCI.

Ut Obſervantibus concedat Eremitorium de Montibus-Claris. Ibid. fol. 178.

Dilecto filio Archidiacono de Valpueſta, in Eccleſia Brugen.

§. I. Votis fidelium quorumlibet, illis præſertim, quæ Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, & ad ea promovenda favorabiles volumus inveniri. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis & Petri de Spinoſa, & Petri de Medina Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, petitio continebat, quod olim cariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Rex Caſtellæ & Legionis Illuſtris, conſiderans quod in Eremitorio beatæ Mariæ *de Montes-Clares*, Brugen. Diœceſ. propter illius deſtructionem & deſolationem nullus morabatur, vel morari curaret, prædictum Eremitorium, cujus diſpoſitio ad Regem Caſtellæ & Legionis pro tempore exiſtentem, de antiqua & approbata, ac hactenus pacifice obſervata conſuetudine, pertinere dignoſcitur, dictis Joanni & Petro de Spinoſa, ac Petro de Medina pro eorum uſu & habitatione contulit & aſſignavit, ſpem fiduciamque gerens, quod Eremitorium hujuſmodi per medium eorumdem Joannis & Petri de Spinoſa, & Petri de Medina reparari reſtaurarique deberet.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prædicti Joannes & Petrus de Spinoſa, & Petrus de Medina poſſeſſionem ipſius Eremitorii, obtentu collationis & aſſignationis hujuſmodi apprehendentes, illud ex tunc tenuerint & poſſederint, prout ex facultatibus eis correſpondentibus, ac piis fidelium obventionibus & ſuffragiis competenter reparatum tenent & poſ-

poſſident de præſenti, pro parte Regis, necnon Joannis & Petri de Spinoſa, & Petri de Medina prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes,& ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, collationem & aſſignationem prædictas, ac quæcumque inde ſecuta dicta auctoritate approbes & confirmes, ſupplens omnes defectus &c. Et nihilominus, pro potioris cautelæ ſuffragio, prædictum Eremitorium cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eiſdem Joanni & Petro de Spinoſa, & Petro de Medina per eos, quoad vixerint, pro præmiſſis uſu & habitatione tenendum & poſſidendum prædicta auctoritate concedas. Volumus autem quod Joannes & Petrus de Spinoſa, & Petrus de Medina prædicti, ſi, & poſtquam approbationem & confirmationem, necnon conceſſionem hujuſmodi feceris, ſub obedientia Generalis dicti Ordinis perpetuo ſint ac teneantur permanere. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. XV. Kal. Julii, anno XI.

XCII.

Ut poſſit ingredi Monaſterium ſanctæ Mariæ de Baſrio. Ex lib. I. de Regularibus anno II. fol. 28.

Dilectæ in Chriſto filiæ Victoriæ Andreæ de Criſpino mulieri Meſſanen. ſalutem &c.

ADDITIO ALIORUM. „ DEvotionis tuæ ſinceritas promeretur, ut quæ a nobis poſtulas,affectu „ tibi benevolo concedamus. Hinc eſt, quod nos tuis ſupplicationi- „ bus inclinati, ut, illarum quæ Monaſterio beatæ Mariæ de Baſrio Meſſa- „ nen. Ordinis ſanctæ Claræ præfuerint accedente conſenſu, præfatum „ Monaſterium,ad quod ſingularem geris devotionem,quibuſcumque Mo- „ naſterii & Ordinis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, ac quibuſvis „ conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus, quater in anno dum- „ taxat ingredi, necnon cum te ægrotare graviter contigerit, quod tunc „ intra ſepta dicti Monaſterii te portari facere, & inibi Domino debitum „ naturæ perſolvere valeas, tenore præſentium tibi indulgemus. Nulli „ ergo noſtræ conceſſionis infringere &c. ſi quis &c.

„ Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. XIII. Kal. Julii, anno XI.

XCIII.

Ut conſtruat domum in confinibus regni Caſtellæ. Ex lib. I. de Regularibus &c. diverſis annis folio 303.

Dilecto filio Joanni de Logrogno Vicario Vicariæ Canariæ, fratri Ordinis Minorum.

Vide Conſtitut. I. hujus Pontif. SAcræ Religionis &c. Hinc eſt quod nos cariſſimi in Chriſto filii Joannis Regis Caſtellæ Illuſtris ſupplicationibus inclinati, ut in confinibus regni Caſtellæ, verſus inſulas Canariæ, unam domum pro recipiendo ibidem Fratres tui Ordinis, ad dictas inſulas ſemper tranſeuntes, & ex eis redeuntes, necnon ad aliqua reponenda, ad ipſas inſulas pro eorum & aliorum neceſſitatibus deferenda, ſi tibi pia largitione fidelium conferatur, vel alias juſtis ex cauſis eam poteris adipiſci, recipere & retinere, & cum ipſa oratorium cum campana parva & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione

tua

tua & Fratrum dicti Ordinis, ut præmittitur, ad prædictas inſulas tranſeuntium & de eis redeuntium, ſervata debita diſtantia, conſtruere & ædificare poſſis, in quo etiam Miſſas celebrare & celebrari facere valeas tu & ſucceſſores tui, qui pro tempore fuerint, Ordinarii loci &c. minime requiſitis, juribus tamen parochialium &c. ſalvis, devotioni tuæ plenam &c. concedimus &c. facultatem. Et nihilominus tibi & univerſis Fratribus in eadem domo pro tempore commoraturis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & in poſterum concedendis uti & gaudere valeas tu & prædicti Fratres & ſucceſſores, ut præfertur &c. Conſtitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis non obſtan. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. V. Kal. Julii, anno XI.

XCIV.

Inſtituitur Viſitator & Reformator omnium domorum Regularis Obſervantiæ in regnis Caſtellæ & Legionis. Ex Archivo ſecreto libro 10. Bullar. fol. 308.

Dilecto filio fratri Sancio de Canales, domorum Fratrum Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia *in regnis Caſtellæ & Legionis conſiſtentium Cuſtodi.*

§. I. Apoſtolicæ ſervitutis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ Mariæ Caſtellæ & Legionis Reginæ petitio continebat, quod licet olim in Salamantin. & Placentin. civitatibus, necnon de Molina & de Soria oppidis, Oxomen. & Seguntin. Diœceſ. ac locis aliis ipſius Reginæ in Caſtellæ & Legionis regnis conſiſtentibus, nonnulla domus & loca ob laudem & honorem Dei & beati Franciſci dedicata extiterint & de præſenti exiſtant, quodque in illis religioſorum virorum copia ſub regulari dicti ſancti Franciſci degentium tunc, & in divinis Altiſſimo famulantium, obſervantia, non ſine Chriſtifidelium devotione maxima, creviſſet, tamen modernis temporibus nonnulli ex Religioſis prædictis jugum Dominicum ſuaviſſimum reſpuentes, reſpicienteſque retro, regularem obſervantiam in domibus & locis prædictis hactenus laudabiliter juxta dicti Ordinis inſtituta obſervatam, abjicere & dietim infringere nituntur, quorum prætextu, laxatis per eos honoris & pudicitiæ habenis, domus & loca prædicta gravia ſuſtinent detrimenta, & diminuitur in eis cultus divinus. *Ut in Conſtit. 9. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ad prædicta domos & loca, quoties opportunum fuerit, perſonaliter te transferas: & habens præ oculis ſolum Deum, domos & loca hujuſmodi, ac perſonas prædictas, quæ nunc ſunt & pro tempore erunt, auctoritate noſtra tam in capite, quam in membris viſites, illaſque & illa ad regularem & debitam Obſervantiam, juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta, reducas &c. Contradictores &c. compeſcendo. Nos domos, loca & perſonas prædictas tam in capite, quam in membris, ut præfertur, viſitandi &c. concedimus facultatem. Non obſtant. conſtitutionibus Apoſtolicis &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. IV. Kal. Julii, anno XI.

XCV.

XCV.

Ut Obſervantibus domum erigat in civitate Eduen. Ibidem lib. 5. Bullar. folio 86.

Dilecto filio nobili viro Nicolao Rolini Militi, Domino loci de Genthuma, diœceſ. Biſuntin.

§. I. Exigit tuæ devotionis affectus ut votis tuis, illis præſertim, quibus Divini cultus augmentum, ac Chriſtiani eruditionem populi intendere dignoſceris, favorabiliter annuentes, ea tibi libenter concedamus, per quæ voti tui compos effectus, ſacræ Obſervantia Religionis valeat, annuente Domino, dilatari. Sane pro parte tua exhibita petitio continebat, quod attente conſiderans, quantum Fratrum Mendicantium aſſidua prædicatione Chriſtianus populus in lege divina inſtruitur, & a Pſeudodoctorum erroribus protegitur, quodque in civitate Eduen. nulla eſt Fratrum Mendicantium domus, cupienſque propterea, quantum divina tibi conceſſit miſeratio, opportunis ſuper hoc conſulere favoribus, in tuæ ac parentum & aliarum Chriſtifidelium animarum remedium, de bonis tibi a Deo collatis unam domum cum Eccleſia, campanili & campana, cœmeterio &c. officinis pro uſu & habitatione unius Guardiani & octo numero Fratrum Minorum Ordinis de Obſervantia, in civitate prædicta conſtrui & erigi facere, & ipſam libris neceſſariis communire &c. proponis, & affectas. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. tibi domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campana &c. prædictis conſtrui faciendi, & muniendi, ac eiſdem Fratribus illam, poſtquam conſtructa fuerit, habitandi & perpetuo retinendi, Diœceſani &c. minime requiſita; quibuſcumque etiam ipſius Ordinarii, ac dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Eduen. ac aliorum quorumlibet contradictionibus, appellationibus ſeu oppoſitionibus, per quas effectus præſentium impediri poſſet quoquomodo vel differri, nequaquam obſtantibus: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. Ceterum, ut Fratres, qui in domo ſic erigenda hujuſmodi pro tempore morabuntur, vocationi, in qua vocati ſunt, quietius valeant famulari, Nos ipſis ac eidem domui, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere valeant, auctoritate prædicta concedimus per præſentes. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. VIII. Idus Septemb. anno XI.

XCVI.

Ut faciat reſtitui quædam bona Sororibus domus Vallis Fabricæ legata. Ex lib. 1. de Regularib. ann. 11. folio 99.

Venerabili fratri Gaſpari Archiepiſcopo Neapolitano, noſtræ civitatis Peruſin. pro nobis & Roman. Eccleſia in temporalibus Gubernatori.

§. I. A Summo Patrefamilias in ejus domo diſpenſatores, inter innumeras curas, quibus jugiter angimur, illam libenter amplectimur, per quam pia teſtantium vota, quibus maxime deditarum obſequio Domini in humilitatis ſpiritu perſonarum commodis conſulitur, optatum noſtra ope noſtroque præſidio conſequantur effectum. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Magdalenæ Maſſucii Miniſtræ & Sororum domus ſanctæ Mariæ Vallis Fabricæ, tertii Ordinis beati Franciſci,

de

de Pœnitentia nuncupati, Peruſin. diœceſ. petitio continebat, quod olim, poſtquam quondam Paulus Angeli de Peruſio Laicus, condens &c. teſtamentum, in illo inter alia voluerat & ordinaverat, quod poſt ejus obitum in certis ſuis palatio & domo, necnon terreno ſeu tenimento eis contiguo, in loco *Terrazani*, dictæ Diœceſ. conſiſtentibus, tunc expreſſis, unus locus pro perpetuis uſu & habitatione aliquarum mulierum & Sororum dicti tertii Ordinis, in eo Altiſſimo ſerviturarum, erigeretur & fieret; eo defuncto, dilectus filius Vannes Berſucii, ejus nepos & univerſalis hæres, poſtpoſitis voluntate & ordinatione hujuſmodi, palatium, domum & terrenum prædicta dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Agnetis de Podiolongii Ordinis ſanctæ Claræ, Peruſin. diœceſ. per modum excambii, pro nonnullis aliis immobilibus bonis, ſub certis modis & formis etiam tunc expreſſis, de facto conceſſit: quodque licet a non multo tempore citra, dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii ſancti Pauli Favaronis prope Peruſium, dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cui interim Monaſterium ſanctæ Agnetis canonice unitum fuiſſe dicitur, aliquali conſcientia ductæ, palatium & domum dumtaxat eiſdem Miniſtræ & Sororibus libere dimiſerint, tamen terrenum hujuſmodi alienando, illud in dilectum filium Mariottum Angeli civem Peruſin. auctoritate propria tranſtulerunt, qui illud ex tunc detinuit, prout detinet etiam de præſenti, in non parvum Miniſtræ, Sororum ac domus ſanctæ Mariæ prædictarum detrimentum, & jurium læſionem. Quare pro parte dictarum Miniſtræ & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ per &c. mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, voluntatem teſtatoris hujuſmodi facias auctoritate noſtra firmiter obſervari, decernens prædictas & alias conceſſiones & alienationes quaslibet, contra formam & intentionem dicti teſtatoris factas, nullius exiſtere roboris vel momenti; contradictores &c. compeſcendo. Non obſtan. eiſdem conceſſionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. V. Idus Septemb. anno XI.

XCVII.

Ut viſitet Monaſterium S. Claræ Salamantin. Ex Archivo ſecreto lib. 10. Bullar. folio 308.

Dilecto filio fratri Franciſco de Soria, profeſſo Ordinis Fratrum ſancti Franciſci de Obſervantia &c.

§. I. Injunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium &c. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod nonnulla tunc expreſſa domus, Monaſteria, & alia loca Fratrum Ordinis ſancti Franciſci, *de Obſervantia*, in regnis Caſtellæ & Legionis conſiſtentia, ex defectu boni regiminis perſonarum in eis deputatarum, tunc laxatis per eas honeſtatis & pudicitiæ habenis, collapſa erant. Nos tibi per alias noſtras litteras Monaſteria & loca hujuſmodi, & perſonas prædictas ad debitam Obſervantiam regularem reducendi &c. conceſſimus facultatem, prout in illis plenius continetur. *Vide Conſt. 11. hujus Pontiſ.*

§. II. Cum, ſicut pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ Mariæ Caſtellæ & Legionis Reginæ fuit expoſitum, Monaſterium Monialium ſanctæ Claræ Salamantin. prædicti Ordinis, propter inordinatum in eo regimen hujuſmodi perſonarum & Monialium inpræſentiarum exiſtentium in eodem, poſtpo-

poſita in eo regulari Obſervantia, plurimum reformatione indigeat: pro parte ipſius Reginæ nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. ac litterarum prædictarum tenorem, ac Monaſteriorum, domorum, necnon locorum hujuſmodi nomina, per deſignationes & loca, habentes præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac cupientes, ut dicta domus ſeu Monaſterium ſanctæ Claræ hujuſmodi ad priſtinam Obſervantiam reducatur, & in eo cultus divinus augmentetur, diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ad Monaſterium ſive domum ſanctæ Claræ hujuſmodi, ac illius loca alia, quoties expediens fuerit, habens præ oculis ſolum Deum, perſonaliter te transferas, illaque viſites, & in priſtinam Obſervantiam regularem reducas, ac reduci facias & procures: Contradictores &c. compeſcendo. Nos enim Monaſterium & loca ſanctæ Claræ prædicta, necnon Moniales & perſonas prædictas in eis degentes pro tempore auctoritate noſtra viſitandi, & ad Obſervantiam regularem debitam juxta ipſorum Monaſterii ſanctæ Claræ & Ordinis ſancti Franciſci Inſtituta reducendi, ac Monaſterium & perſonas hujuſmodi tam in capite, quam in membris corrigendi &c. Generalis prædicti Ordinis &c. minime requiſita, plenam &c. concedimus facultatem, etiam perinde ac ſi Monaſterium ſanctæ Claræ hujuſmodi in prædictis noſtris litteris ſpecificatum & incluſum extitiſſet. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.Et inſuper,ut prædictum Monaſterium S.Claræ Salamantin. hujuſmodi omnibus et ſimilibus privilegiis &c. quibus Monaſterium Monialium ejuſdem ſanctæ Claræ de Oterdeſillas, Palentin. diœceſ. utitur, et gaudet, uti et gaudere poſſit &c. indulgemus.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. IX. Kalendas Octobris, anno XI.

XCVIII.

Ut Obſervantes recipiant Prioratum ſancti Gabrielis extra muros Cremonen.
Ex lib. I. de Regularibus, anno 11. folio 7.

Dilecto filio Abbati Monaſterii omnium Sanctorum juxta muros Cremonen.

§. I. Humilibus et honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim, per quæ fidelium devotio augetur in dies, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Alias ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Communitatis et civium Cremonen. nobis expoſito, quod pro divini cultus augmento, et propagatione Religionis et Ordinis Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum &c. deſiderabant, pro nonnullorum Fratrum dicti Ordinis habitatione, domum ſive locum cum Eccleſia, campanilis et aliis neceſſariis officinis, apud Eccleſiam Prioratus ſancti Gabrielis extra muros Cremonen. Ordinis ſancti Benedicti, ad id etiam dilecti filii Prioris Prioratus ejuſdem accedente conſenſu, erigere &c. Nos tunc per alias noſtras tibi litteras dedimus in mandatis, ut ſi idem Prior. quoddam oratorium ſive capellam, ſub vocabulo *beatæ Mariæ* infra clauſtrum et ſepta dicti Prioratus, quæ, ut aſſerebatur, ruinoſa erat, cum certa terræ menſura, pro domibus, hortis, hortalitiis et officinis neceſſariis hujuſmodi, ipſis Fratribus dare et aſſignare vellet, tu Priori capellam et terræ ſpatium ſeu menſuram, ut præmittitur, dandi et aſſignandi, necnon Fratribus prædictis illam recipiendi, conſtruendi et ædificandi licentiam auctoritate noſtra concederes, prout in ipſis litteris plenius continetur.

§. II. Cum

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Prioris, ac Guardiani et Fratrum petitio continebat, Guardianus et Fratres ipſi capellam reparari, ac domos cum hortis et officinis antedictis, piis fidelium mediantibus ſubſidiis et eleemoſynis, in maximam partem conſtrui et ædificari fecerint, ac inibi nonnulli Fratres dicti Ordinis Minorum ſub regulari Obſervantia virtutum Domino famulatum exhibent, ex quo eorumdem fidelium ſuccreſcit devotio; quodque in eodem clauſtro duæ ſub diverſis nominibus, Ordine, Religione & habitu conſiſtunt Eccleſiæ, & Eccleſia ipſa ſancti Gabrielis, quæ multo major eſt ambitu, & apud quam Prior vel Monachus alius, cauſantibus guerris & defectu habitatorum, nullam jamdiu fecerunt nec faciunt de præſenti reſidentiam, tendit totaliter ad collapſum, & propterea prædictus Prior eamdem Eccleſiam ſancti Gabrielis, dignitate et ordine in illa ſuppreſſis et extinctis, Guardiano et Fratribus prædictis dare et aſſignare proponat, ita quod de cetero non *Prioratus ſancti Gabrielis*, ſed *ſancti Angeli*, *& Ordinis Fratrum Minorum* Eccleſia intituletur, habeatur et reputetur, ipſiuſque Prioratus titulus, et ſub ejuſdem ſancti Gabrielis vocabulo, aliiſque juribus ſuis omnibus ad Eccleſiam ſancti Hyppoliti infra muros eoſdem, dicti Ordinis ſancti Benedicti, quæ membrum prædicti Prioratus exiſtit, transferatur, ſeu etiam commutetur, hac adjecta conditione, quod Guardianus & Fratres prædicti, poſt translationem hujuſmodi, de erogandis eis caritatis ſubſidiis, unum ſub ſancti Gabrielis in aſſignanda ſancti Angeli, & aliud ſub ſancti Hyppoliti, in commemorationem Sanctorum eorumdem, in commutanda Eccleſiis prædictis nominibus altaria inſtitui & conſtrui, necnon dictam Eccleſiam intra muros ad certam latitudinem, longitudinem & altitudinem, cum campanili illi adjacenti congruo & convenienti, ſimiliter ædificari & reparari facere teneantur &c. Quare pro parte Prioris, necnon Guardiani & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus et ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes &c. Priori Eccleſiam ſancti Gabrielis, titulum atque nomen cum omnibus juriſdictionibus, poſſeſſionibus, præeminentiis &c. ſuis aliis quibuſcumque ad ipſam Eccleſiam ſancti Hyppoliti transferas, ut deinceps Prioratus ſancti Gabrielis cenſeatur; quodque dicti Guardianus & Fratres, de erogandis eis eleemoſynis et fidelium ſubſidiis hujuſmodi, ut præfertur, loco alterius fabricæ, quam pro ipſo Priore apud Eccleſiam eamdem, ſancti Angeli nominandam, facere tenebantur, Eccleſiam ſancti Hyppoliti, in Prioratum erigendam, antedictam ad certam altitudinem, latitudinem et longitudinem cum campanili ſibi contiguo convenienti; necnon in ſancti Angeli, ſub ſancti Gabrielis, unum, et in ſancti Gabrielis ipſius Prioratus, ſub ſancti Hyppoliti, Eccleſiis ſic nominandis prædictis, aliud, altaria, in memoriam et commemorationem Sanctorum eorumdem, ſub quorum prius erant vocabulis, conſtrui &c. facere poſſint et debeant, etiam auctoritate prælibata concedas, ſtatuas et declares: aliis tamen noſtris ſuperinde confectis prioribus litteris in ſuo alias robore permanſuris. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. V. Idus Octobris, anno XI.

Digitized by Google

XCIX.

Confirmatur donatio domus ſancti Michaelis prope Feſulas Tertiariis facta. Ibidem folio 120.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus ſancti Michaelis tertii Ordinis ſancti Franciſci, Continentium ſive de Pœnitentia *nuncupati, Feſulan. Diœceſ.*

§. I. SIncerœ devotionis affectus, quem ad Nos et Romanam geritis Eccleſiam, promeretur, ut votis veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim per quondam Nicolaum Roberti de Davanzatis, Domicellum Florentin. et Franciſcum Franciſci ejuſdem Ordinis profeſſorem bon. mem. Bindo Epiſcopo Feſulan. expoſito, quod dudum ipſe Nicolaus cupiens &c. aliquod oratorium ad Dei honorem &c. conſtrui facere &c. in oppido ſancti Romuli, ac loco vulgariter nuncupato *a la Doccia*, Feſulan. Diœceſ. conſiſtenti, tunc expreſſo, cum domo, furno, terris, vineis, nemoribus et aliis omnibus juribus et pertinentiis ſuis emerat; & dicto Franciſco, pro oratorio hujuſmodi cum dormitorio & aliis neceſſariis pro ſex Fratribus inibi reſidere volentibus conſtruendo, ea conditione adjecta, quod ipſe Franciſcus hujuſmodi oratorium, cujus Guardianus exiſteret, ſub vocabulo ſancti Michaelis dedicare, & in illo ipſius Nicolai arma ponere, ac ipſe necnon alius Guardianus & Fratres ibidem pro tempore exiſtentes dictum Nicolaum et ſucceſſores ſuos ex eo deſcendentes in Superiorem, jure directi dominii recognoſcere, ac illi et ſucceſſoribus eiſdem unam libram ceræ annis ſingulis, in feſto ſancti Michaelis ſolvere, unum quoque ex Fratribus prædictæ, vel alterius ejuſdem Ordinis domus, poſt dicti Franciſci Miniſtri ceſſum vel deceſſum, in ipſius domus Guardianum, per Nicolaum & antiquiorem ex ſucceſſoribus hujuſmodi approbandum, pro tempore eligere tenerentur, perpetuo dederat atque conceſſerat; quodque Franciſcus Franciſci prædictus præmiſſa omnia & ſingula juxta ipſius & dicti Nicolai ordinationem & volontatem, ut præmittitur, rite & legitime expleverat, debitumque fecerat ſortiri effectum: prædictus Epiſcopus ea omnia et ſingula ratificavit et approbavit, ac ſuum aſſenſum præbuit et conſenſum: prout in diverſis publicis inſtrumentis ſuper his omnibus confectis, quæ per Cancellariam noſtram inſpici fecimus diligenter, quorumque tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis &c.

§. II. Nos igitur &c. præmiſſa, necnon inde confecta inſtrumenta hujuſmodi, ac omnia et ſingula in eis contenta, et quæcumque inde ſecuta rata habentes &c. confirmamus &c. ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis non obſtant. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. VI. Idus Novembris, anno XI.

C.

Ut Tertiarii admittant domum ſancti Nicolai de Palumbaria. Ibid. fol. 132.

Venerabili Fratri Epiſcopo ſancti Marci.

§. I. SOlet Apoſtolicæ Sedis copioſa benignitas piis petentium deſideriis clementer annuere et favorem benevolum liberaliter impertiri. Cum

Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Archeſii Fratris tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, petitio continebat, dilecti filii Miniſter ſeu ejus Vicarius, necnon alii Fratres provinciæ Calabriæ, ſecundum morem Ordinis Fratrum Minorum, propter hoc capitulariter congregati, domum ſancti Nicolai de Palumbaria, in pertinentiis Caſtri Belvedere, tuæ Diœceſ. olim per prædictum Nicolaum erectam, ac Miniſtro et Fratribus provinciæ hujuſmodi Apoſtolica auctoritate conceſſam, tamquam ipſis et dicto Ordini Fratrum Minorum incongruam et inutilem, cum ſolemnitatibus juxta eumdem morem ſolitis, realiter et omnino dimiſerint.

§. II. Nos ipſius Nicolai in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, et ipſa domus tempore Datæ præſentium alii vel aliis canonice conceſſa non fuerit, illam cum oratorio, horto, officinis, et aliis juribus et pertinentiis ſuis prædicto Nicolao per eum et aliquos alios dicti tertii Ordinis Fratres ſocios ſuos, ac ſucceſſores eorum pro ipſorum uſu et habitatione perpetuis tenendam, regendam et gubernandam auctoritate noſtra concedas, inducens per te vel alium, ſeu alios Nicolaum et ſocios prædictos, vel procuratores ſuos eorum nominibus, in corporalem poſſeſſionem domus cum oratorio, horto, officinis et juribus ſupradictis, et defendens inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eiſdem; contradictores &c. compeſcendo. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. Idibus Novembris, anno XI.

CI.

Ut ad libitum Confeſſorem eligant, & mulieres ad Ordinem recipiant. Ibidem folio 119.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtræ & Sororibus domus ſanctæ Eliſabeth Lauden. tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia *nuncupati*.

Sacræ Religionis &c. Hinc eſt quod nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, vobis ac omnibus et ſingulis pro tempore exiſtentibus Miniſtris et Sororibus domus veſtræ ſanctæ Eliſabeth Lauden. tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, ut quælibet veſtrum Miniſtrarum et Sororum, quamdiu in dicta domo in communi et ſub regulari dicti Ordinis Obſervantia, necnon Epiſcopi Lauden. pro tempore exiſtentis obedientia permanſerit, quemcumque voluerit regularem, ſub Obſervantia regulari degentem, aut ſecularem bonæ vitæ et famæ, ac idoneum et diſcretum Presbyterum in ſuum poſſit Confeſſorem eligere, qui, quoties opportunum fuerit, confeſſionibus ſuis diligenter auditis, pro commiſſis, dummodo talia non fuerint propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, eis debitam abſolutionem impendat, et ſalutarem pœnitentiam injungat, necnon Euchariſtiæ Sacramentum etiam in quolibet feſto Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti miniſtret, ac etiam ſingulis Sacerdotibus, ut a ſingulis ex vobis, et pro tempore exiſtentibus Miniſtris et Sororibus confeſſionem audire, abſolutionem impendere, pœnitentiam injungere, ac Sacramentum hujuſmodi miniſtrare; necnon quod Miniſtra pro tempore exiſtens dictæ domus omnes & ſingulas mulieres etiam virgines, eamdem domum ingredi volentes, ſi ad id idoneæ fuerint, et aliud canonicum non obſtiterit, in Sorores inibi recipere, ipſiſque et earum ſingulis ha-

Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.

habitum, juxta ipſius domus conſuetudinem exhibere, necnon ab eis profeſſionem, ſi illam in ſuis manibus emittere voluerint, recipere et admittere, regulares, libere et licite poſſint &c. licentiam concedimus &c. Non obſtantibus fel. rec. Clementis Papæ V. &c. illis præſertim, quibus caveri dicitur, quod nulla in Sororem dicti Ordinis, niſi dumtaxat per illius Miniſtrum pro tempore exiſtentem recipi vel admitti valeat, quibus quoad hoc ſpecialiter derogamus, illis alias in ſuo robore permanentibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. XIV. Kalendas Decembris, anno XI.

CII.

Ut admittant quatuor loca. Ibidem folio 138.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia *Provinciæ Mediolanen. ſecundum morem &c.*

Vide ut ſupra. §. I. SAcræ Religionis &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos in Provincia Mediolanen. perſonarum numero adeo multiplicaſtis, quod pro veſtris uſu & habitatione ſufficientia domos atque loca in eadem provincia nullatenus habetis. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. vobis, ut, cujuſcumque licentia & conſenſu minime requiſitis, quatuor alia in dicta provincia conſiſtentia domos ſeu loca, quæ vobis pro uſu & habitatione prædictis per Chriſtifideles quoslibet pia largitione donari contigerit, & de quibus dilecto filio Vicario ejuſdem provinciæ, ſecundum morem Ordinis Minorum *de Obſervantia*, pro tempore exiſtenti, viſum fuerit, recipere & acceptare, ac apud illa Eccleſias, campanilia, domos & ædificia cum campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis erigi &c. valeatis &c. licentiam elargimur. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et inſuper vobis & aliis Fratribus de Obſervantia provinciæ & Ordinis prædictorum, qui apud hujuſmodi recipienda loca pro tempore reſederint, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere concedimus &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. XIII. Kal. Decembris, anno XI.

CIII.

Confirmatur donatio parochialis Eccleſiæ de Cluacaen. Cacryll. & quarumdam poſſeſſionum Tertiariis conceſſarum. Ibidem folio 165.

Dilecto filio Abbati Monaſterii Colliſinctoriæ, Tuamen Diœceſ.

Vide conſtitut. 7. hujus Pontif. SEdis Apoſtolicæ circumſpecta benignitas &c. Sane pro parte dilectorum filiorum David & Joannis, dictorum Ymurcacryll. Fratrum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Presbyterorum, Clonferten. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim bonæ memoriæ Thomas Epiſcopus Clonferten. de conſenſu Decani, Archidiaconi & Capituli Eccleſiæ Clonferten. dedit, donavit & conceſſit in perpetuam eleemoſynam templum parochialis Eccleſiæ de Cluacaen. Cacryll. dictæ Diœceſ. cum capellis & cœmeterio, muris & hortis, petita & obtenta perpetui Vicarii dictæ Eccleſiæ licentia, una cum tertia parte totius terræ eccleſiaſticæ circa dictam Eccleſiam, dividendo videlicet ſpecialiter, prout di-

diſtinguit via regia ad Orientem tranſiens, uſque ad manſum nuncupatum *Gortragairyt-beg.* redeundo ab Oriente in Meridiem, ſive in Borealem partem, ſigna hujus particulæ expreſſe nominando, videlicet: *Eras Colm Guirti Nacrarit Gortm trapuill Acaxada Guirtti Mucill Mileæ Matanniam Caolognacroiſi putt. bet* cum pratis, maneriis & pertinentiis quibuſcumque uſque ad Ampuon, David & Joanni prædictis, ac aliis ejuſdem Ordinis Fratribus, cum eis conventualiter Deo ſervientibus, & in poſterum ſervituris, quoad proprietatem, poſſeſſionem, uſum, habitationem, fabricam, diſpoſitionem, & omne jus ſepulturæ, quarta tamen parte ratione funerum, ab alienis parochiis undecumque delatorum, obvenientium illis, quibus ſolvenda foret, pro portione Canonica tantummodo perſoluta; ipſeque Epiſcopus dedit etiam dictis Fratribus plenam & liberam licentiam, & in quantum potuit, auctorizavit, ut prædictum templum in Religionis propagationem &c. pro ſua diſpoſitione, ordinatione, & etiam libera gubernatione in Monaſterium reædificarent, fabricarent & mutarent, proviſo tamen, quod Vicarius, qui inibi pro tempore foret, libere &c. divina poſſet officia celebrare, & parochianis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac exercitium curæ hujuſmodi, quoties ipſum abeſſe contingeret, ſeculari vel Regulari Presbytero committere; ac mandavit & præcepit Canonicis, ac ſingulis tam Clericis, quam Laicis dictæ Diœceſ. & parochianis ipſius Eccleſiæ, ut ab omni infeſtatione dictorum Fratrum penitus deſiſterent: & deinde venerabilis frater noſter Joannes Epiſcopus Clonferten. ſimiles dationem, donationem & conceſſionem fecit, prout in litteris auctoritate ordinaria deſuper confectis, ipſorumque Epiſcoporum & Capituli ſigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte David & Joannis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſuper præmiſſis &c. informes &c. approbes & confirmes, ſupplendo omnes defectus ſi &c. Non obſtant. &c. quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. XVII. Kalendas Januarii, anno XI.

CIV.

Ut retineat domum de Linares, *& a cenſuris abſolvatur*. Ex lib. I. de Regularibus, anno 11. folio 210.

Dilecto filio Lupo de Salinis, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

§. I. Sacræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim cum dilectus filius Petrus Martini de Carrione, tunc Rector, Prior nuncupatus, domus ſive Eremitorii beatæ Mariæ *de Linares*, Burgen. Diœceſ. provide conſiderans, quod domus ipſa, quæ perantea Collegiata Eccleſia fuerat, in Eccleſia ac aliis ſtructuris & ædificiis ruinam non modicam minabatur, ac cupiens quod illa ad Regularem & Conventualem domum reduceretur, necnon ſperans, quod tu, qui etiam tuis induſtria & ſollicitudine, divina gratia tibi ſuffragante, nonnullas Conventuales domos Ordinis Fratrum Minorum, in quibus ſub illius Regulari Obſervantia laudabiliter vivitur, erigi & conſtrui feciſti, ſuffultus præſidio dilecti filii nobilis viri Petri Fernandi de Velaſco, Comitis de Haro, & dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Beatricis Manriquez ejus conſortis, ac etiam mediantibus tuis fructuoſis operibus.... domum prædictam ſponte & libere dimiſit ſeu reſignavit; & quod deinde tu ex ſummo devotionis

Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.

tionis ardore pro cultus &c. contra tamen conſtitutionem fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. domum prædictam auctoritate propria recepiſti, ac quatuor aliis domibus prædicti Ordinis, quarum principaliter curam tunc habebas, prout etiam ad præſens habere dignoſceris, applicaſti, & ex poſt in ea quoſdam dicti Ordinis Fratres, ſub prædicta inibi obſervantia degentes, deputaſti, illamque interim aliqualiter reparari feciſti. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur, te ac Fratres, qui in recepta domo hujuſmodi permanſerunt, omnes & ſingulos ab excommunicationis ſententia &c. abſolventes, ac tecum & cum eis ſuper irregularitate &c. non tamen in contemptum Clavium &c. diſpenſantes, tibi ac aliis pro tempore exiſtentibus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum Fratribus, domum prædictam perpetuo retinendi, & ad conventualitatem cum clauſtro &c. officinis reducendi &c. perpetuo commorandi, præmiſſis &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtant. plenam &c. licentiam &c. necnon quod ipſi, & dicta domus, ejuſque pro tempore Guardianus omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere valeant, auctoritate prædicta concedimus per præſentes. Nulli ergo &c. noſtræ abſolutionis, diſpenſationis & conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. IX. Kal. Martii, anno XI.

CV.

Approbatur receptio domus Obſervantum villæ Vilſoradi. Ibidem folio 23.

Ad futuram rei memoriam.

Ut in Conſt. 12. hujus Pontif.

EA quæ pro Monaſteriorum &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Lupi de Salinis, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris petitio continebat, quod olim ipſe domum villæ de Vilſorado, dicti Ordinis, Burgen. Diœc. quæ perantea multis annis regulari ejuſdem Ordinis obſervantia deſtituta, ac alias in ſpiritualibus & temporalibus deformata fuerat, ad finem quod eam ad obſervationem hujuſmodi reduceret, ſui tunc Superioris deſuper ſuffultus licentia, recepit, ac expoſt in illa quoſdam dicti Ordinis Fratres, qui inibi ſub Obſervantia prædicta, & alias laudabiliter permanſerunt, prout etiam de præſenti permanent, deputaverit, ipſamque multipliciter reformaverit. Quare pro parte dicti Lupi nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. receptionem,& reformationem, ac omnia inde ſecuta &c. confirmamus &c. ſupplentes omnes defectus &c. Nulli ergo &c. confirmationis, communitionis & ſuppletionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. IX. Kal. Martii, anno XI.

CVI.

Ut Obſervantes domum in loco Turſii, & tria loca in provincia Apuliæ admittant. Ibidem folio 111.

Dilecto filio Vicario Ordinis Fratrum Minorum in provincia Apuliæ ſecundum morem &c.

Ut in Conſtit. 71. hujus Pontif.

INter cetera deſiderabilia cordis noſtri &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſorum Eratrum, *de Obſervantia* nuncupatorum, Ordinis Fratrum Minorum, in provincia Apuliæ commorantium, petitio continebat, quod ipſi ad honorem & laudem Altiſſimi &c.

unum

unum ſeu unam in loco Turſii, Anglonen. Diœceſ. ac tria alia loca, ſive domos in dicta provincia habere &c. concupiſcunt &c. Quare pro parte eorumdem Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſi tibi, temporis qualitate &c. necnon circumſtantiis univerſis diligenter penſatis, dicta concedenda fore videbitur &c. prædictis Fratribus, ut ipſi pro ipſorum ac aliorum *de Obſervantia* hujuſmodi Fratrum mora, uſu &c. unum ſeu unam, & in quibuſvis aliis locis ejuſdem provinciæ tria alia loca ſive domos &c. recipiendi, & in eorum quolibet Eccleſiam ſive oratorium cum humili campanili, campana &c. officinis conſtrui &c. Diœceſanorum locorum minime &c. requiſita, plenam &c. licentiam largiaris: jure &c. ſalvo. Non obſtant. fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. IX. Kal. Martii, anno XI.

CVII.

Conceduntur Indulgentiæ Monaſterio ſanctæ Agathæ Papien. Ex lib. I. de Regularib. &c. anno 11. folio 45.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

Licet is, de cujus munere &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium Monialium ſanctæ Agathæ Papien. Ordinis ſanctæ Claræ, quod inter cetera partium illarum Monialium Monaſteria inſigne admodum & notabile reputatur, in eoque quatuordecim Moniales & ultra, Ordinem ipſum profeſſæ, ſuo ſponſo, qui Chriſtus eſt, continuum reddunt famulatum, ac ſanctorum Primi & Feliciani corpora recluduntur, & ſupervenientibus variis & ſiniſtris eventibus &c. reparatione indigeat non modicum ſumptuoſa &c. Nos cupientes, ut prædictum Monaſterium reparetur &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in ſanctorum Primi & Feliciani prædictorum feſtivitate Eccleſiam dicti Monaſterii devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi reparationem &c. manus adjutrices porrexerint, quatuor annos & totidem quadragenas &c. relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod ſi alias viſitantibus &c. indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus &c. conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti. *Vide Conſtit. 13. hujus Pontif.*

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLI. VII. Kal. Martii, anno XI.

Anno Christi 1442. Eugenii IV. anno 12.

CVIII.

Ut Fratres domus della Doccia *recipiant Eremitorium ſanctæ Barbaræ de Gabiano*. Reg. Vat. ex lib. I. de Regularib. anno 12. folio 178.

Venerabili fratri Baltaſari Epiſcopo Lucan.

§. I. Ad ea, per quæ Eccleſiarum &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum domus *della Doccia*, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, Feſulan. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quo ipſi Eremitorium ſeu Eccleſiam ſine cura ſanctæ Barbaræ de Gabiano, tuæ Diœceſ. in loco ſolitario conſiſtens ſeu conſiſtentem, quod ſeu quam dilectus filius Jacobus Tutii de Florentia, frater dicti Ordinis obtinere digno- *Vide Conſtit. 28. hujus Pontif.*

Digitized by Google

gnoſcitur, in ſpiritualibus & temporalibus reformare proponunt, ſi eis illud vel illa canonice concedatur. Quare &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. cujus fructus, reditus & proventus quindecim florenorum auri de Camera, ut ipſi Exponentes aſſerunt, volorem non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis Miniſtro & Fratribus præſentibus & futuris dictæ domus, per eos juxta eorum ritus, mores, ſtatuta & conſuetudines tenendum, regendum & gubernandum, ſeu tenendam, regendam & gubernandam perpetuo concedere, aſſignare & appropriare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, qnatenus in & ſuper petitis prædictis facias, prout tibi melius videbitur &c. dummodo patronorum Laicorum, ſi qui ſint eremitorii ſeu Eccleſiæ hujuſmodi, ad id expreſſus tunc accedat aſſenſus, ita quod ſi vigore præſentium eremitorium ſeu Eccleſiam hujuſmodi Miniſtro & Fratribus præſentibus & futuris prædictis concedere & aſſignare contigerit, liceat tunc Miniſtro & aliis Fratribus pro tempore exiſtentibus prædictæ domus per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem eremitorii ſeu Eccleſiæ, videlicet, poſtquam dictus Jacobus deceſſerit, ſeu illud vel illam reſignaverit, juriumque &c. auctoritate propria libere apprehendere & perpetuo retinere, necnon fructus, reditus & proventus prædictos in ſuos, ac hujuſmodi eremitorii ſeu Eccleſiæ uſus & utilitatem convertere & exponere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtant. conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales Apoſtolicæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint; etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum: quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem ad hujuſmodi eremitorium ſeu Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis &c. per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. XVI. Kal. Aprilis, anno XII.

CIX.

Ut Obſervantibus Cœnobium erigant. Ibidem folio 174.

Dilectis filiis Vexillifero, Prioribus & Communitati civitatis noſtræ Firman.

Vide Conſtit. 61. hujus Pontif.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod vos ad Ordinem Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, ſingularem gerentes devotionis affectum, aliquam pro uſu & habitatione aliquorum dicti Ordinis Fratrum, in Diœceſi Firman. domum erigi & fundari, ſive etiam aliquam Eccleſiam pro uſu & habitatione hujuſmodi recipi, propenſius affectatis. Quare &c. nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dilecto filio dicti Ordinis in provincia Marchiæ Anconitanæ, ſecundum morem Ordinis ejuſdem, Vicario tunc exiſtenti, aut Jacobo de Eſculo ipſius Ordinis profeſſori domum pro eiſdem uſu & habitatione cum Eccleſia, campanili &c. officinis, in congruo ad id legitime acquirendo loco, conſtruendi &c.

§.II. Nos

§. II. Nos igitur &c. Vicario ſeu Jacobo prædictis domum cum Eccleſia &c. officinis prædictis pro dictis uſu &c. fundandi &c. & Eccleſiam prædictam, ut præfertur, recipiendi, necnon Fratribus Obſervantiæ ejuſdem domum, vel Eccleſiam hujuſmodi pro dictis uſu &c. accipiendi &c. dummodo ad id, quorum interfuerit, accedat aſſenſus &c. elargimur. Non obſtan.fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure &c. ſalvo. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. pridie Non. Aprilis, anno XII.

CX.

Ut vendant aliqua bona in uſus pauperum convertenda. Ibidem, folio 32.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus loci inſulæ Daxæ, Raguſin. Diæceſ. Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. EX Paſtoralis officii debito &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ad domum veſtram, in qua ad præſens regularis Ordinis Fratrum Minorum viget Obſervantia, aliqua oliveta & bona immobilia ac reditus pertinere dignoſcuntur, & pro eo quod juxta Regulam deſuper a glorioſo Chriſti Confeſſore ſancto Franciſco traditam, bona habere non poteſtis, quod oliveta, bona & reditus prædicta in alios pios uſus convertantur, voſque ab illis penitus exonerari, affectatis. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Theſaurarii civitatis Raguſin. qui per dilectos filios Cives ac Commune dictæ civitatis ad reſpiciendum neceſſitatem pauperum pro tempore deputantur, emolumenta ac reditus, quæ ex olivetis & bonis, ac aliis præmiſſis pro tempore obveniunt, colligerent, & ad uſus pauperum, ſive ad pias cauſas applicarent & converterent, veſtris conſcientiis, & animarum ſaluti plurimum conſuleretur, ac devotionis propagatio proveniret: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. *Vide Conſtit. 90. hujus Pontif.*

§. II. Nos itaque &c. præſentis perpetuo valituræ conſtitutionis edicto, Apoſtolica auctoritate ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, quod ex nunc inantea Theſaurarii, qui in favorem pauperum in dicta civitate pro tempore deputati fuerint, omnia & ſingula reditus & emolumenta, ex olivetis, bonis & reditibus prædictis, quorum tamen proprietatem ad Romanam Eccleſiam perpetuo remanere volumus & decernimus, quomodolibet obvenientia, colligere, percipere ac levare, eaque in uſus pauperum, vel alias ad pias cauſas, prout eorum conſcientiis, quas ſuper hoc oneramus, amplius expedire viſum fuerit, plenarie & integre convertere, ac exponere poſſint, debeant & etiam teneantur. Non obſtant. conſtitutionibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ ſanctionis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. VIII. Idus Aprilis, anno XII.

CXI.

Ut Tertii Ordinis Fratres recipiant Eccleſiam ſanctæ Birgittæ Mutinen. cum ejus pertinentiis. Ibidem folio 249.

Venerabili fratri Scipioni Epiſcopo Mutinen.

§. I. AD ea, per quæ Eccleſiarum &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Tertii ſancti Franciſci, ac Tertii Humiliatorum Ordinum Fratrum, in civitate Mutinen. commorantium, necnon Nicolai de Ma- *Vide Conſtit. 28. hujus Pontif.*

Machianellis Rectoris Eccleſiæ ſanctæ Birgittæ Mutinen. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipſi Fratres bonorum mobilium, quæ pro pauperibus dictæ civitatis in communi pro tempore erogantur, adminiſtratores & diſtributores exiſtant, tamen in eadem civitate locum accommodum, in quo contemplationi &c. nullatenus habere noſcuntur: &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dicta Eccleſia, quæ ſine Cura eſt, & intra terralia ejuſdem civitatis, loco utique ab aliis civium habitationibus remoto, conſiſtit, cum illius ei contiguo horto, eiſdem Fratribus, & eorum ſucceſſoribus, necnon omnia & ſingula dictæ Eccleſiæ immobilia bona, quorum viginti, illis ab eadem Eccleſia penitus ſegregatis, perpetuo beneficio in majori Mutinen. Eccleſia inſtituto, quod dictus Nicolaus obtinet, & cujus ſexdecim Florenorum auri de Camera fructus, reditus & proventus ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut ipſe Nicolaus aſſerit, non excedunt, perpetuo concederentur, applicarentur, incorporarentur & appropriarentur, Fratres prædicti in prædicto horto quaſdam habitationes tam ad uſus & perficienda devota opera eorumdem, quam ad conſervationem pro pauperibus aſſignandorum hujuſmodi conſtruerent &c. & exinde pauperibus prædictis ſuffragia non modica provenirent; necnon obtinens pro tempore prædictum beneficium ſe commodius ſuſtentare poſſet, & circa divinorum inibi exhibitionem, ac ſervitia impendenda facilius invitaretur. Quare pro parte Nicolai &c. necnon Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut reſignationem admittere, ac bona immobilia quæcumque ſanctæ Birgittæ, cum horto hujuſmodi dumtaxat, præſentibus & futuris Fratribus Ordinum prædictorum, in dicta civitate pro tempore commorantium, ac etiam ſegreganda & ſeparanda bona omnia & ſingula prædicta, poſt eorum ſegregationem prædictam, eidem beneficio perpetuo applicare, concedere, appropriare & incorporare, dictoque Nicolao, quod ipſe, ſi voluerit, etiam poſt reſignationem ipſam in Eccleſia ſanctæ Birgittæ prædicta, & ejus domibus moram trahere poſſit, indulgere &c. dignaremur; ita quod, poſtquam ſegregatio ipſa facta fuerit, Nicolaus, ſi tunc in humanis egerit, alioquin obtinens pro tempore beneficium, bonorum, necnon Fratres prædicti Eccleſiæ & horti hujuſmodi poſſeſſionem per ſe, vel alium ſeu alios auctoritate propria libere apprehendere & perpetuo retinere, ac Nicolaus, & obtinens prædicti, fructus, reditus & proventus bonorum prædictorum, in ſuos, ac dicti beneficii uſus & utilitatem convertere poſſint, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus quatenus in præmiſſis omnibus &c. facias, prout tibi melius videbitur &c. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis, Eccleſiaſticis &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. XI. Kal. Maii, anno XII.

CXII.

Ut Obſervantes domum ſancti Petri de Muralto reparent, & in ſuos uſus recipiant. Ibidem.

Dilecto filio Epiſcopi Camerinen. in ſpiritualibus Vicario generali.

§. I. ÆTerni Paſtoris vices divina propitiatione gerentes in terris, ad ſingulorum Monaſteriorum, necnon perſonarum eccleſiaſticarum, quorum nobis cælitus commiſſa ſollicitudo cenſetur, votivam directio-

ctionem noſtræ meditationis continuo reflexam dirigimus, & ea quæ propterea ſalubriter prodiiſſe comperimus, ut firma & illibata permaneant, Apoſtolici robore muniminis favorabiliter ſolidamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus ſancti Petri loci *de Muralto*, Camerinen. Diœceſ. Ordinis Fratrum Minorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi dictam domum, quæ ab olim Ordinis ſanctæ Claræ eſſe conſuevit, pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis *de Obſervantia*, cum omnibus & ſingulis ſuis bonis mobilibus & immobilibus acceptarunt, ſperantes quod dicta domus, cujus ſtructuræ & ædificia plurimum ruinoſa extiterant, ac minus debite pro uſu & habitatione præmiſſis compoſita, de dictis bonis poſſent, ac deberent ad uſum & habitationem prædictos commodius coaptari; quodque piis Chriſtifidelium largitionibus & ſubventionibus eis gratum in præmiſſis ſubſidium proveniſſet: ac cum aliis dicti Ordinis Fratrum Minorum *de Obſervantia* domorum provinciæ Marchiæ noſtræ Anconitanæ, ſecundum morem dicti Ordinis, tractarunt, & hinc inde viciſſim permanſerunt, & obligationes fecerunt, quod ipſi Guardiano & Fratribus domus *de Muralto* in reficiendis & coaptandis ſtructuris & ædificiis prædictis aſſiſterent & ſubvenirent, alias Guardianus & Fratres domus *de Muralto* prædicti dictam domum *de Muralto* deſerere neceſſitati fuiſſent, unde gravia in Religionis & Ordinis prælibati Fratrum Minorum confuſionem ſcandala ſucceſſiſſent; diverſis aliis inter dictos Fratres promiſſionibus ſubſecutis, prout in litteris authenticis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Guardiani & Fratrum domus de Muralto prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus ſuper præmiſſis omnibus &c. te diligenter informes &c. tu illa, necnon quæcumque inde ſecuta eadem auctoritate approbes &c. Et nihilominus, pro potiori cautela, dictum locum *de Muralto*, ac illius bonorum medietatem, pro refectione & coaptatione prædictis, Guardiano & Fratribus domus *de Muralto* prædictis pro uſu &c. Fratrum dicti Ordinis Minorum *de Obſervantia*, eadem auctoritate in perpetuum dones, applices, appropries &c. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. V. Idus Maii, anno XII.

CXIII.

Indulgentia pro reparatione Eccleſiæ domus ſanctæ Agathæ Burgi terræ Ferracanæ. Ex lib. 1. de Regularib. anno 12. folio 107.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

Licet is, de cujus munere &c. Cupientes igitur ut Eccleſia domus ſanctæ Agathæ Burgi terræ Ferracanæ, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Syracuſan. Diœceſ. congruis honoribus frequentetur, ac Eccleſia hujuſmodi in ſuis ſtructuris & ædificiis augmentetur &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in feſto dictæ ſanctæ Agathæ Eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, necnon ad augmentationem, reparationem & conſervationem prædictas manus adjutrices porrexerint, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias prædictam Eccleſiam viſitantibus &c. indulgentia in perpetuum, ſeu ad certum tempus, *Vide Conſtit. 15. hujus Pontif.*

 non-

nondum forſan elapſum, duratura, per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. XI. Kalend. Julii, anno XII.

CXIV.

Ut recipiat domum prope civitatem Jaderen. Ex lib. I. de Regul. anno 12. folio 150.

Dilecto filio Nicolao de Tragurio, Ordinis fratrum Minorum Profeſſori.

Vide Conſtitut. I. hujus Pontif. §. I. SAcræ Religionis &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, dilectus filius Theodorus de Brandino de Vicentia Laicus, in civitate Jaderen. moram trahens, quoddam eremitorium extra, ac prope muros Jaderen. conſiſtens, quod ipſe olim &c. cum parva Eccleſia, ac nonnullis cellulis ædificari fecit, in domum Conventualem Ordinis Fratrum Minorum cum dictæ Eccleſiæ ampliatione, necnon campanili humili &c. & aliis neceſſariis officinis, ad inſtar aliarum prædicti Ordinis domorum, ſub *ſanctæ Crucis* vocabulo alias canonice conſtruere &c. intendat, tuque illam pro uſu & habitatione quorumdam prædicti Ordinis Fratrum, ſub illius regulari Obſervantia degentium, recipere deſideres.

§. II. Nos &c. tibi, qui, ut aſſeris, Guardianus domus ſancti Hieronymi de Uglano prædicti Ordinis, Jaderen. Diœceſ. exiſtis, ſeu Guardiano, qui erit pro tempore ipſius domus ſancti Hieronymi, in qua ſub Obſervantia prædicta vivitur, domum ſanctæ Crucis hujuſmodi, poſtquam ſic erecta, ſeu in tali ſtatu, quod in ea Conventualiter habitari poſſit, fabricata fuerit, pro perpetuis uſu & habitatione prædictis recipiendi, necnon eiſdem Fratribus in illa tunc recepta perpetuo habitandi, plenam &c. licentiam elargimur: jure tamen parochialis &c. ſalvo. Et nihilominus ſi erectionem & receptionem hujuſmodi fieri contigerit, Guardiano & Fratribus dictæ domus ſanctæ Crucis, qui erunt pro tempore, ac eidem domui, quod ipſi omnibus & ſingulis privilegiis &c. domibus Vicariatus Boſnæ, juxta morem dicti Ordinis, eorumque pro tempore Guardianis & Fratribus per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter conceſſis, uti valeant pariter & gaudere &c. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. V. Non. Julii, anno XII.

CXV.

Ut ſæcularium perſonarum corpora in Eccleſia & cœmeterio ſuis ſepeliant abſque Rectorum parochialium Eccleſiarum conſenſu. Ibid. folio 218.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus ſancti Franciſci Terræ Vicheriæ Ordinis Fratrum Minorum, Terdonen. Diœceſ.

Vide ut ſupra. SAcræ Religionis &c. Hinc eſt quod nos dilectorum filiorum nobilis viri Ludovici de Leverme Domini, ac Univerſitatis & hominum terræ de Vicheria, Terdonen. Diœceſ. aſſerentium quod ſancti Laurentii, & alii Eccleſiarum parochialium dictæ terræ Rectores impedierunt hactenus, & hodie impedire nituntur, quominus vos libere & abſque eorum, ſeu alicujus ipſorum præſentia aut licentia, fidelium in ipſa terra ejuſque diſtrictu pro tempore decedentium corpora levare, & in Eccleſia ſeu cœmeterio veſtræ domus ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum, in terra prædicta conſiſten-

ſtentis, ſepulturæ tradere ſeu tradi facere valeatis, quodque propterea plures diſſenſiones & ſcandala inibi exorta fuerunt, & de majoribus in poſterum dubitatur &c. vobis, ac futuris Guardianis & Fratribus dictæ domus, quod vos & ipſi ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus corpora omnium & ſingularum utriuſque ſexus perſonarum, in terra ſive diſtrictu hujuſmodi pro tempore decedentium, ſi id ipſi ante eorum obitus, vel poſtea ipſarum pro tempore parentes, filii, fratres, ſeu conſanguinei, vel affines proximiores duxerint eligendum, de habitationibus, in quibus pro tempore fuerint, cum geſtatione crucis veſtræ dumtaxat, & abſque conſenſu, licentia, ſeu præſentia Rectorum præſentium & futurorum ſancti Laurentii, & aliarum parochialium Eccleſiarum hujuſmodi, eorumque cruce, vel alicujus ipſorum, alias, ut moris eſt, levare & ad veſtram Eccleſiam prædictam deferre, ac in ea, ſeu in dicto cœmeterio ſepelire, ſeu levari, deferri & ſepeliri facere, libere & licite poſſitis; jure tamen ſancti Laurentii, & aliarum parochialium Eccleſiarum prædictarum, quoad ſolutionem quartæ partis omnium & ſingulorum emolumentorum, quæ ex funeralibus ſepeliendorum corporum prædictorum pro tempore provenient, ac alias in omnibus ſemper ſalvo; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus de gratia ſpeciali. Non obſtan. conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. XV. Kal. Auguſti anno XII.

CXVI.

Suſpenditur revocatio litterarum de non acquirendis locis ab Obſervantibus. Ex ipſo autographo.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, Ordinis Minorum provinciæ ſancti Antonii Miniſtro, & ipſius Ordinis Vicario generali.

TAnta eſt noſtra ad Ordinem tuum affectio &c. Cum itaque proximis diebus in litteris Apoſtolicis creationis tuæ in Vicarium generalem, per nos factæ, bono reſpectu, & ad finem pacis unioniſque inter Fratres Ordinis ſervandæ, diximus revocaſſe omnes litteras Apoſtolicas, quarum tenore prius conceſſeramus Fratribus dicti Ordinis, qui dicuntur *Devoti*, ut nova loca poſſent capere, atque etiam prædictam litterarum Apoſtolicarum revocationem fecerimus, poſtmodumque nobis conſtiterit, dictam revocationem, nedum paci & concordiæ Ordinis non profuturam, ſed maximum diſcordiæ & ſcandalorum fomitem futuram; eamdem litterarum Apoſtolicarum de novis locis, per antedictos *Fratres devotos* capiendis, revocationem, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica ſuſpendentes, &, ubi oporteat, annullantes, devotioni tuæ, in cujus modeſtia nobis nota plurimum in Domino confidimus, concedendi dictis Fratribus devotis, prout nos etiam tenore & auctoritate prædictis de novo concedimus, ut prædictis litteris Apoſtolicis ſuper capiendis novis locis perinde utantur, ac ſi nulla fuiſſet facta revocatio, plenariam concedimus facultatem.

Datum Florentiæ anno &c. MCCCCXLII. III. Kal. Auguſti, anno XII.

CXVII.

CXVII.

Conceditur eis indulgentia plenaria. Ex ipſo autographo.

Dilectis filiis omnibus & ſingulis Vicariis Provincialibus, Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis & aliis Fratribus Ordinis Minorum, Paduæ in generali Capitulo in feſto Penteceſtes proxime futuro congregandis.

§. I. ORdinem veſtrum &c. Unicuique igitur veſtrum, qui ad Capitulum ſe contulerit, unicuique etiam ex illis, qui libenter veniſſent, niſi detenti fuiſſent legitimo impedimento, ut Confeſſor, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritus, & ore confeſſus fuerit, etiamſi talia eſſent, propter quæ eſſet Sedes Apoſtolica merito conſulenda, ſemel in vita & in mortis articulo, plenariam remiſſionem ſibi in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, & regulari obſervantia, ſaltem quoad ſubſtantialia, ſine quibus ſalvari non poteſt, perſiſtenti, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, devotioni veſtræ, tenore præſentium indulgemus: ſic tamen, quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatiſfactio impendenda, eam ſibi per ſe, ſi ſupervixerit, vel per alium, ſi tunc forte tranſierit, faciendam injungat, quam ipſe, vel ille facere teneatur, ut præfertur.

§. II. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam procliviores ad illicita in poſterum committenda efficiamini, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi, aliqua forte committeretis, quoad illa, committenti prædicta remiſſio nullatenus ſuffragetur. Et inſuper quod per unum annum, a tempore quo præſens noſtra conceſſio ad veſtram pervenerit notitiam, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunetis. Quod ſi prædictis feriis ex præcepto Eccleſiæ, Regulari obſervantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneamini, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non ſitis aſtricti, jejunetis; & ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſetis legitime impediti, anno ſequenti, vel alias quamprimum poteritis, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneamini. Porro ſi forſan alias prælibatum jejunium in toto, vel in parte quandocumque adimplere commode nequiveritis, eo caſu Confeſſor idoneus, quem ad hoc elegeritis, jejunium ipſum in alia pietatis opera, prout animarum veſtrarum ſaluti expedire viderit, commutare valeat. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. VI. Non. Septemb. anno XII.

CXVIII.

Conceduntur indulgentiæ Eccleſiæ domus beati Antonii de Padua. Ex ipſo autographo.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

SPlendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementiſſima ipſius majeſtate ſperantium tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Eccleſia beati Antonii Confeſſoris de Padua, ſita in domo Fratrum Minorum dictæ civitatis, in

in qua domo generale Ordinis Fratrum eorumdem Capitulum in feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrari debet, propter quod multi Fratres dicti Ordinis de diverſis mundi partibus ibidem convenient, pro quorum congrua decentique, ipſo durante Capitulo, ſuſtentatione, caritativa hominum ſubſidia plurimum opportuna erunt, congruis honoribus frequentetur &c. de Omnipotentis Dei miſericordia &c. confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in dicto feſto & octo diebus illud immediate ſequentibus, aliiſque octo immediate, dictam Eccleſiam ſemel devote viſitaverint, & ad ſuſtentationem præfatam Fratrum in Capitulo convenientium manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus: præſentibus poſt præfatos dies minime valituris.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. IV. Nonas Septembris, anno XII.

CXIX.

Ut controverſiam inter Fratres Arſcoten. & Lovanien. domorum decidant.
Ex lib. 1. de Regularibus, anno 12. fol. 308.

Venerabili fratri Epiſcopo Leodien. & dilectis filiis Præpoſito Monaſterii ſanctæ Geltrudis, per Præpoſitum ſoliti gubernari, ac Decano Eccleſiæ ſancti Petri Lovanien. Leodien. Diœceſ.

§. I. Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Theodorici Pares Miniſtri, & Fratrum domus Lovanien. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Leodien. Diœceſ. petitio continebat, quod licet Miniſtri & Fratres, qui tunc erant, domus de Arſcot, Ordinis & Diœceſ. earumdem, attendentes, quod ipſa domus de Arſcot in Religione & Obſervantia dicti Ordinis maxime declinaret, ac in ædificiis ruinam, reditibuſque diminutionem pateretur, & ſperantes, ut aſſerebant, quod eis, ac ipſorum domui de Arſcot ſuper his per prædictum Miniſtrum & Fratres domus Lovanien. provideri poſſet, illorum, necnon ſuorum inibi ſucceſſorum regimini & adminiſtrationi ſe ſubmiſiſſent, promittentes bona fide, deſuper etiam juramento relaxationem impetrare; quibus exceptionibus ſecluſis, & ad eorum ſupplicationem prædicti Miniſter & Fratres domus Lovanien. aliquandiu regimen & adminiſtrationem hujuſmodi geſſiſſent, in ipſaque domo de Arſcot quoſdam dicti Ordinis Fratres honeſtæ vitæ, necnon regularis ejuſdem Ordinis obſervantiæ deputaſſent, ac ibidem fieri reformationes inchoaſſent: tamen poſtea dilecti filii Joannes de Lovanio, Joannes Nactruet, Rubinus de Puteo, Arnuldus de Exſelle, Dionyſius de Trajecto, Dionyſius Roncrs, & Joannes de Tielt Fratres dicti Ordinis, ex quorum aliqui certarum domorum Ordinis & Diœceſis eorumdem Miniſtri fore dicuntur, ſe, contra juſtitiam, ſubmiſſionibus & reformationibus prædictis opponentes, impediverunt & impediunt quominus ipſi Miniſter & Fratres domus Lovanien. regimen & adminiſtrationem exercere, necnon reformationes hujuſmodi facere poſſent.

§. II. Et nihilominus Joannes de Lovanio, & alii prædicti, qui vel eorum aliqui, præmiſſorum occaſione ad ipſorum Miniſtri & Fratrum domus Lovanien. inſtantiam, coram dilecto filio Officiali Leodien. in cauſam tracti fuerant, a quodam inſufficienti, confiſto eis in dicta cauſa ab ipſo Officiali, ut minus veraciter prætendebant, illato gravamine, ad Sedem Apoſtoli-

cam

eam appellarunt. Noſque cauſam appellationis hujuſmodi & negotii principalis dilecto filio M. Simoni de Valle Capellano noſtro,& cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori, ad inſtantiam Joannis de Lovanio, aliorumque prædictorum, audiendam commiſimus, & fine debito terminandam. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de meritis ipſius cauſæ facilius, & minoribus eorumdem Fratrum, quorum plures facultatibus non abundant, expenſis in partibus illis, quam in Romana Curia liquere poſſit; pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi cauſam advocare, necnon aliquibus in partibus illis committere &c. dignaremur.

§. III. Nos itaque &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum vocatis Joanne de Lovanio & aliis prædictis, & aliis qui fuerint evocandi, cauſam prædictam &c. decidatis, facientes quod decreveritis per cenſuram &c. obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe &c. ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtan. &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. VII. Kal. Octobris, anno XII.

CXX.

Ut Sorores Tertii Ordinis domus ſancti Hieronymi Florentin. congregationem faciant, & generalem Miniſtram eligant. Ibidem, fol. 314.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Paſtoralis officii debitum, cui, diſponente Domino, præſidemus, expoſcit ut circa ſtatum ſalubrem perſonarum Eccleſiaſticarum, præſertim Religioſarum, intendamus, & talia eis concedamus, per quæ commodius & decentius Deo valeant famulari. Dudum ſiquidem ſub data IV. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno IV. dilectis in Chriſto filiabus Cizæ, Claræ, Eliſabeth, Magdalenæ, Mariæ, Joannæ, Nicolaæ, Gerardæ & Birgittæ, ceteriſque Sororibus domus ſancti Hieronymi Florentin. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de continentia* ſive *de Pœnitentia* nuncupati, ut non obſtante conſtitutione felicis recordationis Joannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri incipiente *Sancta Romana Eccleſia*, in extravagantibus contenta, congregationem facere & Miniſtram eligere, ipſaque Miniſtra mulieres de ſeculo fugientes in dictam domum &c. ad profeſſionem recipere,& alia facere poſſent, per alias noſtras litteras conceſſimus &c. Et, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum Sororum petitio continebat, in litteris hujuſmodi conceſſionis quædam ipſis & dictæ domui neceſſaria, ut quietius & devotius famulari Domino poſſent, minime per nos conceſſa extiterint. Quare pro parte earumdem Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. eiſdem Sororibus præſentibus & futuris de cetero perpetuis futuris temporibus in Aretin. & Cortonien. civitatibus, & in Prato, Piſtorien. Diœceſ. congregationem faciendi, & Miniſtram generalem, quæ Sororibus in Aretin. & Cortonien. civitatibus & Prato prædictis nunc & pro tempore conſtitutis præſit, ac unam generalem Miniſtram, quæ omnibus Sororibus in dictis civitatibus & Prato conſtitutis ſingulis trienniis, quæ cum Viſitatoris conſilio pro tempore exiſtentis loca hujuſmodi Sororum reformare, particulareſque Miniſtras locorum eorumdem male ſe gerentes deponere, ipſaque generalis Miniſtra eo ipſo quod electa canonice fuit,confirmata cenſeatur, eligendi; necnon eidem generali Miniſtræ in ejus abſentia vices alteri vel aliis ex Sororibus hujuſmodi locorum, prout ſibi videbi-

bitur, committendi, ac mulieres loca ipſa intrare, ac profiteri Ordinem volentes recipiendi &c. locorum quoque hujuſmodi Sororibus loca eis magis commoda emendi, necnon in illa, quoties opportunum fuerit, permutandi; necnon chordam loco corrigiæ per eas gerendi; ipſiſque & earum cuilibet Presbyterum ſecularem vel Regularem cujuſvis Ordinis in Confeſſorem &c. ſimiliter eligendi, ac eidem Confeſſori quæcumque vota, præterquam Caſtitatis & Religionis, per ipſas Sorores vel aliquam dictorum locorum hactenus emiſſa vel in poſterum emittenda, in alia pietatis opera commutandi; necnon Sororibus ipſis & cuilibet earum Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, Clementina incipiente: *Religioſi, de privilegiis* non obſtante, ac jure &c. ſalvo, miniſtrandi; necnon eiſdem Miniſtris & Sororibus locorum hujuſmodi omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & in poſterum concedendis in perpetuum utendi & gaudendi, extravaganti prædicta &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. pridie Nonas Octobris, anno XII.

CXXI.

Sororibus Tertii Ordinis diverſarum domorum varia conceduntur privilegia. Ex lib. I. de Regularibus, & litteris Cardinalium, anno 12. fol. 76.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Paſtoralis officii debitum &c. Dudum ſiquidem ſub data Florentiæ XVIII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno IX. dilectis in Chriſto filiabus, univerſis Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, Collegii Peruſin. .... ut ſub cura generalis Miniſtræ per eaſdem Sorores pro tempore eligendæ vivere, illique obedire haberent; mulieres quoque de ſeculo fugientes &c. ad prædictam Miniſtram ire, & ab ea, & non ab alia vel alio hujuſmodi Tertii Ordinis habitum recipere, & nonnulla alia, quæ in ſtatutis & ordinationibus per bonæ memoriæ Franciſcum tituli ſanctæ Suſannæ Presbyterum Cardinalem factis, & Bonifacium IX. in ſua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupatum, confirmatis, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Et, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Magdalenæ Miniſtræ generalis Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Continentia* ſeu de Pœnitentia nuncupatarum, ac Vallis-Fabricæ, ac ſanctæ Agnetis, necnon ſanctæ Urſulæ domorum, Peruſin. ac Florentin. Diœceſ. & aliquorum aliorum locorum, necnon univerſarum Sororum ſub cura & regimine dictæ Miniſtræ degentium, petitio continebat, in litteris Apoſtolicis, ſeu conceſſione hujuſmodi, quædam Miniſtræ & Sororibus ipſis neceſſaria, ut quietius & devotius Domino famulari poſſent, minime per nos conceſſa extiterunt; quare pro parte earumdem Miniſtræ & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. *Vide ut ſupra.*

§. II. Nos igitur &c. eiſdem Miniſtræ & Sororibus præſentibus & futuris de cetero perpetuis futuris temporibus, ſingulis trienniis unam generalem Miniſtram, quæ cum Viſitatoris pro tempore exiſtentis conſilio domus, loca, ac Sorores hujuſmodi viſitare ac reformare, particulareſque locorum ſeu domorum Sorores delinquentes pro exceſſibus, criminibus & delictis per eas & earum quamlibet commiſſis punire valeat; quam generalem Miniſtram eo ipſo, quo electa canonice fuerit, auctoritate Apoſtoli-

ea confirmatam fore decernimus atque cenſemus; necnon pro quolibet ex locis hujuſmodi per Sorores inibi degentes, ac majorem partem earumdem, ſeu Capituli, juxta dicti Tertii Ordinis ſeu Regulæ formam, Viſitatorem, qui Miniſtras & Sorores particularium locorum hujuſmodi de voluntate & conſenſu Miniſtræ loci, cujus fuerit Viſitator, delinquentes Miniſtras & Sorores viſitare, corrigere &c. poſſit, eligendi; necnon eidem generali Miniſtræ in ſua abſentia vices ſuas alteri vel aliis ex Sororibus hujuſmodi locorum, prout ſibi videbitur, in præmiſſis committendi; ipſiſque generali & particularibus Miniſtris, & earum cuilibet mulieres de ſeculo fugientes, & loca hujuſmodi intrare, ac Ordinem prædictum profiteri volentes recipiendi &c. necnon chordam loco corrigiæ per eaſdem gerendi; ipſiſque & earum cuilibet idoneum Presbyterum Secularem vel Regularem cujuſvis Ordinis in Confeſſorem &c. eligendi; ac eidem Confeſſori quæcumque vota, præterquam Caſtitatis & Religionis, per ipſas Sorores vel aliquam earumdem ex locis hujuſmodi hactenus emiſſa vel in poſterum emittenda, in alia pietatis opera, de quibus ſibi videbitur, commutandi; necnon ipſis & cuilibet ipſarum Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta toties, quoties opus fuerit, Clementina incipiente: *Religioſi, de privilegiis* non obſtant. jureque parochialis &c. ſalvo, miniſtrandi, ac eiſdem Miniſtris & Sororibus cœmeteria &c. Eccleſiaſque cum campanili &c. erigendi, faciendi &c. necnon in congregatione & conventualiter, conſtitutione felicis recordationis Joannis Papæ XXII. incipiente: *Sancta Romana Eccleſia*, in extravagantibus contenta, etiam non obſtant. vivendi; necnon Miniſtris & Sororibus locorum hujuſmodi omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & in poſterum concedendis in perpetuum utendi &c. contrariis non obſtant. quibuſcumque, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus poteſtatem. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. VIII. Kalendas Novembris, anno XII.

CXXII.

Ut in quibuſdam domibus ſibi relictis Monaſterium erigant. Ibid. fol. 155.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia *nuncupati, in civitate Parmen. commorantibus.*

§. I. EXpoſcit veſtræ devotionis ſinceritas, & ſacræ Religionis, ſub qua Altiſſimo jugiter placere ſtudetis, promeretur honeſtas, ut votis veſtris favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, olim Gaſpar de Caſtagneto civis Parmen. cupiens terrena &c. commutare, & condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia quamdam domum, hoſpitium *della Campagna* nuncupatam, & alias, in quibus ipſe Gaſpar, dum viveret, habitare conſueverat, ac omnes & ſingulas domos infra limites parochiæ parochialis Eccleſiæ ſancti Proſperi Parmen. conſiſtentes, & ad eumdem Gaſparem legitime pertinentes, cum hortis, curiis, ac omnibus aliis juribus & pertinentiis ſuis, vobis & Sororibus veſtri Ordinis in prædicta civitate commorantibus, & ſub ipſius Ordinis regulari obſervantia viventibus, præſentibus & futuris, pro veſtris ipſarumque Sororum uſu &c. legaverit, prout in inſtrumento publico ſuperinde confecto plenius dicitur contineri. Et vos, quæ legati hujuſmodi vigore prædictarum domorum poſſeſſionem fuiſtis aſſecutæ, inſimul ſub regula ejuſdem Ordinis, juxta modum & formam, ac inſtitutiones & ordina-

nationes dilectarum in Chriſto filiarum Sororum dicti Ordinis, Dominarum *de Fulgineo* nuncupatarum, in noſtra Fulginat. & Florentin. civitatibus inſimul viventium, Altiſſimo famulari ferventius deſideretis: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in domibus prædictis unam domum, ſub vocabulo *ſanctæ Mariæ Gratiarum*, cum etiam campana, & pro veſtrarum cadaveribus dumtaxat ſepeliendis cœmeterio, hortis &c. officinis pro veſtris uſu & habitatione perpetuis fundandi &c. licentiam elargiri &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. vobis domum ipſam cum Eccleſia &c. prædictis in prædictis vobis relictis & legatis domibus, Diœceſani &c. minime requiſita, fundandi &c. licentiam &c. elargimur. Volumus autem, quod vos, & in fundanda & conſtruenda domo hujuſmodi pro tempore commorantes Sorores prædictæ, juxta modum, formam, inſtitutiones & ordinationes antedictas in illa vivere perpetuo teneamini, quodque omnibus & ſingulis immunitatibus &c. Sororibus *de Fulgineo* nuncupatis quomodolibet conceſſis prædictis, in omnibus & per omnia, ac ſi illa etiam vobis conceſſa forent, uti poſſitis &c. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. Idibus Decembris, anno XII.

CXXIII.

Ut adjuvet fratrem Jacobum de Primaditiis in reformandis domibus Caphen. & Conſtantinopolitan. Ex Originali.

Dilecto filio fratri Alberto de Sartiano, noſtro in partibus Orientalibus Nuncio.

Novit tua devotio, multum nobis eſſe cordi conſervationem Monaſteriorum Ordinis tui in Capha & Conſtantinopoli exiſtentium in obſervantia Regulari; quare ſimul cum dilecto filio fratre Jacobo de Primaditiis, qui ipſorum locorum conditiones novit, modum adhibeas, ut ea fiant, quæ dictorum locorum & familiarum in eis degentium bonæ diſpoſitioni intelligitis fore neceſſaria.

Datum Florentiæ ſub Annulo noſtro ſecreto, die III. Januarii, anno &c. MCCCCXLII. Pontificatus noſtri anno XII.

CXXIV.

Ut conſtruat Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ pro quibuſdam Matronis & mulieribus. Ex lib. I. de Regularib. & litteris, anno 12. fol. 173.

Dilecto filio Ægidio de Tavira Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

Votis fidelium &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu pro uſu & habitatione nonnullarum matronarum, & aliarum devotarum & honeſtarum mulierum in loco *de Tavira*, Silven. Diœceſ. commorantium, & in aliquo Monaſterio ſive loco Ordinis ſanctæ Claræ virtutum Domino famulari deſiderantium, de matronarum & mulierum earumdem, aliorumque Chriſtifidelium bonis ad hoc jam forſan porrectis & porrigendis eleemoſynis, aliquam in honorem & ſub vocabulo ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, domum erigi &c. affectas &c. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi, qui, ut aſſeris, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Portugalliæ & Algarbii Regis Illuſtris Confeſſor exiſtis, domum hujuſmodi pro eiſdem uſu & habitatione cum

V. de Conſtit. 91. hujus Pontif.

Eccleſia, campanili &c. officinis &c. conſtruendi &c. necnon Matronis &c. acceptandi, licentiam concedere &c. dignaremur. Nos igitur &c. tibi domum prædictam cum Eccleſia, campanili, campana &c. pro uſu & habitatione prædictis, in loco præmiſſo fundandi &c. necnon Matronis & mulieribus prædictis domum eamdem pro dictis uſu & habitatione, quodque conventualiter Domino famulentur ibidem, recipiendi &c. licentiam elargimur. Et inſuper univerſis & ſingulis Sororibus, quas in prædicta domo pro tempore degere & morari contigerit, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere valeant, eadem auctoritate indulgemus per præſentes. Non obſtan. &c. quibuſcumque: jure &c. ſalvo. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. XVII. Kalendas Februarii, anno XII.

CXXV.

Quædam privilegia & ſtatuta Tertiariorum in Regnis Caſtellæ & Legionis commorantium. Anton. de Sillis in Bullario 3. Ord. pag. 30.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vide Conſtit. 31. hujus Pontif.

§. I. INjunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium &c. Hinc eſt, quod nos dilectorum filiorum univerſorum Fratrum domorum & locorum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, infra Legionis & Caſtellæ regna conſiſtentium, inter cetera aſſerentium, quod ipſi domos & loca prædicta communia habere, ac in illis communiter, & alias laudabiliter vivere, ac nonnulla ſalubria & utilia, ſtatum, directionem, conſervationem & augmentum domorum & Ordinis prædictorum concernentia, ſtatuta & ordinationes in generali eorum Capitulo per ipſos ultimo celebrato feciſſe & addidiſſe, quodque etiam inter eos plures Clerici & Sacerdotes etiam docti & experti fore noſcuntur, in hac parte ſupplicationibus inclinati, tam præſentibus, quam futuris præfati Ordinis Fratribus, in prædictis & aliis infra regna prædicta pro tempore conſiſtentibus dicti Ordinis domibus atque locis pro tempore degentibus, quod eorum generale Capitulum prima vice, & ſucceſſive perpetuis futuris temporibus, quoties illud celebrare contingeret, unum ex ipſis, in ſacerdotio tamen conſtitutum, in eorum, ac præſentium & futurorum præfati Ordinis domorum & locorum prædictorum Viſitatorem, juxta modum & formam ab hujuſmodi Capitulo deſuper ſtatuta ſeu ſtatuenda, eligere & deputare; quodque ipſe Viſitator ſic pro tempore electus & deputatus, Superior eorum eſſe &c. ac bonis ipſorum præeſſe, & eorum curam gerere & exercere; necnon de conſilio quorumdam ipſius Ordinis Fratrum, ad id per hujuſmodi Capitulum pro tempore deputandorum, omnes & ſingulos &c. delinquentes aut inobedientes &c. punire, corrigere & incarcerare, necnon ſuis pro tempore officiis privare &c. etiam per cenſuram &c. brachii ſecularis; ac etiam per ſeipſum dumtaxat Capitulum generale hujuſmodi congregare, illique præeſſe, ac idoneos ex dictis Fratribus ad officia domorum & locorum prædictorum, quoties illa ceſſare ſeu expirare contigerit, deputare &c. necnon &c. Ordinis hujuſmodi Fratres ac Sorores ab omnibus & ſingulis excommunicationum &c. pœnis &c. in foro conſcientiæ dumtaxat abſolutionem impendere, ac cum Clericis & Presbyteris ex prædictis ſuper irregularitate &c. diſpenſare; necnon etiam per ſe vel alios idoneos ex Fratribus in ſacerdotio conſtitutis prædictis omnium & ſingulornm Fratrum & So-

Sororum &c. ac illorum & illarum ſervitorum pro tempore confeſſiones audire &c. abſolutionem impendere & pœnitentiam ſalutarem injungere, & eorum cuilibet Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare libere & licite poſſit &c. concedimus poteſtatem.

§. II. Et inſuper, quod officium Viſitatoris pro tempore electi hujuſmodi ultra triennium, a die ſuæ electionis computandum, non perduret: & quod ipſe electus elapſo dicto triennio eidem officio in Capitulo prædicto libere cedere, ac quod etiam omnes & ſinguli Fratres & Sorores Ordinis hujuſmodi præſentes dicto pro tempore Viſitatori, tamquam eorum Superiori, in omnibus juxta ſtatuta edita & edenda prædicta, plenarie obedire, teneantur; quodque omnia eorum, & cujuslibet ipſorum bona in domibus, in quibus profeſſionem expreſſam pro tempore fecerint (illis bonis, de quibus infra tres menſes, a die ingreſſus eorum in Ordine prædicto computandos, teſtati fuerint, dumtaxat exceptis) matris tamen, uxoris & filiorum eorumdem pro tempore, in dicto Ordine poſt obitum parentum ſuorum hujuſmodi remanere volentium, in omnibus ſemper ſalvo jure, communia exiſtant, & ad domos & loca hujuſmodi libere pertineant &c. & quod etiam nullus ex Fratribus præfatis poſt profeſſionem, per eum emiſſam, matrimonium contrahere, ac alias extra domos & loca prædicta officium, ſeu alias aliquod beneficium Eccleſiaſticum obtinere, ac abſque licentia ſpeciali dicti pro tempore Viſitatoris, ſibi ex neceſſitate, ac ad tempus dumtaxat, & non alias concedenda, extra domos ſeu loca hujuſmodi moram trahere vel reſidere, & alicui Eccleſiæ, ſeu beneficio Eccleſiaſtico pro pretio, ſeu alias ſervire poſſit & debeat: quodque cum licentia extra domos commorantes, ſeu ſervientes hujuſmodi pro tempore, id totum, quod interim licite acquiſiverint, & eis tunc ſuperfuerit, domibus, in quibus profeſſionem fecerint, integre dare & aſſignare teneantur &c. ſtatuimus, decernimus atque concedimus. Volumus autem, quod Fratres prædicti ſub Ordinariorum locorum obedientia, in quantum ſub illa ipſi præſentes Fratres eſſe conſueverint (alioquin ab illa liberi) ut prius remaneant & remanere debeant. Non obſtan. quod Viſitator Fratrum & domorum prædictorum alterius Ordinis eſſe conſueverit, ac conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, ſtatuti, conſtitutionis & voluntatis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. VIII. Idus Februarii, anno XII.

CXXVI.

Confirmatur receptio Eremitorii ſancti Petri de Beurbex prope villam de Cale. Ex lib 1. de Regularibus, & litteris, anno 12. fol. 24.

Dilecto filio Joanni de Lucio Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

§. I. Religionis zelus, vitæ ac morum honeſtas, prudentia, & alia multiplicia probitatis ac virtutum tuarum merita, quibus perſonam tuam fide dignis fore percepimus inſignitam teſtimoniis, promerentur, ut te condignis favoribus & gratiis honoremus. Dudum ſiquidem pro parte tua felicis recordationis Martino Papæ V. prædeceſſori noſtro expoſito, quod tu & nonnulli alii Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, ex certis tunc expreſſis cauſis, deſiderabatis in quodam Eremitorio in certo loco deſerto prope villam *de Cale* ſancti Petri *de Beurbex*, Iſpalen. Diœceſ. conſiſtente, in quo nonnulli Eremitæ habitare conſueverant, ſeu in aliquo alio Eremitorio vel

vel loco, per vos de novo recipiendo, aliquam domum pro veſtris uſu & habitatione perpetuis recipere. Nos tunc certo Judici per alias noſtras litteras inter alia commiſimus & mandavimus, ut vobis Eremitorium ſancti Petri prædictum, ſeu quemcumque alium locum ad hoc idoneum recipiendi, & in illo de conſenſu, quorum intererat, domum pro uſu & habitatione præmiſſis conſtruendi &c. licentiam concederet, prout in ipſis litteris, in quibus te Ordinem hujuſmodi profeſſum fuiſſe expreſſum extitit, plenius continetur.

§. II. Cum autem &c. tempore Datæ litterarum ipſarum dictum Ordinem nondum profeſſus fueris, licet nunc ſis, nos ne prædictæ, ad quarum executionem, ut aſſeris, proceſſum eſt, litteræ de ſurreptione notentur, providere, teque præmiſſorum meritorum tuorum intuitu favore gratioſo proſequi volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus & dicta tibi auctoritate concedimus, quod litteræ prædictæ, ac proceſſus habiti per eaſdem, ab earum Data, ac quæcumque inde ſecuta, valeant, & plenam roboris firmitatem obtineant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi tempore præmiſſo eumdem Ordinem expreſſe profeſſus fuiſſes. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere &c.

Datum Florentiæ, anno &c. MCCCCXLII. XVI. Kal. Martii, anno XII.

Anno Christi 1443. Eugenii IV. anno 13.

CXXVII.

Subjiciuntur viſitationi Obſervantum. Reg. Vat. Ex lib. 2. de Regularibus, anno 13. fol. 7.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia *nuncupati*, *in de Vilbao*, *Uribe*, *&* *Bermeo*, *Durango*, *ac Caſtro de Urdiales*, *Burgen. & Calaguritan. Diœceſ. dominiis commorantibus*.

Ut in Conſt. 7. hujus Pontif.

§. I. SEdis Apoſtolicæ gratioſa benignitas &c. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, licet vos in de Vilbao, Uribe & Bermeo, Durango, ac Caſtro de Urdiales, Burgen. & Calaguritan. Diœceſ. oratoriis, in quibus degere noſcimini, vota veſtra &c. perſolvere intendatis; nonnulli tamen ex Superioribus veſtris, Ordinis Fratrum Minorum, vos extra dictorum oratoriorum ſepta ultra tres vel quatuor dietas ad ſe perſonaliter viſitationis cauſa venire plerumque conſtringunt. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, perſonalis acceſſus ad Superiores hujuſmodi, propter viarum diſcrimina &c. pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. ut extra oratoria prædicta ad dictos Superiores viſitationis cauſa hujuſmodi perſonaliter, ut præmittitur, accedere nullatenus teneamini, nec ad id per eoſdem Superiores, vel quoſvis alios invitæ compelli poſſitis, quodque dilecti filii ſanctæ Mariæ de Uziaro, & ſancti Sebaſtiani de Baretta eorumdem Ordinis & Diœceſ. domorum Vicarii, ſub Obſervantia regulari ipſius Ordinis viventes, dum & quoties tempus viſitationis hujuſmodi ingruerit, & ipſi Superiores ad dicta oratoria pro præmiſſa cauſa non venerint, vel alios idoneos ad hoc miſerint, ad prædicta oratoria accedere; necnon vos & illa, ac ſingulares ipſorum oratoriorum perſonas tam in capite, quam in membris viſitare, omniaque & ſingula, quæ inibi refor-

ma-

mationis & correctionis miniſterio indigere repererint, prout eis juxta canonicas ſanctiones & regularia inſtituta, ac pro felici eorumdem oratoriorum & perſonarum directione videbitur, reformare &c. ac exequi poſſint & debeant, necnon etiam vobis & cuilibet veſtrum aliiſque, ſine juris alieni præjudicio, quæcumque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, libere liciteque valeant, vobis & ipſis licentiam auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Non obſtan. conſtitutionibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. VI. Nonas Maii, anno XIII.

CXXVIII.

Committit eis executionem cujuſdam compoſitionis initæ inter Minoritas Conventus de Bermeo, & Clerum Calaguritanum. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 13. fol. 289.

Dilectis filiis Joanni de Kems Canonico Calaguritan. & Calaguritan. ac Burgen. Officialibus.

§. I. APoſtolicæ ſervitutis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus ſancti Franciſci loci de Bermeo, Calaguritan. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim inter ipſos ex una, ac dilectos filios Archipresbyterum, & Clericos parochialium prædicti loci Eccleſiarum ex altera partibus, ſuper demolitione dictæ domus, & juribus prædictas Eccleſias contingentibus, ac rebus aliis tunc expreſſis, materia quæſtionis exorta fuiſſet, ut illis quantocius finis imponeretur, talis ſuper iis compoſitio intervenit: quod Archipresbyter, & Clerici prædicti penſionem annuam novem millium Marabitinorum, quam, ut ipſa domus juxta tenorem & effectum ſententiarum, quas ipſi Archipresbyter & Clerici deſuper obtinuerant, ac quibus illi ſpecialiter & expreſſe renunciabant, non demoliretur, ſed de eorum conſenſu perpetuo remaneret, illis claræ memoriæ Henricus in puram eleemoſynam dederat, & cariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Caſtellæ & Legionis Reges, confirmaverat eiſdem, ſingulis annis perciperent; & quod ratione quartæ canonicæ, in qua Fratres in ipſa domo degentes pro tempore Archipresbytero & Clericis prædictis tenebuntur, penſio annua duorum millium Marabitinorum, quam idem Henricus Rex prædictis Fratribus annuatim ſolvi voluit, in ipſos Archipresbyterum & Clericos in perpetuum transferretur; & ſi Eccleſiam de Alboniga, prædictæ Diœceſ. per Archipresbyterum & Clericos, ac Fratres prædictos communibus, quas hinc inde facere tenerentur, expenſis, a Rege Caſtellæ & Legionis pro tempore exiſtente impetrare poſſent, quod illam æqualibus portionibus tenere valerent, quamprimum Archipresbyter & Clerici prædicti illius medietatis poſſeſſionem haberent, ad domum & Fratres prædictos; & ſi auferretur ex aliqua cauſa per Regem pro tempore exiſtentem, prædictum ab ipſis Archipresbytero & Clericis Eccleſia de Alboniga, ad eoſdem Archipresbyterum & Clericos penſio duorum millium Marabitinorum libere reverteretur, etſi ipſa penſio duorum millium Marabitinorum ex tunc illis prædicti Fratres, de quarta canonica, ſecundum Juris definitionem, reſpondere tenerentur: quodque ſinguli morientes in dicto loco, vel infra ejus limites, ſi incolæ eſſent, & aſſignatam ſepulturam haberent in illa; ſi vero talem ſepulturam non haberent, & aliqui parentum illorum viveret, ubi parens vivus vellet; ſi vero ambobus parentibus defunctis, unus in

Ut in Conſtit. 9. hujus Pontif.

Compoſitionis conditiones.

Corporum tumulandorũ præſcriptio.

in domus, & alter in aliqua parochialium Eccleſiarum prædictarum ſepulti eſſent, in ea Eccleſia, in qua parens ultimo moriens exiſteret, ſepeliretur; ſi vero foranei eſſent, & ſepulturam non eligerent, in una ex parochialibus Eccleſiis, ſi vero ſepulturæ hujuſmodi electionem in arbitrio ſuorum hoſpitum ponerent, & hoſpites ipſi in provincia trium locorum Eccleſiarum, & duorum Fratrum domus prædictarum eis electionem ſepulturæ hujuſmodi commiſiſſe juraverint, ubi hoſpites prædicti eligerent, ſepelirentur; & ſi aliqui incolæ prædicti loci extra illum inteſtati decederent, nulla de oblationibus per illos faciendis diſpoſitione facta, ubi parentes eorumdem defunctorum, vel ipſorum major pars vellet, illius exequiæ ſive anniverſalia fierent, & ſuper hoc non licet Archipresbytero & Clericis, vel Fratribus prædictis per ſe vel alium aliquam apud parentes facere ſupplicationem vel inductionem: & quod mulieres noviter nuptæ pro tempore, dummodo hoc pro benedictione nubentium non fieret, poſſent poſt conſummatum matrimonium, prout earum viri vellent, unam ex parochialibus,ſive domo hujuſmodi Eccleſiam, ut moris fuit, ac deberent ſemper poſt partum unam ex eiſdem parochialibus Eccleſiis intrare; ac quod Clerici prædicti, poſtquam earum Majordomus ſive Cuſtos per ipſius domus ſancti Franciſci Fratres deſuper requiſitus eſſet, ad defunctorum apud eorum domum ſepelienda corpora, Crucem cum Miniſtro mittere tenebuntur; & Clerici, ſi per ipſorum defunctorum parentes rogati venient, eleemoſynam, ſi quæ eis ab ipſis parentibus fiet, abſque impedimento eorumdem Fratrum percipient: omnes quoque utriuſque ſexus fideles ad audiendum Dominicis, ſolemnibus, & aliis feſtivis diebus Miſſas & ſermones in Eccleſia domus ſancti Franciſci prædicta devotionem habentes, illos ibidem audire poſſent abſque ipſorum Clericorum impedimento, juxta tenorem privilegii felicis recordationis Alexandri Papæ IV. quod prædicti Clerici volebant obſervari; & ſi aliqua partium prædictarum contra compoſitionem hujuſmodi veniret, ſi Clerici per ſuum Capitulum, & ſi Fratres eſſent per ſuum Guardianum debitis pœnis punirentur, donec pars læſa contenta eſſet: & ſi Fratres, ut in ſuæ domus, vel Clerici prædicti, ut in eorum Eccleſia cujuſvis defuncti corpus ſepeliatur, ſive pro eo oblationes fiant, contra effectum præmiſſorum inducerent, inducentes corpus talis defuncti, cum oblationibus & obventionibus exinde proventuris,domui S.Franciſci,ſive Eccleſiæ,ad quam ſecundum compoſitionem hujuſmodi pertinuerit, reſtituere teneantur, ac ultra præmiſſa excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant: Fratres etiam prædicti ſolum Rogationum diebus cum Crucibus parochialium Eccleſiarum, & nullatenus in adductionibus corporum apud domum ſuam ſepeliendorum in loco prædicto vel ejus ſuburbiis Crucem portare poſſent; licebit tamen eis in adductionibus corporum extra dictum locum defunctorum, & apud domum prædictam eorum ſepeliendorum uſque ad illius loci ſuburbia dumtaxat & non ultra, ſi ibidem Crux parochialis Eccleſiæ fuerit, portare; ac tam Clerici, quam Fratres prædicti interdictum per ſuos Prælatos pro tempore poſitum in omni caſu Juris ſervare teneantur; excommunicatos quoque pro offenſis ipſis vel alicui eorum irrogatis, aut alias donec ab.... certificati fuerint, evitare; & ſingulos de eis abſentes, ac in Eccleſiis & domo prædictis in antea recipiendos de compoſitione hujuſmodi firmiter obſervando, & non veniendo per ſe vel alium contra illam juramentum facere præſtare; quodque nec Clerici, nec Fratres aliquem quæſtorem eleemoſynarum admittere debeant, niſi prius per tres Clericos & totidem Fratres, ac quatuor vel quinque de incolis hujuſmodi, de vita, moribus & Ordinarii loci licentia fuerit examinatus; ſupradictam etiam compoſitionem tam

Mulieres nuptæ pro benedictione ubi debeant accedere.

Poſſunt Fideles in Eccleſiis Minorum conciones audire.

Quando FF. poſſint portare Crucem.

Quæſtores examinandi, & ab Ordinario approbandi.

tam Clerici, quam Fratres prædicti pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ſub pœna unius talenti argenti, quam contrafacientes toties quoties incurrent, obſervare promiſerant & jurarant; ac voluerunt, quod ſi Clerici, Fratres, ſi autem Fratres delinquerent, Clerici prædicti delinquentes juxta exigentiam delicti punirent, juriſdictionem alterius quo ad hoc prærogando, ac pro perjuris & infamibus haberentur; & ſi aliqui ex eis poſt aliorum delictum vellent executionem, illum, prout eis placeret, qui dictam pœnam, quoties commiſſa fuerit, exiget, eligere poſſent; & ſi electus pro tempore executor alteri parti ſuſpectus exiſteret, ei alius adjungeretur, & quidquid per talem electum executorem pro tempore determinatum fuerit contra delinquentes, perinde habeatur, ac ſi ſententia nulla provocatione ſuſpenſa, a qua etiam appellare non liceat, lata exiſteret; necnon renunciationes fecerunt, conſenſerunt & voluerunt, ac prædictam compoſitionem auctoritate Ordinaria confirmari obtinuerunt; prout in litteris authenticis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte ipſorum Guardiani & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§.II. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi & poſtquam vobis de prædicta compoſitione legitime conſtiterit, illam, necnon omnia & ſingula in prædictis litteris contenta illam concernentia, & inde ſecuta, auctoritate noſtra approbetis &c. Et nihilominus, ſi approbationem & confirmationem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, compoſitionem eamdem a prædictis partibus firmiter faciatis obſervari, non permittentes aliquam partium prædictarum, contra illius continentiam & tenorem, quovis modo moleſtari, & inſuper legitimis ſuper his per vos habendis ſervatis proceſſibus eos, quoties opus fuerit, aggravare curetis, contradictores per cenſuram &c. compeſcendo, invocato &c. ſecularis auxilio. Non obſtant. piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque &c. Commiſſio datur compoſitionem confirmandi.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. IV. Nonas Maii, anno XIII.

CXXIX.

Adminiſtratio ſive exercitium officiorum Ordinis limitatur. Ex ipſo autographo.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Diſpoſitione Divina &c. Dudum ſiquidem quondam Innocentius VII. in ſua obedientia nuncupatus, quaſdam ſuas conceſſit litteras tenoris ſubſequentis: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex in eminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula conſtitutus &c. Cum itaque nuper fide digna relatione novemus, in Ordine Minorum beati Franciſci, qui in agro plantatus Dominico fructus produxit & producit uberrimos in Eccleſia militanti, per quos Fides Catholica pallulat, & ſonus eorum in omnem terram dulciter intonat, nonnullos ambitione officiorum & adminiſtrationum in eodem Ordine continuo gerendorum, ac cæcitate ſeductos, ut in illis poſſint perpetuare ac continuare diutius, in eorum ſalutis interitum, diſſenſiones & ſcandala ſuſcitare; &, quod deterius eſt, ſecularium Principum & Magnatum excitare potentias, quibus ſuffulti nequeant per eorum Superiores ab adminiſtrationibus eorumdem ſuſpendi, vel quomodolibet amoveri. Nos attendentes, quanti poſſit eſſe diſcriminis talibus ſtudiis inhærere, & cupientes ambitionibus pernicioſis, ac ſtudiis hujuſmodi ſcandaloſis finem imponere, ad hoc ut contem-*

plationi deditos nihil impediat &c. decernimus ac ſtatuimus, quod omnes & ſinguli Miniſtri Provinciarum quarumlibet, ſecundum inſtituta dicti Ordinis, qui hactenus officium Miniſteriatus alicujus provinciæ in dicto Ordine, ſeu infra ipſum ultra decennium a die electionis eorum computandum, quomodolibet exercuerint & nunc exercent, ſint & eſſe intelligantur ex nunc ab officio & adminiſtratione hujuſmodi Miniſteriatus protinus abſoluti, eoſque & eorum quemlibet nihilominus abſolvimus per præſentes: & quod de cetero nullus Miniſter alicujus provinciæ, qui pro tempore fuerit in prædicto Ordine, poſſit vel debeat ultra terminum ſex annorum, a die electionis de eo factæ, per ſe vel alium in dicto officio permanere, nec officium ipſum abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, plenam & expreſſam faciente, ac de verbo ad verbum . . . mentionem, quomodolibet exercere: & quia ſimilis ambitio ſtimulat, ſicut accepimus, nonnullas etiam Abbatiſſas Monaſteriorum Ordinum Minoriſſarum, ſanctæ Claræ ſeu ſancti Damiani Monialium, Ordinis Minorum præfati ſancti Franciſci, & ipſius gubernationi commiſſarum, ſcientia & auctoritate, & ex cauſis ſupradictis etiam ſtatuimus ac decernimus, quod nullæ Abbatiſſæ Monaſteriorum Minoriſſarum ſanctæ Claræ vel ſancti Damiani, Ordinum prædictorum vel alicujus eorum, tam præſentes, quam quæ pro tempore fuerint, poſſint vel debeant per ſe, vel alias ultra tempus decem annorum, a die electionis earum computandorum, in officio Abbatiſſatus earum vel alicujus earum quomodolibet remanere, vel ipſum exercere: conſtitutionibus Apoſtolicis, gratiis & confirmationibus factis, necnon ſtatutis vel conſuetudinibus Ordinum prædictorum, & aliis contrariis non obſtant. quibuſcumque; irritum & inane cenſentes ex nunc, ſi ſecus &c. attentari. Nulli ergo &c. noſtri decreti, ſtatuti & conſtitutionis infringere &c. Datum Viterbii x. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno 11.

§. II. Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli dicti Ordinis Fratres, contra litterarum præinſertarum hujuſmodi tenorem, officia, gubernationes & adminiſtrationes ipſius Ordinis exercuerint, ſeu forſan quomodolibet præpediti aliis minus idoneis exercenda commiſerint, ex quo plurimæ ejuſdem Ordinis domus & loca vitæ deformationis opprobrio ſubjaceant evidenter, in animarum ſuarum periculum, Religionis dedecus, & ſcandalum ac perniciosum multorum exemplum. Nos itaque ſuper his opportune providere &c. cupientes &c. motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc factæ petitionis inſtantiam, litteras prædictas harum ſerie approbantes, illas juxta earum continentiam atque formam plena roboris firmitate ſubſiſtere & ſubnixa fore, ac per omnes & ſingulos Fratres & alias perſonas quaslibet Ordinis hujuſmodi in dictis litteris contenta obſervari, & cum effectu adimpleri debere, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia decernimus per præſentes. Et nihilominus dilectis filiis Alberto de Sartiano Generali Vicario Ordinis Minorum hujuſmodi, & Scolario de Monte-Ilcino provinciæ Tuſciæ Miniſtro, dicti Ordinis profeſſoribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum per ſe vel alium vel alios litteras prædictas & omnia in eis contenta, quoties id expedire viderint, pro tempore faciant auctoritate Apoſtolica inviolabiliter obſervari: non permittentes contra tenorem litterarum earumdem aliquid a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet attentari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtant. &c. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, conſtitutionis & mandati infringere &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. IV. Idus Maii, anno XIII.

CXXX.

CXXX.

Conceditur ei indulgentia plenaria. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 13. fol. 108.

Dilecto filio Joanni de Baldironibus, Ordinis Fratrum Minorum professori.

§. I. Religionis zelus &c. Hinc eſt, quod nos tuis, quem pro nonnullis noſtris, & S. R. Eccleſiæ, præſertim Chriſtianæ Religionis ſtatum & exaltationem concernentibus arduis negotiis ad diverſas mundi partes tranſmittere intendimus, in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Confeſſor idoneus ſecularis, quem tu & quilibet ſociorum tuorum pro tempore exiſtentium, etiamſi ſocii hujuſmodi Ordinis Minorum profeſſores, ſeu alias Eccleſiaſticæ vel ſeculares perſonæ ſint, pro tempore duxeritis eligendum, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, vobis pro commiſſis per vos exceſſibus, criminibus & peccatis, in reſervatis ſemel tantum, in non reſervatis vero Sedi Apoſtolicæ caſibus, quoties fuerit opportunum, debitam abſolutionem impendere &c. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri &c. contrariis nequaquam obſtant. Eccleſiaſtica Sacramenta, quoties opus fuerit, miniſtrare; necnon, te & dictis ſociis in ſinceritate fidei, unitate prædictæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, plenariam remiſſionem in mortis articulo concedere tibi & eiſdem ſociis; ita tamen quod de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam ſociis prædictis, qui ejuſdem Ordinis profeſſores non fuerint, vel per hæredes ſuos, ſi tunc forte tranſierint, injungat, quod ipſi ſocii non profeſſores, vel dicti hæredes facere teneantur, ut præfertur. *Vide Conſt. 126. hujus Pontif.*

§. II. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forſan committeretis, quoad illa, prædicta conceſſio tibi & ſociis prædictis nullatenus ſuffragetur; quodque tu & prædicti ſocii per unum annum, a tempore, quo præſens noſtra conceſſio ad tui & eorumdem ſociorum notitiam pervenerit, computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunetis: quod ſi prædictis ſextis feriis ex præcepto Eccleſiæ, Regulari obſervantia, aut injuncta pœnitentia, voto vel alias jejunare teneamini, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non ſitis aſtricti, jejunetis; & ſi in dicto anno vel aliqua ejus parte tu vel ſocii prædicti eſſetis legitime impediti, anno ſequenti vel alias quamprimum commode poteritis modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneamini. Porro ſi forſan alias prædictum jejunium in toto vel in parte quandocumque commode adimplere nequiveritis, eo caſu Confeſſor idoneus, quem ad hoc elegeritis, jejunium ipſum in alia pietatis opera, prout veſtrarum animarum ſaluti expedire viderit, commutare poſſit, quæ tu & ſocii prædicti pari modo debeatis adimplere; alioquin præſens conceſſio, quoad remiſſionem hujuſmodi, nullius erit roboris vel momenti. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c.

Datum Senis, anno MCCCCXLIII. pridie Kalendas Junii, anno XIII.

CXXXI.

Confirmatur donatio & receptio Eccleſiæ ſanctæ Agathæ Burgi terræ Ferracanæ. Ex lib. 2. de Regularib. anno 13. fol. 193.

Dilecto filio Priori ſancti Corci de Licodia, Syracuſan. Diœceſ. &c.

Ut in Conſit. 71 hujus Pontif.

§. I. SEdis Apoſtolicæ copioſa benignitas &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Nicolai de Comite & Angeli de Pace, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, profeſſorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater noſter Rogerius Epiſcopus Syracuſan. attente conſiderans, quod Eccleſia ſanctæ Agathæ Burgi terræ Ferracanæ, Syracuſ. Diœc. penitus deſtructa foret, & ruinæ ſubjaceret, cupienſque ut in illa divinus cultus, quo deſtituta erat, obſervaretur ac vigeret, prædictam Eccleſiam, ex qua aliqui fructus, reditus & proventus non percipiuntur annuatim, tunc certo modo vacantem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eiſdem Nicolao & Angelo, pro ipſorum, ac nonnullorum Fratrum dicti Ordinis uſu & habitatione perpetuis donavit, conceſſit & aſſignavit.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſi Nicolaus & Angelus, qui donationis, cnnceſſionis & aſſignationis earumdem vigore prædictam Eccleſiam aſſecuti, ex tunc apud illam per tres annos reſederunt, prout reſident de præſenti, quique dictam Eccleſiam in ſuis ſtructuris & ædificiis notabiliter repararunt, & in poſterum pro poſſe reparare intendunt, deſiderent donationem, conceſſionem & aſſignationem prædictas ex certis cauſis Apoſtolico munimine roborari; pro parte dictorum Nicolai & Angeli nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. quatenus, ſi, & poſtquam de donatione, conceſſione & aſſignatione prædictis legitime conſtiterit, illas necnon quæcumque inde ſecuta, ſicut rite facta proſpexeris, auctoritate noſtra approbes pariter & confirmes, ſupplendo omnes defectus &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. XI. Kal. Julii, anno XIII.

CXXXII.

Deſtinatur Nuncius Apoſtolicus cum plenaria poteſtate. Ex lib. 7. mixto &c. annis 14. & 16. & fol. 230.

Dilecto filio Joanni de Baldironibus, Ordinis Minorum profeſſori.

CUm te, quem nuper dilecti filii Guardianus & Conventus domus Montis Sion Hieroſolymitan. Ordinis Fratrum Minorum pro Terræ ſanctæ recuperatione, & acquirendis eleemoſynis, in conſervationem dictæ domus ac Fratrum inibi degentium ſuſtentationem convertendis, nonnullis quoque negotiis Chriſtianæ fidei ſtatum & exaltationem concernentibus, ad nos & diverſos mundi Principes Nuncium tranſmiſerunt, pro eiſdem recuperatione & negotiis ad diverſas mundi partes deſtinemus. Nos, ut eo facilius tibi auctoritate noſtra per nos injuncta exequaris, tibi aſſumendi, & ad tuam ſocietatem, ac alia obſequia retinendi, uſque ad numerum ſex, quoſcumque volueris, de Fratribus Ordinis Minorum profeſſoribus ubicumque commorantibus, necnon ex quacumque provincia totidem ex Fratribus dicti Ordinis, quos ad id idoneos eſſe cognoveris, mittendi ad Romanam Curiam, & quævis alia loca quandocumque & quotieſcumque opportunum fore videris, &

& illis committendi executionem negotiorum quorumlibet,recuperationem & negotia prædicta concernentium,ac etiam equitandi, necnon omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi; mandandi inſuper in locis, ad quæ te vel dictos Fratres per te aſſumptos & mittendos ire contigerit, omnibus & ſingulis divini verbi prædicatoribus ſecularibus & Regularibus Ordinum quorumcumque, ut in eorum prædicationibus annuncient populis illa, quæ tu vel Fratres aſſumpti & mittendi hujuſmodi ipſis prædicatoribus duxeritis ordinanda, cujuſvis ſuper iis licentia minime requiſita,plenam & liberam,auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Mandantes nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub excommunicationis pœna, dictis prædicatoribus, ut eis per te vel Fratres aſſumptos & mittendos prædictos in præmiſſis mandata efficaciter adimpleant, ac univerſis & ſingulis Provincialibus, Guardianis & Fratribus dicti Ordinis in locis, ad quæ te vel dictos aſſumptos Fratres declinare contigerit, commorantibus, ut te & Fratres aſſumptos & mittendos hujuſmodi, necnon alios ſocios tuos, quoſcumque & qualeſcumque, etiamſi Eccleſiaſticæ Seculares vel Regulares, aut Laicæ perſonæ exiſtant, in eorum domibus admittant & recipiant, ac tibi eiſdemque Fratribus aſſumptis & mittendis, ac ſociis de victui neceſſariis adminiſtrent. Non obſtantibus &c. quiquſcumque.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. X. Kal. Julii, anno XIII.

CXXXIII.

Confirmantur in poſſeſſione Monaſterii ſancti Cerbonii prope Lucam, additis quibuſdam terræ portionibus. Ex lib. I. de Regularib. anno 13. fol. 159.

Dilectis filiis Fratribus provinciæ Tuſciæ, Ordinis Fratrum Minorum juxta morem &c.

§. I. Regularem vitam profeſſis ſic expedit ſubtrahi inquietitudinis & turbationis materiam, quod in contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Dudum ſiquidem nos dilectorum filiorum, multorum ex civibus civitatis Lucan. aſſerentium,Monaſterium Monialium ſancti Cerbonii, Ciſtercienſ. Ordinis, Lucan. Diœceſ. in quo non vigebat Regularis obſervantia, ad tantam Monialium paucitatem deveniſſe, ut pro derelicto haberi poſſet, ſupplicationibus inclinati, vobis, qui ſub Regulari obſervantia dicti Ordinis Fratrum Minorum degitis, ut in Monaſterio hujuſmodi, in quo Abbatiſſalem dignitatem extinximus, locum recipere & retinere, necnon in ipſo ac ejus territorio domibus contiguo Eccleſiam ſive oratorium cum campanili &c. horto decenter ſpatioſo & aliis neceſſariis officinis pro uſu &c. Fratrum dicti Ordinis conſtruere &c. Miſſas & alia divina officia celebrare, ac verbum Dei prædicare libere &c. plenariam facultatem, inter cetera per alias noſtras litteras conceſſimus, prout in eiſdem litteris, in quibus, quod dictum Monaſterium alicujus Ordinis foret, expreſſum non fuit, plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut oblata nobis nuper pro parte eorumdem civium petitionis ſeries continebat, dictum Monaſterium Ciſtercienſ. Ordinis tempore Datæ litterarum hujuſmodi fuerit, & vobis, qui earumdem litterarum vigore in prædicto Monaſterio inter alia domum cum horto pro veſtris uſu & habitatione fundari feciſtis, & in illa ſub Regulari vitæ caſtimonia &c. ac multiplici dilectorum filiorum Populi civitatis hujuſmodi conſolatione laudabiliter permanſiſtis, prout permanetis, ut a ſecularium perſonarum acceſ-

ceſſibus magis ſemoti, eo quietius ſanctæ contemplationi &c. inſiſtere valeatis, hortum prædictum ampliare, ac circumcirca muro claudi facere plurimum expediret, ſintque circumcirca domum hujuſmodi ſterpeta & minus fructuoſæ terræ, ac vineæ ad dictum olim Monaſterium pertinentia. Nos &c. dictum Ciſtercien. Ordinem in prædicto Monaſterio ſupprimentes penitus & extinguentes, volumus &c. quod litteræ prædictæ &c. plenam roboris firmitatem obtineant &c. Et inſuper vobis circumcirca domum prædictam in ſterpetis per trecentum & ſexaginta, in terris vero & vineis prædictis per centum brachia ampliandi, necnon in ſilvis & nemoribus ad dictum olim Monaſterium pertinentibus lignamina pro domus & horti prædictorum reparatione & clauſura, ac uſu veſtro ſcindi & adduci faciendi, alicujus &c. minime requiſita, plenam &c. facultatem concedimus per præſentes. Non obſtant. conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ ſuppreſſionis, extinctionis, voluntatis & conceſſionis infringere &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. VI. Idus Julii, anno XIII.

CXXXIV.

Ut recipiant duas domos in Dalmatia. Ibidem, folio 120.

Dilectis filiis Nicolao Polliſano, & Nicolao de Tragurio, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus.

Magnæ devotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam geritis Eccleſiam, non indigne meretur, ut votis veſtris, illis præſertim quæ Divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt quod nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, qui, ut aſſeritis, ſub Regulari Ordinis Fratrum Minorum obſervantia vivitis, ut infra patriam ac partes Dalmatiæ duas domos cum Eccleſiis, campanilibus humilibus & campanis, necnon clauſtris &c. aliis neceſſariis officinis &c. etiamſi in ipſis locis Eccleſiæ jam conſtructæ ſeu conſtrui inchoatæ, & illæ vobis ad id canonice conceſſæ fuerint ex piis Chriſtifidelium largitionibus, pro uſu & habitatione perpetuis quorumdam prædicti Ordinis Fratrum, ſub Obſervantia prædicta pro tempore degentium, fundari &c. faciendi, illaſque &c. conſtructas &c. recipiendi, necnon vobis ac præſentibus & futuris ejuſdem Ordinis Religioſis ſub eadem Obſervantia degentibus, in eiſdem domibus perpetuo commorandi, Diœceſanorum &c. minime requiſita, necnon jure &c. ſalvo, plenam &c. licentiam elargimur. Et nihilominus Guardianis & Fratribus in domibus ſub Obſervantia hujuſmodi pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere valeant &c. concedimus, ac etiam indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. III. Idus Julii, anno XIII.

CXXXV.

Ut admittat tres domos, in civitate Ilerden. unam, & oppidis Balagarii & Villæ-Francæ duas. Ibidem fol. 8.

Dilecto filio Franciſco de Boſco, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia *nuncupatorum, profeſſori.*

Inter Eccleſiaſticos ordines in domo Domini militantes, id ex benedictione cœleſti Ordini tuo & illius Fratribus magis adſcribitur, ut efficax

cax teſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum, & aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque, ſicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, ſæpe contingat, nonnullos Chriſtifideles ex devotione, quam ad dictum Ordinem habent, maxime in provincia Aragoniæ, tuis ſermonibus allici ad terrena in cœleſtia commutandum, qui pro ipſorum majorumque ſuorum ſalute animarum loca quædam pro uſu & habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum fundarent &c. ædificata concederent, ſi ad id Apoſtolicæ Sedis ſuffragaretur auctoritas. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi tria loca pro uſu & habitatione hujuſmodi fundandi &c. ædificata recipiendi, a Sede prædicta facultatem haberes, videlicet in civitate Ilerden. & oppidis de Belegher, & de Villa-Franca, Urgellen. & Barcinonen. Diœceſ. profecto plurimorum animas Deo lucrifacere ſperas. Nos igitur &c. tibi, necnon pro tempore exiſtenti Vicario ejuſdem provinciæ, juxta morem dictorum Fratrum, tria loca in civitate & oppidis antedictis cum Eccleſiis &c. concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis Fratribus, quos in locis hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis indulgentiis &c. gaudere poſſint, concedimus per præſentes: jure &c. ſalvo: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. v. Idus Auguſti, anno XIII.

CXXXVI.

Ut poſſint nova loca recipere. Ex ipſo autographo.

Dilectis filiis Joanni de Capiſtrano Citramontanarum, & Joanni de Mauberto Ultramontanarum partium per Generalem Miniſtrum, Ordinis Minorum ex noſtra inſtitutione ſuper Fratres, qui de Obſervantia *nuncupantur, Vicariis deputatis.*

Tanta eſt noſtra ad Ordinem veſtrum affectio &c. Cum itaque de anno præterito XIII. Kalendas Auguſti in noſtris litteris creationis dilecti filii Alberti de Sartiano in Vicarium Generalem Ordinis Minorum per nos factæ, bono reſpectu, & ad finem pacis unioniſque inter Fratres ejuſdem Ordinis ſervandæ, dixerimus revocaſſe omnes litteras Apoſtolicas, quarum tenore prius conceſſeramus vel Prædeceſſores noſtri conceſſerant Fratribus dicti Ordinis, qui *devoti* vel *de Obſervantia* nuncupantur, ut nova loca capere poſſent, vel quæ a Generali Miniſtro exemptionem aliquam concernebant, atque etiam prædictarum litterarum Apoſtolicarum revocationem fecerimus, ac poſtmodum nobis conſtiterit, dictam revocationem ipſi Ordini non ſolum inutilem eſſe, ſed etiam præjudicium non modicum afferre. Nos litteras revocationis hujuſmodi &c. annullantes, devotioni veſtræ concedendi dictis Fratribus veſtræ curæ commiſſis, prout nos etiam tenore & auctoritate prædictis de novo concedimus, ut litteris Apoſtolicis prædictis perinde utantur, ac ſi nulla fuiſſet facta revocatio, plenam &c. facultatem elargimur; ab obedientia tamen veſtra quemquam eximere non intendimus ex prædictis. Nulli ergo &c. noſtræ caſſationis, annullationis, conceſſionis & intentionis infringere.

Datum Senis, anno MCCCCXLIII. pridie Idus Auguſti, anno XIII.

CXXXVII.

CXXXVII.

Ut opem ferat Joanni Capiſtrano, in oppido Sluſarum domum erigenti. Ex Archivo ſecreto, libro 12. Bullarum, fol. 167.

Venerabili fratri Epiſcopo Tornacen.

Retulit nobis dilectus filius Joannes de Capiſtrano frater Ordinis Minorum, ſibi in terra Sluſarum tuæ Diœceſis dudum oblatum fuiſſe locum quemdam pro conſtructione & fabrica domus cum Eccleſia, & aliis ædificiis, uni Conventui Fratrum de Obſervantia aptis, ad cujus perfectionem idem Joannes laborare intendit omni ope ac diligentia. Verum exiſtimat, ad hujus operis abſolutionem præſidia & favores tuæ fraternitatis ſibi fore ſumme neceſſaria & opportuna. Quare ipſam fraternitatem tuam in Domino requirimus & hortamur, quatenus in re tam pia &c. præſtare velis prædictis Fratribus illud proſequentibus auxilium & favorem; coercendo, &, ſi opus fuerit, quoſcumque eidem impedimentum afferentes per cenſuram &c. Super qua re damus fraternitati tuæ plenam &c. facultatem.

Datum Senis, v. Septembris, anno xiii.

Simili modo Sereniſſimo Duci Burgundiæ.

CXXXVIII.

Ut admittant tria loca in ſua Cuſtodia. Ex lib. 1. de Regularib. anno 13. fol. 200.

Dilectis filiis Fratribus de Obſervantia *nuncupatis Cuſtodiæ Opolien. Ordinis Minorum profeſſoribus.*

Vide Conſtitut. 1. hujus Pontif.

Sacræ Religionis &c. Hinc eſt quod nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut in provincia Bohemiæ præter duo loca ſive Conventus, quæ jam in Cuſtodia Opolien. adepti eſtis, tria alia loca jam conſtructa aut de novo conſtruenda, ſi vobis pia Chriſtifidelium largitione concedantur, vel alias juſtis modis illa poteritis adipiſci, recipere & retinere, & in quolibet ipſorum locorum Eccleſiam ſive oratorium cum campanili &c. officinis pro uſu & habitatione veſtra & Fratrum dicti Ordinis, ſervata debita diſtantia, conſtruere &c. ac inibi divina Officia celebrare, ac verbum Dei prædicare libere & licite valeatis, Ordinarii &c. minime requiſito, juribus &c. ſalvis &c. concedimus facultatem. Et nihilominus vobis & univerſis Fratribus in eiſdem domibus &c. ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & in poſterum concedendis uti & gaudere valeatis & valeant &c. indulgemus: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis non obſtant. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Senis, anno &c. mccccxliii. viii. Idus Septembris, anno xiii.

CXXXIX.

Confirmantur litteræ ſuæ electionis in Cuſtodem Caſtellæ citra Portus, & Vicarium ſancti Jacobi provinciarum. Ibidem folio 75.

Dilecto filio Ludovico de Saja, Ordinis Minorum profeſſori, ac in provincia Caſtellæ citra Portus, Fratrum de Obſervantia *Cuſtodi.*

§. I. Pia nos excitat & inducit affectio, ut iis, quæ per dilectos filios Joannem de ſancta Anna, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, & Philippum

pum de Aſtorica, Doctorem Salamantin. provinciarum Caſtellæ & ſancti Jacobi Miniſtros, tibi conceſſa ſunt &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod Joannes, & Philippus prædicti zelo religionis & fidei regularem Obſervantiam in dicto Ordine continuo augeri deſiderantes, te de conſilio & aſſenſu omnium Fratrum totius provinciæ, quorum unus Caſtellæ Miniſter exiſtens, in ſua provincia Cuſtodem Fratrum, qui *de Obſervantia* dicuntur, necnon Miniſter ſancti Jacobi, de conſilio plurimorum Fratrum, Vicarium & Viſitatorem ſuper certis locis cum nonnullis prærogativis & facultatibus conſtituerunt atque deputarunt, prout in litteris dicti Miniſtri Caſtellæ, ſigillo provinciæ munitis, ac multorum Fratrum manu propria ſubſcriptis, & litteris etiam ipſius Miniſtri ſancti Jacobi plenius continetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum ut &c. in dictis Cuſtodiæ & Vicariæ, ac Viſitationis officiis pro tempore legitimis ſucceſſoribus, dummodo ſub dilecti filii Joannis de Mauberto, in provinciis Ultramontanis Fratrum dicti Ordinis, qui *de Obſervantia* dicuntur, Vicarii generalis, & ſuorum legitimorum ſucceſſorum obedientia perſiſtant, concedere &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur ad Ordinem beati Franciſci, qui continuo in militanti Eccleſia fructus parit ſalutares, ſingularem gerentes caritatis affectum &c. litteras prædictas & omnia in eis contenta, quarum omnium tenores hic haberi voluimus pro expreſſis &c. confirmamus &c. Et inſuper omnia & ſingula in dictis litteris contenta tuis in dictis Cuſtodiæ & Vicariæ, ac Viſitationis officiis ſucceſſoribus legitimis, in obedientia dicti Joannis generalis Vicarii, & ſuorum pro tempore legitimorum etiam ſucceſſorum perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, communitionis & conceſſionis infringere &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. V. Idus Septembris, anno XIII.

CXL.

Ut ipſe, & omnes provinciarum Vicarii in ſuis provinciis ſex loca recipiant. Ibidem folio 82.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia *nuncupatorum profeſſori.*

INter Eccleſiaſticos Ordines &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, ſæpe contingat, nonnullos Chriſtifideles ex devotione &c. loca quædam pro uſu & habitatione tui Ordinis Fratrum fundarent, conſtruerent &c. Nos ergo &c. tibi, necnon pro tempore exiſtentibus quarumcumque provinciarum, juxta morem Fratrum Minorum de Obſervantia, Vicariis, ſex loca ubicumque conſiſtentia cum Eccleſiis, campanilibus &c. officinis, ſi tibi aut illis alias canonice conſignentur &c. vobis per eoſdem Chriſtifideles forſitan aſſignandis domibus, Eccleſiis cum campanilibus &c. officinis hujuſmodi fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ac recipiendi ac perpetuo retinendi, Diœceſanorum locorum, in quibus hujuſmodi loca fuerint, aut ejuſdem Ordinis Superiorum licentia minime requiſita &c. concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, quos in locis hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. quomodolibet conceſſis uti &c. valeant &c. concedimus, jure &c. ſalvo: fel. rec. Boniſacii VIII. &c. contrariis non obſtan. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. *Vide Conſt. 135. hujus Pontif.*

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. III. Idus Septembris, anno XIII.

CXLI.

Ut Obſervantes admittant domum in oppido Sluſarum. Ex Archivo ſecreto lib. 12. Bullar. folio 286.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea libenter intendimus, quæ domorum omnium ac perſonarum Eccleſiaſticarum, in illis ſub regulari obſervantia virtutum Domino famulantium, utilitates & commoda reſpicere dignoſcuntur, ac iis, quæ pro eadem obſervantia & Divini cultus augmento, ac Eccleſiarum ſalute, pia diſpoſitione fidelium ordinantur, libenter adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Sane dilectus filius frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum *de Obſervantia* nuncupatorum profeſſor, pro ſe, & dilectis filiis Burgimagiſtris, necnon habitatoribus & incolis oppidi de Sluſa, Tornacen. Diœceſ. nobis expoſuit, quod poſtquam nos dudum eidem fratri Joanni, necnon pro tempore exiſtentibus quarumcumque provinciarum, juxta morem dictorum Fratrum *de Obſervantia* nuncupatorum, Vicariis, quinque loca ubicumque exiſtentia cum Eccleſiis, campanilibus &c. officinis, ſi tibi aut illis alias canonice conſignarentur &c. recipiendi ac perpetuo retinendi, Diœceſanorum locorum &c. minime requiſita &c. conceſſimus facultatem, ac univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quos in locis hujuſmodi pro tempore reſidere contingeret, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis uti & gaudere libere liciteque valerent &c. conceſſimus; ipſe frater Joannes vigore hujuſmodi quemdam locum novum ſeu domum in dicto oppido inſigni pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia, ad hoc ſibi per Burgimagiſtrum, habitatores & incolas prædictos coram Notario publico & teſtibus fide dignis donatum cepit, ibique domum ſeu conventum dictorum Fratrum, Burgimagiſtri, habitatorum & incolarum prædictorum & aliorum Chriſtifidelium auxilio & ſuffragio mediantibus, conſtrui & fundari facere velit, & circa hæc aliaque ſalubria acta ordinavit, prout hæc omnia in quodam inſtrumento publico inde confecto, cujus, & dictarum noſtrarum litterarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Quare pro parte dicti fratris Joannis ac Burgimagiſtri, habitatorum & incolarum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. omnia & ſingula per ipſum fratrem Joannem, ut præfertur, acta & ordinata, rata habentes &c. confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus &c.

Datum Senis, anno MCCCCXLIII. pridie Idus Septembris, anno XIII.

CXLII.

Ut Vicarii Franciæ & Coloniæ provinciarum ſex loca recipiant in qualibet, Ibidem folio 287.

Dilecto filio Ludovico de Hobe Ordinis Fratrum de Obſervantia.

Vide Conſt. 135. hujus Pontif.

INter Eccleſiaſticos Ordines &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, ſæpe contingat nonnullos Chriſtifideles ex devotione &c. maxime in Provinciis Franciæ & Coloniæ &c. loca quædam pro uſu & habitatione tui Ordinis Fratrum fundarent, conſtruerent &c. Nos igitur &c. tibi, necnon pro tempore exiſtentibus dictarum provinciarum,

rum, juxta morem Fratrum Minorum *de Obſervantia* nuncupatorum, Vicariis, ſex loca in provinciis antedictis conſiſtentia, cum Eccleſiis, campanilibus &c. officinis, ſi tibi aut illis alias canonice conſignentur &c. ædificari faciendi ac recipiendi, ac perpetuo retinendi, Diœceſanorum &c. præterquam Vicarii generalis, licentia minime requiſita &c. concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, in locis hujuſmodi &c. ut omnibus & ſingulis indulgentiis &c. conceſſis uti &c. valeant &c. concedimus; jure &c. ſalvo: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque non obſtantibus. Nulli ergo &c.

Datum Senis, anno &c. MCCCCXLIII. Idibus Septembris, anno XIII.

CXLIII.

Conceſſio Monaſterii ſanctæ Mariæ Novæ Anconitan. Sororibus facta confirmatur. Ex lib. 6. mixto de diverſis &c. annis 12. 13. & 16. folio 171.

Dilecto filio Antonio Jacobo Linerii, Canonico Anconitan.

§. I. Vacantibus præſertim fœminei ſexus &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Antoniæ Miniati de Senis, & Claræ de Firmo, ac nonnullarum aliarum Sororum domus ſanctæ Mariæ Novæ Anconitan. Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater noſter Joannes Epiſcopus Anconitan. attente conſiderans, quod Religio abſque loco habili & idoneo commode ſervari non poſſet, & prædicta domus, quæ dudum tunc Monaſterium Ordinis ſancti Benedicti exiſtens, Monaſterio ſancti Bartholomæi etiam Anconitan. dicti Ordinis ſancti Benedicti auctoritate ordinaria unita fuerat, prædictis Antoniæ, Claræ & Sororibus, ſub regulari Obſervantia ejuſdem Tertii Ordinis Altiſſimo famulantibus, pro earum uſu & habitatione habilis ac idonea foret, ipſam domum tunc Monaſterium Monialibus penitus carens & inhabitatum, necnon in magna ſui parte ruinoſum & deterioratum cum ipſius Eccleſia, & infra illius ſepta conſiſtentibus domibus, poſſeſſionibus, ac aliis bonis ad ipſam domum tunc Monaſterium ſpectantibus, dicto Monaſterio ſancti Bartholomæi remanentibus, eadem auctoritate ordinaria donavit &c. ipſæque Antonia, Clara & Sorores donationis, dationis & aſſignationis earumdem vigore, prædictam domum tunc Monaſterium aſſecutæ, in illa ex tunc ſub obſervantia prædicta permanſerunt, prout permanent de præſenti. Quare pro parte dictarum Antoniæ, Claræ & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereris &c. donationem, traditionem & aſſignationem prædictas, prout provide factæ ſunt, eadem auctoritate noſtra approbes &c. Nos enim, ſi approbationem &c. fieri contigerit, Sororibus præſentibus & futuris domus ſanctæ Mariæ Novæ prædictis, quod aliquam ex Sororibus dicti Tertii Ordinis in earum & ipſarum domus Præſidentem, quoties illius vacationis caſus occurrerit, eligere poſſint; necnon in omnibus & per omnia illam, ac prorſus ſimilem conceſſionem, Sororibus Florentin. & Peruſin. domorum conceſſam, habeant, illaque uti & gaudere valeant; quodque in antea Fratribus cujuſvis Ordinis aut Presbyteris ſecularibus nullatenus ſubjaceant, ſed

Epiſcopo Anconitan. pro tempore exiſtenti dumtaxat ſubjectæ ſint & eſſe cenſeantur &c. concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IV.Non. Martii, anno XIV.

CXLIV.

Ut admittant duas domos in ſua provincia. Reg. Vat. ex lib. I. de Regularibus anno 14. folio 147.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia *nuncupatis*, *provinciæ Terræ-laboris juxta morem &c.*

§. I. AD uberes fructus, quos veſtri Ordines in agro militantis Eccleſiæ indeſinenter producunt, conſiderationis noſtræ aciem convertentes, attente cupimus Ordines ipſos ubique ad Dei laudem & gloriam dilatari. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, nonnulli Chriſtifideles in provincia Terræ-laboris commorantes, ob animarum ſuarum ſalutem &c. aliqua domos & loca cum Eccleſiis, cœmeteriis, campanilibus &c. officinis pro veſtris uſu & habitatione perpetuis in dicta provincia fundare & conſtruere, ac illa ſeu alia jam forſan inibi conſtructa vobis pro uſu & habitatione prædictis libere concedere & donare deſiderent &c. pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. vobis duas domos & loca, ad hoc tamen congrua & honeſta, in quibuſvis locis dictæ provinciæ, jam vel poſtquam conſtructa fuerint, cum Eccleſiis, campanilibus &c. officinis, ſi vobis conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, aut oblatione Chriſtifidelium, ſeu alias canonice concedantur vel donentur, recipiendi, & illa pro uſu, necnon habitatione prædictis fundandi, tenendi & in illis commorandi, Diœceſanorum locorum & veſtrorum Superiorum, ac quorumlibet aliorum &c. minime requiſitis, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obſtant. plenam &c. licentiam elargimur: jure &c. ſalvo. Et inſuper vobis ac omnibus & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, quos in domibus ſeu locis hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, uti & gaudere valeant &c. concedimus &c. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. XVII. Kalendas Aprilis, anno XIV.

Eodem die Vicariis & Fratribus provinciarum Tuſciæ duo, & Siciliæ quatuor Cœnobia vel admittendi vel erigendi conceſſum eſt.

CXLV.

Ut Obſervantes de bonis pauperibus relictis domum erigant in oppido Montisfalci. Ibidem folio 148.

Venerabili fratri Epiſcopo Spoletan.

Vide Conſtit. 72. hujus Pontif. §. I. INter cetera cordis noſtri deſideria &c. Sane pro parte dilecti filii Antonii de Monteſalco Vicarii Fratrum Ordinis Minorum profeſſoris, provinciæ ſancti Franciſci juxta morem Fratrum dicti Ordinis, *de Obſervantia* nuncupatorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Almericus de Monteſalco laicus, Spoletan. Diœceſ. de propria

pria ſalute recogitans, & memor plurimarum extorſionum, quas variis temporibus, dum ſtipendio militaret, perpetrarat, de bonis ſibi a Deo collatis condens in ejus ultima voluntate teſtamentum, in ipſis bonis pauperes Chriſti Italiæ ſibi hæredes inſtituit, quodque deinde, ſibi prædicto Almerico vita functo, inter venientes ab inteſtato, ſuper inſtitutione hujuſmodi non modica controverſia eſt exorta; quare pro parte dicti Antonii aſſerentis, quod prædictus laicus, dum vixit, ſibi conſanguinitatis gradu conjunctus fuit, quodque hæreditas hujuſmodi, ſeu illius bona forſan valoris mille librarum exiſtunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ad ſedandum dictam controverſiam, & pro faciliori executione voluntatis prædictæ, ſibi unam domum cum Eccleſia, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, campanili &c. officinis pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum fundandi &c. ac poſtquam domus ipſa fundata &c. Fratribus prædictis recipiendi &c. licentiam concedere, necnon hæreditatem ſeu bona illius vel illorum, aut pretium prædicta in opus fundationis & conſtructionis hujuſmodi converti debere decernere, necnon alias ipſos Antonium & Fratres in his pio favore proſequi &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita &c. prædicto Antonio unam domum cum Eccleſia, cœmeterio &c. officinis pro uſu & habitatione prædictis in loco ad id congruo & idoneo, quem ipſe Antonius, necnon dilecti filii Univerſitas & homines loci de Montefalco, dictæ Diœceſ. juſto titulo acquirere poterunt, fundandi & conſtruendi &c. illamque ſic conſtructam perpetuo pro uſu & habitatione prædictis tenendi, & inantea cum aliis Fratribus dictorum Ordinis & Obſervantiæ commorandi, jure &c. ſalvo, auctoritate noſtra licentiam largiaris, & etiam hæreditatem, bona ſeu pretium hujuſmodi in opus fundationis & conſtructionis prædictarum converti debere eadem auctoritate decernas, contradictores per cenſuram &c. compeſcendo. Non obſtan. fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te, vigore præſentium elargiri contigerit, Antonio & Fratribus, qui pro tempore in prædicta domo reſidebunt, quod ipſi ac domus hujuſmodi omnibus ac ſingulis privilegiis &c. conceſſis uti poſſint pariter & gaudere auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Volumus autem, quod ſi per te vigore præſentium licentiam largiri, & decretum hujuſmodi fieri contigerit, pretium hæreditatis ſeu bonorum hujuſmodi, in utilitatem fundationis & conſtructionis prædictarum, & non alias, penitus & omnino convertendum, penes aliquam fide & facultate idoneam perſonam deputetur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIII. XV. Kalendas Aprilis, anno XIV.

CXLVI.

Ut conſtruant domum, a ſe & ſuis Fratribus tenendam. Ibidem folio 181.

Dilectis filiis Laurentio & Paulo de Raguſiis, Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. profeſſoribus.

Sacræ Religionis &c. Hinc eſt, quod nos venerabilis fratris noſtri Michaelis Epiſcopi, ac dilectorum filiorum Communitatis, Lavellen. Diœceſ. qui Eccleſiam quamdam, quæ cum horto, ac quibuſdam parvis terræ petiis, olivetis, necnon vinea & ſilva circa eam conſiſtentibus, ad menſam Epiſcopalem Lavellen. pertinere dignoſcitur, & jamdiu per quoſdam pauperes Eremitas teneri conſuevit, ſub quorumdam Fratrum Tertii Ordinis *Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.*

ſancti

ſancti Franciſci &c. regimine & gubernatione de cetero permanere deſiderant, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam, hortum, terram, vineam & ſylvam prædictos, quos ex nunc a menſa prædicta totaliter ſegregamus & etiam ſeparamus, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis vobis ac Ordini prædicto, ejuſque Fratribus præſentibus & futuris, per vos & ipſos, ita quod apud illam, pro veſtris & illorum uſu ac habitatione perpetuis, unum locum ad inſtar aliorum locorum dicti Ordinis fundare & erigere, ac privilegiis, exemptionibus &c. conceſſis uti & gaudere valeatis, perpetuo tenendas, regendas, gubernandas & uſufructuandas, de ipſius Epiſcopi conſenſu, ad hoc expreſſe accedente, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo concedimus, donamus & aſſignamus. Non obſtant. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ ſegregationis, ſeparationis, conceſſionis, donationis & aſſignationis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. XII. Kalendas Aprilis, anno XIV.

CXLVII.

Ut quædam bona legata Sororibus domus ſanctæ Agnetis Viterbien. adjudicet. Ibidem folio 85.

Dilecto filio Joanni de Gallerio Priori Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Novæ Viterbien.

Vide Conſtit. 63. hujus Pontif.

§. I. Juſtis & honeſtis ſupplicum votis &c. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Titiæ & Conſtantiæ, aliarumque Sororum domus ſanctæ Agnetis Viterbien. Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. petitio continebat, quod dudum pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Antoniæ relictæ quondam Antonii Thomaſii Laici viduæ Viterbien. nobis expoſito, quod olim dictus Antonius condens &c. teſtamentum, inter cetera voluit, quod quædam domus & vinea tunc expreſſæ, quarum eamdem Antoniam uſufructuariam relinquebat, poſt illius obitum in habitationem & ſuffragium dictarum Sororum foret, ac fructus ipſius vineæ, quam pro reparatione dictæ domus vendi poſſe voluit, vendi poſſent, ad reparationem domus hujuſmodi deputari, quodque ſi prædictæ Sorores domum ipſam retinere nequirent, ſeu ſuper illa moleſtarentur, domus & vinea prædictæ ſub cura & protectione dilectorum filiorum Univerſitatis artis Calſolariorum, ſive cerdonum civitatis noſtræ Viterbien. qui ſimiliter vineam ipſam vendere poſſent, ita quod pro habitatione Sororum hujuſmodi dumtaxat deveniret, prout in inſtrumento publico ſuperinde confecto dicebatur plenius contineri; & pro parte ejuſdem Antoniæ nobis ſubjuncto, quod in civitate prædicta mulieres ſive Sorores fratris Bernardini hujuſmodi non reperirentur, & in domo prædicta, pro eo quod illa in loco publico conſiſtebat, religioſæ mulieres cum honeſtate commorari non poterant, ipſaque Antonia ex tunc domum prædictam pro habitatione aliquarum mulierum religioſarum deputare volebat; venerabili fratri noſtro Joanni Epiſcopo Viterbien. noſtris dedimus litteris in mandatis, ut ſi ita eſſet, faceret ut ſibi &c. melius videretur &c. eiſdem Sororibus ad inſtantiam dictæ Antoniæ coram prædicto Epiſcopo ad judicium evocatis; pro parte ipſarum Sororum fuit inter cetera coram eodem Epiſcopo excipiendo propoſitum, quod litteræ prædictæ ex eo ſurreptionis vitio ſubjacebant, quod in illis nullas in civitate prædicta fratris Bernardini Sorores exiſtere dicebatur, cum revera prædicta Titia, Conſtantia & aliæ, ut præfertur, exiſterent, ut exiſtunt,

ſtunt, ac voluntatem teſtatoris prædicti acceptaverant & acceptabant, illamque, quantum in eis erat, adimplere volebant, prout erant legitime probare paratæ, quodque propterea illarum vigore contra eam procedere non poterant, nec debebant. Et quia dictus Epiſcopus eas ſuper hoc audire contra juſtitiam denegavit, prædictæ Sorores ad Sedem Apoſtolicam appellarunt. Verum dictus Epiſcopus appellatione hujuſmodi, de qua non erat ignarus, & infra cujus proſecutionis tempus, de quo non modicum ſupererat, dictæ Sorores erant contemptæ, ad nonnullos actus in cauſa ipſa proceſſit. Quare pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus revocato in irritum, quidquid poſt appellationem hujuſmodi inveneris temere attentatum, ac vocatis dicta Antonia & aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde præpoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris, per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia &c. ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas. Non obſtant. ſi dictæ Antoniæ, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta Sede ſit indultum, quod interdici &c. mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. XIV. Kal. Maii, anno XIV.

CXLVIII.

Fratres & Sorores Tertii Ordinis in partibus Fori-Julii conſiſtentes ſubjiciuntur Vicario & Fratribus provinciæ ſancti Antonii cum plena poteſtate. Ex Archivo ſecreto lib. 22. Bullar. folio 274.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expoſcit dilectorum filiorum Vicarii & Fratrum provinciæ ſancti Antonii, juxta morem Ordinis Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, ſacræ Religionis ſinceritas, ſub cujus obſervantia mundanis abjectis illecebris, in extrema paupertate conſtituti, per piorum & virtuoſorum operum exercitium ceteros ad divinæ Majeſtatis trahentes obſequium, ſedulum & quietum impendunt Altiſſimo famulatum, ut ea, quæ ad Dei laudem, & Religionis augmentum cedere valeant, eis favorabiliter concedamus. Hinc eſt quod nos pro Religionis augmento &c. non ad ipſorum Vicarii & Fratrum, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, moderno, & qui pro tempore erunt, Vicariis dictæ provinciæ, quod ipſi Vicarii per ſe vel alium ſeu alios, quem ſeu quos ipſi ad hoc pro tempore duxerint deputandum vel deputandos, a quibuſcumque utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, in partibus Fori-Julii, Aquilegien. Diœceſ. pro tempore commorantibus, profeſſionem per Fratres & Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pænitentia* nuncupati, per fel. rec. Nicolaum Papam IV. prædeceſſorem noſtrum approbati, emitti ſolitam, emittere volentibus recipere &c. eiſque regularem habitum per Fratres ac Sorores prædictos geſtari ſolitum exhibere, & illas ex perſonis dicti Tertii Ordinis, quæ, nulla ſufficienti deſuper licentia fulcitæ, in Udino, & civitatis Auſtriæ terris inſimul habitantes, aliqua loca pro earum uſu & habitatione receperunt, ab excommunicatione, aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis, ſi quas propterea incurrerunt, abſolvere in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis &c. injungenda, eiſque, ac quod jam recepta retinere, & aliis ſimiliter prædi-

cti

cti ſexus perſonis, quæ in prædictarum Udino & civitatis Auſtriæ terris, prædictorum Fratrum & Sororum dicti Tertii Ordinis inhabitationes, domos atque loca cum oratoriis, dormitoriis, aliiſque pro earum uſu & habitatione neceſſariis officinis de novo conſtruere, ſeu jam conſtructa, vel eiſdem conceſſa recipere, dummodo jam recepta aut recipienda domus atque loca ultra quatuor numero non exiſtant; necnon quod Confeſſor ſeu Confeſſores dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, quem ſeu quos utriuſque ſexus perſonæ, quæ profeſſionem Tertii Ordinis hujuſmodi pro tempore emiſerint, ſeu illarum quælibet pro tempore duxerint vel duxerit eligendum ſeu eligendos, earum confeſſionibus diligenter auditis, illis omnibus in reſervatis ſemel tantum, in non reſervatis vero Sedi Apoſtolicæ caſibus, quoties fuerit opportunum, debitam abſolutionem impendere & injungere pœnitentiam ſalutarem; ipſiſque omnibus, Diœceſani loci & proprii Sacerdotis, cujus licentiam ſuper hoc Paſchali tempore dumtaxat dictæ perſonæ petere teneantur, licet eam non obtineant, ſuper iis licentia nullatenus requiſita, Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare, ac dictis perſonis illarumque ſingulis, eis in ſinceritate fidei, unitate S. R. E. ac devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, plenam remiſſionem in mortis articulo valeat ſeu valeant concedere; ita tamen quod Confeſſor ſeu Confeſſores hujuſmodi de iis, de quibus fuerit alteri ſatiſfactio impendenda, eam dictis perſonis per eas, ſi ſupervixerint, vel hæredes ſeu ſucceſſores ſuos, ſi tunc tranſierint, faciendam injungant, quam dictæ perſonæ, aut hæredes, vel ſucceſſores facere teneantur. Et ne (quod abſit) dictæ perſonæ per hujuſmodi conceſſionis plenariæ gratiam procliviores reddantur ad illicita in poſterum committenda, volumus quod ſi ipſæ dicti Tertii Ordinis perſonæ ex confidentia remiſſionis hujuſmodi forſan committerent, quoad illa, ipſa remiſſio nullius ſit roboris, vel momenti; quodque prædictæ perſonæ per unum annum a tempore, quo conceſſionis hujuſmodi notitiam habuerint, ſingulis ſextis feriis, impedimento ceſſante legitimo, jejunent &c. Et inſuper quod Vicarii, & ab eis pro tempore deputati prædicti, ad omnium perſonarum prædictarum Tertii Ordinis hujuſmodi regimen & gubernationem præſidentes, Viſitatores & alios Officiales quoſcumque, prout ipſis Vicariis, ac deputatis pro dictarum perſonarum animarum ſalute opportunum fore videbitur, inſtituere & deputare, ac etiam illos, nullo juris ordine obſervato, ad ipſorum nutum deſtituere & removere libere & licite valeant &c. indulgemus. Volumus autem quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas, Generali Miniſtro dicti Ordinis Minorum pro tempore exiſtenti, ſeu aliis quoquomodo conceſſas vel in poſterum concedendas, præſentes litteræ nullatenus intelligantur revocatæ. Non obſtan. fel. rec. Clementis Papæ V. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IV. Kalendas Maii, anno XIV.

CXLIX.

Conceditur Obſervantibus Eccleſia ſanctæ Mariæ de Monte extra Januam. Ex bulla originali.

Dilectis filiis nobili viro Raphaeli Adurno Duci Januenſium, & Conſortio ſanctæ Mariæ de Monte de Valle Beſagni prope Januam &c.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. „ SIncerum habentes ad præſentis vitæ & futuræ gloriæ Largitorem devotionis affectum, illa vigili cura proſequimur, quæ ad ſui laudem no-

„ nominis fore conſpicitis fructuoſa. Cum itaque ſicut exhibita nobis nu-
„ per pro parte veſtra petitio continebat, dilecti filii fratres Ordinis beati
„ Franciſci de Obſervantia regulari, locum in Villa Maraſii prope Januam,
„ quem ſibi ad quorumdam Civium Januen. cujus erat, ſupplicationem
„ conceſſeramus, certis reſpectibus tenere & habitare noluerint, & vos,
„ quibus ſunt notiſſimi fructus animarum maximi, quos dicti Fratres fa-
„ ciunt in Civitatibus & locis eorum habitationis, fervore devotionis ac-
„ cenſi, ac cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici com-
„ mercio commutare, quemdam locum ſive domum veſtri conſortii de
„ Monte in Valle-Beſagni prope Januam pro uſu & habitatione Guardia-
„ ni & nonnullorum Fratrum ex prædictis, cum Eccleſia, campanili, cam-
„ pana, dormitorio, refectorio, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis &
„ neceſſariis officinis, de bonis veſtris a Deo collatis, piis Chriſtifidelium
„ adjuti ſuffragiis, ædificare, conſtruere & augere, ſi ad id vobis Sedis
„ Apoſtolicæ ſuffragetur auctoritas, proponatis: pro parte veſtra Nobis
„ fuit humiliter ſupplicatum, quatenus vobis faciendi præmiſſa licentiam
„ concedere, necnon dilecto filio Vicario Provinciæ Januæ prædictorum
„ Fratrum, ut locum ipſum pro uſu & habitatione Fratrum de Obſervan-
„ tia prædictorum recipiat, mandare de benignitate Apoſtolica dignare-
„ mur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradictam con-
„ ceſſionem loci Villæ Maraſii prædictis Fratribus concedendi auctoritate
„ Apoſtolica revocantes, vobiſque in loco ſive domo conſortii de Monte
„ in Valle-Beſagni prope Januam pro uſu prædictorum Fratrum cum Ec-
„ cleſia, campanili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro & aliis ſu-
„ pradictis neceſſariis officinis conſtruendi & ædificandi licentiam conce-
„ dentes, eidem Vicario præcipimus & mandamus, ut locum ipſum pro
„ ejuſdem Ordinis de Obſervantia Fratrum uſu & habitatione recipiat, ac
„ ipſis Fratribus illum pro eorum uſu & habitatione præmiſſis perpetuo re-
„ tinendi; felic. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohi-
„ bentis, ne Fratres Ordinis Mendicantium loca de novo recipere vel re-
„ cepta mutare præſumant ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali faciente
„ plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet
„ aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus; te-
„ nore præſentium concedentes: jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet al-
„ terius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus autem, quod Guardianus &
„ Fratres qui in dicta domo pro tempore morabuntur, omnibus & ſingulis
„ privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, honoribus, gra-
„ tiis & indultis gaudeant & utantur, ac uti & gaudere valeant, quibus
„ alia ejuſdem Ordinis loca & Fratres in eiſdem commorantes gaudent
„ & utuntur. Nulli ergo &c.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ
„ MCCCCXLIV. VI. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno XIV.

CL.

Confirmantur litteræ conceſſionis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Monte. Ibidem lib. 8. Bullar. 2. Secretor. folio 206.

Dilectis filiis Vicario provinciæ Januæ Fratrum Ordinis Minorum, qui dicuntur pauperes, *ſive* de Obſervantia regulari, *&* *Fratribus dicti Ordinis loci ſanctæ Mariæ de Monte, de Valle Beſagni prope Januam.*

ORdinem veſtrum, cujus uberrimi animarum fructus in Dei Eccleſia, dante Domino, quotidie conſpiciuntur, ſingularis affectu benevo-

lentiæ proſequentes, illa libenter vobis concedimus, per quæ locorum vobis conceſſorum quieti & commoditatibus conſulitur. Cum igitur de anno præſenti VI. Kal. Maii, ad ſupplicationem dilecti filii nobilis viri Raphaelis Adurni, Ducis Januen. & conſortis ... ſanctæ Mariæ de Monte vobis conceſſerimus, ut locum prædictæ ſanctæ Mariæ de Monte caperetis, prout pacifice cepiſtis & nunc quietiſſime poſſidetis, & in ipſis litteris noſtris, quod locus ipſe eſſet Prioratus ſubjectus Monaſterio ſanctæ Crucis de Mortaria, ac quod certa ſilva ipſi loco contigua, modici tamen valoris & fructus, ad eumdem ſpectaret, non fuerit expreſſum, unde timere videmini, ne aliquando ſuper his poſſitis in poſterum moleſtari; Nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, dicto periculo &c. primas dictæ conceſſionis Apoſtolicas litteras, perinde ac ſi dictum in illis & expreſſum fuiſſet, locum ipſum eſſe Prioratum Monaſterio ſanctæ Crucis de Mortaria ſubjectum, & ſilvam ipſi loco contiguam ad illum ſpectare, valere volentes, eumdem locum ſanctæ Mariæ de Monte de Valle Beſagni prope Januam, qui erat Prioratus ſubjectus Monaſterio ſanctæ Crucis de Mortaria, cum ſilva adjacente & contigua, ad ipſum Prioratum ſpectare conſueta, vobis & veſtro Ordini antedicto de novo auctoritate Apoſtolica, ſicut in prædictis primæ conceſſionis litteris continetur, concedimus per præſentes. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IV. Nonas Maii, anno XIV.

CLI.

Subjiciuntur regimini Vicarii provinciæ Aragoniæ. Ex lib. de Regularibus anno 14. folio 227.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus ſancti Spiritus in Termino villæ de Muro-veteri Ordinis Minorum, Valentin. Diœceſ.

Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.

§. I. Sacræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod licet in domo prædicta ab ejus primæva fundatione, per recolendæ memoriæ Mariam Reginam Aragonum dudum facta, Regularis Obſervantia continuo viguerit, atque hodie vigeat, necnon omnium aliarum domorum de Obſervantia provinciæ Aragoniæ &c. conſtructiones poſt fundationem domus veſtræ hujuſmodi factæ fuerint, illæque ac Guardiani in eis degentes ... Vicario generali de Obſervantia provinciæ & Ordinis prædictorum... ſuper domo veſtra prædicta, ejuſque Guardianis & Fratribus, etiam quoad illos, ad alias dicti Ordinis domos, ac de aliis domibus ipſis alios in domo ipſa veſtra transferendos, ſeu ponendos Fratres, ſuperioritatem & majoritatem hactenus habere & exercere conſuevit, prout etiam modernis temporibus habet & exercet, ex quo domus prædicta, præſertim propter æqualitatem translationum factarum hujuſmodi, hactenus non obſervatam, detrimenta maxima ſuſcepit & ſuſcipit. Quare pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Aragonum illuſtris, ac veſtri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis ac domui veſtræ, necnon in ea pro tempore degentibus Fratribus ſupradictis omnia & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, aliis domibus & Fratribus de Obſervantia Ordinis & provinciæ prædictorum hactenus conceſſa, perpetuo concedere &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ſtatuimus, atque decernimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus vos, & qui pro tempore ſub Obſervantia in domo veſtra hujuſmodi permanebunt, Guardiani & Fratres, Vicario de Obſervan-

vantia Ordinis & provinciæ hujuſmodi, juxta & ſecundum ejus factam ordinationem dumtaxat, ſubeſſe debeatis pariter & ſubſitis. Non obſtant. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, ſtatuti & conſtitutionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. III. Non. Maii, anno XIV.

CLII.

Confirmatur donatio domus ſanctæ Trinitatis extra muros Urbevetan. Obſervantinis facta. Ex lib. I. de Regularib. anno 15. folio 185.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Apoſtolicæ nobis injunctæ deſuper officium &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Jacobi de Reate, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, & locorum devotorum Romanæ provinciæ, ſecundum morem dicti Ordinis, Vicarii, necnon Fratrum domus ſanctæ Trinitatis extra muros Urbevetan. prædicti Ordinis, petitio continebat, quod olim venerabilis frater noſter Franciſcus Epiſcopus Urbevetan. qui Angeli Corarii, Gregorii XII. in ſua obedientia, de qua urbs Urbevetan. tunc erat, nuncupati, litteris inhærens, de conſenſu Capituli Eccleſiæ Urbevetan. qui Bartholomæo Putii dicti Ordinis profeſſori domum prædictam, tunc ad eos Epiſcopum & Capitulum legitime pertinentem, cum clauſtro, palatio, domibus, hortis & quadam ſilva, ac omnibus aliis juribus & pertinentiis ſuis pro Fratrum in dicta domo pro tempore commorantium uſu & habitatione perpetuis donavit & conſignavit primo, & deinde publicis inſtrumentis, ſuper donatione & conſignatione hujuſmodi confectis, propter guerras &c. amiſſis, Epiſcopus prædictus &c. donationem & conſignationem prædictas confirmans, domum eamdem cum Eccleſia, ambitu, hortis, ſilva & aliis præmiſſis Fratribus prædictis denuo in perpetuum donavit & conſignavit, ac nonnulla alia fecit, prout in litteris authenticis, ipſius Epiſcopi ſigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Jacobi & Fratrum domus prædictorum, aſſerentium ſe per plures annos domum ipſam poſſediſſe & de præſenti poſſidere, fuit nobis humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. donationem, conſignationem, omniaque alia & ſingula in litteris contenta hujuſmodi, & quæcumque inde ſecuta, rata & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica &c. confirmamus &c. Non obſtantibus &c. contrariis quibuſcumque. Tenor vero dictarum litterarum talis eſt. *Vide Conſtit. 9. hujus Pontif.*

§. II. *Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Urbevetanus. Religioſis viris fratri Franciſco de Viterbio, Vicario Miniſtri Romanæ provinciæ, ſecundum morem & conſuetudinem Ordinis Minorum, ac Guardianis & Fratribus locorum devotorum dicti Ordinis Minorum* de Obſervantia *nuncupatis dictæ provinciæ ſalutem in Domino. Iis equidem, quæ ad cultum Dei dirigendum &c. Sane dignum arbitrantes & congruum veritati teſtimonium perhibere, fidem facimus & tenore præſentium atteſtamur, quomodo alias a nonnullis annis proxime tranſactis, anno videlicet Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono, tempore fel. record. Domini Martini divina providentia Papæ V. Religioſo viro fratri Bartholomæo Putii de Aſſiſio, dicti Ordinis profeſſori, per litteras Apoſtolicas fel. quondam rec. Domini Gregorii, divina providentia Papæ XII. Datas Arimini* VIII. *Kalendas Octobris, Pontificatus ſui anno* VIII. *quas audivimus, legimus & palpavimus, quinque loca eccleſiaſtica de novo recipiendi pro uſu & habitatione Fratrum dicti Or-* di-

dinis, illorum videlicet, qui ſint Obſervantiæ Regularis, licentiam obtinendi, etiam noſtris litteris pro dicti cultus augmento, venerabilium fratrum noſtrorum Canonicorum & Capituli Urbevetan. accedente conſenſu, Eccleſiam ſanctæ Trinitatis, a diu inbabitatam & quaſi dirutam, extra & prope Urbevetan. ſituatam, quoddam Monaſterium, quòd ſolitæ alias erant inbabitare Moniales de Ordine ſancti Benedicti, quod tamen tunc ad nos & dictos Canonicos pertinebat, cum clauſtro, palatio, domibus, terra ſive hortis, circa & prope dictum quondam Monaſterium exiſtentibus & ſituatis & ſibi contiguis, ac toto ambitu ipſius terræ, ſive hortorum, ac cum quadam ſilva poſita non longe ab ipſa Eccleſia, attamen non conjuncta, prædictis omnibus ad dictam Eccleſiam & ipſum quondam Monaſterium ſpectantibus & pertinentibus, & cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, volentes prædictorum omnium & ſingulorum confinia, nomina & cognomina haberi in præſentibus pro expreſſis, irrevocabiliter in perpetuum donavimus & realiter conſignavimus, tabellionibus publicis de dictis donationibus & conſignationibus juxta vias & conſuetudinis formam ſolemniter tunc rogatis. Quarum noſtrarum donationis ac conſignationis vigore prædictam Eccleſiam cum ſupradictis omnibus ab eo tempore citra, continuo ac ſine controverſia poſſediſtis ac poſſidetis pacifice de præſenti. Verum cum guerrarum inſultibus, externarum & internarum ſeditionum nefandis caſibus, per tranſacta diu tempora emergentibus evenerit, ut inſtrumenta donationum & conſignationum hujuſmodi, & noſtræ litteræ antedictæ deperditæ ſint, & exinde veriſimiliter dubitetis, futuris diebus exoriri de juribus veſtris ambiguitatem, & ſic injuſte vos in quiete veſtra, qua Deo ſervitis, ſcandalum offerri poſſe, a nobis humiliter poſtulaſtis ut &c. diſpendiis occurramus. Quocirca devotionem veſtram fovere in Domino cupientes, & ut quietius cultui divino poſſitis inſiſtere, & pro ſtatu pacifico civitatis Urbevetan. ejuſque diœceſis preces ad Deum fundere fructuoſas, donationem & conſignationem, ſicut prædicitur, habitas, harum ſerie nobis & Canonicis, Capituloque prædictis gratas fuiſſe, fideliter atteſtamur, & de novo prædictam Eccleſiam cum omni ambita ſuo, hortis circumadjacentibus, ſilva, aliiſque præſcriptis omnibus & ſingulis, vobis & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum donuvimus & etiam conſignavimus, ſeu prædictas donationem & conſignationem confirmamus, inſinuamus & emulogamus, ſupplentes propterea, tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia omnes defectus, ſi qui forſan tunc intervenerint in eiſdem, ac volentes in hujuſmodi donatione & conſignatione antefactis, confirmatiſque, ac de novo nuper a nobis conceſſis & factis, omnia & ſingula plene, integre, ac ſine defectu aliquo cum clauſulis opportunis intelligi & comprehendi, quæ in quacumque donatione & conſignatione ſimili, vel majori, de jure, conſuetudine, ſeu ſtilo intelligi, poni & comprehendi ſolent & debent quoquo modo, verſutiis, & malitioſis ac ſuperfluis interpretationibus, exceptionibus, cavillationibus, quæ obeſſe quomodolibet poſſent, omni modo & omni ratione ſublatis, & non obſtantibus in contrarium editis, vel facientibus, quibus quantum poſſumus, auctoritate noſtra ordinaria derogamus, etiam quibuſcumque &c. in quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras per infraſcriptum Secretarium noſtrum Jacobum Urbevetan. ſcribi noſtrique Epiſcopalis ſigilli, quo utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum in Colle Longo in domibus ad præſens noſtræ reſidentiæ, ſub anno Domini MCCCCXLII. *die* XXVI. *Septembris, tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Eugenii divina providentia Papæ quarti, Pontificatus ſui anno* XII. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, communitionis & ſuppletionis infringere.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. III. Non. Maii, anno XIV.

CLIII.

CLIII.

Ut Sororibus Tertii Ordinis Eremitorium ſanctæ Crucis de Cruma concedat. Ex lib. 1. de Regularibus, anno 14. folio 23.

Dilecto filio Theſaurario Eccleſiæ Compoſtellan.

§. I. Piis votis fidelium &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Agnetis Alfonſi, Sororis Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. petitio continebat, quod olim Eremitorio ſanctæ Crucis loci *de Cruma*, Compoſtellan. Diœceſ. tunc certo modo Rectore carente, nonnulli Laici Rectores dicti loci prædictum Eremitorium ſic Rectore carens eidem Agneti ſub certis modo & forma conceſſerunt, ipſaque Agnes conceſſionis hujuſmodi vigore prædictum oratorium aſſecuta, illud ex tunc tenuit & poſſedit, prout tenet & poſſidet de præſenti. Cum autem &c. dicta Agnes dubitet conceſſionem prædictam ex certis cauſis juribus non ſubſiſtere, pro parte ejuſdem Agnetis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. *Vide Conſtit. 61. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſi tibi, temporis qualitate & loci conditione, ac circumſtantiis univerſis penſatis, conceſſionem hujuſmodi faciendam videbitur &c. prædictum Eremitorium, ut dicta Agnes aſſerit, nullos reditus habens, quovis modo Rectore careat, etiamſi illius diſpoſitio ad Sedem Apoſtolicam pertineat, dummodo tempore Datæ præſentium non ſit in eo alicui ſpecialiter jus quæſitum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis prædictæ Agneti per eam & ſex alias Sorores prædictas, necnon ipſarum quamlibet ſub obſervantia hujuſmodi perpetuo inhabitandum, ut præfertur, auctoritate noſtra concedas, inducens per te, vel alium ſeu alios eamdem Agnetem, vel procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Eremitorii, juriumque pertinentiarumque prædictarum, & defendens inductam; amoto exinde quolibet illicito detentore, contradictores auctoritate noſtra &c. Non obſtantibus &c. contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. III. Idus Maii, anno XIV.

CLIV.

Ut admittant domum prope civitatem Ravennat. Ibidem folio 169.

Dilectis filiis Fratribus Vicariæ Bononiæ & Romandiolæ Ordinis B. Franciſci, qui dicuntur de Obſervantia, *&c.*

§. I. Sacræ Religionis &c. Hinc eſt quod dilectorum filiorum populi & communis noſtræ civitatis Ravennæ &c. cupientium &c. aliquos ex veſtris locis apud dictam civitatem noſtram habere, ſupplicationibus inclinati, audito quod extra & prope muros ipſius civitatis eſt quædam ſancti Maniatis Eccleſia, *Prioratus* nuncupata, quæ eſt de menſa Monaſterii ſancti Joannis Evangeliſtæ de Ravenna, quam cives Ravennates, pro dicto Ordinis veſtri loco idoneo judicantes, vobis concedi exoptant, habitoque nuper per nos dilecti filii noſtri Beſſarionis, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Cardinalis, *Niceni* vulgariter nuncupati, cui prædictum ſancti Joannis Evangeliſtæ Monaſterium exiſtit commendatum, aſſenſu, vobis, ut prædictam ſancti Maniatis Eccleſiam cum ſuis domibus & ædificiis recipere, & in ea ac circa ipſam locum cum neceſſariis officinis pro uſu & ha- *Vide Conſtit. 10 hujus Pontif.*

habitatione veſtra, & Fratrum dicti Ordinis inſtituere, facere & conſtruere, & inibi ſub regularibus inſtitutis veſtri Ordinis Altiſſimo famulari &c. ac verbum Dei prædicare libere & licite valeatis, Ordinarii loci alio conſenſu minime requiſito, juribus &c. ſalvis, licentiam &c. concedimus facultatem. Et nihilominus vobis & univerſis Fratribus in eiſdem domibus & loco pro tempore moraturis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis & in poſterum concedendis, uti & gaudere valeatis & valeant &c. indulgemus: fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. non obſtant. quibuſcumque.

§. II. Verum quia prædicta ſancti Maniatis Eccleſia certa aratoria & vineata circa ſe habere dicitur territoria, quibus totis vos minime indigetis, volumus, ut Fratres ex veſtris, qui ad capiendum dictum locum accedent, vocatis dilectis filiis, Spiritus ſancti & ſancti Vitalis Monaſteriorum de Rauenna Abbatibus, ac tribus civibus, quos Communitas illa duxerit eligendos, eam dictorum territoriorum partem, quæ aut pro officinis conſtruendis, aut pro horto domus & loco prædictis videbitur neceſſaria, etiam capiatis, & cum certis affixis terminis ad partem deſignetis, ut perpetuo cognoſci poſſit ipſa territoriorum pars ſeparata ab aliis prædictis territoriis, de quibus ſimul cum aliis poſſeſſionibus dicti olim Prioratus certo modo ad decus & utilitatem prædicti Monaſterii ſancti Joannis intendimus diſponere. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & voluntatis infrigere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IV. Idus Junii anno XIV.

CLV.

Vt donet Joannæ Roderici Tertiariæ Eremitorium ſanctæ Mariæ de Lairo prope villam de Tubere. Ibibem folio 101.

Dilecto Filio Archidiacono Eccleſiæ Taurien.

§. I. DEvotis petentium deſideriis, præſertim quæ Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis.

§. II. Cùm itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Joannæ Roderici Sororis Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. petitio continebat, quod Eremitorium ſanctæ Mariæ de Lairo, apud villam de Tubere, Civitaten. Diœceſ. quod antiquitus Monaſterium Monialium extitit, in præſentiarum penitus inhabitabile exiſtat, nec in illo a longo tempore citra divinum officium celebratur ob illius deſtructionem, redituum carentiam ac egeſtatem, ipſaque Joanna, &c. in hujuſmodi Eremitorio Altiſſimo perpetuis temporibus famulari, ac illud reparare ſeu reparari facere, nec non libros & ornamenta pro divino cultu neceſſaria inibi procurare ſummopere concupiſcat, ſi dictum Eremitorium eidem Joannæ pro ſe & aliis mulieribus, in ipſo Eremitorio ſub vita communi degere volentibus, pro earum uſu & habitatione perpetuo concedatur. Nos &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & Eremitorium prædictum ad præſens habitatore carere repereris, illud cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Joannæ pro ſe & mulieribus prædictis, inibi ſub regularibus ejuſdem Ordinis habitu & obſervantia inſimul vivere, vt præfertur, volentibus &c. concedas & aſſignes, faciens eidem Joannæ necnon mulieribus inibi pro tempore degentibus de illius fru-

fructibus, reditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis, ſi quæ reperiantur, integre reſponderi; contradictores per cenſuram &c. compeſcendo. Non obſtant. &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IV. Idus Junii, anno XIV.

CLVI.

Approbatur conceſſio Eremitorii ſanctæ Luciæ Placentin. Sororibus domus ſancti Ildefonſi aſſignati. Ibidem folio 35.

Dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Taurien.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua dilectæ in Chriſto filiæ Prioriſſa & Sorores domus ſancti Ildefonſi Placentin. Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſæ, & Sororum petitio continebat, quod olim Venerabilis frater noſter Gundiſalvus Epiſcopus Placentin. Eremitorium ſanctæ Luciæ Placentin. tunc gubernatore ſeu Eremitis deſtitutum, eiſdem Prioriſſæ & Sororibus ſub Regulari ejuſdem Ordinis obſervantia degentibus, ut exinde aliquod in ſuis neceſſitatibus ſuſciperent relevamen, uſque ad ejus beneplacitum dedit atque conceſſit, ipſæque Prioriſſa & Sorores, vigore conceſſionis & donationis prædictarum poſſeſſionem dicti Eremitorii apprehendentes, illud ex tunc &c. & poſſident de præſenti. Cum autem &c. dictæque Prioriſſa & Sorores ipſum Eremitorium eis ac futuris in dicta domo Prioriſſis & Sororibus perpetuo concedi deſiderent. *Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.*

§. II. Nos &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Eremitorium prædictum, cujus fructus, reditus & proventus trium librarum Turonen. parvorum, ſecundum communem æſtimationem, valorem aunuum, ut ipſæ Exponentes aſſerunt, non excedunt, Prioriſſis & Sororibus præſentibus & futuris prædictis auctoritate noſtra perpetuo concedas, tradas pariter & aſſignes; ita quòd ipſæ illud perpetuis futuris temporibus tenere, ac ejus fructus, reditus & proventus percipere, & in earum, necnon domus prædictæ uſus & utilitatem convertere libere & licite poſſint; alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium Ipſius Eremitorii eis penitus interdicta. Non obſtant. &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. V. Kalendas Julii, anno, XIV.

CLVII.

Sorores in civitate Senen. degentes eximuntur a juriſdictione & viſitatione Fratrum ejuſdem Tertii Ordinis. Ex lib. 1. de Regularib. anno 15. fol. 113.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. CUnctorum ſtatui fidelium, quorum cura nobis licet immeritis cælitus commiſſa eſt generalis, ſollicite intendentes, ad ea quæ pro illorum tranquillitate & pace expedire conſpicimus, noſtri miniſterii partes exquiſitius exibemus. Cum itaque, ſicut pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Catarinæ relictæ Gerardi de Cimiciis Laici, viduæ, Miniſtræ, & Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *Mantellate* nuncupata-

patarum, in civitate Senen. degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, ex converſatione, quam dilecti filii Fratres dicti Tertii Ordinis, etiam in prædicta civitate degentes, quibus in omnibus ſubjectæ fore dicuntur, & quorum Capitulis, quæ ſingulis primis diebus Veneris cujuslibet menſis apud eos celebrantur, vt illi aſſerunt, intereſſe obligantur, quique Viſitationem & gubernationem earum, & commiſſorum per aliquam ipſarum pro tempore inquiſitionem, correctionem & punitionem ad ſe ſpectare, ac omnem juriſdictionem in eas exercere poſſe contendunt, cum eis habent, pro eo quod minus honeſta a plerìſque judicatur, & illic ut plurimum forenſes alienigenæ, & variæ conditionis perſonæ exiſtunt, a quatuor annis proxime præteritis citra, diffamationes dictarum Sororum & plura ſcandala ſecuta fuerunt, quæ ante annos eoſdem a ſeptuaginta annis retrolapſis, dum prædictæ Sorores ſolis Miniſtræ & Viſitatori dicti Ordinis ſubeſſent, ſequi viſa non extiterunt; pro parte ipſarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos &c. omnes Sorores dicti Tertii Ordinis in prædicta civitate pro tempore degentes a ſubjectione, viſitatione, inquiſitione, correctione, punitione & dominio, ac ab omni juriſdictione Fratrum prædictorum, ſi quæ illis in eas quovis modo competant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium penitus eximimus pariter & liberamus, ac totaliter exemptas ac liberatas fore decernimus, eaſque in omnibus, & ſingulis earum Viſitatori, atque Miniſtræ pro tempore degentibus, prout aliæ mulieres in Florentin. Peruſin. & Camerinen. civitatibus ſub eodem Ordine degentes, ex privilegiis Apoſtolicis per nos eis conceſſis exiſtunt, ſubmittimus, eaſque ſic ſubjectas ſub obedientia Venerabilis fratris Epiſcopi Senen. perpetuo volumus permanere. Non obſtant. conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque: diſtrictius inhibentes Fratribus dicti Tertii Ordinis, qui in eadem civitate &c. ne audeant ſeu præſumant aliquam auctoritatem &c. in ipſas Sorores, vel contra eas quomodolibet exercere &c. Nulli ergo &c. noſtræ exemptionis, liberationis, conſtitutionis, ſubjectionis, ſubmiſſionis, voluntatis, inhibitionis & decreti infrigere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. pridie Kalend. Septemb. anno XIV.

CLVIII.

Ut Tertiarii in civitate Cremonen. degentes Capitulum celebrent, excluſis illis qui in Eremo commorabantur. Ex Archivo ſecreto lib. 22. Bullar. fol. 193.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. IIs quæ pro Religioſarum & aliarum nobis & Apoſtolicæ Sedi devotarum perſonarum ſtatu & indemnitate proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur, adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem per nos accepto, quod in electione tunc futuri Miniſtri Fratrum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati, in civitate Cremonen. commorantium, in qua nonnulli dicti Ordinis in eremis habitantes, invitis aliis ipſius Ordinis Fratribus, qui ſeparatim in domibus degunt, intereſſe nitebantur, variæ fuerant diſſenſiones exortæ, Nos tunc per noſtras in forma Brevis litteras dilectis filiis Præceptori domus ſancti Antonii, & Priori Prioratus ſancti Petri de Pado, Cremonen. eorum nominibus propriis non expreſſis, dedimus in mandatis,

datis, ut ipſi vel eorum alter, vocatis qui forent evocandi, ad electionem Miniſtri hujuſmodi juxta morem alibi obſervatum ea vice procederent &c. prout in ipſo Brevi plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Marci Miniſtri Fratrum prædictorum petitio continebat, prædictus Præceptor, cui etiam ipſe Prior ex certis cauſis vices ſuas commiſerat, electionem juxta morem hujuſmodi celebrari fecerit, ipſorum Fratrum deſuper conſenſu & approbatione ſubſecutis, prout in inſtrumento &c. dicitur contineri; pro parte dicti Marci nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. electionem prædictam & quæcumque inde ſecuta rata habentes &c. confirmamus &c. Et nihilominus præſenti conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, ut de cetero, quoties eligendi Miniſtri hujuſmodi tempus ingruerit, ad electionem ipſam dicti Fratres in domibus degentes dumtaxat, excluſis eremitanis Fratribus, admittantur: decernentes harum ſerie, illam prorſus, quæ in electione dicti Marci Miniſtri ſervata extitit, in futuris electionibus formam obſervari debere, necnon irritum &c. Non obſtant. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCXLIV. Nonis Septembris anno XIV.

CLIX.

Confirmatur ejus electio in Epiſcopum Imelacen. Ibidem lib. 23. folio 6.

Dilecto filio Cornelio Electo Imelacen.

§. I. SInceræ devotionis affectus &c. Nuper ſiquidem Eccleſiæ Imelacen. tunc vacanti per obitum bon. mem. Thomæ Epiſcopi Imelacen, extra Romanam Curiam defuncti, de perſona tua, nobis & fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, duximus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum et Paſtorem &c. *Ut in Conſt. 81. hujus Pontif.*

§. II. Cum autem &c. licet prædictus Thomas Epiſcopus eidem Eccleſiæ per decem & novem annos præfuerit, illiuſque poſſeſſionem regiminis & adminiſtrationis bonorum, vel majoris partis eorumdem interim pacifice &c. gubernaverit, pro eo tamen quod a nonnullis aſſeritur, ipſi Eccleſiæ de perſona dilecti filii Roberti de Anglia Fratris Ordinis Minorum proviſum fuiſſe, tu dubites te ſuper dicta Eccleſia & ejus occaſione per eumdem Robertum aut alios ſuo nomine moleſtari vel inquietari poſſe tempore ſuccedente, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. eidem Roberto in prædicta Eccleſia vel ad eam nullum jus competiiſſe ſive competere, ant intereſſe aliquod habuiſſe vel habere; necnon proviſionem de perſona tua per nos, ut præfertur, factam, ac præfectionem hujuſmodi ſuum plenarie effectum ſortiri debere, auctoritate Apoſtolica decernimus per præſentes. Non obſtantibus contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. Nonis Octobris anno XIV.

CLX.

Ut Obſervantibus concedat Eccleſiam ſancti Nazarii cum territorio prope Novariam. Ex lib. 5. de Regularib. anno 14. folio 12.

Venerabili fratri Bartholomæo Epiſcopo Novarien.

Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Minorum, *de Obſervantia* nuncupati, provinciæ Mediolanen. &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictorum Fratrum petitio continebat, quod olim tu & dilecti filii Clerus & Populus civitatis Novarien. ex ſingulari fide & devotione per vos in Fratres & Ordinem prædictos conceptis, ad id dilecti filii Antonii de Ruſconibus Generalis Miniſtri dicti Ordinis accedente conſenſu, Eccleſiam ſine cura ſancti Nazarii extra & prope dictam civitatem conſiſtentem, divino cultu penitus deſtitutam, quæ neceſſitati Fratrum prædictorum viſa eſt plurimum conveniens, prædictis Fratribus obtuliſtis & quodammodo aſſignaſtis. Cum autem &c. dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii ſancti Dominici Novarien. Ordinis ſanctæ Claræ, aſſerentes Eccleſiam hujuſmodi ad eas legitime ſpectare, muliebri magis opinione quam aliqua ratione ductæ, etiam oblata ſibi pro dicta Eccleſia condigna & competenti recompenſa, oblationi & aſſignationi hujuſmodi nullatenus conſentire velle videantur; pro parte eorumdem Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus vocatis Abbatiſſa & conventu prædictis ac aliis, qui fuerint evocandi, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes &c. Eccleſiam prædictam cum territorio eis adjacente pro hortis & aliis ad uſum & habitationem Fratrum hujuſmodi neceſſariis officinis a dicto Monaſterio auctoritate prædicta ſegreges & dimembres, illamque cum territorio hujuſmodi competenti, vel etiam, ſi tibi videbitur, nulla prædicto Monaſterio aſſignata recompenſa, dictis Fratribus pro aliquorum ex eis uſu & habitatione perpetuis perpetuo tenendam & inhabitandam dicta auctoritate concedas, inducens per te vel alium ſeu alios eoſdem Fratres vel procuratorem, ſeu ſyndicum ſuum eorum nominibus in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ & territorii prædictorum, ac defendens inductos, amotis Abbatiſſa & Conventu prædictis, ac quibuslibet detentoribus ab eiſdem, ac faciens ipſos Fratres Eccleſiæ & territorii prædictorum pacifica poſſeſſione gaudere; contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IX. Kalendas Novembris anno XIV.

CLXI.

Ut Tertiarii prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Monticulis domum ædificent. Ibidem folio 232.

Venerabili fratri Epiſcopo Amellen.

§. I. DEvotarum nobis & Apoſtolicæ Sedi perſonarum humilium, divinis laudibus, ſacræque Religionis obſervantiæ deditarum, Apoſtolico Nos convenit favore proſequi, & ipſarum neceſſitatibus occurrere proviſionis gratia congruentis. §. II. Exhi-

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Guidonis Presbyteri, ſancti Leonis Diœceſis, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati Profeſſoris, petitio continebat, quod olim dilectus filius Antonius Franciſci, Prior ſecularis & Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Laurentii de Creneſtello extra muros Amelien. Eccleſiam ſive capellam ſine cura ſanctæ Mariæ de Monticulis, tuæ Diœceſ. quæ ipſi Eccleſiæ ſancti Laurentii certo modo ſubjecta exiſtit, & a pluribus annis citra, quandoque per Fratres dicti Ordinis, nonnumquam vero per alias pauperes perſonas, eremiticatus vitam ducentes, teneri conſuevit, tunc perſonis hujuſmodi carentem, cum domibus & horto ſibi adjacentibus, necnon omnibus & ſingulis eleemoſynis, ac oblationibus, quæ eidem Eccleſiæ ſive capellæ ſanctæ Mariæ pro tempore, medietate illarum, quæ in Aſſumptionis, & perſolutis ex eis annis ſingulis ipſi Petro quatuor florenis auri, omnibus aliis, quæ in Nativitatis beatæ Mariæ feſtivitatibus percipiuntur, quas dictus Antonius ad ſuos uſus & utilitatem reſervavit, dumtaxat exceptis, Petro prædicto ſub certis modo & forma dedit & conceſſit, ipſeque Petrus Eccleſiam ſive capellam ſanctæ Mariæ prædictam, dationis & conceſſionis hujuſmodi vigore aſſecutus, illam ex tunc tenuit &c. poſſidet de præſenti.

§. III. Cum autem &c. dictus Petrus dubitet dationem &c. non ſubſiſtere &c. et ſi Eccleſia ſanctæ Mariæ ſive capella prædicta cum domibus & horto prædictis dicto Petro, per eum & alios Fratres ejuſdem Ordinis perpetuo tenenda &c. aſſignaretur, ipſe Petrus in illa cum pluribus Fratribus ejuſdem Ordinis divinis officiis &c. vacando reſideret &c. Quare pro parte ejuſdem Petri aſſerentis, quod ex ipſa Eccleſia ſive capella ſanctæ Mariæ nulli annui fructus, reditus, eleemoſynis & oblationibus hujuſmodi dumtaxat exceptis, percipiuntur, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. IV. Nos igitur &c. fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ſi, vocatis dicto Antonio Priore & aliis qui fuerint evocandi, tibi de præmiſſis legitime conſtiterit, Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſive capellam prædictam cum domibus & horto prædictis, ac calicibus, libris, paramentis & aliis ornamentis Eccleſiaſticis, necnon ſupellectilibus, & bonis mobilibus, ipſi Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſive capellæ hactenus oblatis, quæcumque, quotcumque & qualiacumque fuerint, eidem Petro aliiſque Fratribus dicti Ordinis præſentibus & futuris, per aliquos ex eis perpetuo tenendam, regendam &c. concedas & appropries, ita quod ex tunc liceat Petro & Fratribus prædictis in ipſa Eccleſia ſanctæ Mariæ ſive capella cæmeterium habere, & quæcumque pro ipſorum Fratrum uſu & habitatione neceſſaria fundare & conſtruere &c. & ſingulas oblationes & eleemoſynas, etiam illas, quas ipſe Antonius ſibi reſervavit, ut præfertur, integre percipere, necnon in fabricam & utilitatem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſive capellæ hujuſmodi, ac ſuſtentationem ſuam convertere, Diœceſani &c. minime requiſita. Nos enim, ſi dationem, conceſſionem & appropriationem prædictas feceris, Petro & Fratribus in domo ſanctæ Mariæ ſive capella hujuſmodi pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. aliis Fratribus dicti Ordinis &c. alias conceſſis, uti &c. poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Non obſtant. fel. rec. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *Sacroſancta* &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. pridie Idus Novembris anno XIV.

CLXII.

Præficitur Eccleſiæ Tyberiaden. Ex Archivo ſecreto lib. 8. Bullar. 2. ſecretor. folio 96.

Dilecto filio Roberto Electo Tyberiaden.

Vide Conſtit. xi. hujus Pontif.

DIvina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Cathedralium Eccleſiarum, tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium & in antea vacaturarum, ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus &c. Poſtmodum vero Eccleſia Tyberiaden. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos etiam dudum Venerabilem fratrem noſtrum Joannem Cepten. olim Tyberiaden. Epiſcopum, apud dictam Sedem tunc conſtitutum, a vinculo, quo eidem Tyberiaden. Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Cepten. tunc vacantem auctoritate Apoſtolica tranſtulimus &c. Nos ad proviſionem ipſius Tyberiaden. Eccleſiæ &c. ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem &c. direximus oculos noſtræ mentis &c. providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IV. Nonas Decembris anno XIV.

CLXIII.

Revocatur unio de bonis Monaſterii ſanctæ Mariæ Novæ Anconit. facta Monaſterio ſancti Bartholomæi. Ex lib. 1. de Regularibus, an. 14. fol. 147.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Joannis de Peneclaria extra muros Anconitan.

§. I. DIgna exauditione vota perſonarum humilium divinis laudibus ſacræque Religionis obſervantiæ deditarum Apoſtolico nos convenit favore proſequi, & ipſarum neceſſitatibus occurrere proviſionis gratia congruentis.

§. II. Nuper ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Antoniæ Miniatis de Senis, & Claræ de Firmo, necnon aliarum Sororum domus ſanctæ Mariæ Novæ Anconitan. Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. nobis expoſito, quod venerabilis frater noſter Joannes Epiſcopus Anconitan. attente conſiderans, quod Religio abſque loco habili & idoneo commode ſervari non poſſet, & prædicta domus, quæ dudum, tunc Monaſterium Ordinis ſancti Benedicti exiſtens, Monaſterio ſancti Bartholomæi etiam Anconitan. dicti Ordinis ſancti Benedicti auctoritate ordinaria unita fuerat, prædictis Antoniæ, Claræ & Sororibus ſub Regulari obſervantia ejuſdem Tertii Ordinis Altiſſimo famulantibus, pro earum uſu & habitatione habilis & idonea foret, ipſam domum, tunc Monaſterium Monialibus penitus carens & inhabitatum &c. cum ipſius Eccleſia, & infra ejus ſepta conſiſtentibus domibus, poſſeſſionibus & aliis bonis, ad ipſam domum tunc Monaſterium ſpectantibus, eidem Monaſterio ſancti Bartholomæi remanentibus, donaverat, dederat & aſſignaverat; ipſæque Antonia, Clara & Sorores donationis, dationis & aſſignationis earumdem vigore prædictam domum, tunc Monaſterium aſſecutæ, in illa ex tunc ſub obſervantia prædicta permanſerant, prout per-

ma-

manebant. Nos donationem &c. per alias noſtras litteras approbari & confirmari mandavimus &c.

§. III. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum Antoniæ, Claræ & aliarum Sororum petitio continebat, in ipſa domo ſanctæ Mariæ Novæ Virgines & continentes, inibi Regularem profeſſionem emittentes, in dies adeo creſcant, quod non habent unde ſibi pro victu &c. ſuſtentare valeant; &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi a prædicto Monaſterio ſancti Bartholomæi, cui alias ſanctæ Mariæ Novæ prædictum, ut præfertur, & ſanctæ Claræ, & ſanctæ Agnetis etiam Anconitan. Monaſteria dicti Ordinis ſancti Benedicti in ſubventionem neceſſitatum Monialium ejuſdem Monaſterii ſancti Bartholomæi, quæ tunc in numero copioſo exiſtebant, canonice unita fuerunt, quodque nunc pro ſuſtentatione Monialium illius, quæ quatuor vel quinque dumtaxat fore noſcuntur, amplos & ſuperfluos reditus habet, ſepararentur, ſeu quoad illa unio de dicto olim Monaſterio ſanctæ Mariæ Novæ cum poſſeſſionibus, terris & bonis facta prædicta revocaretur &c. ipſaque poſſeſſiones, terræ & bona prædicta ad jus & proprietatem dictæ domus olim Monaſterii reducerentur & illi reſtituerentur, ac prædictis Antoniæ, Claræ & Sororibus, per eas, necnon alias Sorores ejuſdem Tertii Ordinis in prædicta domo olim Monaſterio pro tempore degentes, perpetuo tenenda & poſſidenda, ac uſufructuanda, donarentur &c. ipſæ Antonia, Clara & Sorores &c. ſuſciperent relevamen; pro parte dictarum Antoniæ, Claræ & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. IV. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus vocatis dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſa & Conventu dicti Monaſterii ſancti Bartholomæi &c. ſepares, & unionem de Monaſterio S. Mariæ Novæ cum poſſeſſionibus, terris & bonis prædictam revoces, caſſes & annulles &c. ipſaque terras, poſſeſſiones & bona ad jus & proprietatem dictæ domus olim Monaſterii reducas ac illi reſtituas, necnon prædictis Antoniæ, Claræ & Sororibus, per eas ac alias Sorores pro tempore degentes prædictas perpetuo poſſidenda, tenenda &c. appropries & aſſignes, ita quod ex tunc liceat eiſdem Antoniæ, Claræ & Sororibus etiam pro tempore degentibus per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem terrarum bonorumque prædictorum propria auctoritate apprehendere, illorumque fructus, reditus & proventus in ſuos ac dictæ domus, olim Monaſterii, uſus & utilitatem convertere, Diœceſani &c. minime requiſita. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. XIV. Kalendas Januarii, anno XIV.

CLXIV.

Conſtituuntur œconomi & Procuratores Fratrum domus ſanctæ Mariæ de Ara-Cœli. Ex ipſo autographo.

*Dilectis filiis Jacobo Lelli * Alexii de Cinciis, Joanni Jacobo de Baccabellis, & Laurentio Mazabuſalo civibus Roman.*

* *idest, filio Lelli filii Alexii.*

§. I. Exigit devotionis veſtræ ſervor &c. Cum itaque proximis temporibus ſcientes locum ſanctæ Mariæ de Ara-Cœli, de dicta Urbe, Ordinis Minorum parum laudabiliter gubernari, poni fecerimus in eodem Fratres dicti Ordinis, qui dicuntur *Pauperes*, *& de Obſervantia regulari*, quos per longam multiplicemque experientiam ſcimus omnes populos, inter quos habitant, vitæ exemplo, prædicationibus & aliis ſalubribus monitis, ac ſuaſionibus ad bonos mores & vitæ ſalubris converſationem inducere, & cum

Vide Conſtit. 95. hujus Pontif.

& cum rerum ſeculi proſperitate maximos fructus afferre animarum.

§. II. Nos itaque cupientes, quod dicti Fratres eo ferventius divinis Officiis & aliis ſuorum operum exercitiis intendere valeant, quo ſuis rerum ſecularium curis ſe noverint relevatos, & omnia reditus, proventus & alia bona dicti loci Ara-Cœli, quæ Fratres Conventuales habere, tenere & poſſidere conſueverant, quoniam prædicti *Pauperes*, ſive *de Obſervantia* nullo modo poſſunt ex forma Regulæ ſuæ, aut volunt ipſa habere & poſſidere, in Nos ſuſcipientes, vobis eadem bona committimus gubernanda, volentes quod ipſorum bonorum, fructuum & redituum computum tenentes, eam partem iſtorum, quæ pro reparatione & conſervatione ædificiorum ac officiorum, & pro ſupellectili domus & ornamentis Eccleſiæ neceſſariis videbitur opportuna, expendatis & diſtribuatis, & ubi dictos Fratres pro aliqua ſui victus parte videbitis indigere, eis ſubveniatis, ac eleemoſynam faciatis, taliter vos in prædictis habentes, quod ubi et quando requiremini, bonum computum reddere valeatis. Et inſuper vos tres ſimul, et quemlibet veſtrum in ſociorum abſentia, prædictorum Ara-Cœli Fratrum et ejuſdem loci œconomos, factores, Procuratores, ac negotiorum geſtores, uſque ad Sedis Apoſtolicæ beneplacitum facimus et creamus, volentes ut in omnibus, ſive litigiis, ſive parandis ordinandiſque ædificiis et ſtructuris, eorumdemque faciendis et diſtribuendis expenſis,et aliis quibuſcumque negotiis quitare, abſolvere, omniaque et ſingula alia facere, diſponere et ordinare libere et licite valeatis, quæ Fratres prædicti capitulariter facere, diſponere et ordinare poſſent. Vos itaque prædictum a nobis injunctum munus taliter, prout ſperamus, gerere et adminiſtrare ſtudeatis, quod a Deo noſtro meritum et a nobis laudem ac gratiam conſequi mereamini.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. VIII. Idus Januarii, anno XIV.

CLXV.

Fratres domus de Ara-Cœli ab omnibus impoſitionibus declarantur immunes. Ex originaria Bulla.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Ad ea, per quæ Religioſorum locorum atque domorum et perſonarum in illis pro tempore degentium utilitati conſulitur, & opportunitatibus ſubvenitur, ex injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane cum proximis temporibus conſiderantes locum ſanctæ Mariæ de Ara-Cœli de Urbe Ordinis Minorum parum decenter in ſpiritualibus gubernari, & quod in ipſo loco, inter alia Urbis Romæ loca ſitu ædificiiſque celeberrimo, ſi Religioſi eſſent vitæ exemplo, & Eccleſiaſticorum officiorum exercitio præſtantes, multa Romano Populo tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus bona accederent, poni fecerimus in eodem Fratres prædicti Ordinis, qui dicuntur *Pauperes*, ſeu *de Obſervantia* Regulari, ſcientes ipſos (ſicut ex forma Regulæ ſuæ tenentur) eſſe pauperrimos, & nullam rerum ſeculi, quæ ad gubernationem pertinent, habere aptitudinem, & cupientes, ut quando accidunt aliqui caſus, aut recuperandi & conſervandi ea, quæ ad ipſum locnm ſpectarent, aut ſe ab injuſte petentibus defendendi, aut ædificia nova conſtruendi, aut facta reparandi & inſtaurandi, faciliorem habeant viam, ne litigiis, & eorum perplexitatibus involvantur, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica declaramus, decernimus et mandamus, ut in omnibus

bus cauſis et litigiis, ſupradictos Fratres tam Ara-Cœli, quam locum beati Franciſci in Tranſtyberim, in quo ex prædictis Fratribus pauperibus *de Obſervantia* aliqui habitant, aut eorum loca quomodolibet concernentibus, ſive ipſæ cauſæ & litigia ab eis, ſive contra eos moveantur, fiat per omnes Officiales & Judices Almæ Urbis tam Ordinarios, quam delegatos vel ſubdelegatos, aut alios Commiſſarios ſive arbitros, juſtitia de plano, ſine ſtrepitu & figura Judicii, terminis abbreviatis, ſola facti veritate inſpecta; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

§. II. Inſuper, ut dicti Fratres præſentes, & qui pro tempore erunt, majorem ſuæ ſubſtentationis & locorum ſuorum prædictorum, præſertim Ara-Cœli ædificia, officinas, atque etiam Eccleſias melius reparandi, & de novo, ſi expediens fuerit, conſtruendi, commoditatem habeant, eoſdem prædicta auctoritate ab omnibus & ſingulis gabellarum & omnium aliarum ſolutionum, ſive exactionum præſtationibus & angariis tam pro rebus ad victum ſuum & veſtitum ſpectantibus, quam pro aliis ad fabricarum quarumcumque uſum deputandis, exemptos reddimus & immunes. Mandantes omnibus & ſingulis prædictæ Almæ Urbis Officialibus præſentibus & futuris & aliis, ad quos ſpectare poterit quomodolibet in futurum, quatenus prædictam exemptionem integre obſervent & faciant inviolabiliter obſervari. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. VIII. Idus Januarii, anno XIV.

CLXVI.

Ut Fratres Regular. Obſervant. Provinciæ Orientis Syndicos habeant. Ex Archivo ſecreto, libro 22. folio 252.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. AD Ordinem Minorum, in firmamento militantis Eccleſiæ coruſcantem, & ad profeſſores ipſius paternæ gerentes caritatis affectum, libenter illa concedimus, quæ ſint dicto Ordini, ejuſque profeſſoribus opportuna. Sane fide digna relatione percepimus nonnulla Eccleſiaſtica loca & Conventus Ordinis Minorum provinciæ Orientalis annuos reditus & proventus habere, & Fratres in eis degentes proprium, contra eorum Regularem profeſſionem emiſſam & normam dicti Ordinis, & Apoſtolicas conſtitutiones & declarationes, habere & retinere. Nos ſuper his opportunæ proviſionis remedium paternis ſtudiis adhibere cupientes, ac attendentes quod loca & Conventus hujuſmodi ſita ſunt inter Chriſtianos numero paucos, & copioſam infidelium, ac ſchiſmatorum & hæreticorum multitudinem, ex quo paucæ admodum eleemoſynæ percipi poſſunt, omnia & ſingula reditus & bona præſentia & futura locorum & Conventuum prædictorum, ac eorum Fratrum præſentium & futurorum, proprium, mobilia & immobilia bona nobis & Sedi Apoſtolicæ tenore præſentium appropriamus, concedentes dilectis filiis Vicario & univerſis Fratribus dictæ provinciæ pro tempore exiſtentibus facultatem eligendi auctoritate Apoſtolica unum vel plures Syndicum vel Syndicos, illumque vel illos, quando eis videbitur, deſtituendi, deponendi, & alium ſeu alios de novo inſtituendi, quem ſeu quos electum vel electos pro tempore dicta auctoritate confirmamus &c. qui Syndici eadem auctoritate reditus & bona prædicta fideliter colligant & recipiant, ac proprium ſolicite gubernent.

§. II. Vo-

§. II. Volumus autem, quod ipſi Syndici, ſi viderint Fratres eorumdem locorum pro tempore indigentiam habere, de eiſdem reditibus ſuis neceſſitatibus ſubvenire, ac ſtructuras & ædificia dictorum locorum & Conventuum vetera reſarcire, & de novo, prout opus erit, conſtruere debeant. Quod ſi Fratres indigentia non laborent, & ædificia ipſa reparatione non indiguerint, ipſi Syndici dictos reditus & bona pauperibus diſtribuant.

§. III. Si vero contingeret loca & Conventus prædicta eleemoſynis & aliis circa victum neceſſaris quandocumque carere, ac ſupradicta reditus & bona minus ſufficientia cenſerentur ad hujuſmodi neceſſitates ſublevandas, ſtatuimus & ordinamus, ut liceat prædictis Syndicis tantum de relictis eiſdem Fratribus ad ſe accipere, & ex illis fructus recipere, quantum eis videbitur ſufficere pro convenienti ſuſtentatione Fratrum & reparatione ſtructurarum & ædificiorum locorum & Conventuum prædictorum: decernentes Fratres prædictos de eleemoſynis ſic erogatis & fructibus ac reditibus prædictis per ipſos Syndicos contributis, necnon jocalibus, paramentis & aliis ornamentis divino cultui neceſſariis tuta conſcientia uti poſſe & debere: ſtatuentes inſuper, ne Fratres ipſi jocalia & ornamenta vendere & alienare quoquo modo præſumant. Volentes tamen, ſi neceſſitas urgeret, ipſa jocalia & ornamenta, ac libros tam ſacriſtiæ quam librariæ in alia ſimilia, ex quo evidens utilitas ſequi poſſet, per ſupradictos Syndicos commutari poſſe. Inſuper volumus & ordinamus, ut reditus & obventiones duarum domorum, quæ olim ſpectabant ad quamdam Eccleſiam ſancti Baſilii, quam, & illius territorium cariſſimus in Chriſto filius noſter Imperator Conſtantinopolitan. Illuſtris quibuſdam Fratribus Minoribus de Obſervantia, pro novo Conventu conſtruendo, & qui nunc ſub vocabulo ſancti Antonii de Padua conſtitutus, pie eſt largitus, ipſis Syndicis pure & libere dentur & conſignentur, qui ipſos reditus in neceſſarios uſus divini cultus dumtaxat convertant. Contrafacientes excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. Idibus Januarii, anno XIV.

CLXVII.

Ut quatuordecim domus poſſit admittere. Ibidem, ſolio 167.

Dilecto filio Joanni de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

Vide Conſt. 135. hujus Pontif.

INter Eccleſiaſticos Ordines &c. Cum itaque &c. ſæpe contingat, nonnullos Chriſtifideles &c. loca quædam pro uſu & habitatione tui Ordinis Fratrum fundarent, conſtruerent &c. ædificata concederent, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ ſuffragaretur auctoritas. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi quatuordecim loca pro uſu & habitatione hujuſmodi fundandi &c. Nos igitur &c. tibi, necnon pro tempore exiſtentibus, quarumcumque provinciarum juxta morem Fratrum Minorum *de Obſervantia* nuncupatorum Vicariis, quatuordecim loca ubicumque conſiſtentia cum Eccleſiis, campanilibus &c. officinis, ſi tibi, aut illis alias canonice conſignentur &c. recipiendi & perpetuo retinendi, Diœceſanorum &c. minime requiſita, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem, & inſuper univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, quos in locis hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis indulgentiis &c. conceſſis uti

uti &c. valeant, auctoritate prædicta concedimus: jure &c. ſalvo. Fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. mccccxliv. xiv. Kal. Februarii, anno xiv.

In eumdem modum dilecto filio fratri Joanni Mauberto Vicario generali Ultramontano.

CLXVIII.

Hungari, Sclavi & Boſnenſes unius Vicarii ſubjiciuntur regimini. Ibidem, fol. 273.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Etſi ex debito ſollicitudinis Paſtoralis quibuslibet Religioſis perſonis eſſe nos deceat in ſuis opportunitatibus favorabiles & benignos, tamen Fratres Ordinis Minorum, præſertim ſub regulari obſervantia degentes, ferventioris ſpiritus ardore ſuccenſos, qui non timentes ſed amantes barbaras nationes, ad illarum converſionem pergunt intrepidi, ut valeant ad aream Dominicam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem, affectuoſiori ſtudio confovere tenemur, ut in eorum ſanctis operibus, per quæ fides Catholica pullulat, & ſonus eorum in omnem terram dulciter intonat, nihil eos impediat, nil perturbet, ſed noſtræ ſollicitudinis ſtudio, ab eis quorumvis commotionum ſcandalis, diviſionumque ſummotis turbinibus, placita quietis dulcedine gratulentur. Cum itaque jam per centum annos & ultra ejuſdem Ordinis Fratres, *de Obſervantia* nuncupati, adeo Omnipotenti Deo in partibus Boſnæ, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Bulgariæ & Raſciæ, ceteriſque finibus Orientalibus, & Aquilonariis ſeu Auſtralibus gratum ſuum exhibuerint famulatum, ad lucrifaciendas animas Chriſti ſanguine redemptas, quod odor bonorum operum eorumdem, per Orbem diffuſus, multas fidelium mentes cœlica ſuavitate repleverit, devotione pariter & affectione ſanctimoniæ ſpiritualis. Sed heu! (proh dolor!) a paucis admodum ferme temporibus, ſatore zizaniæ procurante, quædam exorta gravis etiam nobis ad audientiam relata eſt diſcordia inter Fratres Hungaros ex una, & Boſnenſes ceteroſque Sclavos, citra flumen Zane reſidentes, ex altera partibus, quod ad diviſionem venerint Vicariorum Ordinis prælibati, in tantum, quod Hungari elegerint ſibi Vicarium pro ſeipſis, & Boſnenſes & Sclavi alium ſibi elegerint e converſo.

§. II. Nos igitur attendentes, quod unio incrementum, diviſio ut plurimum detrimentum ſolet afferre compendii ſalutaris, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum, vel alicujus pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium prædictas diviſionem, ſciſſuram & ſeparationem, per quoſcumque quavis auctoritate præditos, & quomodocumque in dicta Vicaria factas, procuratas vel intentatas, necnon quæcumque inde ſecuta revocamus, caſſamus, irritamus & etiam annullamus, nulliuſque roboris vel momenti fore decernimus, volumus & mandamus, ac Vicariam ipſam Boſnæ prædictam, illiuſque Fratres prædictos, quoad domos & loca citra & ultra flumen Zanæ ubicumque trans mare Adriaticum conſiſtentia, necnon omnia & ſingula privilegia &c. & jura in eodem ſtatu, in quo antequam diviſiones & ſeparationes prædictæ fierent, erant, quomodolibet emanata reſtituimus, reponimus & reintegramus.

§. III. Propterea motu, ſcientia, auctoritate & tenore prædictis volumus, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnia & ſingula domos atque loca tam in Boſnæ, quam aliis provinciis ſive regnis conſiſtentia prædicta, quæ omnia Vicariæ Boſnæ vocari & nominari præcipimus, per unum Vicarium regi decernimus: cujus electio ad Fratres hujuſmodi Vicariæ, ipſius vero electionis confirmatio ad Generalem Miniſtrum prædicti Ordinis pro tempore exiſtentis ſpectent & pertineant; quique Vicarius ſic electus etiam ante confirmationem, Vicariatus hujuſmodi officium libere exercere valeat, ac Vicario Ciſmontano pro tempore exiſtenti ſubſit, pareat & intendat, cujus auctoritate prædicti Fratres ejuſdem regantur & gubernentur; quodque ſi Miniſter Generalis prædictus prædictam hujuſmodi electionem, poſtquam illa ſibi fuerit præſentata, infra triduum forſan recuſaverit aut diſtulerit confirmare, dicta electio eo ipſo dicta auctoritate Apoſtolica confirmata ſit & eſſe cenſeatur, ac ſic in Vicarium electus abſque alia confirmatione officium Vicariatus hujuſmodi libere & licite valeat exercere. Confirmantes præterea harum ſerie electionem celebratam per dilectos filios ejuſdem Ordinis profeſſores regni Hungariæ, in perſonam dilecti filii Fabiani de Bachia, dicti Ordinis profeſſoris, in tota & integra Vicaria prælibata, uſque ad proximum futurum Capitulum, in eadem Vicaria æquanimiter celebrandum: diſtrictius inhibentes eidem Generali Miniſtro & prædictis, ac aliis Fratribus dicti Ordinis, necnon univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus Eccleſiaſticis & Regularibus Ordinum quorumcumque, exemptis & non exemptis, ac Laicalibus cujuſcumque etiam dignitatis &c. etiamſi Regalis, Reginalis, Pontificalis, Ducalis, aut cujuslibet alterius Eccleſiaſticæ, vel mundanæ fuerint, ne contra reſtitutionem, repoſitionem, reintegrationem, voluntatem, ſtatutum & ordinationem, ac omnia alia & ſingula in præſentibus noſtris litteris contenta, per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, quovis quæſito colore venire, ſeu aliquid attentare præſumant; ac decernentes illos ex ipſis, Generali Miniſtro, Fratribus & fidelibus, qui contrarium fecerint, ut præfertur, excommunicationis ſententiæ, a qua niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutonis beneficium obtinere nequeant, ſubjacere eo ipſo &c.

§. IV. Non obſtantibus contrariis quibuſcumque. Quibus omnibus & ſingulis, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præſentes & in eis contenta, derogari intendimus & expreſſe derogamus. Volumus autem quod per quaſcumque litteras Apoſtolicas, dicto generali Miniſtro, ſeu aliis ſub quibuſvis verborum formis, quomodolibet conceſſas vel in poſterum concedendas, præſentes litteræ & in eis contenta hujuſmodi nullatenus intelligantur revocata. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. IX. Kalendas Februarii, anno XIV.

CLXIX.

Fratres Regular. Obſervant. domus ſancti Pauli extra muros Bononien. ab omnibus datiorum ſolutionibus eximuntur. Ibidem, fol. 268.

Ad futuram rei memoriam.

Ut ſupra Conſtit. 265. hujus Pont. Ad ea, per quæ Religioſorum &c. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum loci ſancti Pauli extra & prope mœnia Urbis noſtræ Bononien. Ordinis beati Franciſci, *de Obſervantia* nuncupati, peti-

petitio continebat, quod ſive ex ſtatuto civitatis, ſive ex conceſſione Apoſtolica, de omnibus relictis ad pias cauſas, etiam pro celebrandis Miſſis in ſubſidium animarum, ſive alia ratione, ipſi Fratres, quando ſiunt ſuo loco hujuſmodi relicta & legata, coguntur ad ſolvendum Eccleſiæ ſancti Petronii Bononien. duos bononenos pro libra, pariterque quando aliquid extra portam civitatis prædictæ deferri faciunt, aut intra illam portari, ſive ad victum & uſum familiæ neceſſarium, ſive ad fabricarum ſtructuram, coguntur ad ſolvendum datia ordinaria cuilibet impoſita. Quare volentes ipſorum Religioſorum in hac parte ſupplicationibus ſatisfacere, eoſdem & locum prædictum, habitanteſque in illo futuris temporibus, in Regulari obſervantia perſeverantes, ab omnibus & ſingulis ſupradictis duorum bononenorum pro libra & datiorum ordinariorum ſolutionibus auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium abſolventes, præcipimus & mandamus omnibus & ſingulis dictæ civitatis Officialibus, præſentibus & futuris, quatenus prædictos Fratres & locum, ac in eo habitaturos, nullatenus prædictorum occaſione moleſtetis, aut alias inquietetis. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. VI. Kalendas Februarii, anno XIV.

CLXX.

Fratres & Sorores Tertii Ordinis Regnorum Boſnæ & Hungariæ ſubmittuntur poteſtati Vicarii Boſnen. Ibidem, folio 284.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſcit dilectorum filiorum Vicarii & Fratrum Vicariæ Boſnæ &c. Hinc eſt quod nos pro Religionis augmento &c. *ut in Bulla* 148. *uſque ad*, utrinſque ſexus Chriſtifidelibus, in quibuſcumque partibus ſeu locis, ad quas vel ad quæ dicta Vicaria extenditur, pro tempore commorantibus &c. *ibidem uſque ad* deſuper licentia ſuffultæ, in Hungariæ partibus inſimul habitantes, aliqua loca pro earum uſu &c. eiſque quod jam recepta retinere, & aliis ſimiliter prædicti ſexus perſonis, quod duo, tria & plura, ac tot alia domos atque loca, quot ipſis Vicariis expediens videbitur, cum oratoriis, dormitoriis &c. officinis ubilibet in dicta Vicaria denuo conſtruere, ſeu jam conſtructa, vel ſibi conceſſa recipere; Confraternitates etiam, ſeu ſocietates pietati idoneas, juxta morem præſertim Italicum, vulgariter *Verberatorum* ſeu *Flagellatorum* nuncupatas, cum opportunis conſtitutionibus ordinare, & ordinatas abſque quorumvis Prælatorum Eccleſiaſticorum, vel alterius dignitatis contradictione, quibus, ut in talibus deſiſtere debeant, Apoſtolica auctoritate, harum ſerie prohibemus ac interdicimus, in ſuis devotionibus ac piis operibus fovere &c. Necnon quod Confeſſor ſeu Confeſſores &c. *ut in eadem*, *uſque ad*, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Vide Conſt. 148. hujus Pontif.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. pridie Kalendas Februarii, anno XIV.

Digitized by Google

CLXXI.

Ut admittant Eccleſiam ſancti Laurentii, & terræ portionem prope muros Cæſenat. pro cœnobio inibi conſtruendo, Ibidem, folio 276.

Dilectis filiis Fratribus Vicariæ Bononiæ & Romandiolæ, Ordinis Minorum de Obſervantia.

Vide Conſtit. 1c hujus Pontif.

§. I. SAcræ Religionis &c. Hinc eſt, quod dilectorum filiorum nobilis viri Malateſtæ Novelli de Malateſtis, noſtræ civitatis Cæſenæ in temporalibus Vicarii noſtri, & populi ac Communis dictæ civitatis &c. cupientium &c. Fratres veſtri Ordinis in aliquo loco habere, ſupplicationibus inclinati, audito, quod extra & prope muros dictæ civitatis eſt quædam S. Laurentii Eccleſia, olim Monaſterium ſancti Benedicti vocata, quod Monaſterium, propter guerras præteriti temporis jampridem derelictum, Eccleſiæ Cathedrali dictæ Cæſenæ univimus, & quam Eccleſiam ſancti Laurentii Venerabilis frater Epiſcopus, qui nunc eſt, vobis concedi contentatur & optat, devotioni veſtræ, ut prædictam ſancti Laurentii Eccleſiam capere, & in ipſa campanile, campanas et cœmeterium retinere, circa eamdem domos et alias officinas pro veſtro loco, uſu &c. Fratrum dicti Ordinis inſtituere, facere et conſtruere, et inibi ſub Regularibus inſtitutis veſtri Ordinis Altiſſimo famulari &c. valeatis, Ordinarii &c. minime requiſito, juribus &c. ſalvis, licentiam &c. concedimus facultatem. Et nihilominus vobis &c. ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere valeatis &c. indulgemus. Felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. non obſtantibus quibuſcumque.

§. II. Verum quia dicta ſancti Laurentii Eccleſia certa territoria circa ſe habere dicitur, quibus totis vos minime indigetis, volumus quod Fratres ex veſtris, qui ad capiendum dictum locum accedent, vocato Venerabili fratre noſtro Epiſcopo Cæſenat. & dilecto filio Chriſtophoro Canonico Cæſenat. ac duobus civibus ſibi a Communitate aſſignatis, tantam dictorum territoriorum partem, quæ aut pro officinis conſtruendis, aut pro horto, domo & loco prædictis videbitur neceſſaria, etiam capiant, & cum certis affixis terminis ad partem deſignatis, ut perpetuo cognoſci poſſit ipſa territoriorum pars ad veſtrum locum ſpectans, ſeparata ab aliis prædictis territoriis, quæ cum bonis olim Monaſterii ſancti Laurentii volumus remanere. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLIV. Kalendis Februarii, anno XIV.

Anno Christi 1445. Eugenii IV. anno 15.

CLXXII.

Ut permittat Obſervantes pacifica poſſeſſione domus Termularum gaudere. Ibidem, lib. 12. Bullarum, fol. 173.

Dilecto filio Miniſtro provinciæ Apuliæ Ordinis Minorum.

CUm pro pacifico et quieto ſtatu, ac regimine Fratrum Ordinis Minorum ordinaverimus alias, ut Fratres ejuſdem Ordinis, qui *de Obſervantia* nuncupatur, per proprium Vicarium regantur; et, prout accepimus, in provincia ſancti Angeli, in civitate Termularum ſit locus eiſdem Fratribus *de Obſervantia* olim aſſignatus, in cujus poſſeſſione Fratres hujuſmodi de Obſervantia inpræſentiarum exiſtunt &c. Eapropter devotioni

tuæ

tuæ in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus feceris, ipſo facto incurrere volumus, injungimus & mandamus Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, quatenus de hujuſmodi loco Termularum te nullatenus intromittas, ſed infra decem dies, poſt receptionem præſentium computandos, locum hujuſmodi dilecto filio Vicario dictæ provinciæ ſancti Angeli, ſecundum morem veſtri Ordinis nuncupato, debeas conſignaſſe. Si quid autem in dictis locis juris te habere prætendis, compareas coram nobis accepturus juſtitiæ complementum.

Datum Romæ, XXII. Aprilis, anno XV.

CLXXIII.

Ut faveat Obſervantibus in civitate ſua Termularum degentibus. Ibidem.

Dilecto filio Carolo de Campobaſſo &c.

PEr tuas litteras directas Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Lucerin. et ab eodem Epiſcopo nobis porrectas intelleximus, inter dilectos filios Miniſtrum Fratrum *Conventualium* provinciæ Apuliæ, Ordinis Minorum ex una, et Vicarium et Fratres *de Obſervantia* loci tuæ civitatis Termularum dicti Ordinis ex alia partibus, nonnullas differentias emerſiſſe, Miniſtro præfato ad Fratres ſuos Conventuales prædictum locum, Vicario vero ad illos de Obſervantia pertinere aſſerentibus. Verum cum ſimus fide dignis relationibus informati, prædictum locum ipſis Fratribus de Obſervantia deputatum et aſſignatum eſſe, eoſque in ipſius poſſeſſione actualiter exiſtere, eapropter ſcribimus dilecto filio prædictæ provinciæ Miniſtro, quatenus de ipſo loco Termularum ſe nullatenus intromittat, ſed ipſum dictis Fratribus de Obſervantia liberum et quietum dimittat, et ſi quid in eo juris habere prætendit, accedat ad præſentiam noſtram juſtitiam recepturus. Quare nobilitatem tuam in Domino requirimus et hortamur, quatenus ipſis Fratribus de Obſervantia, qui in prædicti loci poſſeſſione eſſe dicuntur, faveas & aſſiſtas, itaut nullatenus in poſſeſſione dicti loci de facto perturbentur, aut moleſtentur.

Datum Romæ, XXII. Aprilis, anno XV.

CLXXIV.

Ut Regina Francorum Obſervantibus ponat Cœnobium extra muros Pariſien. juxta capellam ſancti Dionyſii, aut alibi. Ibidem, libro 23. Bullarum, folio 50.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cetera noſtri cordis deſiderabilia &c. Cum itaque, ſicut pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Francorum Illuſtris, nobis nuper exhibita petitio continebat, ipſa ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, illorum videlicet qui *de Obſervantia* nuncupantur, gerit devotionis affectum &c. deſideret, quod in quodam loco ſubtus Monaſterium Monialium Montis Martyris, extra muros Pariſien. Ordinis ſancti Benedicti, conſiſtente, in quo ſanctus Dionyſius palmam Martyrii ſuſcipiendo decapitatus fuit, in quo capella ipſius Sancti ſita exiſtit, ſeu alio quocumque accommodo loco una domus pro uſu et habitatione perpetuis quorumdam dicti Ordinis Fratrum, inibi continuo ſub Regulari ipſius Ordinis obſervantia vivere debentium, effectualiter conſtruatur. Nos deſiderium *Ut in Conſt. 72. hujus Pontif.*

Re-

Reginæ hujuſmodi condignis in Domino laudibus commendantes &c. capellam prædictam, ac domos et habitationes, necnon terras ad conſtructionem domus hujuſmodi neceſſarias, eidem capellæ contiguas, et ſilvam, ſi qua ſit, in eventum erectionis inibi domus hujuſmodi dumtaxat, et in quantum illæ ad ipſum Monaſterium pertineant, ab eodem Monaſterio auctoritate &c. ſegregamus. Et nihilominus Reginæ prædictæ in illo, in quo capella, domus, habitationes & terræ ſegregatæ hujuſmodi conſiſtunt, ſeu alio, de quo dictæ Reginæ viſum fuerit, civitatis ſeu Diœceſ. Pariſien. ad id accommodo locis unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro &c. officinis pro uſu & habitatione perpetuis quorumdam ex Fratribus dicti Ordinis Minorum præſentibus et futuris, ſub dicta obſervantia dumtaxat degentibus, necnon ſub obedientia Vicarii generalis pro tempore exiſtentis Fratrum Ordinis et obſervantiæ hujuſmodi, extra Italiam conſiſtentium, permanſuris, ædificandi &c. necnon Fratribus prædictis & eorum ſingulis domum prædictam recipiendi &c. facultatem, ac etiam omnibus et ſingulis Guardianis & Fratribus in dicta erigenda domu &c. ut omnibus privilegiis &c. uti valeant &c. concedimus. Non obſtant. felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. IX. Kalendas Maii, anno XV.

CLXXV.

Inſtituuntur Conſervatores & Defenſores domus & Fratrum ſanctæ Mariæ de Ara-Cœli. Ex ipſo originali.

Venerabili Fratri Joanni Epiſcopo Preneſtin. Tarentin. & dilecto filio Guillelmo, tituli ſancti Martini in Montibus Presbytero, Andegaven. vulgariter nuncupatis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus.

§. I. Quamvis de cunctis Orbis Eccleſiis, prout ex debito Nobis deſuper injuncti paſtoralis officii tenemur, ſollicite cogitemus pro eorum ſtatu ſalubriter dirigendo, inter ceteras tamen ad Eccleſias Almæ Urbis, et præſertim quæ Venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium tituli fore noſcuntur, et eorum curæ et adminiſtrationi committi conſueverunt, noſtræ conſiderationis intuitum propenſiori ſtudio dirigimus, ut Eccleſiæ ipſæ in locis in quibus ruinam minantur reparentur, ac alias in ſuis ædificiis et ſtructuris debite conſerventur.

§. II. Cum itaque ratione inducti proximis temporibus videntes conventum ſanctæ Mariæ de Ara-Cœli de Urbe prædicti Ordinis Minorum, ſecundum ipſius Ordinis regulam et inſtituta minime gubernari, minuſque laudabiliter vivere, amotis inde Fratribus ejuſdem Ordinis Conventualibus, ipſum locum dedimus atque conſignavimus aliis Fratribus etiam dicti Ordinis, qui dicuntur *de Obſervantia*: indignum namque viſum eſt, locum illum, qui in alma Urbe, Chriſtiani Orbis Domina, celeberrimus exiſtit, beati Franciſci, & ejus Minorum Ordinis vocabulum habere, & Regulæ obſervantiam non tenere. Cum itaque vos ex noſtra commiſſione laudabilem hujuſmodi reformationem feceritis, dignum exiſtimamus, ut in dies, dante Domino, uberiores fructus afferat, defenſionem Conventus, & Fratrum illius vobis et veſtrum cuilibet demandare. Hinc eſt quod nos motu proprio &c. vos ambos ſimul, & quemlibet veſtrum in alterius abſentia, Conſervatores & Defenſores dicti loci, atque Conventus beatæ Mariæ

riæ de Ara-Cœli et Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari in eo commorantium, auctoritate &c. vita veſtra durante, facimus &c. vobis, et veſtrum cuilibet, ut præfertur, conſervandi &c. & Fratres toties quoties vobis videbitur expedire, ſecundum ejuſdem canonicæ inſtituta, offenſores, moleſtatores & contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuram &c. compeſcendo, invocato &c. brachii ſecularis, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, poteſtatem plenam & liberam concedentes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. VIII. Kalendas Maii, anno XV.

CLXXVI.

Ut Obſervantes prope Eccleſiam ſanctæ Mariæ Novæ de Racula Cœnobium conſtruant. Reg. Vat. Ex lib. I. de Regularibus, anno 15. fol. 186.

Dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Neritonen.

§. I. Ad ea ex ſuſceptæ ſervitutis officio Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudium ex corde dirigimus, per quæ ſacra Religio propagationem, ac Divini cultus, necnon Eccleſiæ & loca Eccleſiaſtica qualibet votivum, dante Domino, ſuſcipere valeant incrementum. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis & Fratrum domus ſanctæ Catarinæ de terra ſancti Petri, Ordinis Fratrum Minorum *de Obſervantia*, Hydruntin. Diœceſ. petitio continebat, quod venerabilis frater noſter Stephanus Epiſcopus Neritonen. &c. Eccleſiam ſanctæ Mariæ Novæ de Racula, Neriton. Diœceſ. ad præſens Rectore carentem, Cuſtodi & Fratribus prædictis pro ipſorum uſu &c. donare, ipſique Cuſtos & Fratres Eccleſiam prædictam recipere &c. exoptant &c. Quare pro parte dictorum Cuſtodis & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi tibi expediens videatur &c. eiſdem Cuſtodi & Fratribus Eccleſiam prædictam cum ædificiis ſibi adjacentibus, ac aliis juribus & pertinentiis ſuis recipiendi, & apud illam domum cum cœmeterio, clauſtro, campanili &c. officinis pro nonnullorum ex dictis Fratribus uſu & habitatione perpetuis fundandi & conſtruendi &c. licentiam largiaris: jure &c. ſalvo. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. Nos enim, ſi licentiam per te concedi &c. omnibus ac ſingulis Fratribus, qui in ipſa &c. morabuntur, quod quibuſcumque privilegiis &c. conceſſis, uti & gaudere valeant &c. concedimus per præſentes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. XV. Kalendas Junii, anno XV.

CLXXVII.

Ut Sorores domus Ganden. principalia vota cum profeſſione emittant. Ibidem fol. 120.

Ad futuram rei memoriam.

Annuere ſolet Sedes Apoſtolica piis votis, & ipſorum præſertim fœminei ſexus honeſtis precibus favorem benevolum impertiri. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci &c. in quadam domo apud parochialem Eccleſiam S. Joannis Ganden. Tornacen. Diœc. inſimul commorantium,

tium,

tium, petitio continebat, licet ipſæ & quælibet earum, a pleriſque annis citra, profeſſionem per Sorores dicti Ordinis emitti ſolitam, in domo præfata, in manibus Viſitatoris ejuſdem Ordinis vel ſuorum Superiorum ſolemniter emiſerint, ac etiam tria dicti Ordinis, prout illius ſuadent inſtituta regularia, ſubſtantialia vota ſervare velle, etiam cum ſolemnitatibus in talibus fieri ſolitis juraverint, pro eo tamen quod in prædictis Sedis prædictæ auctoritas non intervenit, ipſæ Sorores ſe ſuper his inquietari & moleſtari poſſe dubitent tempore ſuccedente. Nos &c. omnia & ſingula, quæ circa profeſſionis emiſſionem ac juramenta per ipſas præſtita hujuſmodi alias rite facta ſunt, auctoritate Apoſtolica ratificamus & approbamus,& quod ſingulæ in hujuſmodi domo pro tempore recipiendæ Sorores ſimilia vota ac profeſſiones, inibi emitti ſolitas, emittere libere liciteque poſſint, ipſis dicta auctoritate concedimus per præſentes. Non obſtant. conſtitutionibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ ratificationis, approbationis & conceſſionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. VII. Kalendas Junii, anno XV.

CLXXVIII.

Deputantur Protectores & Advocati Fratrum domus ſanctæ Mariæ de Ara-Cœli. Ex ipſo antographo. Et ex Regeſt. Vat. ex lib. 23. fol. 134.

Dilectis filiis nobilibus viris Senatori & Conſervatoribus, ac Capitibus regionum noſtræ almæ Urbis, præſentibus & futuris.

§. I. IN eminentis Apoſtolicæ Sedis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, pro ſingulorum fidelium, & præſertim, mundanis abjectis illecebris, in humilitatis ſpiritu, ſub Regulari obſervantia Altiſſimo famulantium, ſtatu ſolliciti eſſe compellimur, & ea ſincere tenemur amplecti, quæ ad Religionis incrementum pertinent, quatenus Religioſorum quies ſervetur illæſa, cum devotis & potentibus defenſoribus Apoſtolica fuerit auctoritate munita. Nuper ſiquidem ad audientiam noſtram, non ſine diſplicentia grandi, deducto quod in domo beatæ Mariæ de Ara-Cœli de Urbe, Ordinis Fratrum Minorum, quæ inter alias ejuſdem Ordinis domos, tum propter loci ſitum, tum etiam propter ſumptuoſa illius ædificia, ſingularis & admodum ſolemnis fore dignoſcitur, nulla penitus obſervantia vigebat, divinuſque cultus negligebatur, ac illa, nonnullorum inibi degentium Fratrum culpa, incuria ſeu negligentia cauſantibus, quamplura in ſpiritualibus paſſa fuerat detrimenta: Nos indignum exiſtimantes domum ipſam, quæ in præfata Urbe, Chriſtiani Orbis matre, celeberrima exiſtit, dicti Ordinis vocabulum, & non rem, videlicet illius Regularem obſervantiam,tenere, ac propterea illam reformari, & ad obſervantiam prædictam reduci cupientes, reformationem & reductionem præfatas venerabili fratri noſtro Joanni Epiſcopo Præneſtin. & dilecto filio noſtro Guillelmo tituli ſancti Martini in Montibus Presbytero Cardinali, oraculo vivæ vocis commiſimus primo, & deinde cum Epiſcopus & Cardinalis prædicti reformationem, reductionemque hujuſmodi feciſſent, & ſufficienti a nobis ſuper his facultate ſuffulti, auctoritate facultatis hujuſmodi, amotis ab illa Fratribus ejuſdem Ordinis Conventualibus, domum ipſam nonnullis Fratribus prædicti Ordinis, *de Obſervantia* nuncupatis, dediſſent, & aſſignaſſent, eoſdem Epiſcopum & Cardinalem ſimul, ac ipſorum quemlibet in alterius abſentia Conſervatores & Defenſores prædictæ domus fecimus, conſtituimus &c.

§.II. Nos

§. II. Nos itaque vitam laudabilem & opera fructuoſa dictorum Fratrum *de Obſervantia* condignis in Domino laudibus commendantes &c. ut ipſi Fratres de Obſervantia majores animarum fructus afferre, & aliis divinis beneplacitis ferventius inſiſtere valeant, quo veſtra fuerint protectione muniti, motu proprio &c. tenore præſentium vos & quemlibet veſtrum, præſentes & futuros, perpetuos Advocatos, Protectores & Defenſores, ac Advocatum Protectorem & Defenſorem domus & Fratrum de Obſervantia hujuſmodi facimus, conſtituimus &c. eoſdem Fratres in pacifica poſſeſſione præfatæ domus, & alias adverſus ejectos, & quoſcumque alios Fratres, præſertim Conventuales dicti Ordinis, ipſorumque Conventualium Fratrum Superiores, ceteroſque quoslibet mundanos vel Eccleſiaſticos, ſeculares ſeu Religioſos, cujuſcumque nobilitatis, ſtatus &c. ipſorum Fratrum *de Obſervantia* impetitores, moleſtatores &c. defendendi, ac ipſos impetitores &c. diſtrictione, qua convenit, & etiam per perſonarum, dummodo, ſi Religioſi ſeu alias Eccleſiaſtici, Romana Curia extra Urbem exiſtente, ſi vero laici fuerint, quandocumque, captionem & incarcerationem, ac laicos hujuſmodi etiam per pecuniarias & alias formidabiliores pœnas, de quibus vobis videbitur, compeſcendi &c. omnia quoque alia & ſingula, ſtatum, commodum, utilitatem, conſervationem &c. Fratrum de Obſervantia, necnon conſervationem & augmentum obſervantiæ hujuſmodi quomodolibet concernentia, in judicio & extra procurandi, faciendi & exequendi plenam ac liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtant. conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. Nonis Junii, anno XV.

CLXXIX.

Ut Obſervantes domum juxta Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Sabineto recipiant, & ad conſtructionem aliqua bona vendant. Ex Archivo ſecreto, libro 9. Bullar. 3. ſecret. fol. 112.

Venerabili fratri Epiſcopo Adrien.

§. I. DEcet Romanum Pontificem, cui Eccleſiarum omnium cura commiſſa eſt, votis illis libenter annuere, per quæ ſtatus & honor dictarum Eccleſiarum, ac Divinus cultus, necnon ſacræ Religionis propagatio opportunum ſuſcipiant incrementum. Cum itaque, ſicut nuper accepimus, dilecti filii Commune & homines terræ Rodiginei, tuæ Diœceſis, zelo devotionis accenſi, quamdam domum Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio & aliis neceſſariis officinis, juxta licentiam a nobis deſuper emanatam, conſtruere & ædificare proponant, nullumque locum reperiant ad id magis idoneum, quam Eccleſiam ſine cura ſanctæ Mariæ de Sabineto, de jurepatronatus Marchionis Eſtenſis pro tempore exiſtentis, ſitam extra prædictam terram &c. quæ ſi ſupprimeretur, ac illius ſtructuræ & ædificia in conſtructionem & fabricam ipſius erigendæ domus converterentur, omneſque fructus, reditus & proventus, poſſeſſiones & bona dictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ venderentur, & illorum pretium ad uſum & utilitatem ejuſdem domus, necnon Fratrum in ea pro tempore degentium deputarentur, profecto domus ipſa ibidem celeriter perficeretur, ac Divinus in ea vigeret cultus &c. Quare pro parte dictorum Communis & hominum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati &c. mandamus, quatenus de præmiſ-

ſis &c. informes &c. Eccleſiam ſanctæ Mariæ prædictæ, ſi vacat ad præſens, aut quamprimum per ceſſum vel deceſſum illam obtinentis vacare contigerit, etiamſi actu alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona vacet, illiuſque nomen & ſecularitatem, dummodo Marchionis hujuſmodi expreſſus accedat aſſenſus, auctoritate noſtra penitus & omnino ſupprimas & extinguas, necnon ſtructuras, ædificia, fructus, reditus, proventus, poſſeſſiones & bona hujuſmodi vendas, eorumque pretium in conſtructionem & fabricam dictæ domus, ac alias in uſus & utilitatem Fratrum in ea pro tempore degentium convertas, deputes & aſſignes, aliaque facias, diſponas & exequaris, quæ in præmiſſis neceſſaria cognoveris & opportuna; jure &c. ſalvo. Non obſtantibus &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. Kalendis Auguſti, anno XV.

CLXXX.

Ut confirmet concordiam inter Epiſcopum & Capitulum ac Moniales Monaſterii Ambianen. initam. Ex lib. 1. de Regularibus &c. anno 15. fol. 187.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Martini Ambianen.

§. I. Regimini univerſalis Eccleſiæ quamquam immeriti, diſponente Domino, præſidentes, curis urgemur, & aſſidua meditatione pulſamur, ut quorumcumque Religioſorum locorum illorumque perſonæ dirigantur ſalubriter & feliciter gubernentur, ac ne in ſpiritualibus vel temporalibus detrimenta ſubeant, libenter ipſis, quantum poſſumus, opportunæ proviſionis remedium adhibemus. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Philippi militis, Domini loci de Savenſes, Ambianenſis Diœceſ. & dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Mariæ de Lullii Domicellæ, ejuſdem Philippi conthoralis, nobis expoſito, quod ipſi ob ſingularem quem ad Ordinem ſanctæ Claræ gerebant devotionis affectum, de bonis eis deſuper collatis, etiam Chriſtifidelium caritativis concurrentibus præſidiis, ad omnipotentis Dei laudem &c. aliquod hujuſmodi Ordinis Monaſterium cum Eccleſia, campanili &c. officinis pro uſu & habitatione aliquarum dicti Ordinis Monialium, quarum una Abbatiſſa eſſet, in aliquo ad hoc apto & congruo loco in villa de Corbeya, dictæ Diœceſ. aut in aliqua ex prædicta, vel Atrebaten. ſeu Tornacen. Diœc. conſtruere &c. deſiderabant; Nos hujuſmodi deſiderio annuentes, eiſdem Philippo & Mariæ Monaſterium hujuſmodi cum Eccleſia, campanili &c. pro uſu & habitatione Monialium in loco prædicto conſtruendi &c. licentiam auctoritate Apoſtolica duximus concedendam. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Joannæ Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii, tunc in civitate Ambianen. pro earum uſu & habitatione, ac receptatione, vigore litterarum & licentiæ hujuſmodi conſtructi & ædificati, petitio continebat, poſtquam ipſæ, Monaſterium prædictum pro præmiſſis uſu & habitatione acceptantes, inibi ſub Regulari dicti Ordinis caſtimonia Altiſſimo aliquandiu famularant, cum inter venerabilem fratrem noſtrum Joannem Epiſcopum Ambianen. ac dilectos filios Decanum & Capitulum Eccleſiæ Ambianen. ex una, necnon inter Abbatiſſam & Conventum prædictos ex altera partibus, ſuper conſtructione & fundatione Monaſterii hujuſmodi, necnon jure funerali, oblationibus, ac certis aliis tunc expreſſis, ac illarum occaſione, diſſenſionis quæſtioniſque materia ſuborta fuiſſet, Philippus & Maria, ac Abbatiſſa & Conventus prædicti cum eiſdem

Epi-

Epiſcopo, Decano & Capitulo ſuper præmiſſis in certum etiam tunc expreſſum concordiæ modum devenerunt, nonnulla inter ſe ordinationes & capitula hujuſmodi concordiam contingentia concipientes, quæ hinc inde obſervari diſpoſuerunt firmiter ac promiſerunt, & quæ poſtmodum, utpote juſta & rationabilia per Generalem Ordinis Fratrum Minorum Miniſtrum, in provincia Franciæ,ſecundum morem Ordinis Fratrum Minorum, laudata pariter & approbata fuere, prout in authenticis litteris, ſive in inſtrumentis publicis ſuperinde confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos itaque &c. diſcretioni &c. mandamus, quatenus ſuper præmiſſis te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris, concordiam præmiſſam,ac, prout illam contingunt, omnia & ſingula in litteris ſive inſtrumentis prædictis contenta, & quæcumque inde ſecuta eadem auctoritate approbes & confirmes &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. XVII. Kalendas Octobris, anno XV.

CLXXXI.

Cœnobio Obſervantum prope civitatem Parmen. adjudicatur quædam terræ portio. Ex Archivo ſecreto, lib.24. Bullarum, fol.16.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. ÆTerni Paſtoris vices Divina diſpenſatione gerentes in terris, ad ſingularum Eccleſiarum, necnon Eccleſiaſticarum Religioſarumque perſonarum votivam dilectionem caritate paterna propitius intendentes, illis quæ propterea ſalubriter prodeſſe comperimus, ut illibata permaneant, Apoſtolici adjicimus roboris firmitatem. Dudum ſiquidem, cum dilecti filii Populus & Commune civitatis Parmen. accenſi deſiderio habendi in aliquo loco ex ſuis aliquos ex dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum de obſervantia Regulari, & dilectus filius frater Jacobus de Primaditiis de Bononia dicti Ordinis nobis ſupplicaverint,ut Monaſterium *Religionis veteris* ſic dictum, extra & prope muros dictæ civitatis prædictis Fratribus dari & conſignari faceremus; Noſque audientes Monaſterium illud menſæ Epiſcopali Parmen. unitum eſſe, commiſimus per litteras Apoſtolicas dilecto filio Hermano Luſco Canonico Parmen. ut ſi conſenſus venerabilis fratris noſtri Delfini Epiſcopi Parmen. interveniret, prædictum Monaſterium *Religionis veteris*,cum hortis & hortalitiis dumtaxat,daret eidem fratri Jacobo de Primaditiis, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum de obſervantia Regulari licentiam capiendi, & eidem Epiſcopo dandi; & idem Epiſcopus, tunc Baſileæ exiſtens, a dilectis filiis Conrado Marchione de Careto Commiſſario, & Poteſtate, Antianis, & Canonicis civitatis prædictæ per Nuncios & litteras requiſitus, conſenſum ad prædicta neceſſarium per ſuas litteras præſtitiſſet: Denique Hermanus Canonicus, viſis litteris ſupradictis, commiſſionem ſibi per nos factam executus, antedictum *Religionis veteris* Monaſterium cum ſtructuris & ædificiis, & tanto territorio, quantum ad officinas & hortos & hortalitia illi, quibus per Epiſcopum commiſſum fuerat, judicarent neceſſarium, conſignaverit & conſignari fecerit eidem fratri Jacobo & aliis Fratribus prædictis, prout hæc omnia & alia ſuperinde geſta plenarie conſtant & apparent per litteras Apoſtolicas ac Epiſcopi prædicti, & alia inſtrumenta ſuperinde confecta, quæ omnia hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis.

§. II. Nos prædictam Monaſterii *Religionis veteris*, & territorii hujuſmodi conſignationem, ut præfertur factam, ratam habentes &c. illam, & quæcumque inde ſecuta præſentis ſcripti patrocinio auctoritate Apoſtolica communimus; volumuſque, ut, cum prædictus frater Jacobus modeſtia uti volens, parvam territorii quantitatem pro officinis & hortalitiis acceperit, ſi creſcente & multiplicante Fratrum numero, aut alia ratione contingeret Vicarium Provinciæ Bononiæ eorumdem Fratrum cum Guardiano & Diſcretis ipſius loci, & ſanctæ Mariæ *de Nunciata*, alias *Religionis veteris* nominati, judicare, eis opus eſſe majori territorio, illud ex contiguo, cum quanto minori detrimento territorii ad menſam Epiſcopalem remanentis poterunt, ſuper quo eorumdem Fratrum conſcientias gravamus, accipere, & in dicti loci ſanctæ Mariæ uſus convertere poſſint & valeant pro eorum libito voluntatis. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. III. Kalendas Decembris, anno XV.

CLXXXII.

Ut omnes oblationes, Capellæ domus Portiunculæ factæ, ad incolarum, & alios uſus remaneant, & a regimine Conventualium prædicta Capella eximatur. Ibidem, lib. 9. Bullarum 3. ſecret. fol. 101.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Licet ex debito ſummi Pontificatus officii nobis deſuper injuncti, circa Eccleſiaſticarum, ſecularium & regularium omnium perſonarum ſalubrem ſtatum nos deceat intentos exiſtere, illas tamen ex eis, quæ mundanis abjectis illecebris, ſub Regulari obſervantia, ſua vota perpetuo Altiſſimo perſolvunt, tanto libentius a vexationibus & aliis ſiniſtris quibuslibet liberamus, ac Apoſtolicis favoribus & gratiis confovemus, quantum ipſorum vita laudabili, necnon multiplicatis virtutibus,& fructuoſis operibus debite compenſatis, id etiam ad laudem & gloriam Divini nominis, populique devotionis augmentum, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. II. Sane licet, ut accepimus, locus ſanctæ Mariæ de Portiuncula, ſive de Angelis, extra muros Aſſiſinat. dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, Provinciæ ejuſdem Sancti, pro eorum uſu & habitatione canonice aſſignatus, ac alias ſub eorum cura, regimine & gubernatione Fratrum prædictorum perſtitiſſet, tamen dilecti filii Fratres & & Conventus ſancti Franciſci Aſſiſinat. ejuſdem domus, quadam ex conſuetudine ſive ordinatione, certis diebus feſtivis, præſertim in feſtivitatibus beatæ Mariæ Virginis, necnon in Veſperis Kalendis Auguſti, uſque ad ſecundas Veſperas, capellam ejuſdem loci, ad quam pro tunc non modica, ob ſingularem quem ad illam gerunt devotionis affectum, Chriſtifidelium multitudo confluit, occupare, pannos quoque, tobaleas, libros, calices, jocalia, necnon alia, quæ per ipſos Chriſtifideles juxta illorum facultatem aut devotionem, offertoria fiunt, ab inde deportare, & ſibi applicare conſueverunt, in prædicti loci non modicum præjudicium & gravamen.

§. III. Cum etiam prædictus locus propter frequentem advenientium & tranſeuntium tam ſecularium, quam religioſarum, aliarumque pauperum perſonarum hoſpitalitatem, necnon Fratrum ibidem commorantium, & aliorum undecumque per totius anni circulum, & præcipue Kalendis hujuſmodi in multitudine copioſa illuc confluentium, continuis ſumptibus & expenſis gra-

gravatus exiſtat, ipſique Fratres de Obſervantia, qui illa in civitate & diſtrictu Aſſiſinat. propter guerras &c. eleemoſynarum copiam, quibus hujuſmodi perſonæ ſuſtentari & procurari valeant, erogare & conquirere minime poſſint, aliquibus pro hujuſmodi hoſpitalitatis conſervatione ſubſidiis & Chriſtifidelium ſuffragiis indigere noſcantur.

§. IV. Nos igitur cupientes, ut ea, quæ pie circa Vicarium & Fratres Obſervantiæ antedictos facta ſunt, illibata perſeverent, noſtros ad eos, ob multiplicia quæ Altiſſimo dieque ac noctu inibi exhibent præconia laudum, motus paternos dirigentes pariter & affectus, præſentis perpetuæ & irrefragabilis conſtitutionis edicto, hacque in perpetuum valitura ſanctione, ne ullo unquam tempore Fratres Conventus hujuſmodi de cura, regimine & gubernatione dictæ capellæ, ac rerum quarumlibet, in loco & capella prædictis pro tempore oblatarum, ex nunc inantea ſe intromittere per ſe, aut per alium ſeu alios, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, cauſa vel occaſione, debeant atque poſſint; quodque regimen, cura & gubernatio loci & capellæ prædictorum ad ipſos Fratres *de Obſervantia* præſentes & futuros ſolum & inſolidum ſpectare; necnon oblationes & alia inibi pro tempore facta offertoria apud eos, in eorum ac Fratrum & peregrinorum, ac perſonarum prædictarum uſus & ſubventionem convertenda, permanere debeant; exceptis oblationibus pecuniariis; pro quibus recipiendis, juxta formam quarumdam litterarum fel. rec. Nicolai Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſuper præmiſſis in favorem dictæ domus ſancti Franciſci ac Fratrum in ea pro tempore degentium, dudum emanatarum, duo viri idonei, qui non ſint ipſius Ordinis, per Miniſtrum Provinciæ prædictæ, & Vicarium ejuſdem ſuper Fratres de Obſervantia conſtitutum deputentur, qui recipere, & ſic recepta in utilitatem locorum hujuſmodi auctoritate noſtra convertere debeant, auctoritate Apoſtolica conſtituimus, decernimus, ac etiam ordinamus: inhibentes Fratribus Conventualibus hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus fecerint, eos & eorum quemlibet incurrere volumus ipſo facto, ne per ſe vel alios Vicarium & Fratres *de Obſervantia*, aut eorum aliquem ſuper iis moleſtent, vel eis gravamina, ſeu damna vel injurias inferant vel inferri permittant quoquo modo, quibuſcumque conſtitutionibus &c. contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate eadem concedimus per præſentes. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLV. III. Nonas Decembris, anno XV.

CLXXXIII.

Ut concedat Obſervantibus Eremitorium ſancti Mainetis de Abundo. Ex libro 1. de Regularibus & dignitatibus vacant. anno 16. fol. 72.

Dilecto filio Priori Prioratus ſanctæ Catarinæ de Corvan. Burgen. Diœceſ.

§. I. Votis fidelium &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ludovici de Saja, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, Cuſtodis eorumdem Fratrum, *de Obſervantia* nuncupatorum, in provincia regni Caſtellæ & ſancti Jacobi circa portus conſiſtentium, petitio continebat, quod olim dilecti filii Didacus Lupi de Anuerbay, & Joannes Sancii, ac nonnulli alii Laici, Calaguritanæ Diœc. veri patroni cujuſdam Eremitorii ſub vocabulo ſancti Mainetis de Abundo, prope turrim de Baſaur- *Vide Conſtit. 91. hujus Pontif.*

ſaurta dictæ Diœceſ. conſiſtentis, dicto Ludovico, pro ſe, & aliorum Fratrum dicti Ordinis præſentium & futurorum uſu & habitatione, cum certo fundo & aliis ſuis Juribus & pertinentiis, ad eoſdem patronos pleno jure ſpectante, devotionis & pietatis intuitu concorditer & unanimiter conceſſerunt pariter & donarunt, quarum conceſſionis & donationis vigore dicti Fratres de Obſervantia Eremitorium prædictum, de mandato ejuſdem Ludovici ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de præſenti, ſedulum &c. Quare pro parte Ludovici & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionem &c. confirmare, ipſiſque Ludovico & Fratribus præſentibus & futuris, ut hujuſmodi Eremitorium perpetuo tenere & inhabitare, illudque neceſſariis & opportunis & alias conſuetis officinis reficere & ampliare, quodque eis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti & gaudere valeant, concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam tibi de donatione &c. conſtiterit, illas, dummodo in alicujus injuriam vel detrimentum non cedant &c. auctoritate noſtra approbes & confirmes, ipſiſque Ludovico & Fratribus Eremitorium prædictum ad eorum & aliorum Fratrum prædictorum uſum pro tempore recipiendi &c. facultatem concedas. Nos enim, ſi appropriationem &c. fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem Ludovico & Fratribus præſentibus & futuris, quamdiu in obſervantia hujuſmodi inibi vixerint, ut omnibus privilegiis &c. uti & gaudere valeant &c. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. III. Kal. Aprilis, anno XVI.

CLXXXIV.

Confirmatur erectio Monaſterii ſanctæ Luciæ Ordinis ſanctæ Claræ, in terra Leoneſſæ conſiſtentis. Reg. Vat. Ex libro 1. de Regularibus, anno 16. folio 63.

Ad futuram rei memoriam.

Ut in Conſtit. 9. hujus Pontif.

§. I. Apoſtolicæ nobis injunctæ deſuper officium &c. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Bonæ Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Luciæ de Leoneſſa, Ordinis ſanctæ Claræ, Spoletan. Diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim bonæ memoriæ Franciſcus Epiſcopus Spoletan. nonnullis mulieribus tunc expreſſis, in Eccleſia ſanctæ Luciæ de loco Leoneſſæ dictæ Diœceſ. commorantibus, ac ſub Religionis habitu Altiſſimo vota ſua reddere cupientibus, pro earum uſu & habitatione perpetuis dictam Eccleſiam, quam in Monaſterium erigerent, & aliquam ex approbatis Regulis ibidem inſtitnerent, necnon eam in ſepulturam pro perſonis inibi commorantibus haberent, conceſſit, & ſubſequenter, poſtquam Eccleſiam in Monaſterium hujuſmodi erexiſſent, eaſque ſub dicta Regula approbata vivere contingeret, ipſas dictum Monaſterium cum adjacentiis, juribus & pertinentiis ſuis ab omni Jure Epiſcopali & alio quocumque gravamine, de Prioris & Capituli Spoletan. conſenſu, reſervata tamen eidem Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus media libra ceræ, annis ſingulis in feſto ſanctæ Luciæ per Moniales dicti Monaſterii pro annuo cenſu perſolvenda, exemit & liberavit, prout in inſtrumento publico ſuperinde confecto, cujus tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictæ Abbatiſſæ aſſerentis, quod dicta Eccleſia in Monaſterium erecta & ibi-

Domus olim Monialibus conceſſa, & conditiones appoſitæ.

Digitized by Google

& ibidem Regula ſanctæ Claræ inſtituta fuerunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

Donatio confirmatur.

§. II. Nos igitur &c. conceſſionem, erectionem, inſtitutionem, exemptionem & liberationem prædictas, ac quæcumque inde ſecuta, rata & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus &c. Et inſuper univerſis & ſingulis privilegiis &c. Monialibus, ſeu Ordini Minorum per Sedem Apoſtolicam, vel alias generaliter quomodolibet conceſſis & in poſterum concedendis, libere & licite uti & gaudere valeant, eadem auctoritate indulgemus per præſentes. Non obſtant. conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcumque. Tenor vero inſtrumenti prædicti talis eſt.

Inſtrumenti tenor.

§. III. *In Dei nomine, Amen. Anno Domini ab ejus ſalutifera Nativitate, Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione octava, tempore Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini N.D. Eugenii divina clementia Papæ IV. regnante Sereniſſimo Principe & Domino noſtro, Domino Alphonſo Dei gratia Rege Aragonum, Siciliæ citra & ultra Farum &c.* & *die ſexta menſis Februarii, in præſentia mei Colæ-Lelli Jactii de terra Goneſſæ publici imperiali auctoritate Notarii, etiam Judicis Ordinarii, & horum teſtium ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, videlicet ſer. Joannis Arigenti, ſer. Bartholomæi Lelli & ſer. Benedicti, Antonii, Colæ, Siniboldi de Goneſſa, Diœceſ. Spoletan. in loco dicti Monaſterii, ubi ſimilis congregatio per Moniales ejuſdem Monaſterii fieri ſolet, de mandato venerabilis Dominæ D. Bonæ filiæ quondam Petri Chuchelle de Goneſſa, Abbatiſſæ dicti Monaſterii, ad ſonum campanæ, ut moris eſt, in quo quidem Capitulo & Conventu interfuerunt infra ſcriptæ Moniales, videlicet dicta Domina Abbatiſſa, & Domina Margarita, filia quondam Colæ Amiti de Goneſſa, & Domina Sanctella filia quondam Colettæ Vameti de dicta terra Goneſſæ, Moniales dicti Monaſterii vocem habentes in ipſo Monaſterio: quæ quidem Domina Abbatiſſa & Moniales habentes certitudinem indubitatam de quodam privilegio, jam conceſſo Monialibus, conſtruere jam volentibus, & optantibus ipſum Monaſterium cum oratorio, per Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum fratrem Franciſcum, olim & tunc Epiſcopum Spoletan. coram dictis Dominabus Abbatiſſa & Monialibus particulariter lecto & vulgarizato, ad ipſarum Dominorum plenam & claram intelligentiam, tenoris & continentiæ infra ſcriptæ; videlicet.*

Litteræ Epiſcopi.

§. IV. *Frater Franciſcus miſeratione divina P. Epiſcopus Spoletan. dilectis in Chriſto Illuminatæ, Mariæ, Franciſcæ, Claræ, Joannæ, Nicoliæ, Gregoriæ, Agneti, Agathæ & Mariæ, in Chriſto devotis, apud Goneſſam, Spoletanæ Diœceſ. commorantibus, ſalutem in Domino ſempiternam. Pios petentium affectus curæ incumbit noſtræ Paſtoralis officii proſequi effectu favoris gratiæ ſpecialis, & potiſſime in iis, quæ ad diſpoſitionem & ordinationem Religionis ſpectare noſcuntur. Sane, dilectæ in Chriſto filiæ, pro parte veſtra per Magiſtrum Joannem Berardi Odonis procuratorem veſtrum nobis extitit humiliter ſupplicatum, quod de benignitate ſolita vobis fabricandi Eccleſiam, ſub titulo beatæ Luciæ & ibidem Monaſterium conſtruendi, ubi nunc dignoſcimini commorari, impertiri licentiam dignaremur; necnon & quod Eccleſiæ & Monaſterio per vos auctoritate hujuſmodi conſtruendis, exemptionis & protectionis noſtræ privilegium, pietatis intuitu, concedere dignaremur. Veſtris igitur votis & petitionibus, quas de zelo caritatis procedere credimus, grato concurrentes aſſenſu, apud locum prædictum conſtruendi Eccleſiam ſub prædicto vocabulo, oratorium erigendi, donec Eccleſiam duxeritis conſtruendam, Monaſterium faciendi & ſepulturas hujuſmodi pro perſonis dumtaxat morantibus & in poſterum moraturis, vobis liberam concedi-*

Digitized by Google

cedimus facultatem. Verum quia decet aliquam de approbatis Regulam vos habere, vobis concedimus, ut unam ex iis, quæ vobis magis placuerit, aſſumere valeatis: Et ut in ea poſſitis Altiſſimo quietius famulari, contemplatione Dei, veſtræque devotionis obtentu, vos videlicet cum loco & adjacentibus loco veſtro ab Epiſcopali jure & alterius cujuſcumque gravaminis, de conſenſu & voluntate Prioris & Capituli Spoletan. poſt a vobis acceptam Regulam de approbatis, & poſt conſtructam Eccleſiam & erectum Monaſterium, ex nunc prout ex tunc duximus eximendas & præſentibus eximimus, reſervata nobis tantum in Monaſterio veſtro & Eccleſia, annuente Domino, apud dictum locum veſtrum conſtruendis, pro cenſu media libra ceræ, nobis noſtriſque ſucceſſoribus in feſto beatæ Luciæ annis ſingulis perſolvenda: in cujus rei teſtimonium præſentes litteras per Andream ſubſcriptum Notarium publicari mandavimus, & noſtri ſigilli fecimus appenſione muniri, præſentibus D. Octaviano Canonico Tyburtino, D. Bartholo de Rocca & D. Philippo Capellanis Eccleſiæ ſancti Joannis Spoletan. teſtibus vocatis & rogatis. Datum Spoleti in Camera palatii Epiſcopalis, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, Indictione octava & die decimo tertio Junii, Pontificatus Domini Bonifacii Papæ VIII. anno primo. Quibus omnibus & ſingulis ſupradictis Dominus Thomas Prior, D. Bartholus, D. Jacobus, D. Berardus, D. Simon Domini Gerardi, & D. Simon Domini Riccardi Canonici majoris Eccleſiæ præſentes conſenſerunt die & loco prædictis coram me Andrea infraſcripto Notario & teſtibus ſupradictis. Ego Andreas Palmerii de Spoleto Imperiali auctoritate tunc ſupradicti Domini Epiſcopi Notarius præſens fui, & mandatum prædicti Domini Epiſcopi & dictorum Prioris & Canonicorum ſcripſi & publicavi & meum ſignum appoſui, omiſſo ſigno dicti Notarii, & ſigno Epiſcopali a pede dicti privilegii pendente, in quadam zagana ſita more ſolito.

§. V. *Animadvertentes & conſiderantes tenorem & effectum ipſius privilegii, quod Moniales dicti Monaſterii gaudere non poſſunt effectualiter exemptionibus in eo conceſſis, niſi primo Moniales dicti Monaſterii aſſumpſerint aliquam Regulam approbatam, & conſtructo Monaſterio & oratorio in eodem, cupientes, ut decet, ſub regula approbata ſubjacere & Deo ſervire, ut tenentur, ad hoc ut in ipſo privilegio & gratia gaudere poſſent, ideo conſtituta dicta Domina Abbatiſſa cum conſenſu, præſentia & voluntate, ac auctoritate dictarum aliarum Monialium, & ipſæ Moniales cum conſenſu, præſentia & voluntate, ac auctoritate dictæ Dominæ Abbatiſſæ, nomine & vice dicti Monaſterii, Capituli & Conventus, nemine diſcordante, de earum communi concordia & voluntate, vigore dicti privilegii & exemptionis elegerunt & eligere diſpoſuerunt & voluerunt Regulam beatæ Claræ Virginis, Ordinis beati Franciſci, approbatam per ſanctam Matrem Eccleſiam & ſummos Pontifices, ſub qua approbata Regula ſe regere & gubernare cupiebant Domino concedente, & promiſerunt omnia & ſingula facere & approbare, quæ ſecundum dictam regulam approbatam facere & obſervare tenentur, & dare ac aſſignare Domino Epiſcopo Spoletan. ſingulis annis in feſto ſanctæ Luciæ Virginis, ſub cujus vocabulo & nomine dictum Monaſterium extitit conſtructum & ædificatam, mediam libram ceræ, prout in ipſo privilegio continetur, pro cenſu debito dicti Monaſterii, abſque aliqua contradictione, rogantes me Notarium ſupraſcriptum, ut de prædictis publicum conficerem inſtrumentum. Actum Goneſſæ in dicto Monaſterio, videlicet in toccho dicti Monaſterii, juxta hortam dicti Monaſterii & alia bona dicti Monaſterii, ſtratam publicam & alia latera: & ego Cola Lelli Juctii de terra Goneſſæ publicus Imperiali auctoritate Notarius & Judex Ordinarius prædictis omnibus & ſingulis interfui, & rogatus ſcribere ſcripſi & publicavi, meoque ſolito ſi-*

gno

gno ſignavi, & appoſui conſuetum. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, ſuppletionis, communitionis & conceſſionis infringere &c. Concluſio.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. XI. Kalendas Maii, anno XVI.

CLXXXV.

Ut Obſervantes admittant domum in civitate vel Diœceſi Conchen. Ex lib. 3. de diverſis formis anno 16. folio 64.

Dilecto filio Theſaurario Eccleſiæ Segobien.

§. I. Piis votis &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Joannis Pacheco, Marchionis de Villena, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis accenſus &c. ſeu Eccleſia, cæmeterio, campanili &c. officinis, pro quorumdam Fratrum ipſius Ordinis, ſub illius Regulari obſervantia viventium, ad hoc per eumdem Joannem eligendorum vel aſſumendorum, uſu & habitatione perpetuis &c. in civitate vel Diœceſi Conchen. fundare &c. deſiderat &c. Quare pro parte ejuſdem Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. *Vide Conſtit. 61. hujus Pontif.*

§. II. Nos igitur &c. dilecti filii nobilis viri Henrici Principis Aſturiarum, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Caſtellæ & Legionis Regis Illuſtris primogeniti, nobis ſuper hoc ſupplicantis humiliter, ac dicti Marchionis in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus, ſi tibi &c. licentiam hujuſmodi concedendam fore videbitur &c. domum hujuſmodi fundandi & conſtruendi, necnon Fratribus ad id per eum eligendis &c. pro hujuſmodi eorum & aliorum ipſius Ordinis Fratrum uſu & habitatione recipiendi &c. Diœceſani loci &c. minime requiſita, ac jure &c. ſalvo, plenam &c. licentiam largiaris: nos enim &c. quod dicta fundanda domus, & Fratres in illa pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis &c. quibus aliæ domus &c. utuntur &c. uti valeant &c. concedimus per præſentes. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. et aliis &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. pridie Idus Maii, anno XVI.

CLXXXVI.

Ut eleemoſynas quærere poſſint per ſuam provinciam & partes illi contiguas. Ex lib. 1. de Regularib. anno 16. fol. 239.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum provinciæ ſancti Franciſci juxta morem &c.

Sacræ Religionis &c. Cum itaque &c. domus ſanctæ Mariæ de Angelis prope civitatem noſtram Aſſiſinatem, veſtri Ordinis, propter Fratrum inibi continuo, et tam ſecularium, quam religioſarum perſonarum, præſertim in Kalendis Auguſti ad illam confluentium, frequentem hoſpitalitatem, continuis ſumptibus & expenſis plurimum gravetur, voſque per dictam civitatem, ac illius diſtrictum propter ipſorum paupertatem &c. tot eleemoſynas invenire nequeatis, quæ pro ſumptibus & expenſis hujuſmodi ſufficere valeant. Nos vobis &c. et ſucceſſoribus veſtris, quod Fratres in prædicta et aliis domibus ejuſdem Ordinis, in provincia ſancti Franciſci, juxta morem ipſius Ordinis conſiſtentibus, commorantes, præſentes & futuri, de licentia Vicarii dictæ provinciæ pro tempore exiſtentis, per provinciam hujuſ- *Vide Conſtit. 1. hujus Pontif.*

Digitized by Google

hujuſmodi & illi contiguas partes, quaſcumque eleemoſynas, ipſorum Fratrum ſtatui convenientes & conceſſas, alterius cujuſcumque dignitatis &c. minime requiſita, petere, recipere,& ad ſanctæ Mariæ ac alias domos hujuſmodi tranſmittere &c. valeant, conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus &c. indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. XV. Kalendas Julii, anno XVI.

CLXXXVII.

Ut Obſervantes admittant Eccleſiam ſancti Furtunati Montisfalci, & juxta eam cœnobium. Ex lib. 3. de diverſis formis, anno 16. folio 122.

Venerabilibus fratribus Peruſino & Eugubino Epiſcopis, ac dilecto filio Vicario Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Spoletani in ſpiritualibus generali.

Vide Conſtit. 31. hujus Pontif.

§. I. INjunctum nobis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis et hominum oppidi Montisfalci, Spoletanæ Diœceſis, petitio continebat, quod ipſi ad Ordinem Fratrum Minorum ſingularem gerentes devotionis affectum, juxta Eccleſiam ſancti Fortunati, quæ per medium milliare vel circa prope dictum oppidum conſiſtit, et licet habitu curata ſit, actu tamen ſine cura exiſtit, quamque Venerabilis frater noſter Latinus Archiepiſcopus Tranen. in comendam, ſeu alias ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica obtinet, mediantibus ſuis et aliorum Chriſtifidelium elemoſynis, unam domum dicti Ordinis cum Eccleſia, campanili, campanis &c. officinis neceſſariis pro uſu et habitatione perpetuis aliquorum Fratrum prædicti Ordinis Regularis Obſervantiæ fundare &c. proponunt &c. Quare pro parte dictorum Univerſitatis et hominum, aſſerentium, quod dilectus filius Antonius Santi Laicus, prædictæ Diœceſ. jus patronatus, ſeu præſeutandi perſonam idoneam ad dictam Eccleſiam, dum vacat, auctoritate quarumdam litterarum fel. rec. Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri conceſſum ſibi ſuiſſe prætendit, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum Eccleſiam prædictam cum ſtructuris, & ſpatio terreni prædicto pro fundatione & conſtructione hujuſmodi deputare, ac eiſdem Univerſitati & hominibus, quod ipſa Eccleſia, ſi opus erit, vel alias Fratribus prædictis videbitur, demolita, juxta eam domum cum Eccleſia, campanili &c. prædictis fundare & conſtruere, necnon aliquibus ex Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, quod domum hujuſmodi &c. quod illam pro ſuis uſu & habitatione recipere &c. poſſint, Diœceſani &c. minime requiſita &c. quodque cedente vel decedente prædicto Latino Archiepiſcopo, vel Eccleſiam alias quomodolibet dimittente, duo boni & probi viri, quos ad id Epiſcopus Spoletan. pro tempore exiſtens, de Fratrum in ipſa domo pro tempore degentium conſenſu, elegerit, ſeu deputaverit pro tempore, omnia & ſingula poſſeſſiones, Jura & bona ad dictam Eccleſiam ſpectantia regere & gubernare, ac illorum fructus, reditus & proventus, qui viginti quinque Florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut ipſi Univerſitas & homines aſſerunt, non excedunt, in fabricam & conſtructionem fabricæ & domus prædictarum, ac emptionem librorum, & aliorum ornamentorum Eccleſiaſticorum, pro cultu divino inibi neceſſariorum, convertere poſſint, ac debeant, ſtatuere, decernere & ordinare auctoritate noſtra procuretis.

Con-

Contradictores &c. compeſcatis. Nos enim &c. tenore præſentium Juſpatronatus hujuſmodi, ac conceſſionem de illo Antonio factam, necnon litteras Martini prædictas, ac quæcumque inde ſecuta revocamus, caſſamus & annullamus, nulliuſque roboris vel momenti fore; necnon quod fructus, reditus & proventus ex Eccleſia, ſeu poſſeſſionibus, Juribus & bonis prædictis per triennium, a data præſentium computandum, provenientes, in fabricam prædictam convertantur, decernimus, ac Fratribus in prædicta domo pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis exemptionibus &c. uti poſſint &c. indulgemus. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. V. Kalendas Julii, anno XVI.

CLXXXVIII.

Ut Obſervantes provinciæ Portugalliæ capitulariter congregati Vicarium Provincialem eligant, & quinque domos admittant. Ex lib. I. de Regularibus, anno 16. folio 79.

Ad futuram rei memoriam.

DUm præclara dilectorum filiorum Fratrum, in Alanquerien. Lerenen. & Setuvalen. Ulixbonen. Colimbrien. & Elboren. diœceſ. necnon Urſen. & nonnullis aliis domibus Ordinis Fratrum Minorum, provinciæ Portugalliæ, juxta morem dicti Ordinis, ſub Obſervantia prædicti Ordinis degentium, Religionis merita debita conſiderationis acie revolvimus, penſantes quantum illa ſtudio piæ vitæ dietim in prædicta Provincia affert in Dei Eccleſia fructum, ducimur non immerito, ut ea Fratribus prædictis favorabiliter concedamus, per quæ dicta Religio propagari, ac ipſi Fratres hujuſmodi ſtudio ſibi & aliis ad animarum ſalutem proficere valeant pariter & prodeſſe. Attendentes igitur quod Fratres prædicti, mundanis ſpretis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, juxta ſalubria ejuſdem Ordinis ſtatuta, in illius regulari Obſervantia exemplariter viventes, variis & diverſis hactenus multiplicarunt, prout in dies multiplicant virtutum meritis, ſub caritatis, & ejuſdem Obſervantiæ unione virtutum Domino jugiter famulando: ad Divini nominis laudem, ac ſingulare & præcipuum ſalutis plurimorum exemplum, prædictis ac omnibus aliis Fratribus in præfatis domibus, locis ſeu Eremitoriis dicti Ordinis, in præfata Provincia conſiſtentibus, ſub Obſervantia hujuſmodi pro tempore degentibus, ut ipſi eo ferventius divinis beneplacitis ſe coaptent, quo per Nos & Sedem Apoſtolicam ſpiritualibus favoribus & gratiis ſe munitos fore perſpexerint, eorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus, quod ipſi annis ſingulis in locis & terminis, ad id per Ultramontanum Vicarium Generalem primo, & ſucceſſive per eorum Provincialem pro tempore exiſtentem Vicarium ſtatuendis & ordinandis, ſe capitulariter congregare, & in hujuſmodi Capitulis, ad quæ ſinguli Guardiani vel ſinguli Vicarii ſingularum domorum, aut ſingulorum locorum vel Eremitoriorum prædictorum cum ſingulis Fratribus eorumdem, ad hoc per Fratres domorum vel locorum, ſeu Eremitoriorum hujuſmodi, aut majorem partem ipſorum electis, accedere teneantur, unum in eorum Vicarium Provincialem eligere, qui quidem ſic in Vicarium Provincialem electus, dummodo concordanter ab ipſis vel majori parte eorum electus fuerit, ſi Miniſter Pro-

vincialis dictæ Provinciæ pro tempore exiſtens, electionem electi in Vicarium hujuſmodi infra triduum, poſtquam illi præſentata fuerit, confirmare neglexerit, vel ſi dicta Provincia Miniſtro caruerit, aut Miniſter ipſe excommunicationis ſententia innodatus, vel alio tam Juris, quam facti impedimento detentus, ſeu a prædicta Provincia abſens fuerit, eo ipſo dicta auctoritate Apoſtolica confirmatus ſit & eſſe eenſeatur, & ipſe in Vicarium electus, ac confirmatus pro tempore, quem nihilominus, ac omnes & ſingulos Fratres prædictos ſub obedientia & juriſdictione Generalis Vicarii Ultramontani Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, pro tempore exiſtentis, perſiſtere volumus atque decernimus, omnia & ſingula domos, loca & Eremitoria prædicta, ac in eis degentes Fratres viſitare, monere, corrigere, punire, et etiam cum invocatione brachii ſeculsris, ſi opus fuerit, incarcerare et a carceribus relaxare, necnon in eoſdem Fratres plenariam, & omnimodam juriſdictionem et poteſtatem habere; quoſcumque etiam Altiſſimo militaturos ſeculum abnegantes, alias tamen ad id idoneos, ad profeſſionem admittere, eiſque habitum Regularem exhibere; necnon illis, ad id tamen idoneis, ut ad omnes etiam ſacros Ordines per quemcumque Catholicum Antiſtitem, gratiam et communionem Sedis Apoſtolicæ habentem, rite, & ſtatutis a Jure temporibus promoveri facere; de quibus ſibi videbitur, ex Fratribus prædictis quod ad Romanam Curiam, vel alia loca ſe transferre et inibi aliquandiu morari libere & licite valeant, licentiam concedere: libros quoque uſui Fratrum, quos pro tempore decedere contigerit, uſui aliorum Fratrum, de quibus etiam ſibi videbitur, diſtribuere, ac omnia alia & ſingula quæ Provincialis Miniſter de Jure vel conſuetudine poteſt facere, exequi valeat; necnon Fratres ipſi de eorum Vicarii pro tempore exiſtentis conſilio & aſſenſu in prædicta Provincia quinque alias domos, ſeu quinque alia loca jam fundata & conſtructa, aut quæ fundari ſeu conſtrui de novo contigerit, ſi ſibi alias canonice concedantur, recipere, & in ipſis, quas ſeu quæ cum Eccleſiis campanilibus, campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro aliquorum ex ipſis uſu & habitatione perpetuis de novo reparari & ædificari facere valeant, per aliquos ex ipſis perpetuo inhabitare libere & licite poſſint: volentes & decernentes, quod Fratres in quinque domibus ſive locis recipiendis prædictis pro tempore degentes, omnibus & ſingulis exemptionibus, privilegiis &c. concedendis, uti et gaudere valeant. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque: præſentibus, quoad prædicti Fratres ſub regulari Obſervantia hujuſmodi vixerint, dumtaxat et non alias valituris. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. VIII. Idus Auguſti, anno XVI.

CLXXXIX.

Ut conſtruat Monaſterium ſanctæ Claræ in villa de Corbeya. Ex Archivo ſecreto lib.5. Bullar. folio 334.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ &c.

§. I. Exigunt perſonæ tuæ multiplicum dona virtutum quibus eam Altiſſimus attollere voluit, necnon eximiæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geris Eccleſiam, ut votis tuis, illis præſertim quæ ex devotionis fervore in Religionis & divini cultus augmentum prodire

dire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu, quæ de clara Regum Portugalliæ proſapia originem traxiſti, necnon Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Duciſſa, ac Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namuri Comitiſſa exiſtis, ad Ordinem ſanctæ Claræ ſingularem geris devotionis affectum &c. aliquod in villa de Corbeya, Ambianen. diœceſ. Monaſterium cum Eccleſia, campanili &c. officinis, pro uſu & habitatione nonnullarum dicti Ordinis Monialium, quarum una Abbatiſſa ſit &c. ædificari facere propenſius peroptes &c. pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. tibi Monaſterium hujuſmodi cum Eccleſia &c. ſupradictis pro uſu & habitatione præmiſſis &c. ipſius conſtruendi & erigendi Monaſterii, ipſiſque Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterium prædictum acceptandi & habitandi, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, licentiam &c. elargimur: Et inſuper Abbatiſſæ & Monialibus in ſupradicto conſtruendo Monaſterio pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere libere, liciteque valeant &c. Et nihilominus venerabili Fratri Epiſcopo Salubrien. & dilectis filiis Abbati Monaſterii Averbodien. & Decano Eccleſiæ ſancti Petri Lovanien. Leodien. diœceſis &c. mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium aut alios præmiſſa omnia & ſingula, ubi, quando & quoties eis expedire videbitur, ac pro parte dictæ Duciſſæ fuerint ſuper hoc requiſiti, eadem auctoritate ſolemniter publicantes ac debite exequentes, ipſique Duciſſæ efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ipſam, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem, realem & actualem poſſeſſionem loci, & ad præmiſſa Monaſterium, domum, campanile &c. & alia prædicta erigenda &c. deputati, inducant eadem auctoritate, & defendant inductos, amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus: nec permittant eamdem Duciſſam vel dictum Procuratorem pro ea, necnon artifices & operarios, ac quoſcumque alios pro præmiſſorum conſtructione & erectione quomodolibet pro tempore deputatos, inſtitutaſque etiam pro tempore Abbatiſſam & Moniales in Monaſterio, Eccleſia, domo & aliis prædictis erigendis, eorumque circumſtantiis per dilectos filios Abbatem & Conventum Monaſterii de Corbeya, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Benedicti, dictæ Ambianen. diœceſ. ſeu quoſcumque alios, etiamſi Regalis & Imperialis, vel alterius cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis vel conditionis exiſtant, indebite gravari aut moleſtari, ſeu eis injurias, moleſtias & jacturas irrogari; præterea, legitimis per eos & quemlibet eorum ſuper iis habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare procurent, contradictores &c. compeſcendo, invocato &c. brachii ſecularis.

§. III. Ut autem quorumlibet, ſi qua, quod abſit, in præmiſſis fiat oppoſitio, digne, ut congruit, plectatur rebellio, volumus quod omnes & ſinguli cujuſcumque etiam dignitatis, gradus &c. qui noſtris hujuſmodi litteris ac in eis contentis contumaciter parere recuſaverint, necnon eiſdem Duciſſæ vel ejus Procuratori, aut artificibus & operariis, pro præmiſſorum erectione, conſtructione & complemento pro tempore, ut præfertur, deputatis &c. impedimenta ſeu perturbationes irrogare præſumpſerint, canonica monitione præmiſſa, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, a qua ab alio, quam Romano Pontifice, aut de ejus ſpeciali licentia, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium nequeant obti-

obtinere. Non obſtantibus præmiſſis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. XI. Kalendas Septembris anno XVI.

CXC.

Confirmatur electio Guillelmi Iragillich in Miniſtrum Hiberniæ. Ex lib. I. de Regularibus &c. anno 16. folio 106.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Tuamen. & Clonferten. ac Cluonen. Epiſcopis.

§. I. AD Apoſtolicæ dignitatis apicem ſuperna diſpoſitione vocati, in decorem ſacræ Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Minorum devotum & ſedulum exhibent Domino famulatum, ingenti mentis exultatione reficimur, proſpicientes quod ipſi per bonorum exercitium operum, & præclara ſanctitatis merita, ceteros ad Divinæ majeſtatis obſequium trahunt per exempla, & propterea dictos Fratres Apoſtolicis favoribus libenter proſequimur, ac ſpecialibus prærogativis per amplius ſtabilimus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Guillelmi Iragillich Ordinis Fratrum Minorum & in Theologia profeſſoris, petitio continebat quod licet in provincia Hiberniæ, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, pro Fratribus domorum & Conventuum ibidem, inter quos Anglicanæ & Hibernicæ nationum ſunt, unicus pro tempore Miniſter eſſe conſueverit, ipſeque Guillelmus in Miniſtrum dictæ Provinciæ per dilectum filium Antonium de Ruſconibus de Cumis, Generalem dicti Ordinis Miniſtrum, deputatus & inſtitutus fuerit, quia tamen aliqui Fratrum nationis Anglicanæ hujuſmodi, ſtatuto Regio, deſuperque Romani Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis Legati confirmatione, etiam ſub excommunicationis pœna caveri prætendunt, quod ipſi nullatenus alicui, qui de dicta natione Hibernica fuerit, tamquam eorum Miniſtro debeant obedire, prædictus Guillelmus diſſenſionum propterea materias ibidem ſuccedere pertimeſcit, pro parte Generalis, & Guillelmi prædictorum, aſſerentium quod multo plures & valentiores inibi Hibernicæ quam Anglicanæ nationum hujuſmodi Fratres exiſtunt, quodque cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Rex Angliæ illuſtris, in hoc quod idem Guillelmus in Provincia prædicta Miniſter ſit, expreſſe conſenſum exhibuit, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. fraternitati veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum ſuper præmiſſis auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi ita eſſe inveneritis, deputationem & inſtitutionem hujuſmodi &c. confirmetis & approbetis, quodque Fratres etiam nationis Anglicanæ hujuſmodi in omnibus, quæ ad officium Miniſtri ibidem de jure vel conſuetudine pertinent, eidem Guillelmo, tamquam ſuo Miniſtro, quamdiu in officio prædicto fuerit, parere & obedire teneantur &c. decernatis, ac ipſos ad id per cenſuras Eccleſiaſticas &c. compellatis. Non obſtant. &c. quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. IV. Idus Septembris, anno XVI.

CXCI.

Ut conſtruatur Monaſterium ſanctæ Claræ in loco de Famuſco. Ex lib. 3. de diverſis formis anno 16. folio 135.

Venerabili Fratri Epiſcopo Palentin.

§. I. INter curas multiplices, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obſidemur, illas attentius ampleĉtimur, per quas Regulares Ordines & loca jugi ſanctimoniæ dedita, prout congruere proſpicimus, in ſpiritualibus & temporalibus votivæ proſperitatis dirigantur eventu.

§. II. Sane pro parte nobilis viri Didaci Majorici, Domicelli & Præſidis regni Legionis, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Leonoris, quondam Petri Majorici, dicti regni etiam Præſidis uxoris, Domicellæ, Palentin. diœceſ. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet dictus Petrus in ejus ultima voluntate diſpoſuerit & ordinaverit, quod ipſe Didacus ſuus primogenitus, quem teſtamenti ſui executorem deputaverat, in loco de *Balbanera*, Calaguritan. diœceſ. de bonis eidem Petro a Deo collatis aliquod, in quo quindecim Monachi ſub regula ſancti Benedicti, & quinque alii, qui illis ſervirent, pro tempore commorari & Altiſſimo famulari deberent, Monaſterium conſtrueret &c. necnon prædictæ Leonori, ut ipſis Monachis & ſervientibus, poſtquam ei conſtaret, quod in obſervantia Regulari viverent, & cum quinquaginta millibus morabitinorum monetæ illarum partium, quos ipſe Petrus in loco ſancti Dominici *de la Calcada*, dictæ Diœceſ. percipiebat & habebat, viginti millia pro ſuſtentatione eorumdem ſingulis annis traderet & aſſignaret; nihilominus Didacus propter guerras &c. Monaſterium in loco *de Balbanera* hujuſmodi minime conſtrui & erigi fecit, nec Leonor prædicta viginti millia morabitinorum hujuſmodi Monachis & ſervientibus prædictis ex certis aliis tunc expreſſis cauſis tradidit vel aſſignavit; quodque ipſa Leonor conſiderans quod duabus ejus filiabus & cuidam ſuæ nepti, tunc Monialibus Monaſterii Monialium ſanctæ Claræ, loci *de Aſtudillo* dictæ Diœceſis, cauſantibus guerris &c. non modicum foret periculoſum in hujuſmodi Monaſterio *de Aſtudillo* permanere, ſuper hoc a nobis primo, & deinde a Conſervatoribus ipſius Monaſterii *de Aſtudillo* licentia obtenta, filias & neptem hujuſmodi de dicto Monaſterio *de Aſtudillo* ad locum *de Famuſco* ejuſdem Diœceſ. in palatio ſuæ habitationis recepit; & ſubſequenter, cum una ex filiabus prædictis adeo foret infirmitate præventa, quod de loco *de Famuſco* hujuſmodi abſque perſonali periculo ſe transferre non poterat, & propterea altera filiarum earumdem illam dimittere nollet, ipſa Leonor exinde mota, & habita etiam deſuper ab Ordinario loci licentia ſpeciali, in loco *de Famuſco* & palatio hujuſmodi unum ſub vocabulo *beatæ Mariæ de l'Eſperanza*, ſub Regulari obſervantia Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi Monaſterium, de bonis ſibi a Deo collatis, pro una Abbatiſſa & viginti vel pluribus numero Monialibus, ibidem ſub præmiſſa Obſervantia perpetuo Domino famulaturis, conſtrui & ædificari facere incœpit: quod quidem Monaſterium Didacus & Leonor prædicti, etiam per hoc diſpoſitioni & ordinationi Petri hujuſmodi ſatisfacere ſatagentes, ſummopere perficere diſponunt &c. Quare pro parte dictorum Didaci & Leonoris nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. III. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſi, & poſtquam de præmiſſis tibi legitime conſtiterit, necnon ſumma viginti millium

lium morabitinorum hujuſmodi pro uſu & ſuſtentatione Abbatiſſæ & Monialium earumdem, ac alias pro præmiſſa ſuſtentatione competens aſſignata fuerit, eiſdem Didaco & Leonori Monaſterium in palatio, ac ſub vocabulo *beatæ Mariæ de l' Eſperanza* hujuſmodi, loco conſtruendi Monaſterii in loco *de Balbanera* hujuſmodi, perficiendi, ac pro Abbatiſſa & viginti vel pluribus Monialibus prædictis dotandi licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim &c. Monaſterium illiuſque Abbatiſſam &c. Moniales ac alias ejus perſonas viſitationi & correctioni dilecti filii Sancii de Canales Fratris Ordinis Minorum, ſub cujus obedientia, viſitatione & correctione ſanctæ Claræ loci de Oterdeſillas dictæ Diœceſ. ac alia dicti Ordinis ſanctæ Claræ Monaſteria exiſtunt, auctoritate Apoſtolica ſubjicimus &c. Et inſuper Abbatiſſæ, Monialibus & perſonis in dicto Monaſterio *de l' Eſperanza* etiam pro tempore commorantibus, ut quandiu in regulari dicti Ordinis ſanctæ Claræ obſervantia vixerint, omnibus & ſingulis privilegiis &c. prædicto Monaſterio de Oterdeſillas &c. conceſſis, uti gaudereque valeant &c. indulgemus.

§. IV. Volumus autem, quod dicta Leonor pro ſuis uſu, habitatione ac ejus familiæ partem palatii prædicti eam contingentem, quoad vixerit, retinere libere & licite valeat, prædicta parte poſt ejus deceſſum ad prædictum Monaſterium *de la ſperanza* cum omnibus Juribus & pertinentiis ſuis omnino perventura. Præterea omnibus & ſingulis cujuſcumque ſtatus, nobilitatis vel conditionis fuerint, ſub excommunicationis pœna, quam eos alias eo ipſo incurrere volumus, ſtrictius inhibemus, ne ſe de prædicta parte, poſt obitum ejuſdem Leonoris, quomodolibet intromittere, aut quominus Monaſterium *de la ſperanza*, ac illius Abbatiſſa & Moniales ipſius partis, ac Jurium & pertinentiarum hujuſmodi pacifica poſſeſſione gaudere valeant, impedire audeant &c. Non obſtant. &c. contrariis quibuſcumque,

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. pridie Idus Septembris, anno XVI.

CXCII.

Ut vivant juxta ſtatuta & ordinationes Sororum Placentiæ degentium. Ex lib. 1. de Regularib. anno 16. fol. 167.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia *nuncupati, in civitate Parmenſi commorantibus.*

Vide Conſt. 161. hujus Pontif.

§. I. DEvotarum &c. Dudum ſiquidem pro parte veſtra nobis expoſito, quod olim quondam Gaſpar de Caſtagneto civis Parmenſis &c. condens in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter alia quoddam hoſpitium *de la campana* nuncupatum,& alias in quibus ipſe Gaſpar, dum viveret, habitare conſuevit, ac omnes & ſingulas alias domos infra limites parochiæ parochialis Eccleſiæ ſancti Proſperi Parmen. conſiſtentes, & ad eumdem Gaſparem legitime pertinentes, cum hortis, curiis, ac omnibus aliis Juribus & pertinentiis ſuis,Sororibus veſtri Ordinis in civitate Parmen. commorantibus, & ſub ipſius Ordinis Regulari obſervantia viventibus, præſentibus & futuris, pro veſtris ipſarumque Sororum uſu &c. legaverat, prout in inſtrumento publico ſuperinde confecto dicebatur plenius contineri, & vos, quæ legati hujuſmodi vigore, prædictarum domorum poſſeſſionem fueratis aſſecutæ, inſimul ſub regula ejuſdem Ordinis juxta modum & formam, ac inſtitutiones & ordinationes dilectarum in Chriſto filiarum Sororum dicti Ordinis, Dominarum *de Fulgineo* nuncupatarum, in noſtra Fulginat. & Florentin. civi-

civitatibus inſimul viventium, Altiſſimo famulari ferventius deſideraretis, ac pro parte veſtra nobis humiliter ſupplicato, ut vobis in domibus prædictis unam domum ſub vocabulo *ſanctæ Mariæ Gratiarum* cum Eccleſia, campana, & pro veſtris cadaveribus dumtaxat ſepeliendis cœmeterio, hortis &c. officinis, pro veſtris uſu & habitatione perpetuis fundandi &c.

§. II. Nos vobis domum ipſam cum Eccleſia, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis & officinis prædictis, in prædictis vobis relictis & legatis domibus, Diœceſani loci &c. minime requiſita, fundandi & conſtruendi licentiam per alias noſtras litteras elargiti fuimus, & volumus, quod vos ac in fundanda & conſtruenda domo hujuſmodi pro tempore commorantes Sorores prædictæ, juxta modum & formam, inſtitutiones & ordinationes antedictas, & in illa vivere perpetuo teneremini, quodque omnibus & ſingulis immunitatibus &c. Sororibus *de Fulgineo* nuncupatis, per nos vel Sedem Apoſtolicam &c. conceſſis prædictis, in omnibus &c. uti poſſetis pariter & gaudere &c. Poſtmodum vero &c. vos, quæ earumdem litterarum vigore prædictam domum ingreſſæ Eccleſiam cum campanili &c. officinis conſtruxiſtis, cum aliquas ex Sororibus *de Fulgineo* nuncupatis prædictis, quæ vos in obſervantia ejuſdem Ordinis, ac modo & forma, inſtitutionibus & ordinationibus antedictis inſtruerent & informarent, habere nequiviſſetis, quaſdam ex Sororibus dicti Ordinis in civitate Placentin. commorantibus, & ſub obſervantia hujuſmodi viventibus, de licentia & beneplacito dilecti filii Joannis de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, & in partibus Citramontanis Fratrum dicti Ordinis, *de Obſervantia* nuncupatorum, tunc Vicarii generalis, recepiſtis. Cum autem &c. vos pro eo quod Sorores in Placentin. commorantes prædictæ, juxta quarum modum, inſtitutiones & ordinationes vivitis, in aliquibus a modo, forma, inſtitutionibus & ordinationibus Sororum, *de Fulgineo* nuncupatarum, prædictarum diſcrepare noſcuntur, & licet non minus virtuoſe, quam illæ vivant, dubitetis litteras prædictas &c. non ſubſiſtere, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos igitur &c. Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, quod litteræ prædictæ, & inde ſecuta prædicta a Data præſentium valeant &c. perinde ac ſi in eiſdem litteris, quod juxta modum & formam, inſtitutiones & ordinationes Sororum de Fulgineo antedictas vivere perpetuo teneremini, nullatenus appoſitum fuiſſet. Et inſuper vobis &c. quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis quomodolibet &c. gaudere valeatis &c. concedimus per præſentes. Non obſtant. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. XVII. Kalendas Octobris, anno XVI.

CXCIII.

Inſtituuntur Defenſores & Conſervatores privilegiorum Sororibus ſanctæ Claræ in Hiſpania conceſſorum. Ibidem folio 158.

Venerabilibus fratribus Palentin. Calaguritan. & Corduben. Epiſcopis.

§. I. Dudum ſiquidem in favorem dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum & Conventuum univerſorum Monaſteriorum ſancti Damiani & Minoriſſarum, ac ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, ſub Generalis Miniſtri, aliorumque Officialium Ordinis Fratrum Minorum cura ubilibet conſtitutarum, litteras noſtras conceſſimus tenoris ſubſequentis: *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet Romanus Pontifex &c.* ut in bulla 62. uſque ad præjudicium generari.

Nulli ergo &c. Datum Florentiæ anno &c. mccccxxxix. *Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri anno* ix.

§. II. Cupientes itaque ut hujuſmodi noſtræ litteræ, ac omnia & ſingula in eis contenta perpetuo inviolabiliter obſerventur, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo &c. alios efficiatis eiſdem Abbatiſſis & Conventibus defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eas, ipſarumque Monaſteria atque loca per Legatos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Nuncios, Ordinarios & Judices prædictos, ſeu alios quoſcumque ſuper hujuſmodi ſuis Juribus, bonis & pertinentiis quibuſcumque, contra earumdem litterarum continentiam atque formam quomodolibet moleſtari; facientes Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria & loca hujuſmodi immunitate &c. pacifice gaudere. Contradictores &c. compeſcendo. Non obſtant. &c. quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. mccccxlvi. v. Kal. Octobris, anno xvi.

CXCIV.

Ut admittant domum in terra Cinguli. Ex lib 3. de diverſis formis an. 15. fol. 8.

Dilecto filio Jacobo de Primaditiis de Bononia, Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia in partibus Citramontanis Vicario generali.

§. I. Humilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis & hominum terræ de Cingulo, Auximan. Diœceſ. petitio continebat, quod ipſi ad Fratres Ordinis Minorum *de Obſervantia*, propter eorum laudabilem & religioſam vitam, ſingularem gerunt devotionis affectum &c. quamdam domum Ordinis & Obſervantiæ eorumdem in dicta terra vel extra juxta eam fore & conſiſtere deſiderabant, quodque prope ipſam terram quoddam Monaſterium ſancti Jacobi Collis Lucis, Monaſterio Monialium ſanctæ Catarinæ ejuſdem terræ, Ciſtercien. Ordinis, ſub protectione Sedis Apoſtolicæ dudum auctoritate Apoſtolica unitum, eſſe dignoſcitur, quod in ſuis ſtructuris & ædificiis penitus collapſum & dirutum exiſtit, & in quo aliquæ Moniales non habitant, neque etiam ſecure & honeſte, præſertim guerrarnm temporibus, habitare poſſunt. Et, ſi dictum Monaſterium ſancti Jacobi cum Eccleſia & domibus infra illius ſepta dumtaxat conſiſtentibus, ac quadam petia terræ & ſilvæ illi adjacentibus, & ad ipſum Monaſterium ſancti Jacobi pertinentibus, pro fundatione & conſtructione domus, ad uſum & habitationem nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, Univerſitati & hominibus prædictis concederetur, ipſi Univerſitas & homines dictum ſic conceſſum Monaſterium in domum antedictam erigerent &c. Quare pro parte Univerſitatis & hominum prædictorum aſſerentium, quod dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus dicti Monaſterii ſanctæ Catarinæ ad id accedit expreſſus conſenſus, nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.

§. II. Nos igitur &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus per teipſum de præmiſſis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate Apoſtolica te diligenter informes &c. dummodo Abbatiſſæ & Conventus prædictarum ad id accedat aſſenſus, ut præfertur, unionem, annexionem & incorporationem de Monaſterio ſancti Jacobi Monaſterio ſanctæ Catarinæ factas, quoad Eccleſiam, domos infra ſepta conſiſtentes, petiam terræ & ſilvam hujuſmodi

modi dumtaxat, eadem auctoritate diſſolvas, revoces, caſſes & annulles, ac dictum Monaſterium ſancti Jacobi, in illo Ordine Ciſtercien. & dignitate Abbatiali penitus ſuppreſſis & extinctis, cum Eccleſia, domibus, petia terræ & ſilva prædictis ad erigendam & conſtruendam domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili &c. officinis pro uſu & habitatione prædictis, ipſis Univerſitati & hominibus, necnon dilectis filiis Petro de ſancto Severino profeſſori, ac Jacobo Provinciali Marchiæ Anconitanæ Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, juxta morem ipſius Ordinis, Vicario, quam hujuſmodi ſic conſtructam & erectam domum pro aliquorum ex eiſdem Fratribus uſu & habitatione perpetuis recipere &c. poſſint, dicta auctoritate concedas. Non obſtant. &c. quibuſcumque: Jure &c. ſalvo. Nos enim &c. præſentes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCXLVI. pridie Idus Novembris, anno XVI.

CXCV.

Miniſteriatus provinciæ ſancti Jacobi ad triennium reducitur. Ex Archivo ſecreto lib. 25. Bullar. folio 110.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Diſpoſitione divina gregi Dominico quamvis immeriti præſidentes, dum laudabilia dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum, provinciæ ſancti Jacobi juxta morem dicti Ordinis, merita intra noſtræ mentis recenſemus arcana; dumque ad commendabiles, quibus operoſis eorum miniſteriis erga Deum & homines indeſinenter exuberant, fructus digne noſtros diffundimus cogitatus, ad ea intendimus, per quæ ab ipſis, quibuslibet ſublatis diſpendiis, eorum ſtatus dirigatur ſalubriter & feliciter gubernetur, ac in ſpiritualibus votivis jugiter proficiat incrementis. Hinc eſt quod Nos attendentes quod, ſicut fide dignorum relatione percepimus, Miniſtri Provinciales Ordinis & provinciæ prædictorum, qui a nonnullis annis citra fuerunt, pro eo quod ipſi, ſeu aliqui eorum officium Miniſteriatus provinciæ hujuſmodi non ad certum vel deteriminatum tempus, ſed ad eorum vitam rexerunt & gubernarunt, ſuarum Regulæ & conſtitutionum immemores; propter quod ipſi Fratres eorumque loca gravia hactenus ſuſtinuerunt, &, niſi deſuper opportune provideatur, graviora in dies ſuſtinebunt detrimenta &c. auctoritate Apoſtolica, præſenti, perpetua & irrefragabili conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus officium Miniſtri dictæ provinciæ, cujus, dum pro tempore vacabit, electio ad Fratres ipſius provinciæ ſpectet &c. ſecundum eorum inſtituta & laudabiles conſuetudines hactenus obſervatas, dumtaxat triennio duret & non amplius: quo elapſo, tunc ipſius provinciæ Miniſter exiſtens a prædicto officio abſolutus fit & eſſe, dictumque officium vacare cenſeatur ac vacet ipſo facto, nec aliquis ad hujuſmodi officium pro proximo tunc futuro triennio reeligi poſſit, nec reelectio hujuſmodi, ſi fieret, valeat, aut alicujus exiſtat roboris vel momenti.

§. II. Et inſuper, ut ſtatutum & ordinatio prædicta ex nunc & in poſterum votivum & debitum ſortiatur effectum, dicta auctoritate dilectum filium Philippum de Aſtorica, dicti Ordinis profeſſorem, qui jam per quinquennium & ultra dictam provinciam rexit & gubernavit, prout de præſenti regit & gubernat, a prædicto Miniſteriatus officio ex certa ſcientia realiter amovemus. Diſtrictius inhibentes ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes, poſtquam præſentium notitiam habuerint, Philippo, ne ulterius ſe-

ſe de officio hujuſmodi aliquatenus intromittat, necnon omnibus & ſingulis Fratribus prædictis, ne eidem Philippo tamquam Miniſtro in aliquo pareant vel intendant directe vel indirecte, quovis quæſito colore: ac mandantes dilecto filio Alphonſo de Villa-nova ejuſdem Ordinis profeſſori, ſacræ Theologiæ præſentato, Conventus Villabipandentis, Legionenſis Diœceſis, quatenus omnes & ſingulos Fratres dictæ provinciæ, qui ad ſimilia vocari conſueverint, ad Provinciale Capitulum, quod infra decem menſes, a data præſentium computandos, in loco & termino ad id per dictum Alphonſum ſtatuendis & ordinandis, celebrare volumus & decernimus per præſentes, ſub excommunicationis aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, etiam officiorum, quæ obtinent, privatione, convocet & celebrari faciat. Contradictores &c. Volumus autem, ad evitandas expenſas Fratrum dictæ provinciæ, quæ exinde provenire poſſent in eundo ad Generalem Miniſtrum pro hujuſmodi Provincialis confirmatione, quod Generalis Miniſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens, aliquem propinquiorem Provincialem Miniſtrum, vel alium, de quo ei videbitur, deputet, qui ipſum Miniſtrum, qui in dicto termino canonice fuerit electus, ſua auctoritate confirmet. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. pridie Idus Decembris, anno XVI.

CXCVI.

Ut recipiat quindecim domos in Hiſpania. Ibidem folio 97.

Dilecto filio Joanni de Mauberto Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia *nuncupatorum, in partibus Ultramontanis Generali Vicario*.

Vi. in Conſtit. 71. hujus Pontif.

INter cetera deſiderabilia cordis noſtri &c. Attendentes igitur, quod dilecti filii profeſſores Ordinis Fratrum Minorum, præſertim qui in partibus Hiſpaniarum ſub Regulari obſervantia ejuſdem Ordinis degunt, bonorem Dei & propagationem Chriſtiani nominis diligenter ac fideliter pro fide hujuſmodi, necnon divini cultus & Religionis augmento, in eiſdem plurima labores & ſtudia fructuoſa impendere poterunt &c. tibi & ſucceſſoribus tuis Vicariis prædicti Ordinis in dictis partibus, qui pro tempore erunt, per vos vel alium ſeu alios quindecim domos, Conventus atque loca dicti Ordinis, quinque videlicet in Caſtellæ, & totidem in Aragoniæ, ac etiam totidem in ſancti Jacobi provinciis conſiſtentes, ſi illa vobis per Regem vel Reginam, aut alium temporalem Dominum, vel aliam ſecularem aut Eccleſiaſticam perſonam, cujus temporali dominio civitas, terra, caſtrum ſeu locus, infra quam, quod ſeu quem Conventus, domus & loca prædicta conſiſtunt, aut ſubjecta erunt, vel ipſarum civitatis, terræ, caſtri, ſeu loci Univerſitas vel Communitas, aut per ipſarum domorum, Conventuum, ſeu locorum eorumdem Fratres vel eorum majorem partem, ad id tamen Generalis, & infra cujus provinciam Conventus, domus & loca prædicta Provincialium Miniſtrorum expreſſo accedente conſenſu, vobis aſſignabuntur ſeu concedentur, vel totidem alia loca, quinque videlicet in ſingulis provinciis prædictis, ſi vobis ex fidelium largitione concedantur &c. recipiendi, & in eorum quolibet Eccleſiam ſive oratorium, cum campanili &c. officinis conſtrui & ædificari faciendi, pro uſu &c. aliquorum ex Fratribus Ordinis ſeu Obſervantiæ prædictorum, vobiſque ac dictis Fratribus inibi perpetuo morandi, Diœceſanorum locorum &c. minime requiſita, ac Juribus pa-

parochialium Eccleſiarum &c. ſalvis, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus, plenam & liberam &c. licentiam elargimur. Et inſuper quod domus, Conventus & loca prædicta per vos recipiendi, ac Fratres in eis pro tempore degentes omnibus & ſingulis privilegiis &c. conceſſis, perpetuo uti & gaudere valeant &c. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. X. Kal. Januarii, anno XVI.

CXCVII.

Introducitur Regularis Obſervantia in domum Nurimbergen. Reg. Vatic. Ex lib. 1. de Regularib. anno 16. fol. 116.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Ex Apoſtolicæ ſervitutis officio, Nobis ex alto commiſſo, ad ea potiſſimum vigilare nos decet, per quæ divini cultus augmentum, & Regularis Obſervantiæ propagatio ſubſequantur, ut & Eccleſiæ & alia loca regularia, in quibus cultus & Obſervantia hujuſmodi negliguntur, iis committantur viris, qui zelo devotionis accenſi, Eccleſias & loca ipſa reforment in melius, atque alios verbo & exemplo ad devotionem & Dei cultum valeant excitare.

Incolæ Nurimbergæ FF. reformationem exoptant.

§. II. Sane nonnullorum relatione percepimus, quod in domo oppidi Nurimbergen. Ordinis Fratrum Minorum, Bambergen. diœceſ. &c. nulla viget Obſervantia Regularis, divinus negligitur cultus &c. quodque nonnulli ex dilectis filiis Burgimagiſtris, Scabinis, Conſulibus & Proconſulibus, necnon incolis dicti oppidi zelo devotionis accenſi, domum ipſam ad Regularem Obſervantiam reduci & reformari pie deſiderant.

§. III. Nos igitur &c. motu proprio, non ad ipſorum Fratrum de Obſervantia, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & ordinamus, quod ex nunc inantea perpetuis futuris temporibus in prædicta domo Regularis Obſervantia fiat & ſervetur, ac ipſa per Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi juxta illorum ritus, mores, ſtatuta, conſuetudines & privilegia eis deſuper etiam a Sede Apoſtolica conceſſa, regatur & gubernetur; necnon Generali Ultramontano & provinciæ Argentinæ Provinciali Vicariis, Ordinis & Obſervantiæ eorumdem pro tempore exiſtentibus, in omnibus & per omnia ſubjecta ſit & eſſe cenſeatur; & ipſi Vicarii vel alter eorum per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem dictæ domus apprehendere, & in ea Fratres ipſorum Ordinis & Obſervantiæ ponere, necnon prædictam domum juxta mores, ſtatuta, conſuetudines & privilegia antedicta regere &c. poſſint &c. quemadmodum alia domus & loca Ordinis & Obſervantiæ eorumdem reguntur & gubernantur; necnon omnes & ſingulas proprietates, quæ ex largitione Chriſtifidelium, vel ex ultimis voluntatibus, pro defunctorum peragendis anniverſariis, & Miſſarum celebrationibus, ac prædicatione ad populum, ſeu alias quomodolibet prædictæ domui conceſſæ fuerint, quæcumque, quotcumque & qualeſcumque, necnon cujuſvis annui valoris ſint, a prædicta domo ſeparamus & dividimus; ac Guardianum & Fratres in eadem domo pro tempore commorantes a juramentis, promiſſionibus, obligationibus, conditionibus & pactis quibuſcumque, quibus forſan proprietatum hujuſmodi, vel alicujus earum occaſioue quomodolibet obligati eſſent, abſol-

Diſciplina regularis a Pontifice decernitur.

Vicarii Obſervantiæ ſubjicitur regimini.

Liberantur FF. a quacumque proprietate.

vi-

PP. Conventuales, niſi ad Obſervantiã ſe reducant, amoventur.

vimus & penitus liberamus: decernentes illos & quemlibet eorum ad ipſorum obſervationem nullatenus teneri; ac mandantes dilectis filiis Guardiano, necnon omnibus & ſingulis aliis Fratribus & perſonis ejuſdem domus, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, & duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio peremptorio terminis eis aſſignamus, poſtquam præſentium notitiam quomodolibet habuerint, a prædicta domo penitus recedant, ulterius ad prædictam domum nullatenus reverſuri, niſi forſan infra ſpatium hujuſmodi ad dictam Obſervantiam ſe reduxerint, & Vicariorum prædictorum dominio, juriſdictioni, poteſtati & obedientiæ ſe ſubjecerint in omnibus & per omnia realiter & cum effectu: nec ipſi per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte quomodolibet Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, vel aliquos eorum, quominus dictam domum cum libris, calicibus aliiſque ornamentis Eccleſiaſticis, ac utenſilibus, & ceteris bonis quibuſcumque ad ipſam ſpectantibus aſſequantur, & in ipſa domo permaneant, necnon libris, calicibus, ornamentis Eccleſiaſticis, ac utenſilibus & bonis prædictis utantur, juxta Superiorum ſuorum mandata pacifice & quiete, quoquo modo facere aut impedire præſumant.

Utenſilia Conventus remanere debent.

Excommunicatio contra inobedientes.

§. IV. Nos enim in Guardianum & Fratres prædictos, ac omnes alios & ſingulos tam Laicos quam Eccleſiaſticos, cujuſcumque gradus, ſtatus vel conditionis fuerint, qui contra mandatum noſtrum hujuſmodi per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte quomodolibet venire præſumpſerint, excommunicationis ſententiam, quam dictos præſumptores incurrere volumus ipſo facto, & a qua non niſi per nos vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices canonice intrantes, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi queant, dicta auctoritate promulgamus per præſentes. Et inſuper Burgimagiſtros, Scabinos, Conſules & Proconſules prædictos, necnon dilectos filios Univerſitatem dicti oppidi rogamus &c. quatenus ſtatutum, decretum &c. & ſingula in præſentibus contenta, ipſaſque præſentes litteras &c. debitæ executioni demandent; necnon terras, villas, poſſeſſiones, jura, juriſdictiones, fructus, cenſus, reditus, proventus, & alia bona quæcumque in Eccleſiarum fabricas, & alios pios & licitos uſus, prout eis ſeu majori parti ipſorum videbitur, quorum deſuper conſcientias oneramus, & quibus ſuper his plenam &c. facultatem concedimus per præſentes, diſtribuant & convertant, Diœceſani &c. minime requiſita; ipſoſque Vicarios & Fratres de Obſervantia, per eos vel alterum ipſorum tranſmiſſos, ſeu inhibi pro tempore degentes, pro divina & dictæ Sedis, ac noſtra reverentia propenſius commendatos habeant, ſicque eis ſe benevolos & favorabiles exhibeant, quod Vicarii & Fratres tranſmiſſi prædicti ipſorum Burgimagiſtrorum, Scabinorum, Conſulum & Univerſitatis fulti conſilio, prædictæ domus poſſeſſionem apprehendere, & in illa, cujuſcumque contradictione nequaquam obſtante, pacifice & quiete morari valeant &c. Præterea ut omnis, per quam effectus ſeu executio præſentium impediri, ſeu retardari quomodolibet poſſet, tollatur materia, effectum ſeu executionem hujuſmodi, cujuſcumque exceptionis, ſurreptionis etiam, & nullitatis proponendæ, vel appoſitionis interponendæ, ſeu cujuſvis alterius quæſiti coloris prætextu, per Guardianum & Fratres Conventuales prædictos, vel quoſvis alios directe vel indirecte quomodolibet impediri nullatenus poſſe, ſcientia & auctoritate prædictis decernimus per præſentes. Non obſtantibus &c. contrariis quibuſcumque.

Populo loci FF. commendantur.

Executio quibuſdam demandata.

§. V. Cupientes autem, ut præſentes noſtræ litteræ votivum quantocius ſortiantur effectum, dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Ægidii dicti op-

oppidi, & Ratiſpon. ac Heilmeſtad, Moguntinæ diœceſis Eccleſiarum Præpoſitis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum ipſas præſentes litteras, quamprimum ſibi præſentatæ fuerint, vel earum notitiam quomodolibet habuerint, debitæ executioni demandent &c. amotis Guardiano & Fratribus de non Obſervantia hujuſmodi, & quibuslibet aliis detentoribus ab eadem, ac faciant ipſos Fratres & Vicarium de Obſervantia ipſius domus poſſeſſione pacifica gaudere. Contradictores &c. & invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: & nihilominus illos ex Guardiano & Fratribus de non Obſervantia & perſonis prædictis, quas hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurriſſe, eis legitime conſtiterit, tamdiu excommunicatos publice nuncient, & ab aliis nunciari faciant, ac ab omnibus arctius evitari, donec & quouſque ſpiritum aſſumentes conſilii ſanioris, a nobis vel Sede prædicta abſolutionis beneficium, necnon reconciliationis gratiam meruerint obtinere. Non obſtant. omnibus ſupradictis, ac fel. mem. Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. noſtræ ordinationis, ſtatuti, ſeparationis, diviſionis, abſolutionis, liberationis, mandati, aſſignationis, voluntatis, promulgationis, conceſſionis & conſtitutionis infringere &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. IV. Kalendas Februarii, anno XVI.

CXCVIII.

Similiter domus Mechlinien. ad Regularem Obſervantiam reducitur. Ex Archivo ſecreto lib. 25. Bullar. fol. 173.

Ad futuram rei memoriam.

EX Apoſtolicæ ſervitutis officio &c. percepimus, quod in domo oppidi Mechlinien. Ordinis Fratrum Minorum, Cameracen. diœceſ. &c. *ut in Bulla præcedenti*. Et inſuper Scabinos & Conſules prædictos, necnon dilectos filios Univerſitatem, ac etiam Decanum & Capitulum beati Rinoldi dicti oppidi rogamus &c. ipſoſque Vicarios & Fratres de Obſervantia per eos vel alterum ipſorum tranſmiſſos pro divina & dictæ Sedis ac noſtra reverentia &c. Cupientes autem, ut præſentes noſtræ litteræ votivum ſortiantur quantocius effectum, venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Melſien. ac dilectis filiis Archidiacono Antuerpien. in Eccleſia Cameracen. ac Decano Eccleſiæ Liren. Cameracen. diœceſ. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo &c. *Ut ſupra:*

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MCCCCXLVI. Kalendis Februarii, anno XVI.

Digitized by Google

NICOLAUS V.

Electus pridie Nonas Martias, & coronatus eſt xiv. *Kalendas Aprilis, anno* MCCCCXLVII.

Anno Christi 1447. Nicolai V. anno 1.

I.

Modus Abbatiſſas eligendi, & alia pleraque Clariſſis præſcribuntur. Reg. Vat. ex lib. 2. de Regularibus anno 1. folio 92.

Ad futuram rei memoriam.

DIgna reddimur attentione ſolliciti, ut illis per nos Apoſtolicæ Sedis miniſtretur libertas, quæ, ſpreto mortalis viri thoro, ei qui ſpecioſus eſt præ filiis hominum ſe ſponte voventes, ſub Religionis habitu Monaſticæ normæ laudabiliter ſe cooptant. Hinc eſt, quod nos cupientes, quod univerſa & ſingula Monaſteria & loca Monialium, ſeu Sororum Ordinis ſanctæ Claræ, ſive ſancti Damiani, vel Minoriſſarum, illarumque perſonæ, quæ ſub cura & regimine Fratrum Ordinis Minorum *ſub Obſervantia* nuncupatorum degentium, ac illorum perſonæ, quæ in ipſis Monaſteriis & locis, quæ, ſicut accepimus, ſub regulari obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ Altiſſimo jugiter famulantur &c. dilecti filii Jacobi de Primaditiis profeſſoris, & generalis Vicarii domorum Ordinis & Obſervantiæ eorumdem in Citramontanis partibus conſiſtentium, ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, præſenti, perpetua & irrefragabili conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod inantea perpetuis futuris temporibus omnia & ſingula Monaſteria, domus et loca Ordinis ſanctæ Claræ prædicta per Abbatiſſas, ſeu matres Monialium & Moniales, quarum videlicet ſingulorum Monaſteriorum, domorum & locorum prædictorum ſingularum Abbatiſſarum, ſeu matrum Monialium electiones, quæ ſi a majore parte earum numero dumtaxat factæ fuerint, canonicæ cenſeantur, ad prædictorum Monaſteriorum, domorum ſive locorum Moniales, aut Sorores Ordinem ipſum profeſſas, & quæ per triennium vel circa in dictis Monaſteriis moram traxerint, ſpectet & pertineat, ac prædictarum Abbatiſſarum, ſeu matrum Monialium dignitates, vel officia hujuſmodi per annum tantum durent, ipſæque illo decurſo, etiamſi infraſcriptas renunciationes non fecerint, vacent ac vacare cenſeantur, regantur & gubernentur, ac regi et gubernari debeant; necnon omnes & ſingulæ nunc præſentes & futuræ Abbatiſſæ, ſive matres & Moniales Monaſteriorum, domorum, ſeu locorum eorumdem, præſentes videlicet in fine anni a Data præſentium, futuræ vero a die electionis earum computandi, regimini & adminiſtrationi Monaſteriorum, domorum & locorum ſuorum in Vicariurum Provincialium Provinciarum ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, in quibus Monaſteria et loca ipſa conſiſtunt, vel ſaltem Viſitatorum Monaſteriorum, domorum, ſeu locorum prædictorum, per eoſdem Vicarios in Congregatione Fratrum deputatorum et ad id ab eiſdem Vicariis poteſtatem habentium manibus, ac in præſentia Sororum ſeu Monialium Monaſteriorum, ſeu locorum hujuſmodi ad id ſpecialiter vocatarum, ſub excommunicationibus pœna, quam ſecus facientes incurrant ipſo facto, cedere; litteras quoque, ſigillum et claves Monaſteriorum & officinarum reſtituere teneantur & ſint adſtrictæ; quodque Moniales vel Sorores prædictæ, niſi de Vicarii vel Viſitatoris hujuſmodi

di

di expreſſa licentia, aliquam ad Religionem vel profeſſionem recipere, & niſi a prædicto Vicario ſeu Viſitatore pro idoneo reputatum fuerit, in ſuum Capellanum aliquem recipere; ſeu receptum retinere præſumant; prætera omnibus et ſingulis mulieribus, dictis Monialibus ſeu Sororibus ſervientibus, aut pro eis eleemoſynas quærentibus, præſentibus et futuris, quod quotieſcumque pro parte Abbatiſſarum hujuſmodi requiſitæ fuerint, eorum Monaſteria cum conſilio Diſcretarum intrare, & nonnumquam etiam in præcipuis ſolemnitatibus pro ipſarum conſolatione, licentia tamen ipſius deſuper per eas a Vicario provinciæ obtenta, cum ipſis Monialibus ſeu Sororibus comedere; quodque Confeſſor Monialium ſeu Sororum hujuſmodi, vel alius Frater ejuſdem Ordinis, ad hoc per Vicarium provinciæ hujuſmodi pro tempore deputatus, in omnibus & per omnia, juxta formam & tenores privilegiorum & conceſſionum eiſdem Monialibus vel Sororibus, eis quoad ipſarum perſonas, deſuper a Sede prædicta ſeu alias quomodolibet conceſſorum, in omnibus, præterquam dictæ Sedi caſibus reſervatis, quoties opportunum fuerit, ipſarum ſervientium confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis exceſſibus, criminibus & delictis debitam abſolutionem impendere & injungere pœnitentiam ſalutarem, necnon ipſas ſervientes, ſi id humiliter petierint, a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis et interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris &c. abſolvere, eiſque Euchariſtiæ, Extremæ-Unctionis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare libere & licite valeant, Diœceſanorum locorum, ac Rectorum parochialium Eccleſiarum &c. minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Clementis Papæ V. &c. et quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, intentionis & derogationis infringere, ſi quis autem hoc attentare &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VI. Nonas Martii, anno I.

II.

Ut recipiant domum in civitate Bononien. Ibidem folio 91.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus ſancti Pauli extra muros Bononien. Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua, mundanis abdicatis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino, in humilitatis ſpiritu devotum impenditis & ſedulum, ac in favorem fidei catholicæ famulatum, merita promerentur, ut Sedes Apoſtolica vos & veſtrum Ordinem favoribus benignis confoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in illis præſertim, per quæ cultus Divini nominis augeatur, voſque piæ vitæ ſtudio vobis ipſis & aliis ad animarum ſalutem proficere valeatis. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos qui ſub Regulari Obſervantia dicti veſtri Ordinis Fratrum Minorum Altiſſimo famulamini, pro eo quod propter loci, in quo domus veſtra ſancti Pauli extra muros Bononien. conſiſtit, diſtantiam et incommoditatem, dum aliqui Fratres in ea infirmantur, medicorum copiam habere non poteſtis, ac nonnullas alias patimini neceſſitates, alia domo pro dictis neceſſitatibus ſupportandis vobis accommoda plurimum indigere noſcamini, ac dilecti filii Andreas Batalia & Baptiſta Magnavacca Laici Bononienſes, indigentiam veſtram hujuſmodi conſiderantes, quamdam domum pro veſtris uſu & habitatione per-

perpetuis in civitate noſtra Bononienſi juxta capellam ſancti Mamæ, de bonis ſibi a Deo collatis fundari ſeu conſtrui fecerunt.

§. II. Nos veſtris et dictorum filiorum Jacobi de Primaditiis de Bononia profeſſoris et Vicarii dilecti filii Generalis Miniſtri dicti Ordinis in Citramontanis partibus, quoad Fratres ipſius Ordinis *de Obſervantia* nuncupatos,& nonnullorum Fratrum Diſcretorum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi provinciæ Bononien. &c. ſupplicationibus inclinati, vobis domum conſtructam hujuſmodi recipiendi, & in ea ſeu juxta illam, ſi opus fuerit, alias domos, necnon oratorium ſub vocabulo ſancti Hieronymi pro divinis inibi celebrandis officiis, abſque tamen campanili & campana, ab extra conſtrui & ædificari faciendi, & in illis morandi, Diœceſani loci & cujuſcumque alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, ac jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo, fel. quoque rec. Bonifacii Papæ VIII. & aliis quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, plenam auctoritate apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Nonis Martii, anno I.

III.

Ut Eccleſiam & cœmeterium ſuæ domus faciant conſecrari. Ex lib.3. de Regularibus, anno 1. folio 87.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus opp'di de Ath in Comitatu Hannoniæ, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, Cameracen. Diœceſis.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino, in humilitatis ſpiritu devotum impenditis & ſedulum, ac in favorem fidei catholicæ famulatum, merita promerentur, ut Sedes Apoſtolica vos & veſtrum Ordinem favoribus benignis confoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in illis præſertim, per quæ cultus Divini nominis augeatur, voſque piæ vitæ ſtudio vobis ipſis & aliis ad animarum ſalutem proficere valeatis. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, licet Eccleſia veſtræ domus oppidi de Ath in Comitatu Hannoniæ,Cameracen. Diœceſis, in qua ſub Regulari ipſius Ordinis obſervantia degere noſcimini, pro parte conſtructa & ædificata exiſtat, tamen ipſa Eccleſia cum ejus cœmeterio nondum conſecrata exiſtit,& dilecti filii incolę & habitatores dicti oppidi, attendentes, quod ſub confidentia libertatis ſeu immunitatis Eccleſiarum nonnunquam gravia & enormia mala atque delicta perpetrantur, Eccleſiam ipſam conſecrari non permittant, niſi illa adinſtar parochialis Eccleſiæ dicti oppidi noviter conſtructæ & conſecratæ,videlicet cum amotione Eccleſiaſticæ immunitatis conſecretur;pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum,ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur,hujuſmodi & dictorum Incolarum & habitatorum humiliter ſupplicantium ſupplicationibus favorabiliter inclinati,vobis,quod per quemcumque Catholicum Antiſtitem gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem Eccleſiam & cœmeterium hujuſmodi abſque immunitate prędicta,alias tamen in forma Eccleſiæ conſueta conſecrari,ac omnia & ſingula in præmiſſis & circa ea neceſſaria fieri & exequi facere valeatis:Diœceſani loci & cujuslibet alterius licentia deſuper minime requiſita: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujusli-

cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: decernentes ex tunc, quod nulla Eccleſiaſtica vel laicalis perſona cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis vel conditionis fuerit, pro quocumque debito, ſeu delicto aut criminali facto vel cauſa ad domum Fratrum illiuſve Eccleſiam ſeu cœmeterium hujuſmodi, poſtquam Eccleſia & cœmeterium prædicta conſecrata fuerint,pro tempore confugiens, cujuſvis immunitatis privilegio ſe tueri & defendere poſſit; quodque pro tempore confugiens hujuſmodi vel alius ad quos ſpectat, etiam per ſeculares Judices vel alios eorum Superiores, ac per deputatos libere & licite, abſque alicujus pœnæ incurſu, in domo Fratrum illiuſque Eccleſia & cœmeterio hujuſmodi capi & etiam violenter extrahi abinde poſſit & valeat. Non obſtantibus &c. quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, conceſſionis &c. infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. pridie Idus Martii, anno I.

IV.

Ut recipiat domum in civitate Meten. Ibidem folio 152.

Dilecto filio Guardiano domus Loci de Vico, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia regulari, Meten. Diœceſis.

§. I. Inter Eccleſiaſticos Ordines in domo Domini militantes, id ex benedictione cœleſti Ordini tuo & illius Fratribus magis adſcribitur, ut efficax teſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum, & aliis nihilominus per exemplum. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet tibi & tuo Ordini Fratrum Minorum de Obſervantia regulari per nonnullos notabiles cives civitatis Meten. oblatus ſit certus locus in eadem civitate, pro erigenda domo cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Ordinis tui Fratrum de Obſervantia regulari, ad quos Cives ipſi non modicam gerunt devotionem;nihilominus locum hujuſmodi, obſtant. tibi & Ordini prædicto nonnullis Martini Papæ V. litteris, in quibus cavetur, quod ſingula tam de Obſervantia, quam etiam Fratrum Minorum domos & loca per quinque leucas ſive quindecim milliaria diſtare debeant; ita quod videlicet, quod ſi in aliqua Civitate, terra, caſtro, villa ſeu loco quocumque aliqua domus, Conventus ſive locus Fratrum Minorum, vel alicujus ex dictis Ordinibus in hujuſmodi Civitate, terra, caſtro, villa vel loco, in quo ſeu qua domus hujuſmodi Ordinis jam fundata fuerit & deſerviatur inibi laudabiliter in Divinis, nec prope per quinque leucas ſeu quindecim milliaria alius Conventus ſeu domus vel locus pro fratribus ejuſdem Ordinis etiam de Obſervantia, Apoſtolica etiam vel alia quacumque auctoritate, ſub quacumque verborum forma eis concedatur, de novo fundari, conſtrui, aut jam fundata recipi poſſit; & diſtrictius inhibetur ſub excommunicationis ſententia ſive pœna univerſis fratribus Ordinum prædictorum, etiam de Obſervantia, necnon aliis Eccleſiaſticis ſeu ſecularibus perſonis, ne contra ſtatutum & ordinationem hujuſmodi aliquid attentare audeant vel præſumant. ac Bonifacii Papæ VIII. Roman. Pontif. prædeceſ-

ſorum noſtrorum,locum oblatum hujuſmodi pro uſu & habitatione dictorum Fratrum acceptare auſus minime fuiſti, niſi ad id tibi Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragaretur.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in prædicta civitate Meten. non ſit alia domus Ordinis & obſervantiæ prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper præmiſſis tibi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Regularem Obſervantiam noſtris potiſſime temporibus adaugeri plurium exoptamus, tibi locum hujuſmodi in dicta civitate Meten. recipiendi, necnon ibidem domum & Eccleſiam cum campanili &c. officinis hujuſmodi pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum fundari, conſtrui & ædificari faciendi, Diœceſani loci, aut ejuſdem Ordinis Superiorum licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quos in fundanda domo pro tempore reſidere contigerit,ut omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, exemptionibus & libertatibus, Ordini prædicto, necnon ipſius domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam vel alias generaliter quomodolibet conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, concedimus per præſentes: jure tamen parochialis Eccleſiæ & alterius cujuſcumque ſemper ſalvo. Bonifacii Papæ VIII. necnon Martini V. prædeceſſorum noſtrorum & aliis conſtitutionibus contrariis non obſtantibus. Cupientes igitur, vt præſentes noſtræ litteræ debitum ſortiantur effectum, Venerabilibus Fratribus noſtris Meten. & Syracuſan. Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Vincentii Meten.per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum per ſe vel alium ſeu alios tibi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ſi locus ipſe tibi concedi contigerit, te vel procuratorem tuum tuo nomine, in corporalem poſſeſſionem dicti loci inducant, & defendant inductum, amoto exinde quolibet injuſto detentore; nec permittant te vel Fratres tuos dicti Ordinis, quominus in illo loco pacifice morentur, per aliquos quomodolibet perturbari ſeu moleſtari, Contradictores,perturbatores ſeu moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam, auctoritate Apoſtolica, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtant &c. quibuſcumque &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis,voluntatis &c. infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XVII. Kal. April. anno 1.

V.

Eccleſia ſancti Salvatoris de Unda denuo aſſignatur Procuratori Conventualium. Ex lib.2. de Regularibus, anno 1. folio 200.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit honeſtati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu, litteræ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Angeli de Peruſio,Ordinis Minorum & Theologiæ profeſſoris, in Romana Curia dicti Ordinis Procuratoris, felicis recordationis Eugenio Papæ IV. prædeceſſori noſtro expoſito, quod cum Fra-

Fratres dicti Ordinis, *Conventuales* nuncupati, nullum in Urbe locum haberent, in quo Procurator ejuſdem Ordinis in eadem Curia pro tempore exiſtens, moram trahere poſſet; quodque alias, cum nonnulli viri Religioſi, ſub regula ſancti Pauli primi Eremitæ degentes, parochialem Eccleſiam ſancti Salvatoris de Unda, ſitam prope pontem ruptum de dicta Urbe, necnon illius domos, turrim, hortos & hortalitia illi contigua, ad ipſam Eccleſiam legitime pertinentia, quam aliquandiu tenuerant & poſſederant, certis legitimis cauſis moti penitus dimiſiſſent, ipſe Angelus de licentia & mandato ejuſdem prædeceſſoris ſolo verbo & facto, pro ſui & ſucceſſorum ſuorum Procuratorum prædicti Ordinis uſu & habitatione perpetuis, corporalem dictæ Eccleſiæ cum domibus & aliis ſuis bonis & rebus prædictis, infra cujus parochiæ limites duæ vel tres domus vel circa erant habitatæ & præſentialiter habitabantur, apprehendit poſſeſſionem, illamque aſſecutus ex tunc tenuit & poſſedit, prout tenet & poſſidet pacifice de præſenti. Et deinde pro parte dicti Angeli prædicto Eugenio humiliter etiam tunc ſupplicato, ut Eccleſiam ac domos, turrim & hortos prædictos cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis Angelo ac ejus ſucceſſoribus prædictis, in eadem pro tempore exiſtentibus, pro dictis eorum uſu & habitatione perpetuis libere concedere, donare, conferre & aſſignare, ita quod per ſe vel alium idoneum Sacerdotem ejuſdem Ordinis profeſſorem curam animarum parochianorum, ſi qui fuiſſent, præſentium & futurorum ejuſdem Eccleſiæ gerere & exercere, eiſque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare libere & licite poſſent, de benignitate Apoſtolica dignaretur. Quod idem Eugenius, ſtatui dictorum Procuratorum ſuper hoc providere volens, in ea parte ejuſdem Angeli precibus inclinatus, ſexto Idus Januarii, Pontificatus ſui anno XV. in prædicta Eccleſia dictum Ordinem ſancti Pauli primi Eremitæ penitus ſuppreſſit & extinxit, ac quaſcumque conceſſiones, gratias & litteras eiſdem Fratribus Eremitis de Eccleſia, domibus &c. prædictis per ipſum vel Sedem Apoſtolicam alias forſan factas & conceſſas, quarum tenores de verbo ad verbum ſuis, ac ſi deſuper confectæ fuiſſent, litteris haberi voluit pro ſufficienter expreſſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia caſſavit, abolevit & annullavit, ac pro caſſis, abolitis & nullis haberi voluit & mandavit, prædictamque Eccleſiam, cujus fructus, reditus & proventus octo Florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut idem Angelus aſſerebat, non excedebant, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis eidem Angelo & ſucceſſoribus ſuis Procuratoribus prædictis per eos perpetuo tenendas, poſſidendas, regendas & gubernandas, ita quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis & immunitatibus, dicto Ordini, ac illius domibus & perſonis per Sedem Apoſtolicam conceſſis & concedendis, uti & gaudere poſſint, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore prædictarum perpetuo conceſſit &c. necnon Angelo & cuilibet ſucceſſorum hujuſmodi curam animarum gerendi & exercendi, ac ſacramenta hujuſmodi miniſtrandi, ut præfertur, plenam & liberam prædictarum ſerie, ſi confectæ fuiſſent, licentiam dedit & conceſſit; necnon dictam Eccleſiam cum turri, domibus, hortis & aliis juribus & pertinentiis ſupradictis a ſolutione caritativi ſubſidii, & aliarum quarumcumque impoſitionum, gabellarum, annui cenſus & exactionum etiam ſalis, & cujuſvis alterius pedagii, a juriſdictione quoque & ſubjectione cujuſcumque perſonæ, ac loci Eccleſiaſtici, auctoritate & tenore prædictis exemit & totaliter liberavit: decernens ac ſtatuens ex tunc Eccleſiam cum turri & aliis bonis, juribus & pertinentiis prædictis, dumtaxat Procuratorum & ſucceſſorum eorumdem juriſdictionibus ſubeſſe, ac omnes & ſingulos proceſſus, quaſcumque

que excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias in ſe continentes, ſi quos contra tenorem prædictæ conceſſionis, donationis, aſſignationis, liberationis & exemptionis haberi ſeu promulgari contingeret ſcienter vel ignoranter, irritos & inanes nulliuſque exiſtere roboris vel momenti. Voluit autem quod Angelus & ſui ſucceſſores prædicti omnes & ſingulos fructus, redilus & proventus dictæ Eccleſiæ in ipſius Eccleſiæ et domorum fabricam et utilitatem omnino convertere deberent. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris, et aliis Apoſtolicis conſtitutionibus et ordinationibus, ac dicti Ordinis Fratrum Minorum, juramento,confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ſtatutis et conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ne autem Angelus et ſucceſſores prædicti de voluntate, conceſſione, donatione, aſſignatione, exemptione ac liberatione hujuſmodi, pro eo quod ſuper illis ejuſdem Eugenii prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerint, valeant quomodolibet hæſitare, volumus et dicta auctoritate, harum ſerie decernimus, quod præſentes litteræ ad probandum plene voluntatem, conceſſionem, donationem, aſſignationem, liberationem et exemptionem ejuſdem prædeceſſoris ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, conceſſionis, donationis, aſſignationis, liberationis et exemptionis infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XIV. Kalendas Aprilis, anno I.

VI.

Ut unicum habeant Vicarium. Ex lib. I. de Regularibus, anno I. fol.7.

Dilectis filiis Cuſtodibus, Guardianis ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum in regno Boſnæ conſtitutis.

Cupientes circa bonum ſtatum veſtrum et locorum vobis commiſſorum ſalubriter providere, volumus et tenore præſentium mandamus vobis, ut auctoritate noſtra eligatis et deputetis in regno Boſnæ tantum et ſuis confinibus, qui Fratribus veſtri Ordinis præſit, unum Vicarium, cujus auctoritas & officium contineatur & claudatur infra antiquos confines & limites, videlicet a flumine Drava uſque ad Adriaticum mare. Volumus quoque et ſtatuimus, ut privilegia per ſummos Pontifices prædeceſſores noſtros Vicariæ Boſnæ conceſſa, ſolum hujuſmodi Boſnæ Vicario, nec in aliis partibus conſtitutis ſuffragentur; quodque præfatus per vos eligendus pro tempore Vicarius per Generalem Miniſtrum dicti veſtri Ordinis confirmetur et illi obedire teneatur, juxta ipſius ſtatuta & conſuetudines hactenus obſervatas: conceſſionibus, gratiis et indultis, ac litteris Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium editis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, mandati et ſtatuti infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Pridie Idus Maii, anno I.

VII. *Præ-*

VII.

Præficitur Eccleſiæ Clonferten. Ex lib.4. de diverſis, anno 1. fol.50.

Dilecto filio Cornelio Omulalay Electo Clonferten.

Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ Sedis ſpecula licet immeriti conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis extendimus, et pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis propenſius cogitare nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum viri præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam et providentiam circumſpectam ſalubriter dirigant ac informent, ac Eccleſias ipſas non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem bon. mem. Thoma Epiſcopo Clonferten. regimini Clonfert. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ Clonfertenſi, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtræ miniſterium utilem et idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ Clonfertenſis ordinationi et diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum et inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prædicta Eccleſia per obitum dicti Epiſcopi vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem et felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione et decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixæ vacationis exponeretur incommodis, paternis et ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem et etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem in presbyteratus ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, litterarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia et temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Clonferten. de eorumdem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, regimen & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Clonferten. tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente domino actus tuos, ipſa Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & induſtrioſam circumſpectionem regetur utiliter & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ ſuſcipias reverenter, ac curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas, quod dicta Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XI. Kalendas Junii, anno I.

VIII.

VIII.

Ut Miniſter & Fratres Romandiolæ admittant domum in Caſtro Bonon.
Ex libro 3. de Regularibus, anno 1. folio 172.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Imolenſis in ſpiritualibus generali.

§. I. UT ea quæ pro Divini nominis cultus augmento, Religionis propagatione, & animarum ſalute provide facta ſunt, firma perpetuo & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, favorem Apoſtolicum impertimur, & ut ad optatum perducantur effectum, partes noſtræ ſollicitudinis interponimus.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum Ordinis Minorum beati Franciſci provinciæ Romandiolæ nuper nobis exhibita petitio continebat, quod olim dilecti filii Univerſitas & homines noſtri Caſtri Bononien. Imolen. diœceſ. conſiderantes quod ſi domus una dicti Ordinis prope caſtrum ipſum conſiſteret, ſuarum animarum ſaluti tam in divinis audiendis officiis, quam aliis ſalubribus monitionibus debita foret cum honeſtate conſultum; & animadvertentes parochialem Eccleſiam ſanctæ Luciæ, ſitam in Burgo ejuſdem caſtri, nullos fructus, reditus & proventus habere, illam tunc per liberam reſignationem dilecti filii Joannis de dicto caſtro, ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus venerabilis fratris noſtri Petri Epiſcopi Imolen. extra Romanam Curiam ſponte factam, & per eumdem Epiſcopum admiſſam, vacantem, cum ſuis domo & habitatione, prædictis Miniſtro & Fratribus, ad hoc ut cum Sedis Apoſtolicæ licentia, clauſtrum, dormitorium, refectorium, Oratorium, cellarium & alias neceſſarias officinas pro eorum uſu & habitatione ibidem conſtruere, erigere & ædificare, ſeu conſtrui, erigi & ædificari facere tenerentur, prædicti Epiſcopi ad id expreſſo accedente conſenſu, unanimiter & concorditer, maxima cum devotione aſſignarunt: cujus aſſignationis vigore Miniſter & Fratres prædicti poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ, prout juxta conſtitutiones dicti Ordinis poſſunt, de ſimili conſenſu fuerunt pacifice aſſequuti, & illius domum inhabitant de præſenti, ſperantes ab eadem Sede gratiam hujuſmodi obtinere. Quare pro parte dictorum Miniſtri & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut aſſignationi hujuſmodi ac aliis præmiſſis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, necnon eis circa dictam Eccleſiam, clauſtrum, dormitorium, refectorium, hortum, cellarium & alias officinas hujuſmodi conſtruendi, ædificandi & erigendi, ſive conſtrui, ædificari & erigi faciendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, aſſignationem prædictam, ac quæcumque inde ſecuta, auctoritate noſtra approbes & confirmes, ac dictis Miniſtro & Fratribus licentiam fundandi, erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui & ædificari faciendi domitorium, clauſtrum, refectorium, hortum, cellarium & alias officinas hujuſmodi pro eorum uſu & habitatione, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris: Nos enim, ſi confirmationem, approbationem & conceſſionem hujuſmodi per te vigore præſentium fieri con-

contingat, univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quos in eadem domo pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus privilegiis gratiis, indultis & conceſſionibus, Ordini prædicto, necnon ipſius domibus & perſonis per eamdem Sedem ſeu alias conceſſis, uti gaudereque valeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus per præſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & alterius cujuſcumque in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VIII. Idus Junii, anno I.

IX.

Sororibus Tertii Ordinis ſub prima ſanctæ Claræ regula vivere volentibus aſſignatur Monaſterium Corporis Chriſti Aquil. Ex lib. I. de Regularibus, anno I. folio 64.

Dilecto filio Archipresbytero Eccleſiæ ſancti Victorini de Aquila.

§. I. Gloriæ perennis ac ſempiternæ beatitudinis amatricum, quæ mortalis viri ſpreto thoro, ac florente mundo mentis deſpectu calcato, immortali ſponſo, qui ſpecioſus eſt præ filiis hominum, ſe voto celebri deſponſarunt, ut inter eas cum multiplicato fructu honeſtatis flores in ubertate concreſcant ſalubres, per quas etiam cum Religionis propagatione, animarum ſalutem ac devotionis incrementum prodire conſpicimus, petiones, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittimus, eiſque favores Apoſtolicos liberaliter impertimur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Antoniæ de Florentia, Eufroſinæ, Gabrielæ & Hieronymæ de Tuderto, ac Franciſcæ de Aſſiſio, Jacobellæ de ſancto Joanne Rotundo, necnon Claræ, Jacobæ, Eliſabeth, Ludovicæ, Angelæ, Ceciliæ, Agathæ & Luciæ de Aquila mulierum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, *de Pœnitentia* nuncupati profeſſarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ, quæ per multos annos in congregatione ſatis honeſte, caſte, laudabiliter & devote, aliquæ etiam ex eis cum ſinceritatis & virginalis pudoris integritate vixerunt, ad perfectiorem ſtatum ac frugem melioris necnon arctioris vitæ aſpirantes, conſiliis & prædicationibus dilecti filii Joannis de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minor. profeſſoris inductæ, primam regulam beatæ Claræ profiteri, & in illo perpetuo Altiſſimo famulari ferventius concupiſcunt; quodque in civitate Aquilana, in qua nec etiam a Mantuana, & noſtris Ferrar. & Piſauren. civitatibus citra, aliquod Monaſterium dictæ Regulæ, in quo hujuſmodi ſuum pium deſiderium adimplere valeant, non exiſtit, tempore piæ mem. Clementis Papæ VI. prædeceſſoris noſtri, quondam Joannes Jacobi alias Gallioffi, ac ejus hæredes, ex ipſius Jacobi teſtamentaria diſpoſitione, quoddam Monaſterium ſub vocabulo Corporis Chriſti, alias Euchariſtiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis in loco de ſancto Victorino, juxta rem hæredum dicti Jacobi, vias publicas, & alios tunc expreſſos confines, in quo Virgines Deo dicatæ & aliæ honeſtæ mulieres, pro prædeceſſorum & ſucceſſorum ſuorum animarum ſalute fundarunt & conſtruxerunt, necnon ſufficienter dotarunt, illiuſque & Eccleſiæ cujuſdam tunc expreſſi hoſpitalis per eos conſtructi curam bonæ memoriæ Paulo tunc electo Aquil. ſubmiſerunt, ipſorum Monaſterii, Eccleſiæ & hoſpitalis Jurepatronatus ſibi & ſucceſſoribus reſervato: ac deinde ad dictorum patronorum petitionem & inſtantiam dictus Paulus electus diſpoſuit & ordinavit, Moniales in illo Monaſterio pro tempore recipiendas, habitum

tum ſuſcipere, & Ordinem Fratrum Prædicatorum profiteri, ac ſub cura & regimine Fratrum Ordinis Prædicatorum hujuſmodi vivere, quemadmodum dilectæ in Chriſto filiæ Sorores Monaſterii de Nunciata Aquilan. Ordinis ſancti Auguſtini ſuſcipiunt, profitentur & ſubſunt; & quod in prædicto fundando Monaſterio aliqua, niſi per eoſdem patronos præſentata fuerit, in illius Sororem recipi non deberet, ac gubernatio, viſitatio ac correctio earumdem Sororum fundandi Monaſterii, niſi de voluntate, conſilio & aſſenſu dictorum patronorum fieri non deberet: ac dictus Paulus electus pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus promiſit Eccleſiam Monaſterii ſanctæ Euchariſtiæ, & hoſpitale hujuſmodi bene regere & gubernare, & in nullo opprimere & gravare, ac nihil aliud, quam unam libram ceræ, annuatim in feſto ſancti Maximi perſolvendam, exinde contra dictorum patronorum, illiuſque Prioriſſæ & Sororum pro tempore exiſtentium &c. extorquere. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, venerabilis frater noſter Amicus Epiſcopus Aquil. & dilectus filius Nardus de Roma, Vice-procurator dilecti filii Jacobi de Regno, generalis Procuratoris dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum in Romana Curia, de conſenſu & voluntate dilectorum filiorum nobilium virorum Petri Lalli militis, & Joannis Baptiſtæ de Camponiſchis fratrum, & Antonii Baptiſtæ etiam militis, & Gallioſſi de Gallioſſis fratrum, Domicellorum Aquilanorum, ad quos Juspatronatus hujuſmodi, ut a nonnullis aſſeritur, hæreditario Jure provenit, coram dilecto filio noſtro Joanne ſanctæ Mariæ Trans-Tyberim Presbytero Cardinale inſimul convenerunt, omnia & ſingula ſilvas, prata, vineas, campos aliaque mobilia & immobilia bona, reditus & proventus ipſius Monaſterii Corporis Chriſti, quodam prato tunc expreſſo ex illis excepto, quod menſæ Epiſcopali Aquil. in recompenſam Juris & libræ ceræ antedictæ aſſignari voluerunt, & aſſignarunt cum quinquaginta ducatis auri, quos tunc depoſuerunt, prædicto Epiſcopo poſtmodum, ut aſſeritur, perſolutis, prædictæ domui ſancti Dominici pro illius fundatione & reparatione applicarentur, ac in dicto Monaſterio Corporis Chriſti prædictus Ordo ſanctæ Claræ inſtitueretur, ipſumque Monaſterium Corporis Chriſti regimini & gubernationi Vicarii Fratrum dicti Ordinis Minorum de Obſervantia provinciæ Pennen. juxta morem ejuſdem Ordinis Minorum ſubjiceretur, prout in inſtrumento ſeu inſtrumentis publicis ſuperinde confecto ſeu confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum mulierum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis ac eorum circumſtantiis univerſis te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi de conventione & aliis præmiſſis tibi legitime conſtiterit, in prædicto Monaſterio Corporis Chriſti ſancti Auguſtini ſupprimas, & ſanctæ Claræ Ordines inſtituas, ipſumque Monaſterium Corporis Chriſti ab omnibus dominio, ſuperioritate & ſubjectione Fratrum Ordinis Prædicatorum eximere & penitus liberare, illudque regimini & gubernationi dicti Vicarii penitus ſubjicere, necnon mulieribus prædictis, per eas & alias Sorores dicti Ordinis ſanctæ Claræ, juxta ritus, mores & inſtituta Monaſterii Corporis Chriſti Mantuan. ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, perpetuo tenendum, regendum & inhabitandum, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, & pro ſepeliendis Sororibus illarumque ſervitoribus & ſervitricibus, ac aliis devotis perſonis dicti Ordinis ſanctæ Claræ cœmeterio, ac hortis, hortalitiis ac aliis neceſſariis officinis concedere & aſſignare; necnon quæcumque poſſeſſiones, domos, ſilvas,

ſilvas, prata, vineas, & bona mobilia & immobilia, reditus quoque & proventus, ad prædictum Monaſterium Corporis Chriſti Aquilan. pertinentia, domui prædictæ ſancti Dominici pro fundatione & reparatione antedictis concedere & aſſignare, ipſique Monaſterio Corporis Chriſti Aquilan. & illis perſonis dicti Ordinis ſanctæ Claræ pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, gratiis & indultis, Fratrum Minorum & ſanctæ Claræ Ordinibus prædictis per Sedem Apoſtolicam ſeu alias hactenus conceſſis ſeu in poſterum concedendis, uti poſſint pariter & gaudere, indulgere, eadem auctoritate noſtra ſtudeas pariter & procures. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii Corporis Chriſti Aquilan. & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VIII. Idus Junii, anno I.

X.

Ut recipiat quatuor domos in ſua Provincia. Ibidem, folio 56.

Dilecto filio Chriſtophoro de Modoetia Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia *nuncupatorum*, *Provinciæ Mediol. Vicario*.

INter cetera deſiderabilia cordis noſtri, intenſis deſideriis affectamus, ut ubique majeſtas Altiſſimi collaudetur in beneficiis gratiarum, ſuique glorioſi nominis amplietur devotio, & ad horum promotionem eo libentius humilibus ſupplicum votis annuimus, quo ſacræ Religionis augmentum, & animarum ſalutem exinde cognoſcimus provenire. Attendentes igitur quod dilecti filii profeſſores Ordinis Fratrum Minorum, præſertim qui in dicta provincia Mediol. ſub Regulari Obſervantia ejuſdem Ordinis degunt, honorem Dei & propagationem Chriſtiani nominis diligenter ac fideliter pro fide hujuſmodi, necnon divini cultus ac Religionis augmento in eiſdem plurima labores & ſtudia fructuoſa impendere poterunt, & libenti animo impendent, & ut dicti profeſſores eo ferventius dictis laboribus ac ſtudiis inſiſtere valeant, quo ſe Apoſtolicis favoribus & gratiis amplioribus per Nos & Sedem Apoſtolicam noverint circumfultos; ipſorum profeſſorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis Vicariis dictæ provinciæ Mediol. qui pro tempore erunt, per vos vel alium ſeu alios quatuor loca in dicta provincia Mediolan. ſi vobis ex eleemoſynis, aut alias fidelium largitione concedantur, recipiendi, & in eorum quolibet Eccleſiam ſive oratorium cum campanili, campanis, cœmeterio, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis ac aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ſive conſtructa & ædificata recipiendi pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum ex Fratribus inibi perpetuo moraturis, Diœceſanorum locorum & aliorum quorumcumque licentia ſuper hoc minime requiſita, ac juribus parochialium Eccleſiarum, & alterius cujuslibet alias in omnibus ſemper ſalvis, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, prohibente ne Fratres mendicantes in civitate ulla, caſtro ſeu loco quocumque ad habitandum domos vel loca quævis de novo recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, plenam & liberam auctori-

ctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et inſuper quod domus per vos recipiendæ prædictæ, ac Fratres in eis pro tempore degentes omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indulgentiis & indultis, aliis domibus Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, necnon Fratribus in eis degentibus per Sedem prædictam, ſeu alias quomodolibet in genere vel in ſpecie conceſſis vel in poſterum concedendis, perpetuo uti & gaudere valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ largitionis & conceſſionis infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VII. Idus Junii, anno I.

XI.

Ut recipiat vel conſtruat duo cænobia in ſua Provincia. Ibidem, fol. 13.

Dilecto filio Antonio de Zetzina Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia *nuncupatorum, Provinciæ Januen. Vicario.*

SAcræ Religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino, in humilitatis ſpiritu devotum impenditis & ſedulum, ac in favorem fidei catholicæ famulatum, merita promerentur, ut Sedes Apoſtolica vos & veſtrum Ordinem favoribus benignis conſoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in illis præſertim, per quæ cultus Divini nominis augetur, voſque piæ vitæ ſtudio vobis ipſis & aliis ad animarum ſalutem proficere valeatis. Tuis igitur ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis Vicariis prædictæ provinciæ, qui pro tempore erunt, per vos vel alium ſeu alios duo loca in dicta provincia Januenſi vobis ex eleemoſynis, aut alias fidelium largitione concedantur, recipiendi, & in eorum quolibet Eccleſiam ſive oratorium cum campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis ac aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ſive conſtructa & ædificata recipiendi, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum ex Fratribus inibi perpetuo moraturis, Diœceſanorum locorum & aliorum quorumcumque licentia ſuper hoc minime requiſita, ac juribus parochialium Eccleſiarum & alterius cujuslibet alias in omnibus ſemper ſalvis, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, prohibente ne Fratres mendicantes in civitate ulla, caſtro ſeu loco quocumque ad habitandum domos vel loca quævis de novo recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Et inſuper quod domus per vos recipiendæ prædictæ, ac Fratres in eis pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indulgentiis & indultis, aliis domibus Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, necnon Fratribus in eis degentibus per Sedem prædictam, ſeu alias quomodolibet in genere vel in ſpecie conceſſis vel in poſterum concedendis, perpetuo uti & gaudere valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ largitionis & conceſſionis infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipoten-

poten-

potentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VII. Idus Junii, anno 1.

XII.

Ut Obſervantes in domo prope villam de Baſtida degentes a cenſuris abſolvat.
Ex lib. 2. de Regularibus, anno 1. folio 37.

Dilecto filio Priori Monaſterii ſanctæ Mariæ de Stella, Calaguritan. Diœceſ.

§. I. Inter cetera deſiderabilia cordis noſtri intenſis deſideriis affectamus, ut ubique majeſtas Altiſſimi collaudetur in beneficiis gratiarum, ſuique glorioſi nominis amplietur devotio, & ad horum promotionem eo libentius humilibus ſupplicum votis annuimus, quo ſacræ Religionis augmentum & animarum ſalutem exinde cognoſcimus provenire. Sane pro parte dilecti filii Roderici Villalacri, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater noſter Petrus Epiſcopus Calaguritan. pro divini cultus & Religionis augmento Eccleſiam ſine cura ſancti Andreæ de Muga, prope villam de Baſtida, Calaguritan. Diœceſ. quæ tunc ruinam minabatur, eidem Roderico & nonnullis aliis Fratribus dicti Ordinis, ſub illius regulari obſervantia degentibus, per aliquos ex eis tenendam, regendam & inhabitandam, donec & quouſque illa ſibi per Sedem Apoſtolicam concederetur, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis auctoritate ordinaria dedit, conceſſit & aſſignavit; ipſique Rodericus & Fratres prædictam Eccleſiam, dationis, conceſſionis & aſſignationis earumdem obtentu aſſecuti, nulla pro eo deſuper a Sede prædicta licentia obtenta, tamquam Capellani dictæ Eccleſiæ inibi permanentes, illam, quam mediantibus fidelium eleemoſynis in ſuis ſtructuris & ædificiis reparari facere cœperunt, ex tunc inhabitarunt, prout inhabitant de præſenti.

§. II. Cum autem datio, conceſſio & aſſignatio prædictæ, juxta conſtitutionem felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, prohibentem ne Fratres Ordinum mendicantium in aliqua civitate, caſtro vel villa, ſeu alio quocumque loco ad habitandum domum vel locum de novo recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, viribus non ſubſiſtant; ac, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Rodericus & Fratres dubitent, ex præmiſſis ſe excommunicationis ſententiam incurriſſe: pro parte eorumdem Roderici & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad Ordinem prædictum ejuſque augmentum ſpecialem gerentes devotionis affectum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eoſdem Rodericum & Fratres, ſi id a te humiliter petierint, ab excommunicationis aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis, ſi quas præmiſſorum occaſione quomodolibet incurrerunt, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat abſolvas in forma Eccleſiæ conſueta, injunctis ſibi pro modo culpæ pœnitentia ſalutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac ſecum ſuper irregularitate, ſi quam, hujuſmodi ſententia & cenſura vel earum aliqua ligati, Miſſas & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando aut immiſcendo ſe illis, quomodolibet contraxerunt, diſpenſes, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam ſive no-

notam per eos præmiſſorum occaſione contractam aboleas: & nihilominus, ſi tibi, temporis qualitate & loci conditione ac circumſtantiis univerſis penſatis, id videbitur faciendum, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Eccleſiam prædictam, quæ ſine cura eſt & fructibus, ſicut accepimus, & Rectore caret, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, Roderico & Fratribus ſupradictis per aliquos ex eis perpetuo tenendam, regendam & inhabitandam, ita quod apud ſeu juxta illam, domum cum campanili, campana, cœmeterio, hortis & hortalitiis, & aliis pro ipſorum Fratrum uſu & habitatione neceſſariis officinis fundare & conſtrui facere poſſint, jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo, eadem auctoritate noſtra concedas pariter & aſſignes. Non obſtantibus Bonifacii prædeceſſoris noſtri prædicti, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque; Nos enim, ſi conceſſionem & aſſignationem prædictas vigore præſentium feceris, eiſdem Roderico & Fratribus, quod domus per eos apud ſeu juxta Eccleſiam fundanda hujuſmodi, ac Fratres in ea pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, gratiis & indultis, aliis domibus Ordinis & Obſervantiæ eorumdem a dicta Sede vel alias quomodolibet in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Et inſuper ex nunc decernimus irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. pridie Kal. Julii, anno I.

XIII.

Clariſſæ in regnis Caſtellæ & Legionis degentes ab omnibus impoſitionibus & juriſdictionibus Prælatorum eximuntur. Ex lib. 1. de Regul. anno 1. folio 251.

Ad perpetuam rei memoriam.

Moniales exactiones ſolvere non tenentur.

§. I. Licet Romanus Pontifex Religioſas perſonas, quæ ſub humilitatis ſpiritu, ſtudio piæ vitæ ac Regulari Obſervantia, ſedulum Domino famulatum impendunt, earumque Monaſteria ſive loca aſſueto benignitatis affectu proſequi conſueverit, illa tamen ſpecialius ſibi ſubdit, ac a cujuslibet alterius juriſdictione eorumque quorumcumque ſubjectione & ſolutione libera facit penitus & exempta, quæ majoribus oppreſſionibus exactionibuſque gravata noſcuntur. Cum itaque &c. licet felicis recordationis Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter univerſis Abbatiſſis & Conventibus Monialium incluſarum Ordinis ſanctæ Claræ ſive ſancti Damiani, attendens Regularitatis Obſervantiam in qua vivebant, veſtigia piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri ſequi volens, ad præſtationem decimarum de quibuſcumque poſſeſſionibus & aliis omnibus bonis ſuis, quæ tunc habebant, & in futurum acquirere poſſent, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum, etiam Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & quibuslibet talliis ac collectis, & ad exhibendum pedagia, telonea & alias exactiones quibuſvis Regibus, Principibus, ſeu aliis perſonis ſecularibus minime tenerentur, per litteras ſuas indulſerint; nihilominus nonnullæ ex dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſis & Conventibus Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis ſeu ſancti Damiani, in Regulari Obſervantia viventes, in regnis Caſtellæ & Legionis conſiſten-

ſtentium, contra tenorem & effectum dicti aſſerti indulti, dum ab Ordinariis locorum, ubi conſiſtunt, ſuper ſolutione decimarum, ſeu ſubſidiorum vexarentur, illas per certos annos, licet invitæ, ſolvere compulſæ fuerunt, in non modicum ſuorum & dictorum Monaſteriorum damnum & jacturam. Quare pro parte Abbatiſſarum & Conventuum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum ut eis & dictis Monaſteriis, quæ ſunt & erunt pro tempore in dictis Regnis, ſuper hoc de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Aliquæ ſunt cõpulſæ ſolvere.

§. II. Nos igitur, qui ad Ordinem & Monaſteria prædicta ſpecialem gerimus devotionis affectum, Joannis & Bonifacii prædictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, earumdem Abbatiſſarum & Conventuum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut in eiſdem Monaſteriis eo devotius divinis intendere poſſint, & ne propter ſolutionem prædictam, indultum per Jonnnem prædeceſſorem prædictum ipſis, ut præmittitur, conceſſum, interruptum cenſeatur, & quæſtiones ac differentiæ inter ipſas & Ordinarios locorum tempore procedente propterea oriantur, ut indultum ipſum, de quo Nobis alias quam per tranſumptum ſcriptum fides fieri non potuit, in ſuo robore, non obſtante dicta ſolutione permaneat; ſanctæ Claræ de Oterdeſil. & Palent de Famuſco, ac omnes alias in eadem Regulari Obſervantia in ipſis regnis ad præſens, & pro tempore Monaſteriorum dicti Ordinis in Regulari Obſervantia viventes Abbatiſſas & Conventus, ad omnem abundantem cautelam, quamdiu in Obſervantia Regulari permanſerint, cum omnibus juribus & pertinentiis, ſeque ac bonis ſuis mobilibus & immobilibus quibuſcumque tam præſentibus, quam futuris, ab omni juriſdictione, dominio, poteſtate, necnon exactione, correctione & viſitatione quorumcumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Ordinariorum locorum, qui ſunt & erunt pro tempore, & ab eis deputatis ſeu deputandis Judicibus, delegatis ſeu ſubdelegatis, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia, tenore præſentium prorſus eximimus & perpetuo liberamus, ac ſub beati Petri & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus atque noſtra; illaſque & illa nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus & dictæ Sedi dumtaxat immediate volumus ſubjacere, ita quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarii, & ab eis deputati ſeu deputandi Judices, delegati ſeu ſubdelegati prædicti, aut quævis alia perſona ſecularis vel regularis, Eccleſiaſtica vel mundana, quacumque præfulgeat dignitate, nullam in Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria ſive loca hujuſmodi, utpote prorſus a nobis exempta, ratione delicti vel contractus, aut rei de qua agetur, in judicio vel extra, ubicumque committatur delictum, vel iniatur contractus, ſeu res ipſa conſiſtat, poſſint excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti, aut quamcumque ſententiam promulgare, aut juriſdictionem præſtare, aut dominium exercere, ſed coram nobis & dicta Sede dumtaxat, ſeu noſtris & ipſius Sedis delegatis teneantur de juſtitia reſpondere; quinimo Abbatiſſas, Conventus & Moniales ſupradictas cum eorum Monaſteriis & locis ab omni decimarum, primitiarum, exactionum, ſubſidiorum, gabellarum, pedagiorum & aliorum onerum quorumcumque ſolutione, contributione, & aliis quibuſcumque, perpetuo exemptas eſſe volumus, immunes, exemptaque, libera & immunia: piæ memoriæ Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri & aliis quibuslibet conſtitutionibus, privilegiis, indulgentiis &c. ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Eorum confirmatur privilegium.

Ordinariis ſupra Moniales juriſdictio interdicitur.

§. III. Et nihilominus omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Judicibus delegatis, ſubdelegatis prædictis & aliis quibuſcumque, cujuſcum-

Quod a nemine vexétur ſub pœna excommunicationis præcipitur.

juſcumque gradus, ſtatus, Ordinis & conditionis exiſtant, ac aliis quibuſcumque, etiam Reginali, Regali, aut alia quacumque præfulgeant dignitate, ſub pœna excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, diſtricte præcipiendo mandamus nihilominus, ne Abbatiſſas, Conventus & Monaſteria, ac loca hujuſmodi ſuper præmiſſis & certa cauſa impetant, vexent, perturbent quomodolibet vel moleſtent: decernentes ex nunc omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias, & quoſcumque proceſſus quaſvis cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas in ſe continentes, quas vel quos adverſus Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria & loca prædicta, contra tenorem & formam noſtræ exemptionis hujuſmodi haberi contigerit, ſeu etiam promulgari, irritas & inanes, nulliuſque exiſtere roboris vel momenti.

Declaratur, quod per hoc Miniſtris Ordinis nullum generatur præjudicium.

§. IV. Per hoc autem dilectis filiis Generali Miniſtro, ac aliis Ordinis Minorum hujuſmodi pro tempore exiſtentibus Officialibus nullum, quin omnem, quam hactenus habuerunt & de præſenti habent, curam, diſpoſitionem & quamlibet aliam ordinationem in Abbatiſſas, Conventus, Monaſteria & loca prædicta libere & licite valeant exercere, volumus præjudicium generari. Ceterum, ne Abbatiſſæ, Conventus, Moniales, Monaſteria & loca prædicta contra tenorem exemptionis & alia prædicta in poſterum per aliquem moleſtentur, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Hiſpalen. & Epiſcopo Oveten. ac dilecto filio Priori Monaſterii ſancti Benedicti Valliſoleti, Palentin. diœceſ. per Priorem ſoliti gubernari, mandamus, quatenus ipſi aut alter eorum per ſe vel alium ſeu alios Abbatiſſis, Conventibus, Monialibus, Monaſteriis & locis prædictis, quæ ſunt & erunt pro tempore, quoties pro parte eorumdem fuerint requiſiti, ſeu alter eorum fuerit requiſitus, in præmiſſis & circa ea efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant eas, earumque Monaſteria & loca per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Ordinarios Judices & alios præfatos ſeu alios quoſcumque ſuper hujuſmodi exemptione, necnon juribus, bonis & pertinentiis quibuſcumque, contra præſentium litterarum continentiam atque formam, quomodolibet moleſtari, facientes Abbatiſſas, Conventus, Monaſteria & loca hujuſmodi plena ubique immunitate, exemptione & libertate prædictis gaudere: contradictores auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus dicti Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine Diœceſis ad judicium evocetur; ſeu ne Judices & Conſervatores a Sede Apoſtolica deputati, extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſeu alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorum trahere præſumant, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque: aut ſi Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ordinariis Judicibus & delegatis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a præfata Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, vel extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, libertatis, ſuſceptionis, voluntatis, mandati, inhibitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Pridie Kalendas Julii, anno 1.

XIV.

XIV.

Præficitur Eccleſiæ Caſtren. Ex lib. 1. de Proviſionibus &c. anno 1. fol. 137.

Dilecto filio Joanni Gaſto, alias Lentſol Electo Caſtren.

Apoſtolatus officium quamquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de earum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant duce Domino ſalubriter regere & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Franciſco Epiſcopo Caſtren. regimini Caſtren. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Caſtren. per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi, qui extra Romanam curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide dignorum teſtimoniis apud nos multifarie commendatum, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis & ipſis Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum regetur utiliter & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem hujuſmodi ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod præfata Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. V. Nonas Julii, anno I.

XV.

Ut vendant aliqua bona ad reparationem ſuarum Eccleſiarum & domorum.
Ex archivo ſecreto, lib. 22. Bullar. Nicolai V. fol. 96.

Dilectis filiis Fratribus locorum ſanctæ Mariæ de la Nova de Neapoli, ſancti Franciſci de Caeta, ſancti Franciſci de Surrento & ſancti Franciſci de Caſtello ad mare, Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari.

CUm proximis temporibus ad ſupplicationem Chriſtifidelium Civitatum & terrarum, in quibus loca habetis, bonæ memoriæ nonnulli noſtri prædeceſſores ipſa loca a Fratribus veſtri Ordinis Conventualibus habitata vobis tenendi ac tenenda & habitanda dari voluerunt ac curaverunt; inſuperque juſſerunt, bona immobilia, quæ dicti Conventuales tenuerant ac poſſederant, gubernari per aliquos ſeculares, qui eorum bonorum fructus, reditus & proventus verterent in utilitatem reparationemque locorum veſtrorum, ac neceſſitates veſtras, & nobis fide digna relatione innotuerit, tantam eſſe neceſſitatem reparationis Eccleſiarum, ædificiorum & officinarum, ac proviſionis librorum & ornamentorum in prædictis locis veſtris faciendi, ut Chriſtifidelium eleemoſynæ largitioneſque nullatenus ſufficere videantur. Nos conſiderantes, quod aliquando dici nobis feciſtis, eam poſſeſſionum & bonorum immobilium retentionem pro locis veſtris, ut prædicitur, factam, licet per Procuratores ſeculares viros illa gubernentur, aliqualiter contra regulæ veſtræ puritatem fieri, cum proprietatis ſuſpicione non careat, & propterea veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Procuratoribus ipſis, quorum nomina & cognomina hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, omnia ipſa bona, quotquot & qualiacumque ſint, vendendi & alienandi pro pretio, quod juſtum & decens ſit, & pecunias inde perceptas in reparationem & fabricam Eccleſiarum, ædificiorum & officinarum locorum veſtrorum, earumdem Eccleſiarum, librorum & ornamentorum neceſſitatem, prout vos in ſingulo loco duxeritis ordinandum, facultatem poteſtatemque, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XV. Kalendas Auguſti, anno 1.

XVI.

Moniales Monaſterii ſanctæ Margaritæ extra muros Eugubin. ſubiiciuntur juriſdictioni Fratrum provinciæ ſancti Franciſci. Ex libro 1. de Regularibus, anno 1. folio 44.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. SEdis Apoſtolicæ providentiæ circumſpectæ benignitas nonnumquam ea, quæ per præoccupationem vel alias minus provide per ipſam Sedem geſta fuere, revocat, caſſat & annullat, ac in priſtinum ſtatum reducit, aliaque facit & diſponit, prout id conſpicit in domino ſalubriter expedire. Sane nuper, poſtquam ex gravi querela dilectorum filiorum Miniſtri & Fratrum Ordinis Minorum Provinciæ ſancti Franciſci percepimus, quod dudum, poſtquam nonnullæ Moniales Monaſterii ſanctæ Margaritæ, Ordinis ſanctæ Claræ, extra muros Eugubin. ſenſerant, dilectum filium noſtrum Dominicum, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyterum

Car-

Cardinalem, in civitate Peruſin. & partibus vicinis tum Apoſtolicæ Sedis Legatum & dicti Ordinis Minorum Protectorem, in diverſis locis dictæ provinciæ Regularem obſervantiam obſervari debere procurare, dubitantes ne ipſæ, prout dicti Ordinis ſanctæ Claræ monaſteria Monialium Peruſii & Fulginei conſiſtentia, ex parte dicti Legati tunc ad Regularem obſervantiam monitæ, per Miniſtrum dictæ provinciæ ad obſervantiam hujuſmodi redigi deberent, idem Legatus in civitate Eugubin. reformationem hujuſmodi etiam perficeret, ob diverſas permiſſiones ipſis, ſi ſe regimini & protectioni Epiſcopi Eugubin. ſubiicerent, per nonnullos factas motæ, immemores votorum Religionis & profeſſionis ſuæ, Fratribus dicti Ordinis obloquentes, ſe Epiſcopo Eugubin. qui tunc ſuit & ſoret pro tempore, in non modicum Fratrum Minorum prædictorum præjudicium & gravamen, ſubiicere præſumpſerint.

§. II. Et deinde dum felicis recordationis Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter ad ſiniſtram informationem dictarum Monialium, Abbatiſſam & Moniales dicti Monaſterii ſanctæ Margaritæ a Juriſdictione, correctione & viſitatione Miniſtri & Fratrum dicti Ordinis Minorum per litteras ſuas, licet nulliter & de facto exemerat, ac Epiſcopo Eugubin. pro tempore exiſtenti, ejuſque viſitationi, correctioni & Juriſdictioni eiſdem ſubjecerat, dictæque litteræ ad notitiam Legati prædicti, tamquam Protectoris Ordinis Minorum hujuſmodi pervenerant; idemque Legatus, utpote Protector, dicto Epiſcopo ſcripſerat, ne de dicto Monaſterio ſanctæ Margaritæ ſe impediret, prout nec de illo, legatione hujuſmodi durante, ſe impedivit; & deinde legatione finita, dum dictus Epiſcopus ſe de dicto Monaſterio ingerere & poſſeſſionem illius capere vellet, nonnulli Fratres & Moniales ex prædictis ab iis ad dictum prædeceſſorem noſtrum & Sedem Apoſtolicam appellarunt, cauſaque appellationis hujuſmodi Venerabili Fratri noſtro Baptiſtæ Epiſcopo Camerinen. tunc unum ex locis Palatii noſtri Apoſtolici Cauſarum Auditorum tenenti, per eumdem commiſſa extitit; & demum expirante appellationis tempore ad proſequendum eamdem, dum dictus Epiſcopus ſenſerat nos per certum Breve noſtrum Miniſtro dictæ provinciæ ſcripſiſſe, & reformationem dicti Monaſterii ſanctæ Margaritæ prædictæ illi commiſiſſe, idem Epiſcopus hujuſmodi Monaſterium manu armata & violenta cum magno ſtrepitu, dictis Monialibus & Fratribus reclamantibus, ingreſſus fuit, ac Moniales inibi exiſtentes, in non modicam dicti Ordinis ſanctæ Claræ verecundiam extraxit, & ad alia Monaſteria Ordinis ſancti Benedicti tranſtulit. Quare pro parte Miniſtri & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis & dicto Ordini Minorum in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, prout tenemur, in præmiſſis celeriter providere volentes, litteras exemptionis dicti Monaſterii ſanctæ Margaritæ, ac Abbatiſſæ & Monialium ejuſdem, necnon ſubjectionis earumdem Epiſcopo prædicto, a dicto prædeceſſore tamquam per præoccupationem ſeu circumventionem obtentas & emanatas, ac omnia inde ſecuta in præmiſſis, ex certis aliis cauſis rationabilibus ad hoc animum noſtrum moventibus permoti, revocamus, caſſamus & annullamus, & pro infectis haberi volumus nulliuſque roboris vel momenti: Abbatiſſamque, Moniales & Monaſterium ſanctæ Margaritæ prædicta, quæ ſunt & erunt pro tempore, ad obedientiam, viſitationem, correctionem, ſuperioritatem, & in ſtatum priſtinos, in quibus, antequam præmiſſa contingerent, erant, integre reducimus & reponimus; necnon Protectorem, Miniſtrum & Fratres prædictos, quoad viſitationem, correctionem & ſuperioritatem Abbatiſſæ & Monialium dicti

Monaſterii ſanctæ Margaritæ, ac poſſeſſionem priſtinas plenarie reſtituimus & reponimus per præſentes: mandantes ex nunc Venerabili Fratri noſtro Antonio Epiſcopo Eugubin. ſub excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiis, aliiſque cenſuris Eccleſiaſticis & pœnis, quas ſi contrafecerit, ipſum incurrere volumus & declaramus ipſo facto, quatenus omnes & ſingulas Moniales, ut præfertur, ex dicto Monaſterio ſanctæ Margaritæ extractas, quantocius, omni contradictione ceſſante, in dictum Monaſterium & ſtatum priſtinum plenarie reponat & reſtituat, & ſub Juriſdictione, viſitatione, correctione & ſuperioritate priſtinis Miniſtri & Fratrum prædictorum quiete ſtare permittat, nec de illis ac Monaſterio ſanctæ Margaritæ hujuſmodi de cetero, quovis quæſito colore ſive ingenio, ſe ingerat vel intromittat; decernentes ex nunc irritum & inane quidquid per modernum, ſeu pro tempore exiſtentem Eugubin. Epiſcopum contra præmiſſa fieri contigerit ſeu etiam attentari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, caſſationis, annullationis & reſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. quarto Kalendas Auguſti, anno I.

XVII.

Ut admittat Eremitorium ſanctæ Mariæ de Gratia prope Carmonam. Ex lib. I. de Regularibus, anno I. fol. 261.

Dilecto filio fratri Alphonſo de Palentia, Ordinis Fratrum Minorum beati Franciſci de Obſervantia regulari; dilecti filii Alphonſi de Borox provinciæ regni Caſtellæ dicti Ordinis Vicarii Provincialis Vicario.

§. I. INter Eccleſiaſticos Ordines in domo domini militantes, id ex benedictione cœleſti Ordini tuo & Fratribus illius magis adſcribitur, ut efficax teſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum & aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque &c. dilecti filii Rectores & Gubernatores loci de Carmona, Hiſpalen. Diœceſ. ob ſingularem devotionem quam ad Ordinem Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum gerunt, terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare volentes, pro ipſorum ſuorumque progenitorum animarum ſalute, & ad reverentiam & honorem glorioſi confeſſoris ſancti Franciſci, prefatique Ordinis exaltationem & augmentum, nonnullos Fratres de Obſervantia ejuſdem Ordinis in Eremitorio ſanctæ Mariæ *del Alcor* a dicto loco per duo milliaria vel circa diſtantes, ob carentiam aquarum, hortorum, hortalitiorum & aliorum neceſſariorum, ut eo quietius Altiſſimo famulari & Chriſtifideles illius loci &c. prædicationibus &c. inſtruere poſſint, cupiant ad Eremitorium *ſanctæ Mariæ de Gratia* nuncupatum, apud dictum locum ſitum transferri, hujuſmodique Eremitorium ſanctæ Mariæ pro uſu & habitatione dictorum & tui Ordinis Fratrum, & in hunc finem, ut ex Eremitorio ſanctæ Mariæ domus & Eccleſia pro Fratribus hujuſmodi ſub obſervantia Regulari viventibus, cum campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis erigatur, fundetur & conſtruatur, donare intendunt, ſi ad recipiendum illud ac alia præmiſſa faciendum Sedis Apoſtolicæ ſuffragaretur auctoritas; &, ſicut eadem pe-

petitio ſubjungebat, ſi Eremitorium præfatum pro uſu & habitatione dictorum Fratrum erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, illudque recipiendi, a ſede prædicta facultatem haberent, profecto plurimorum animas chriſtifidelium dicti & etiam propinquorum locorum Deo lucrifacere poſſe ſperarent.

§. II. Nos igitur, qui Regularem Obſervantiam noſtris præſertim temporibus adaugeri intenſis deſideriis exoptamus, ac ſalutem querimus ſingulorum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi ut Eremitorium ſanctæ Mariæ præfatum, ſi tibi a Rectoribus & Gubernatoribus prædictis conſignabitur, recipiendi, illudque pro uſu & habitatione dictorum & aliorum Fratrum dicti Ordinis, cum Eccleſia, domo, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, fundari, conſtrui & ædificari faciendi, ac recipiendi & perpetuo retinendi, Diœceſani loci, ſub quo hujuſmodi ſanctæ Mariæ locus, ſive eremitorium ſituatum exiſtit, aut dicti Ordinis Superioris licentia ſuper hoc minime requiſita, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, quos in domo ſic erigenda & conſtruenda pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, libertatibus & exemptionibus, Ordini præfato, necnon ipſius locis, domibus & perſonis per Sedem prædictam, aut alias generaliter vel ſpecialiter conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, ac Superioribus ſuis præfati Ordinis dumtaxat in omnibus ſubjacere & ſubeſſe debeant, auctoritate prædicta concedimus: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo; felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, prohibente ne Religioſi Ordinis Mendicantium loca de novo recipiant abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. IV. Non. Auguſti, anno 1.

XVIII.

Ut Fratres admittant domum in terra Mortarii. Ex libro 2. de Regularibus, anno 1. folio 165.

Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Novarien. in ſpiritualibus generali.

§. I. His ſupplicum votis, illis præſertim quæ Religionis propagationem & divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communis & hominum terræ Mortarii, Novarien. Diœceſis petitio continebat, quod cum ipſi, cauſante ignis voragine, omnia eorum bona mobilia perdiderint, & ex eis fere trecentum tam ſubito, quam paulo poſt interierint, ipſaque terra penitus conſumpta, ac ejus Eccleſiæ, domus & ædificia ſolo æquata remanſerint, ut beati Franciſci precibus & meritis adjuti, a talibus periculis in futurum illæſi præſerventur, quam-

quamdam domum cum Eccleſia, campana, clauſtro, cœmeterio, horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis in loco ubi Eccleſia ſancti Michaelis extra muros ejuſdem terræ eſſe ſolebat, cujus dumtaxat pars quædam muri ſubſiſtit, ad honorem & laudem dicti beati Franciſci, ad quem ſingularem gerunt devotionis affectum, de bonis eis a Deo collatis, fundare, conſtruere & ædificare, ſeu fundari, conſtrui & ædificari facere ferventer exoptant, dummodo eis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dictorum Communis & hominum aſſerentium, quod Venerabilis fratris noſtri Bartholomæi Epiſcopi Novarien. ac dilecti filii Præpoſiti Præpoſituræ ſancti Albini ejuſdem terræ, Ordinis ſancti Auguſtini, ad quem collatio & omnimoda diſpoſitio dictæ Eccleſiæ ſancti Michaelis de antiqua & approbata ac hactenus pacifice obſervata conſuetudine pertinet, ad hoc expreſſus accedit aſſenſus, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam hujuſmodi concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionem & cultum divinum noſtris præſertim temporibus adaugeri intenſis deſideriis exoptamus, ac ſalutem quærimus ſingulorum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam tibi de conſenſu Epiſcopi & Præpoſiti prædictorum legitime conſtiterit, eiſdem Communi & hominibus in eodem loco unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi pro uſu & habitatione Fratrum Minorum ſancti Franciſci fundandi, erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus prædictis eam pro dictis uſu & habitatione recipiendi & tenendi, plenam & liberam licentiam auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te eiſdem Communi & hominibus concedi contingat, ut præfertur, univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quos in eadem domo morari ſive reſidere contigerit, ut privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus & exemptionibus quibuslibet, prædicto Ordini & ipſius domibus, necnon perſonis eorumdem per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, concedimus per præſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente, ne Religioſi Ordinis Mendicantium loca de novo recipiant abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ faciente plenam & expræſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VII. Kalendas Septembris, anno I.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

In Monaſterio ſanctæ Mariæ de Cantalupo ſupprimitur Ordo ſancti Auguſtini, & ſanctæ Claræ inſtituitur. Ibidem, fol. 192.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Ambroſii Mediolanen.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua mundanis abdicatis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino, in humilitatis ſpiritu, devotum impenditis & ſedulum, ac in favorem fidei catholicæ famulatum, merita promerentur, ut Sedes Apoſtolica vos & veſtrum Ordinem favoribus benignis confoveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in illis præſertim, per quæ cultus Divini nominis augetur, voſque piæ vitæ ſtudio vobis ipſis, & aliis ad animarum ſalutem proficere valeatis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictarum Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii ſanctæ Mariæ de Cantalupo, Ordinis ſanctæ Claræ, petitio continebat, quod licet a ducentum annis citra tam ipſæ, quam aliæ Abbatiſſæ & Moniales dicti Monaſterii, quæ pro tempore fuerunt, habitum ejuſdem ſanctæ Claræ geſtaverint, & quandoque ſub Ordinis Minorum beati Franciſci, quandoque vero ſub ejuſdem Sancti de Obſervantia Fratrum cura extiterint;tamen,pro eo quod a nonnullis aſſeritur, Monaſterium prædictum in ejus primæva fundatione fuiſſe & eſſe Ordinis ſancti Auguſtini, Fratres domus beatæ Mariæ de Angelis extra muros Mediolanen. Ordinis Fratrum de Obſervantia hujuſmodi, Monaſterium ipſum ad inſtar aliorum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ Monaſteriorum, ſub eorum cura amplius habere recuſant, ex quo dictæ Abbatiſſa & Moniales non mediocriter remanent perturbatæ, & ob id plurima incommoda patiuntur. Quare pro parte dictarum Abbatiſſæ & Monialium, aſſerentium ſe cum animi quiete & ſana conſcientia, aliorum, quam de Obſervantia Fratrum curæ ſubjectas eſſe non poſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Regulam & Ordinem ſancti Auguſtini, ſi quis in eodem Monaſterio inſtitutus extiterat, ſupprimere & extinguere, ac Regulam & Ordinem ſanctæ Claræ in illo inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Ordinem ſancti Auguſtini, ſi quis in eodem Monaſterio fuerit vel ſit inſtitutus, auctoritate noſtra penitus & omnino ſupprimas & extinguas, ac modernas & pro tempore exiſtentes Abbatiſſas & Moniales dicti Monaſterii ſub habitu, Regula & Ordine ſanctæ Claræ perpetuo vivere debere, ac ad alterius quam ſanctæ Claræ hujuſmodi Regulæ Obſervantiam non teneri, nec ad id per quempiam poſſe compelli, prædicta auctoritate ſtatuas, ordines pariter & decernas: Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtatutis, indultis & aliis in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VII. Kalendas Septembris, anno I.

XX.

Præficitur Eccleſiæ Dimitrien. Ex lib 1. de Proviſionibus &c. folio 196.

Dilecto filio Joanni de Porriaco Electo Demetrien.

APoſtolatus officium, quamquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de earum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias, in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant duce Domino ſalubriter regere & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Guillelmo Epiſcopo Demetrien. regimini Demetrien. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpenſationi noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Demetrien. per obitum ejuſdem Guillelmi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromitere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide dignorum teſtimoniis apud nos multifarie commendatum, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis & ipſis Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem hujuſmodi ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod præfata Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque, præter æternæ retributionis præmium, noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Kal. Septemb. anno 1.

XXI.

Digitized by Google

XXI.

Ut quibuſdam Virginibus, & Viduis erigatur Monaſterium ſanctæ Claræ in urbe Brixien. Ex lib. 3. de Regularibus, anno 1. fol. 184.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ ſanctorum Nazarii, & Celſi Brixien.

§. I. Inter univerſa opera divinæ placita voluntati, ædificare Cœnobium, in quo prudentes Virgines, cupientes accenſis lampadibus obviam ire ſponſo, gratum & devotum Altiſſimo exhibeant famulatum, non minimum reputatur, cum in eo divinis laudibus glorificetur Altiſſimus, & per innocentis vitæ merita, gloria æternæ beatitudinis acquiratur. Sane pro parte dilecti filii Alberti de Sartiano, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamplures devotæ virgines & viduæ, ac aliæ mulieres in civitate & Diœceſi Brixien. commorantes, ob meliorem vitæ frugem, ad Ordinem ſanctæ Claræ ſingularem gerentes devotionis affectum, dictum Ordinem profiteri &c. deſiderent, quodque dilecti filii Communitas & cives civitatis prædictæ, laudabili mulierum hujuſmodi deſiderio ducti, quoddam Monaſterium ejuſdem Ordinis cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſaris officinis pro dictarum & aliarum mulierum ejuſdem Ordinis, & illius Regularis Obſervantiæ uſu & habitatione perpetuis in prædicta civitate conſtruere proponentes, domos, hortos & ædificia dumtaxat hoſpitalis pauperum ſancti Chryſtophori Brixien. poſſeſſionibus & bonis illius pro hoſpitali per eos de novo auctoritate Apoſtolica fundando reſervatis, necnon etiam dilectus filius Præpoſitus domus ſanctorum Jacobi & Philippi Brixien. Ordinis Humiliatorum quemdam hortum prope dictum hoſpitale conſiſtentem, & ad præpoſituram domus hujuſmodi legitime pertinentem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eidem Alberto pro fundatione & conſtructione hujuſmodi concedere & aſſignare intendunt, ſi eis deſuper per Nos licentia concedatur. Quare pro parte dicti Alberti nobis fuit humiliter ſupplicatum ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionem & cultum Divinum ubique augeri intenſis deſideriis affectamus, pium ipſius Alberti deſiderium plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, Præpoſito hortum cum pertinentiis ſupradictis, ac Communitati & civibus ſupradictis domos & ædificia hoſpitalis ſancti Chryſtophori prædicta, illi videlicet circumvicina, prædicto Alberto pro fundatione & conſtructione dicti Monaſterii Ordinis ſanctæ Claræ de novo fundandi, donandi & concedendi, ac dicto Alberto per ſe vel alium ſeu alios in ipſis domibus, horto & ædificiis hoſpitalis ſancti Chryſtophori Monaſterium ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, ſub illius & alterius, de quo ipſi Alberto videbitur, Sancti vel Sanctæ vocabulo, pro Abbatiſſa & Sororibus inibi ſub Regularibus habitu & Obſervantia, ſecundum regularia Monaſterii ſanctæ Claræ Mantuan. ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ inſtituta, perpetuo & conventualiter Altiſſimo ſervituris, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & alis neceſſariis officinis prædictis fundandi & conſtruendi, ac inibi dignitatem Abbatiſſalem, quæ Superior ibidem ſit, creandi & eligendi; necnon unam ex Sororibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quæ pro hac vice prima profeſſionem per Sorores dicti Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, a quibuſcumque in præ-

dicto fundando Monaſterio Ordinis ſanctæ Claræ Regularem profeſſionem emittere volentibus recipiat, & eis Regularem habitum exhibeat, deputandi, ac fundando Monaſterio Ordinis ſanctæ Claræ prædicto de perſona idonea providendi, ac eam illi in Abbatiſſam præficiendi; necnon omnia alia & ſingula in præmiſſis ac circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi, plenam facultatem auctoritate noſtra largiaris. Nos enim, ſi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi vigore præſentium fundari & conſtrui contigerit, quod illud ac ipſius Abbatiſſa & Sorores inibi pro tempore exiſtentes omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, gratiis & indultis, prædicto Mantuano & quibuſvis aliis Monaſteriis, Ordinis ſanctæ Claræ & Obſervantiæ prædictorum, per Nos vel Sedem Apoſtolicam ſeu alias, in genere vel in ſpecie conceſſis vel in antea concedendis, uti & gaudere; quodque Abbatiſſa & Sorores pro tempore prædictæ per ejuſdem Monaſterii Converſas vel alias honeſtas mulieres, pro ipſarum victu & veſtitu ac aliis neceſſariis, eleemoſynas quærere; necnon Confeſſores Abbatiſſæ & Sororum hujuſmodi pro tempore exiſtentes ipſarum & quarumvis aliarum Converſarum & non Converſarum, etiam Laicalium mulierum, dictis Abbatiſſæ & Sororibus pro tempore deſervientium, confeſſiones audire, illiſque auditis, in reſervatis ſemel tantum, in non reſervatis Sedi Apoſtolicæ caſibus, quoties fuerit opportunum, debitam abſolutionem impendere & injungere pœnitentiam ſalutarem, necnon Euchariſtiæ & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus. Non obſtant. &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XIII. Kalendas Octobris, anno I.

XXII.

Privilegia Monaſterii Corporis Chriſti Neapolitan. confirmantur & alia adjiciuntur. Ex Archivo ſecreto, lib. 29. Bullar. fol. 333.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Neapolitano, & dilectis filiis Abbati beatæ Mariæ de la Gruta, Panormitan. Diœceſ. & Almandro Siſtar Canonico Oſcen.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti Neapolit. Ordinis S. Claræ devotum & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut illa eis favorabiliter concedamus, per quæ cum pace & quiete earum ſponſo, qui Chriſtus eſt, ſub contemplationis jugo poſſint continuo deſervire. Sane pro parte dictarum Abbatiſſæ & Conventus nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum fel. rec. Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter per quaſdam ſub data Avenioni Kalendis Martii, Pontificatus ſui anno II. Abbatiſſæ & Conventui prædicti Monaſterii indulgentias conceſſit, ut ad præſtationem decimarum de quibuſcumque poſſeſſionibus & aliis omnibus bonis ſuis, quæ tunc habebant, & in futurum acquirerent juſtis modis, vel ad contribuendum quorumlibet Ordinariorum, & etiam Legatorum, Nunciorum Sedis Apoſtolicæ, & quibuſcumque taliis & collectis, & ad exhibendum pedagia, teloneas & alias exactiones quibuſvis Regibus & Principibus, ſeu aliis perſonis ſecularibus minime tenerentur, nec ad id compelli aliquatenus valerent: & ab inde, videlicet ſub data Kalen. Aprilis, Pontificatus ſui anno VIII. ad humilem ſupplicationem claræ memoriæ Sanciæ Reginæ Siciliæ, quæ de licentia Sedis Apoſtolicæ prædictum Mo-

Joannes XXII. Monaſterium ab exactionibus eximit.

Digitized by Google

Monaſterium conſtruxit, & variis poſſeſſionibus & jocalibus dotavit, eidem Monaſterio ac Sororibus tunc præſentibus & futuris, necnon omnibus & ſingulis ad ipſum Monaſterium debita cum veneratione confluentibus, per alias conceſſit, ut potirentur & gauderent omnibus indulgentiis Ordini Fratrum Minorum ſanctæ Claræ ſuis vicibus & diebus, quavis auctoritate conceſſis: ac ſucceſſive Innocentius VI. in ſua obedientia nuncupatus ſub data III. Non. Auguſti, Pontificatus ſui anno II. litteras bon. mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri univerſis Abbatiſſis, Conventibus & Sororibus incluſis dicti Monaſterii tunc præſentibus & futuris, ut tam exemptionum privilegiis, quam omnibus immunitatibus, libertatibus & indulgentiis quibuſcumque uterentur & gauderent, quæ Fratrum Ordini Minorum, vel ejus Fratribus & perſonis a Sede Apoſtolica erant conceſſa & in poſterum concederentur, quatenus hujuſmodi privilegia dictis Abbatiſſis Conventibus & Sororibus competebant vel competere poterant, ipſaque Monaſteria dicti Ordinis poterant & poſſent ipſorum eſſe capacia, per quaſdam confirmavit: & per alias ſub data XIII. Kal. Junii, Pontificatus ſui anno V. Abbatiſſam & Conventum Monaſterii prædicti cum omnibus bonis, quæ tunc poſſidebant, aut in poſterum juſtis modis poſſent adipiſci, & ſpecialiter terras, caſtra & poſſeſſiones, villas, domos, vineas, nemora, prata, paſcua, molendina & alia bona, juſte & pacifice ab eis poſſeſſa, ſub beati Petri & Pauli protectione per alias litteras ſuſcepit, & in ea conſervavit: ac Abbatiſſæ & Conventui prædictis, ut ſine juris alieni præjudicio quaſvis poſſeſſiones & alia bona immobilia, quæ perſonis Sororum & Converſarum ad ipſum Monaſterium, relicta mundi vanitate, convolantium, ac profeſſionem facientium in eodem, ſi remanſiſſent in ſeculo, jure ſucceſſionis vel alias juſto titulo contigiſſent, & quæ ipſæ præſentes in ſeculo potuiſſent habere, petere, recipere ac etiam retinere libere valerent, per alias conceſſit: ac poſtmodum quondam Gregorius XI. in ſua obedientia nuncupatus per alias ſuas litteras ſub data VI. Kal. Junii Pontificatus ſui anno II. omnes libertates, immunitates & privilegia, ac alias Indulgentias Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii prædicti S. R. E. per Summos Pontifices conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus & Principibus, ac aliis Chriſtifidelibus, rationabiliter ipſis Abbatiſſæ & Conventui indultas, ſicut eas juſte & pacifice tunc obtinebant, per alias ſuas litteras confirmavit, prout in ſingulis litteris prædictis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum Abbatiſſæ & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteris prædictis, ac omnibus & ſingulis in eis contentis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, necnon eis, quotieſcumque contingeret aliquam ſecularem habitum capere Religionis in dicto Monaſterio, ſi profeſſionem facere voluerit aut conſociabitur, omnes & quaſcumque ad hujuſmodi ſolemnitatem venientes, quos intelligerent eſſe admittendos, ad locum dicti Monaſterii, ubi prædictæ fiunt ſolemnitates, & etiam ut probos & virtuoſos viros, ac quaſcumque alias venerabiles perſonas diverſarum mundi partium, pretioſa dona, quibus prædicta Regina Monaſterium ipſum multipliciter ornavit, viſitare admodum cupientes, ſine ullo excommunicationis vinculo in dicto Monaſterio recipere; necnon etiam, ſi contingat aliquam ipſarum Monialium corporis invaletudine laborare, Abbatiſſa, quæ tunc temporis dicto Monaſterio præfuerit, poſſit parentes, conſanguineos & affines ſui ſexus ad eam viſendam in dictum recipere Monaſterium toties, quoties voluerit, licentiam concedere; & quod deinceps nulla dictarum Monialium, quæ habitum aut profeſſionem in dicto Monaſterio fecerit, poſſit ab eodem Monaſterio diſcedere, ani-

Et omnia privilegia Ordinis participavit.

Ejus bona ſubſunt S. Petri tutelæ.

Moniales confirmationem hujuſmodi privilegiorum poſtulant.

animo in alio commorandi, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Pontifex benigne annuit.

§. II. Nos itaque, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam vobis aut alteri veſtrum de ſingulis litteris ac aliis præmiſſis legitime conſtiterit, litteras ipſas ac omnia & ſingula in eis contenta, auctoritate noſtra approbetis & confirmetis, ac plenum firmitatis robur obtinere decernatis; & ſtatuatis, quod dicta Abbatiſſa & ... perſonas prædictas, ad Monaſterium ipſum, profeſſionis aut conſecrationis, necnon invaletudinis hujuſmodi ratione, ſeu cauſa dona hujuſmodi viſendi declinantes, libere & licite, abſque alicujus pœnæ excommunicationis incurſu, & irrequiſita Generalis Miniſtri aut Guardiani Fratrum Minorum, ſeu alicujus alterius Superioris licentia, juxta conſuetudinem ibidem hactenus obſervatam, admittere & recipere poſſint & valeant; quodque de cetero nulla dictarum Monialium, quæ habitum aut profeſſionem in dicto Monaſterio fecerint, ab eodem Monaſterio animo aliud intrandi diſcedere poſſit. Decernentes irritum &c. Non obſtant. &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. X. Kalend. Octobris, anno I.

XXIII.

Ipſi & ſucceſſoribus ſuis generalibus Vicariis ſubjicitur Vicaria Boſnæ. Ex originaria Bulla.

Dilecto filio Jacobo de Primadiciis profeſſori, & dilecti filii Generalis Miniſtri Ordinis Minorum in Citramontanis partibus Fratrum ejuſdem Ordinis, ſub illius Regulari Obſervantia degentium, Vicario generali.

In Vicaria Boſnæ regularis obſervantia deformata.

§. I. AD hoc circa Regularis obſervantiæ &c. Cum itaque, ſicut nuper ad audientiam noſtram &c. pervenit, nonnulla domus, loca & Conventus Vicariæ Boſnæ, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ipſorumque perſonæ deformata ſint, & correctionis ac reformationis officio &c. indigere noſcantur, & ſi illa ac quæcumque alia domus, Conventus & loca dictæ Vicariæ, & illi ſubjecta, ubilibet conſiſtentia, tibi ac ſucceſſoribus tuis Vicariis generalibus Fratrum dicti Ordinis in Citramontanis partibus commorantium, juriſdictioni & poteſtati perpetuo ſubjicerentur, in eis Divinus cultus & Regularis obſervantia conſervarentur &c. Nos ad domorum, locorum & Conventuum ac perſonarum hujuſmodi reformationem &c. intendentes, te, de cujus Religionis zelo, prudentia & virtute ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus &c. omnium & ſingulorum domorum, Conventuum & locorum dictæ Vicariæ ubilibet conſiſtentium, illorumque perſonarum Viſitatorem, Reformatorem &c. conſtituimus ac etiam deputamus: tibi eadem auctoritate mandantes, quatenus ad illa ex domibus, Conventibus & locis prædictis, ad quæ ire tibi erit commodum, perſonaliter accedas, ad alia vero perſonam ſeu perſonas, de qua ſeu quibus tibi videbitur, tranſmittas, ac tu & tranſmiſſæ perſonæ hujuſmodi, habentes ſolum Deum præ oculis, domus, loca & Conventus antedicta viſitetis tam in capitibus, quam in membris, & illa ex eis, quæ correctionis ac reformationis officio noveritis indigere, dicta auctoritate corrigatis & reformetis, plantetis ac evellatis, inſtituatis & deſtituatis, ac alia omnia & ſingula ordinetis, faciatis & ſtatuatis, quæ ſecundum Deum &c. noveritis expedire:

Fr. Jacobus reformator conſtituitur.

§.II.Nos

Auctoritas ei ampla conceditur.

§. II. Nos enim, ut ex hujuſmodi Viſitationibus & reformationibus tuis, ſollicitudine & opere, præmiſſis ſcandalis obvietur, necnon obſervantia hujuſmodi augeatur, manuteneatur & conſervetur, tibi & deputandis perſonis prædictis domus, Conventus, loca & perſonas prædicta, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica viſitandi, reformandi & corrigendi, ipſaſque perſonas, prout defectus, crimina & exceſſus per eos commiſſa exegerint, juxta Canonicas ſanctiones, & regularia ipſius Ordinis inſtituta puniendi, & ſi illorum demerita, aut etiam locorum & temporum conditiones ſeu qualitates id expoſcerint, ab illis ex domibus, Conventibus & locis, in quibus moram traxerint, ac dignitatibus, adminiſtrationibus & officiis, quibus præfuerint, amovendi & illis privandi, necnon ad alia domus, Conventus & loca ejuſdem Ordinis, de quibus tibi videbitur, transferendi &c. Contradictores quoque &c. compeſcendi, plenam &c. concedimus facultatem.

Limites juriſdictionis praeſcribuntur.

§. III. Et inſuper, ut in domibus, Conventibus & locis prædictis obſervantia hujuſmodi manuteneatur & conſervetur, ac illa & divinus cultus dietim peramplius augeantur, omnia & ſingula domus, Conventus & loca dictæ Vicariæ, & illi quomodolibet ſubjecta ubilibet, etiam a mari Adriatico uſque ad fines Tartariæ conſiſtentia, quæcumque & quotcumque numero ſint, ipſorumque perſonas tibi & ſucceſſoribus tuis Vicariis Generalibus Fratrum Ordinis & Obſervantiæ in partibus Citramontanis hujuſmodi, qui erunt pro tempore, perpetuo ſubeſſe & ſubjecta fore-cenſeri debere, teque & ſucceſſores tuos prædictos in domos, Conventus, loca & perſonas hujuſmodi omnimodam juriſdictionem & poteſtatem habere ac exercere poſſe & debere in omnibus & per omnia, prout domus, Conventus & loca Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi in dictis Citramontanis partibus conſiſtentia, eorumque perſonæ ſubjecta ſunt, & in ea habes ac exercere potes & debes &c. decernimus: mandantes diſtrictius univerſis & ſingulis Vicariis Provinciæ, ac Miniſtris domorum, Conventuum & locorum hujuſmodi, illorumque perſonis ſub excommunicationis pœna, quatenus infra quindecim dierum ſpatium, poſtquam præſentium notitiam habuerint, aut pro tua vel ſucceſſorum tuorum parte deſuper fuerint requiſiti, tibi & ſucceſſoribus prædictis efficaciter & humiliter pareant & intendant; ac diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus tam Eccleſiaſticis ſecularibus, quam Ordinum quorumcumque Regularibus, ac Laicis perſonis, cujuſcumque ſtatus &c. fuerint, etiamſi Regali, Reginali, Patriarchali, Archiepiſcopali &c. & alia quacumque Eccleſiaſtica vel mundana dignitate præfulgeant, ne vigore cujuſcumque indulti ſeu conceſſionis, ſub quacumque verborum forma per nos vel Sedem prædictam conceſſi ſeu conceſſæ, aut in poſterum concedendi ſeu concedendæ, aliquos ipſius Vicariæ, ſeu alios tibi & dictis ſucceſſoribus pro tempore ſubjectos Fratres, in ipſorum Capellanos, niſi de ſpeciali tua aut ſucceſſorum prædictorum, aut aliorum Fratrum, ſufficientem deſuper a te vel ſucceſſoribus præfatis facultatem habentium, licentia ſpeciali, habere præſumant; & ſi quos forſan habuerint, illos infra menſem, poſtquam præſentes noſtræ litteræ ſibi intimatæ fuerint, dimittere penitus & omnino teneantur: decernentes quoque omnes & ſingulos, qui contra mandatum & inhibitionem noſtram hujuſmodi in aliquo venire præſumpſerint, excommunicationis ſententiam, a qua præterquam in mortis articulo conſtituti, non niſi per Romanum Pontificem vel ſucceſſores &c. aut per te Vicarium ſeu ſucceſſores tuos Vicarios prædictos, aut Fratres ad id per te vel ipſos ſucceſſores pro tempore deputatos, abſolvi poſſint, incurrere ipſo facto; ac ex tunc omnes & ſingulas litteras ſuper licentia ſeu facultate recipiendi quoſcumque Fratres in eo-

Extenditur facultas etiam ad ſucceſſores.

Præcipitur Fratribus illius regionis ut pareāt.

Excommunicatio in contrarios inflicta.

rum

Digitized by Google

rum Capellanos, quibuſvis perſonis Eccleſiaſticis vel ſecularibus prædictis, per nos vel Sedem prædictam ſub quacumque verborum forma conceſſas & forſan in poſterum concedendas, niſi in illis ſpecifice & expreſſe de Vicaria hujuſmodi mentio fiat, ad Fratres Vicariæ & ſubjectos hujuſmodi nullatenus ſe extendere &c. Volumus autem, quod per quaſcumque, etiam Apoſtolicas, Generali Miniſtro dicti Ordinis, aut ipſius Vicariæ Vicario ſeu Fratribus, vel quibuſvis aliis quoquo modo per nos aut Sedem Apoſtolicam conceſſas vel in poſterum concedendas litteras, ipſæ præſentes litteræ, ſeu in eis contenta nullatenus intelligantur ſeu cenſeri debeant invalida, ſeu alias quomodolibet revocata. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile eſſet hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferri, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumpto, manu publica & ſigillo Vicariatus hujuſmodi, aut alicujus Epiſcopalis vel Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tamquam prædictis noſtris, ſi originales exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi dictæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo &c. noſtræ deputationis, mandati, conceſſionis, inhibitionis, voluntatis, intentionis, derogationis & conſtitutionis infringere &c.

Litteræ publici Notarii ſcripto muniantur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. VI. Kalendas Octobris, anno I.

XXIV.

Quinque domus Vicariæ Raguſin. unitæ Vicariæ Boſnæ reſtituuntur in priſtinum ſtatum ſub cura Vicarii Generalis Citramontani. Ex lib. 2. de Regularibus, anno I. folio 57.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Apoſtolicæ nobis licet immeritis deſuper injunctæ ſervitutis officium mentem noſtram excitat & inducit, ut ea quæ religioſarum præſertim cum additione voluntariæ paupertatis ſub Regulari Obſervantia ſtudio piæ vitæ vacantium perſonarum, in quarum utique proſperitate reficimur, illarumque Monaſteriorum & aliorum piorum locorum ſtatui ſalubriter dirigendo profutura conſpicimus, & per quæ ab eis omnis diſpendii materia auferatur, operoſis ſtudiis jugiter intendamus. Cum itaque, ſicut nonnullorum fide digna relatione percepimus, licet tam ſancti Franciſci & de Saxo in territorio Raguſin. quam ſanctæ Crucis Jaderen. & quidam juxta Arben. ac juxta Catharen. civitates conſiſtentes ſeu conſiſtentia Conventus, domus vel loca Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Vicariæ Boſnæ, Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, ſucceſſive Apoſtolica vel alia auctoritate in perpetuum canonice ſubjecta, incorporata ſeu unita fuerint, ita quod Vicarii dictæ Vicariæ, qui pro tempore eſſent, necnon ab eis pro tempore ſubſtituti, in ſic ſubjectis Conventibus, domibus ſeu locis, eorumque perſonis, illas & prorſus ſimiles ac eaſdem in omnibus tam gratiam, quam juſtitiam concernentibus, & aliis quibuſcumque omnimodam juriſdictionem, poteſtatem & facultatem haberent & exercere poſſent, quas Generalis Miniſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens in illos habet, & ſi in dictis partibus præſens foret, haberet & exercere poſſet; tamen propter ſubjectionem, incorporationem & unionem hujuſmodi veriſimiliter apud quoſdam Chriſtifideles illarum partium exoriri ſcandala, & in ipſis domibus, Conventibus atque locis Divinus cultus minui,

nui, ac Obſervantia hujuſmodi tepeſcere & penitus ceſſare poſſent.

§. II. Nos igitur ſuper præmiſſis opportune providere volentes, ex certis juſtis cauſis nobis notis, ad id animum noſtrum moventibus, motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed ex noſtra diſpoſitione, auctoritate Apoſtolica & certa ſcientia, omnes & ſingulas ſubjectiones, incorporationes & uniones de prædictis domibus, Conventibus & locis eidem Vicariæ, etiam per felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, vel alios quoſvis Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, quacumque auctoritate factas, &, quoad illa tantum, quaſcumque litteras Apoſtolicas, ſub quibuſvis verborum formis, & quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, & motu proprio & ſcientia ſimilibus conceſſas, etiamſi quoad ipſarum derogationem de illis de verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa mentio habenda foret, eis alias quoad cetera in ipſis forſan contenta in ſuo robore permanentibus, necnon quæcumque inde ſecuta, revocamus, caſſamus & annullamus, nulliuſque roboris vel momenti fore; ac ipſa domos, Conventus & loca, eorumque Fratres & perſonas quaſcumque, etiam a mari Adriatico uſque ad mare Tartarorum, ac alias ubicumque conſiſtentia, dilecto filio Jacobo de Primaditiis profeſſori, & dilecti filii Generalis Miniſtri dicti Ordinis in Citramontanis partibus Fratrum ipſorum Ordinis & Obſervantiæ degentium Vicario Generali, ipſiuſque Jacobi ſucceſſoribus Vicariis Generalis Miniſtri ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentis, qui erunt pro tempore, perpetuo ſubjicimus & ſubjecta eſſe decernimus; ita quod Jacobus & ſucceſſores prædicti in domibus, Conventibus, locis ac perſonis ſubjectis prædictis illas ac prorſus ſimiles juriſdictionem, poteſtatem & facultatem habeant, quas dictus Jacobus in aliis domibus, Conventibus ſeu locis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, in dictis Citramontanis partibus degentibus, habet & exercere poteſt. Ceterum, cum, ſicut accepimus, dictus Eugenius prædeceſſor per ſuas litteras inter cetera perpetuo ſubjecerit & ſubjecta eſſe decreverit, necnon univerit, annexuerit & incorporaverit dictæ Vicariæ Boſnæ omnia & ſingula domos, Conventus & loca dicti Ordinis, quæ a mari Adriatico uſque ad mare Tartarorum conſiſtebant & conſiſtunt, ac ex ſubjectione, decreto, unione, annexione & incorporatione prædictis, ſicut nobis innotuit, quam plures inconvenientiæ ſubſecutæ fuerint, ac dietim ſubſequantur.

§. III. Nos ad inconvenientias hujuſmodi ſubmovendas, auctoritate & ſcientia prædictis, non ſupradicta quinque, nec etiam alia domos, Conventus & loca; quæ ipſi Fratres dictorum quinque locorum, ſeu alicujus eorum conſtruxerunt vel conſtruent ſeu conſtrui facient, aut inhabitant vel inhabitabunt, ſed ea tantum domus, Conventus & loca, quæ ipſi Vicariæ antiquitus unita & ſubjecta fuerant, & quæ Fratres dictæ Vicariæ in provincia Orientali conſtruxerunt ſeu conſtrui fecerunt, aut inhabitarant vel inhabitant aut inhabitabunt, ac reformarunt & reformabunt, eidem Vicariæ ſubjecta, unita & incorporata fore decernimus pariter & declaramus: diſtrictius inhibentes Vicario & Fratribus dictæ Vicariæ pro tempore exiſtentibus, ne quarumvis litterarum eis ſeu quibuſvis aliis, Apoſtolica ſeu alia quacumque auctoritate, ſub quibuſcumque verborum formis conceſſarum vel in poſterum forſan concedendarum, niſi in illis de præſenti inhibitione ſpecialis & expreſſa mentio fiat, quas, quoad hoc revocamus, caſſamus & annullamus, nulliuſque roboris vel momenti fore decernimus, obtentu ſeu vigore, aliqua domos, Conventus & loca dicti Ordinis in partibus Dalmatiæ de novo recipere aut conſtruere, ſeu fundare præſumant. Præterea cum, ſicut quorumdam fide digna relatione percepimus, Fratres dictæ Vica-

cariæ in civitate Raguſina mendicare conſueverint, ac propter locorum & partium hujuſmodi paupertatem, Fratres domus ſancti Franciſci Raguſin. prædictæ ex mendicitate vivere habeant, & ex multorum mendicitate nonnullæ inordinationes ac etiam non mediocra ſcandala Civibus ejuſdem Civitatis ſubſequantur, dictique Fratres domus Raguſinæ, cupientes ſub paupertate, juxta ipſius Regulæ puritatem vivere, & quoſdam annuos fructus, reditus & proventus ad ipſam domum Raguſin. pertinentes, a ſe penitus abdicare, illos in manibus dilectorum filiorum Civium Raguſinorum reſignaverint, quos prædicti cives & ab eis ad hoc pro tempore deputati, uſque ad dictæ Sedis beneplacitum, ad Jacobi & ſucceſſorum ſuorum pro tempore exiſtentium hujuſmodi requiſitionem ſeu ordinationem, certam partem, de qua ipſis Jacobo & ſucceſſoribus pro tempore videbitur, in uſum & utilitatem domorum dictæ Vicariæ ac Fratrum eorumdem, qui in prædicta civitate mendicare conſueverunt, convertendam, Fratribus Vicariæ hujuſmodi, ſeu ad id per eos deputatis, annis ſingulis realiter & cum effectu tradere & aſſignare debeant & teneantur; ſtatuimus pariter & decernimus per præſentes, diſtricte præcipiendo mandantes civibus & ab eis deputatis prædictis, ut quacumque exceptione remota, aſſignationem & traditionem hujuſmodi faciant; necnon univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, & etiam prædicti ac cujuſcumque alterius Ordinis Fratribus necnon Laicis perſonis, ut Fratres domorum, Conventuum ſeu locorum dictæ Vicariæ in civitatibus, oppidis ſeu caſtris, terris & locis, in quibus ipſi Fratres mendicare conſueverunt, juxta antiquam eorum conſuetudinem & ipſius Ordinis inſtituta, mendicare permittant, eoſque caritative recipiant & pertractent; dictique Jacobus & ſucceſſores ac deputati, ad id fideles ipſos per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia cogant & compellant. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis &c. quibus omnibus & ſingulis, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa derogare intendimus & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret hujuſmodi noſtras litteras ad ſingula loca deferri, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumpto, manu publica & ſigillo Vicariatus hujuſmodi, ac alicujus Epiſcopalis vel Superioris Eccleſiaſticæ curiæ munito, tamquam præſentibus noſtris, ſi originales exhiberentur litteræ, plena fides adhibeatur, ac perinde ſtetur, ac ſi dictæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum..

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. v. Kalendas Octobris, anno I.

XXV.

Præficitur Eccleſiæ Almarien. Ex lib. 1. de Proviſionib. anno 1. folio 203.

Dilecto filio Alphonſo Pernas Electo Almarien.

Apoſtolatus officium, quamquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de earum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum

lum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant duce Domino ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Fernando Epiſcopo Almarien. regimini Almarien. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Almarien. per obitum ejuſdem Fernandi Epiſcopi, qui extra Romanam curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide dignorum teſtimoniis apud nos multifarie commendatum, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis & ipſis Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum regetur utiliter & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem hujuſmodi ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod præfata Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XVII. Kalend. Novembris anno I.

XXVI.

Fit Epiſcopus Buduen. Ibidem folio 214.

Dilecto filio Jacobo de Breberio Electo Buduen.

Apoſtolatus officium, quamquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de earum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant duce Do-

mino ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem proviſiones Cathedralium Eccleſiarum omnium, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium & in antea vacaturarum, diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari: Et deinde Eccleſia Buduen. ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos nuper Venerabilem fratrem noſtrum Joannem Curculen. & Stagnen. tunc Buduen. Epiſcopum, tunc apud dictam Sedem conſtitutum, a vinculo quo ipſi Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, eum ad Curculen. & Stagnen. invicem canonice unitas Eccleſias, tunc Paſtore carentes, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, præficiendo ipſum dictis unitis Eccleſiis in Epiſcopum & Paſtorem. Nos ad proviſionem dictæ Buduen. Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, fide dignorum teſtimoniis apud nos multifarie commendatum, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis & ipſis Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum regetur utiliter & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem hujuſmodi ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod præfata Eccleſia gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque, præter æternæ retributionis præmium, noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XVII. Kalend. Novemb. anno I.

XXVII.

Ut admittat Eremitorum ſancti Martini in oppido Ramberti-Curiæ. Ex lib. 3. de Regularibus anno 1. folio 28.

Dilecto filio Guardiano domus, alias Conventus de Varennis, Ordinis Fratrum Minorum, Remen. Diœceſ.

INter Eccleſiaſticos Ordines in domo Domini militantes, id ex benedictione cœleſti Ordini tuo & Fratribus illius magis adſcribitur, ut efficax teſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum & aliis nihilominus per exem-

exemplum. Cum itaque, ſicut exibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, dilecti filii Joannes de Chaulx,& nonnulli alii nobiles, Rectores & gubernatores loci de Ramberti-Curia, Tullen. Diœceſ. ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem Fratrum Minorum & illius Fratres ſub ipſius Ordinis Obſervantia degentes gerunt,terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare volentes, pro ipſorum ſuorumque animarum ſalute, in honorem Sancti Franciſci, ipſiuſque Ordinis exaltationem, Eremitorium ſancti Martini dicti loci, ut ex illo vel inibi domus & Eccleſia cum campanili, campanis, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitarione hujuſmodiFratrum, ejuſdem Ordinis ſub Obſervantia hujuſmodi viventibus erigatur, fundetur & conſtruatur, tibi donare,tradere & aſſignare intendant, ſi ad id recipiendum, & alia præmiſſa faciendum,tibi Sedis Apoſtolicæ ſuffragaretur auctoritas: &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Eremitorium præfatum jam ex parte conſtructum, pro uſu & habitatione hujuſmodi erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, illudque recipiendi, a Sede prædicta facultatem haberes, profectoplurimorum animas Chriſtifidelium dicti & aliorum eidem propinquorum locorum Deo lucrifacere ſperares. Nos qui Regularem Obſervantiam noſtris potiſſime temporibus adaugeri intenſis deſideriis exoptamus, ac ſalutem quærimus ſingulorum, tibi Eremitorium prædictum, ſi tibi a Joanne, Rectore & Gubernatoribus prædictis donabitur, concedetur & aſſignabitur, recipiendi, illudque pro uſu & habitatione prædictis, cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, recipiendi & perpetuo retinendi libere & licite, Diœceſani loci & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis fratribus dicti Ordinis, quos in Eremitorio ſeu erigenda domo hujuſmodi pro tempore reſidere contigerit,quodque Eremitorium ſeu domus hujuſmodi, ipſique fratres omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, libertatibus & exemptionibus, Ordini præfato, necnon ipſius domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam, aut alias generaliter vel ſpecialiter conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta indulgemus per præſentes: Jure tamen parochialis Eccleſiæ, & alterius cujuſcumque in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtant. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. XVII. Kal. Novemb. anno 1.

XXVIII.

Ut Obſervantes admittant domum a primogenito Francorum Regis prope Gratianopolim conſtruendam. Ex Archivo ſecreto lib. 22. Bullar. fol. 213.

Venerabili fratri Epiſcopo Gratianopolitan.

§. I. Humilibus ſupplicum votia, illis præſertim quæ ad Divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nobilis viri Ludovici Delphini Viennen. cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis Illuſtris primogeniti, petitio continebat, quod ipſe ex ſingulari zelo devotionis, quam ad profeſſores Ordinis Fratrum Minorum, *de Obſervantia* nuncupatorum, propter eorum religioſam & honeſtam vitam,cujus exemplo undique populus ad ſalu-

lutis gratiam evocatur, gerit, in Eccleſia *de Eſſone* prope civitatem Gratianopolitanam conſiſtente,& ad menſam Capitularem Gratianopolitanam pleno Jure pertinente, quæ etiam Rectore penitus caret,& plurimum deſolata fore dignoſcitur, ſeu prope illam,quamdam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis quorumdam ex Fratribus antedictis,de bonis ſibi a Deo collatis,fundare & conſtruere, ſeu fundari & conſtrui facere deſiderat, & faceret,ſi ei deſuper a Nobis licentia concederetur:pro parte ejuſdem Ludovici aſſerentis, quod ad id etiam dilectorum filiorum Capituli Gratianopolitani accedit aſſenſus, nobis fuit humiliter ſupplicatum,ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui cultus augmentum, & Religionis propagationem hujuſmodi, noſtris potiſſime temporibus vigere & augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita,& ad id dictorum Capituli accedit aſſenſus, prædicto Ludovico, quod in, ſeu prope dictam Eccleſiam, ſi nondum fundata & conſtructa exiſtat, fundare & conſtruere, vel ſi jam incæpta vel non perfecta fuerit, perficere domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio,hortis, hortalitiis & neceſſariis officinis prædictis, necnon Fratribus prædictis domum ipſam pro uſu & habitatione prædicta concedendi & aſſignandi, ipſiſque Fratribus per aliquos eorum tenendam, inhabitandamque recipiendi, jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam, tenore præſentium, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Et inſuper, ſi conceſſionem hujuſmodi vigore præſentium fieri contigerit, illos ex fratribus prædictis, quibus conceſſio hujuſmodi fiet, vel procuratores ſuos eorum nominibus,in corporalem poſſeſſionem domus prædictæ, illiuſque Jurium & pertinentiarum inducas auctoritate noſtra & defendas inductos, amoto inde quolibet illicito detentore, faciaſque ipſos Fratres ejuſdem domus pacifica poſſeſſione gaudere: Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, & alia juris remedia compeſcendo. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. contrariis quibuſcumque &c. Ac fratribus in domo hujuſmodi pro tempore degentibus, quod ipſi & prædicta domus omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus & exemptionibus, Ordini præfato, necnon omnibus ipſius domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam, in genere vel in ſpecie conceſſis vel in poſterum concedendis, uti, frui & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta concedas.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Nonis Novemb. anno 1.

XXIX.

Ut recipiat domum in villa Miri-Curiæ. Ex lib. 2. de Regularib. anno 1. folio 137.

Dilecto filio Guardiano Conventus, ſeu domus de Vico, Ordinis Minorum de Obſervantia, provinciæ Franciæ juxta morem &c.

INter Eccleſiaſticos Ordines in domo Domini militantes, id ex benedictione cœleſti Ordini tuo & Fratribus illius magis adſcribitur, ut efficax teſtatur experientia rerum, quod ubicumque degunt, populos ad ſalutis gratiam evocant, ſibi proficientes per vitæ meritum & aliis nihilominus per exemplum. Cum itaque, ſicut exhibita pro parte cariſſimi in Chriſto filii

filii noſtri Renati ac dilectæ in Chriſto filiæ Iſabellæ Regis & Reginæ illuſtrium, petitio continebat, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem Fratrum Minorum & illius Fratres ſub ipſius Ordinis obſervantia degentes gerunt, terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare volentes, pro ipſorum ſuorumque progenitorum animarum ſalute, in honorem ſancti Franciſci, ipſiuſque Ordinis exaltationem pariter & augmentum, quemdam locum infra villam de Miri-Curia, Tullen. Diœceſ. vel extra, ad hoc congruum, ut ex illo vel inibi domus & Eccleſia cum campanili, campanis, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis, ſub Regulari obſervantia hujuſmodi viventium, erigatur, fundetur & conſtruatur, tibi donare, tradere & aſſignare intendant, ſi ad recipiendum & alia præmiſſa faciendum tibi Sedis Apoſtolicæ ſuffragaretur auctoritas: &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi locum prædictum pro uſu & habitatione prædictis, erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, illumque recipiendi, a Sede prædicta facultatem haberes, profecto plurimorum animas Chriſtifidelium dictæ Villæ, & aliorum eidem propinquorum locorum, Deo lucrifacere ſperares. Nos qui Regularem Obſervantiam noſtris præſertim temporibus adaugeri intenſis deſideriis affectamus, ac ſalutem quærimus ſingulorum, tibi hujuſmodi locum, ſi a Rege vel Regina prædictis vel alias tibi infra muros vel extra, ad tuam & Fratrum commoditatem donabitur, concedetur & aſſignabitur, recipiendi, illumque pro uſu & habitatione prædictis cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, recipiendi & perpetuo retinendi libere & licite, Diœceſani loci & cujuſlibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, quos in erigenda domo hujuſmodi pro tempore morari contigerit, quodque domus hujuſmodi ipſique Fratres omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, libertatibus, gratiis & indultis, Ordini præfato, necnon ipſius Ordinis & Obſervantiæ domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam aut alias, in genere vel in ſpecie aut alias quomodolibet conceſſis ac in poſterum forſan concedendis, uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta indulgemus per præſentes: Jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & indulti infringere vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. pridie Idus Decembris, anno I.

XXX.

Ut recipiat domum in terra Leonici. Ex Archivo ſecreto lib. 22. Bullar. fol. 255.

Dilecto filio Vicario Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia provinciæ ſancti Antonii juxta morem &c.

HUmilibus ſupplicum votis, illis præſertim quæ divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque fa-

favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem pro parte tua petitio continebat, quod nonnulli ex civibus Communitatis terræ Leonici, Vicentinæ Diœceſis, ex ſingulari zelo devotionis, quam ad Fratres tui Ordinis & Obſervantiæ, propter eorum religioſam vitam, cujus exemplo undique populos ad ſalutis gratiam evocant, gerunt, terrena in cœleſtia felici commercio commutantes, pro ipſorum ſuorumque progenitorum animarum ſalute, in loco S. Danielis, in pertinentiis Leonici extra terram per medium milliare ſito, apud viam publicam, apud Jura plebis ſanctorum Chriſtophori & Quirici de Leonico, dictæ Diœceſis, quamdam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione quorumdam ex Fratribus tuis de obſervantia, de bonis ſibi a Deo collatis, aſſignare, fundare & conſtruere, ſeu fundari & conſtrui facere deſiderent & facient, ſi eis deſuper a nobis licentia concedatur; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere & augeri intenſis deſideriis affectamus, ac ſalutem quærimus plurimorum, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi concedimus, quatenus in dicto loco S. Danielis, prædictæ Diœceſ. unam domum, ſi nondum fundata & conſtructa exiſtat, fundare & conſtruere, vel ſi jam incepta & nondum perfecta fuerit, perficere, illamque domum cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, hortis, hortalitiis & aliis neceſſaris officinis, ſi tibi a prædictis civibus de Leonico, dictæ Vincentin. Diœceſ. conſignabitur, donabitur vel concedetur, erigendi, fundandi, conſtruendi, ac ædificandi, recipiendi & perpetuo retinendi libere ac licite, Diœceſani loci ac cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Et inſuper univerſis & ſingulis dicti Ordinis & de Obſervantia Fratribus, quos in erigenda domo hujuſmodi pro tempore morari contigerit, quod domus hujuſmodi dictique Fratres omnibus & ſingulis indulgentiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, Ordini prædicto, necnon illius Ordinis & Obſervantiæ domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam aut alias in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis ac in poſterum forſan concedendis, uti & gaudere licite & libere valeant, auctoritate prædicta indulgemus per præſentes: Jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtant. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Kal. Februarii, anno I.

XXXI.

Ut Obſervantini Monaſterium ſanctæ Mariæ de Caſtillone Ordinis ſancti Benedicti in domum ſui Ordinis erigant. Ex lib. 2. de Regularib. anno 1. fol. 86.

Venerabili fratri Epiſcopo Veglen.

§. I. AD decorem ſacræ Religionis noſtræ meditationis dirigentes intuitum, votis illis, per quæ Monaſteriorum ac perſonarum in eis degentium ſtatui & indemnitatibus conſulitur, ac Religionis ejuſdem propagatio ſequi ſperatur, annuimus gratioſe.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Martini & Joan-

Joannis,dictorum de Frangipanibus,Comitum de Vegle,Serie & Modruce, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſi recenſentes, quod Monaſterium beatæ Mariæ de Caſtilione,Ordinis ſancti Benedicti, tuæ Dioeceſ. poſt obitum quondam Dominici illius Abbatis, per multos annos, extra Romanam Curiam defuncti, vacaverat, & Monachis & perſonis caruerat, ac per Laicos detentum ac de facto occupatum fuerat, duos Fratres Ordinis Minorum Fratrum ad illius, ne ad totalem deveniret ruinam, regimen & conſervationem deputarunt: &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſi Comites affectent, quod in dicto Monaſterio,propter illius fructuum & proventuum, qui viginti quatuor Florenorum auri de Camera valorem annuum, ſecundum communem æſtimationem non excedunt, ſancti Benedicti ſupprimatur, & de Obſervantia Fratrum Minorum Ordo hujuſmodi perpetuo creetur & erigatur; pro parte dictorum Comitum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, eorumque circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes,& ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris,ſancti Benedicti Ordinem in eodem Monaſterio,ac illius Abbatialem dignitatem eadem auctoritate penitus ſupprimas & extinguas, ac Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi crees, erigas & inſtituas; necnon ipſius Monaſterii bona plus offerenti vel offerentibus, adhibitis debitis circa hoc cautelis & ſolemnitatibus,vendas, ac provenientia exinde pretium & pecunias in reparationem & reſtaurationem ſtructurarum & ædificiorum Eccleſiæ dicti Monaſterii,& alias in illius ac Fratrum inibi pro tempore degentium utilitatem convertas integre & reponas, ac alias facias, diſponas, ordines & exequaris omnia & ſingula, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint ſeu etiam quomodolibet opportuna, ſuper quibus plenam & liberam tibi tenore præſentium concedimus facultatem. Et inſuper, ſi ſuppreſſionem, extinctionem, creationem & inſtitutionem prædictas fieri contigerit, univerſis & ſingulis Fratribus, quos in domo ipſius Monaſterii pro tempore reſidere contigerit, ut omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, Ordini prædicto, necnon ipſius Ordinis & obſervantiæ domibus, locis & perſonis per Sedem prædictam,aut alias,in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis ac in poſterum forſan concedendis, uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta indulgemus per præſentes: Jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtant. &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. III. Kal. Martii, anno I.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ADRIANUS Maleacius eques in Ambianenſi Monaſterio tumulatus. 248. XXXIX.
Æduenſis Conventus. 148. XLIII.
Ægidius Florentinus Conventum Montiſpolitani reſtaurat. 245. XXVIII.
Ægidius de Tavira a ſacris Confeſſionibus Alphonſi Regis Luſitaniæ. 171. XXV. & Sacellanus Apoſtolicus. 181. XI.
Ægyptiis Romanus Pontifex Epiſtolas mittit. 72. XVI.
Agnes de Achia conjux Guillelmi de Villiers num Conventum Æduenſem fundaverit. 148. XLIII.
Agnes a Piſcaria cœleſtibus ſignis in obitu decorata. 108. XXIII.
Alanus de Leſpervier Dolanus Epiſcopus. 17. XXXV.
Albæ Conventus. 229. LXIX.
Albertinus de Caſinis Accienſis Epiſcopus. 144. XXX.
Albertus Auſtriacus renunciatur Imperator. 21. XLIV. ſancto Jacobo Piceno propitius. 77. XXI. pluribus Eccleſiarum Prælatis Epiſtolas mittit. 77. XXII. diem claudit extremum. 79. XXV.
B. Albertus de Sartiano a Pontifice ad Æthiopes Indoſque miſſus. 71. XIV. Commiſſarius Apoſtolicus inſtituitur. 73. XVII. Hieroſolymam pergit. 76. XIX. deinde in Ægyptum. ibidem. Fame languenti mirabiliter Deus ſuccurrit. 76. XIX. ejus iter Sultanus impedit. 76. XX. A Mahometanis vexatur. 76. XX. liberatur a Chriſtianis. ibidem. Jacobinos ad Concilium Florentinum ducit. 119. I. Eique ſanctus Bernardinus occurrit. ibidem. In Miniſtrum Provinciæ ſancti Antonii eligitur. 156. III. Vicarius Generalis Ordinis. ibidem. ſeqq. & Capituli Generalis Præſes. 157. IV. quanti eum Pontifex æſtimaverit. 159. V. Ejus encomia. 160. VII. conſtituitur Legatus Apoſtolicus in Patriarchatu Aquilejenſi. 175. II. in Mediolanenſi Ducatu prædicat ingenti animarum lucro. 238. X. Brixienſibus diſſidentibus pacem donat. 263. XV. Franciſco Barbaro Veneto Epiſtolam mittit. 263. XVI. Græcis in Oriente unionem cum Latinis perſuadet. 59. IV.
Aldenardi domus tertii Ordinis. 115. XLIII.
Aldonça Caſtanedæ Comitiſſa de Clariſſis Monaſterii Carrionis optime merita. 53. XXXVIII.
Alexander Epiſcopus, & Dux Mazoviæ ſancto Joanni de Capiſtrano ſcribit. 34. XI.
Algracius Comeſtabulus Veſtanus Monaſterium Clariſſarum ſanctæ Catarinæ ædificat. 53. XL.
Alicanti Conventus. 113. XXXVII.
Aloyſius a Gulioniſio gratia curationum illuſtris. 112. XXXIV.
Aloyſius de Piramo. V. *Ludovicus*.
Aloyſius a ſancto Severino pro Conventus Comenſis conſtructione ſolum coucedit. 111. XXX.
Alphonſus ab Amygdaleto. 315. LXXIV.
Alphonſus Boroxius Vicarius Provinciæ Caſtellæ. 22. XLVII. 292. XIX. ibidem Nuncius Apoſtolicus. 211. XLIV.
Alphonſus Galindres Hiſpanus Tertii Ordinis. 57. IV.
Alphonſus Mella miſere perit. 169. XVI.
Alphonſus Palentinus Alphonſi Boroxii Vicarius Conventum Carmonæ ædificari curat. 316. LXXVI.
Alphonſus a Palenzuela Guardianus Salmanticenſis. 292. XIX.
Alphonſus de Paradiſo Portugalliæ Miniſter. 49. XXVIII.
Alphonſus Perna Lector inſtituitur. 144. XXXII. & Epiſcopus Almarienſis. 311. LXV.
Alphonſus Rubeus Conchenſis ad Eremitorium ſancti Geneſii tranſit. 23. XLIX.
Alphonſus Sacco Regis Portugalliæ a ſacris Confeſſionibus. 21. XLII.
Alphonſus de Vargas Proviuciæ Cartaginenſis Miniſter bibliothecam inſignem in Conventu Murciano erigit. 147. XLI.

Alphonſus de Vico Cordubenſis vir celeberrimus. 110. XXVI.
Alveinte Conventus. 183. XVIII.
Amadea Regina Cypri Minoritis addictiſſima. 90. LV.
Amadeus Sabaudus in Pſeudopontificem eligitur. 58. I.
Ambianenſe Monaſterium. 248. XXXIX.
Amerina Domus Tertii Ordinis. 230. LXXVII.
Anconitanum Monaſterium. 229. LXXIII. 250. IV.
Ambroſia quædam Clariſſa Monaſterii Corporis Chriſti Piſauri cum ceteris fundatrix. 81. XXIX.
Andreas Abbas Syriaco idiomate ad PP. Florentini Concilii orationem habet. 124. IV.
Andreas de Agria Provinciæ Auſtriæ Miniſter. 49. XXVIII.
Andreas de Alatro Concionator eximius. 84. XXXVII.
Andreas Battaglia Civis Bononienſis orarorium quoddam Minoritis largitur. 311. LXVI.
Andreas de Dnratio Segnienſis Epiſcopus. 181. XII.
Andreas de Imperialibus Conventus Maraſii fundator. 112. XXXV.
Andreas Nolanus Epiſcopus Sarnenſis. 84. XXXVI.
Andreas Juſtinianus Conventum Chienſem ædificat. 51. XXXI.
Andriæ Conventus. 51. XXXI.
Angela Felix Parpaliona abſtineutia admirabilis. 323. XCIV.
Angela Seraphina de Daveriis Paſſioni Dominicæ meditandæ apprime iutenta. 323. XCIV. 326. III.
Angelina Corbarienſis Fulginei Monaſterium ſanctæ Annæ extruit. 107. XIX.
B. Angelinus Daneſius miraculis clarus Tertiarius. 245. XXVIII.
Angelus a Canoſa ſimiliter. 165. XI.
Angelus a Capranica Aſculanus Epiſcopus canonizationem ſancti Bernardini procurat. 275. VII.
Angelus a Civitella Tuſciæ Vicarius. 181. XI.
Angelus Florentinns beati Thomæ Florentini Diſcipulus. 87. XLV. 300. XXXIX.
Angelus de Peruſio Provinciæ S. Franciſci Miniſter Concilio Florentino intereſt. 29. II. eligitur Umbriæ Inquiſitor. 48. XXVIII. & Procurator Generalis. 244. XXVII.
Angelus Politianus doctrina præditus. 245. XXVIII.
Anna Arevalenſis Clariſſa virtutibus conſpicua. 215. XLIV.
Anna de la Cerda ſacellum in Eccleſia Minorum Paſtranæ ædificat. 22. XLVII.
Anna Valentini Monaſterium ſancti Bernardini Paduæ fundat. 89, LIV.
Antonia Florentina Monaſterii S. Eliſabethæ tertii Ordinis Aquilæ Miniſtra. 33. VII. ad Corporis Chriſti Monaſterium transfertur, ibique moritur. ibidem. & 322. XCI.
Antonia Miniati de Senis Monaſterium Anconitanum ſanctæ Mariæ Novæ fundat. 229. LXXIII.
Antonius de Alagona Milevitanus Epiſcopus. 310. LXV.
Antonius de Andria Vicarius Apuliæ. 50. XXVIII.
Antonius Dorenſis Epiſcopus. 310. LXV.
Antouius de Fabrianó Epiſcopus Suacenſis. 264. XVII.
Antonius Fontanes Epiſcopus Civitatenſis. 181. XII.
Antonius Guſmanins Provinciæ S. Jacobi Miniſter. 146. XXXIX.
Antonius Laudenſis Laicus. 227. LXV.
Antonins Martini de Monte Barchio in partibus Senarum contra hæreticos inquirit. 17. XXXIV.
Antonius de Medicis Tuſciæ Miniſter, inde Epiſcopus. 181. XI.
Antonius Mina Crotenſis Epiſcopus Arienſis. 48. XXVII.
Antonius de Monte Politiano Tertii Ordinis Alumnus. 54. XLII.
Antonius de Neapoli Nuucius Pontificius ad Siculos. 175. II.
Antonius de Neotaro Gallipolitanus Epiſcopus. 181. XII. inde Motolanus. 239. XII.
Antonius de Oculis nigris Aragoniæ Miniſter. 49. XXVIII. 114. XL.
Antonius de Oliveto Nuncius Apoſtolicus in Albania. 283. XII.
Antonius Ortizius Provinciæ ſancti Gabrielis Miniſter virtutibus fulgens. 113. XXXIX. in Conventu Xereſii ſepultus. ibidem.
Antonius da ſancta Regina beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Antonius de Ruſconibus Provinciæ Mediolanenſis Miniſter. 49. XXVIII. Ordinis regimini præficitur. 176. III.
Antonius Sanderus acta beatæ Coletæ ſcribit. 307. LVII.
Antonius a Stronconio: 300. XXXIX.
Antonius de Tarviſio a munere Procuratoris ſacrorum Locorum abſolvitur. 39. XXI.
Antouius Thomaſius de Monaſterio ſancti Bernardini Viterbii optime meritus. 230. LXXVI.

Antonius a Trejo Cœnobium Murciæ exornat. 147. XLI.
Antonius Trojanus Commiſſarius Apoſtolicus in Oriente. 98. VI. 164. X. & in Germania. 214. XLVII. Ei Pontifex Epiſtolas mittit. V. *Epiſtola*.
Antonius Tudertinus Epiſcopus ſimultates inter Moniales Monaſterii ſanctæ Claræ ejuſdem Civitatis exortas ſupprimit. 52. XXXIV.
Antonius Urbinas nobilitate & doctrina præclarus dat Minoritis nomen. 89. LIV. & 94. VI.
Antonius Urbini Antiſtes de canonizatione ſancti Bernardini ſollicitus. 274. VII.
Antonius de Zetzina Obſervantum Vicarius in Provincia Januenſi. 311. LXVI.
Antuerpienſis Conventus. 318. LXXXII.
Aquilanum Monaſterium. 322. XCI.
Aracœli Conventus Obſervantibus conceditur. 244. XXV.
Archangelus de Agnone ſanctitate conſpicuus. 112. XXXIV.
Arevalenſis Domus tertii Ordinis. 115. XLIV.
Argentinenſis Conventus. 113. XXXVI.
Ariſtani Monaſterium. 149. XLIV.
Armeni cum Latinis uniuntur. 59. VI. 62. XII. ſeqq. Minoritis ducentibus ad Concilium Florentinum pergunt. 59. VI.
Arſcotenſis domus Tertii Ordinis. 172. XXVI.
Arthurus Comes Richemondiæ Conventum Moilleroni extruit. 24. LI.
Aſculi Annunciationis Conventus. 170. XVIII.
Aſſiſii Portiunculæ Conventus. 243. XXIV.
Aſtorgus Galeatius ſenior Cœnobium ſancti Hieronymi Faventiæ ædificat. 227. LXIII.
Aſtorgius Galeatius Junior eidem Cœnobio hortos jungit. ibidem.
Aſtudili Monaſterium. 229. LXXII.
Atellæ Conventus. 87. XLVI.
Athienſis Conventus. 247. XXXVI.
Aubertus Myræus acta beatæ Coletæ ſcribit. 307. LVII.
Audomarenſis Domus Tertii Ordinis. 115. XLIII.
Auguſtinus Ferrarienſis Concilio Florentino intereſt. 30. II.
Auguſtinus Laicus virtutibus præclarus Volaterræ conditus. 245. XXIX.
Auguſtinus de Monte Barochio Provinciæ Marchiæ Miniſter. 49. XXVIII.
Aurienſis Conventus. 88. LI.
Auximanus Conventus. 86. XLIV.

B

BAbuci Conventus. 22. XLVI.
Balgarii Conventus. 183. XIX.
Balbaneræ Monaſterium. 266. XXIV.
Balthaſar de Monte ſancti Georgii Provinciæ ſancti Antonii Vicarius. 137. IX.
Baptiſta de Bononia Provinciæ Mediolani Vicarius. 150. III. 154. XI.
Baptiſta Magnavacca Oratorium quoddam Minoritis largitur. 311. LXVI.
Baptiſta Monſfeltria de Malateſtis. 55. II. Monaſterium Corporis Chriſti Piſauri ædificat. 81. XXIX. Corpus beatæ Felicis Abbatiſſæ ſolemni funere honorat. 225. LX. obit in Domino. 309. LXII. Ejus virtutes, & encomia. ibidem.
Barbara de Hallevins primum lapidem Monaſterii Gandavenſis ponit. 174. IV.
Barcinonenſe Monaſterium. 323. XCV.
Bartholomæus de Babuco in Provincia Romana Hæreticos inſectatur. 109. XXV.
Bartholomæus Calvus Vicarius Sardiniæ. 49. XXVIII.
Bartholomæus Catanius vir eximius Majoricenſis Præfectus. 224. LVII. in Conventu Jeſu Majoricenſi tumulatus. 229. LXXI.
Bartholomæus de Colle eximius Concionator Guardianus Aracœlitan. 255. IV.
Bartholomæus Fulginas apud Melitenſes, & Siculos Apoſtolicus Nuncius. 211. XLIV.
Bartholomæus de Gattulis Meſſanenſis Archiepiſcopus Minoritis addictus. 50. XXIX.
Bartholomæus de Imperialibus Conventus Maraſii fundator. 112. XXXV.
Bartholomæus Mariani ſancti Bernardini Senenſis ſocius. 190. III.
Bartholomæus Martinotius martyr. 245. XXVIII.
Bartholomæus de Maſſulis Monaſterium Tertii Ordinis ſancti Antonii Patavii ædificat. 115. XLIII.
Bartholomæus Novariæ Epiſcopus Conventum ſancti Nazarii ædificari curat. 227. LXV.
Bartholomæus Puccius miraculis clarus. 245. XXVIII.
Bartholomæus de Undinia virtutibus illuſtris Cæſarauguſtæ floruit. 317. LXXIX.
Bartholomæus Urbinas ſanguine, atque doctrina clarus. 89. LIV. & 94. VI.
Bartholomæus de Yano Miniſtri Gene-

ralis in Oriente Vicarius. 214. XLVII. Græcis cum Latinis perſuadet unionem. 59. IV. Cœnobium Conſtantinopolitanum incboat. 545. XXXIV.
Baſilius Armenorum, Latinorumque Interpres. 69. XII.
Baſilius Tbanenſis Epiſcopus. 84. XXXVI.
Baſtidæ Conventus. 315. LXXV.
Beatrix Manrique de Clariſſis benemerita. 146. XXXVIII.
De Beja Monaſterium. 186. V.
Bela Hungariæ Rex Minoritis apprime addictus. 188. VIII.
Benedictus Florentinus beati Tbomæ Florentini ſocius. 295. XXVIII.
Benedictus a ſancto Lorino Laicus in Conventu Volaterrano requieſcit. 245. XXIX.
Benedictus Senenſis beati Tbomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Beneventanus Conventus in Hiſpania. 88. LI.
Bermei Domus Sororum Tertii Ordinis. 183. XXI.
S. Bernardinus Senenſis Vicarius Generalis Obſervantium inſtituitur. 31. V. commendatur a Generali Miniſtro. 31. VI. Aſſiſium lucrandæ indulgentiæ cauſa proficiſcitur. 32. VII. incrementum RegularisObſervantiæ curat. ibid. Concilio Florentino intereſt. 30. II. 59. V. regimen abdicare fruſtra exoptat. 100. X. Coadiutorem impetrat. ibidem. ad quod munus ſibi Joannem Capiſtrauum eligit. 137. IX. pro boc negotio Pontificium impetrat Diploma. 100. XI. interpretatam Minorum Regulam per omnes Provincias mittit. 101. XII. Munus tandem Vicariatus dimittit aſſentiente Pontifice. 156. II. Vincentium Concivem defunctum deplorat. 165. XII. Trivilii verbum Dei diſſeminat. 171. XXIII. ibique Societatem Diſciplinatorum inſtituit. ibidem. Baptiſtæ de Bononia Mediolanenſis Provinciæ Vicario Epiſtolam mittit. 170. XXI. Maſſam pervenit, ibique prædicat. 189. I. inde iter Neapolitanum cogitat. 189. II. Accedit Aſcianum, quatuor Sociis aſſumptis. 190. III. inde ad Lacum Peruſinum abit, Peruſium aliaque Umbriæ loca. ibidem. Spoleto recedens ægrotare incipit. 190. V. iter proſequitur. 191. VI. Febre corripitur. ibidem. lepidum ejus dictum. 191. VII. ſanctus Petrus Cæleſtinus ægroto iter agenti apparet. ibidem. Aquilanam Civitatem ingreditur Civibus exultantibus. 192. VIII. Sacramentis ſuſceptis, in Domino obdormit. 192. X. Socii incaſſum cogitant de aſportando corpore. 192. XI. Aquilani ſolemni ritu juxta perſolvunt. 193. XIII. idem fit in aliis Urbibus. 194. XVI. Facta de bumando corpore contentio mirabiliter dirimitur. 193. XIII. De ejus agitur canonizatione. 201. XXXVIII. pro qua Oratores mittuntur ad Pontificem. 233. I. Tribus Cardinalibus miraculorum perquiſitio demandatur ab Eugenio Pontifice. 233. II. & iterato a Nicolao V. 274. VII. qui eum a calumniis quorumdum impiorum vindicat. 275. VIII. Ejus effigies quomodo depingi ſolet. 202. XXXIX.

Sancti Bernardini gratiarum dona & miracula.

Romæ ſuper Concionantis caput fulgida ſtella conſpicitur. 33. VIII. Græce prædicat, licet ignarus idiomatis. 59. V. Prædicit calamitates Italiæ. 180. X. mortique proximus Socio multa revelat. 191. VI. Maſſæ Leproſum curat. 189. I. & Spoleti multos alios ægrotus. 190. IV. ſeqq. Poſt obitum innumeris coruſcat miraculis. 192. XII. 194. XVII. ſeqq. 196. XIX. ſeqq. plures mortuos ad vitam revocat. 200. XXXI.
Bernardus Echeſius Pratenſis. 87. XLV.
Bernardus Fajardus Cariatenſis Epiſcopus. 18. XXXV.
Bernardus a Freſneda Pbilippo II. Hiſpaniarum Regi a ſacris Confeſſionibus. 113. XXXVIII.
Bernardus Iſcoriola a regimine Provinciæ Aragoniæ dejicitur. 114. XL.
Bertrandus Robaudi Provinciæ Miniſter. 49. XXVIII.
Beſagni Conventus. 227. LXIV.
Beſſario Cardinalis Cœnobium Ravennæ Minoritis concedi annuit. 227. LXVI.
Beſſelich Domus Sororum Tertii Ordinis. 115. XLV.
Betonæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 90. LVI.
Bettoniæ Conventus. 51. XXXIII.
De Bilbao Domus Sororum Tertii Ordinis. 183. XXI.
Biſtritiæ Conventus. 229. LIX.
Blaneti Conventus. 265. XXII.
Blaſius Aquilanus ſancti Joannis de Capiſtrano ſocius. 112. XXXII. 155. XIII.
Blaſius de Vilalva virtutibus illuſtris Murciæ tumulatus. 147. XLI.
Bodelli Conventus. 113. XXXVI.
Bolonienſis Conventus. 228. LXVIII.
Bonaccurtius Capiſaccus Conventum Cariatenſem ædificat. 112. XXXIII.
Bonaventura de Antrodco pia fœmina in Mo-

- Monaſterio Corporis Chriſti Aquilano ſepulta. 322. xci.
S. Bonaventuræ doctrina Concilio Florentino valde proficua, 58. iv.
Bonifatii Conventus. 314. lxxii.
Bonnienſe Monaſterium. 25. liii.
Boſnenſibus Fratribus multa Eugenius Pontifex privilegia largitur. 22. xlv. Vicarii Boſnenſes Inquiſitores, Commiſſariique Apoſtolici inſtituuntur. 203. xl. ſeqq. iterum uno Vicario reguntur. 137. ix.
Brivieſcæ Monaſterium. 52. xxxvi.
Brixienſe Monaſterium. 266. xxv.
Brixienſe ſancti Chriſtophori Monaſterium. 322. xcii.
Budæ Regiæ Conventus. 188. viii.
Budeſini Conventus. 317. lxxxi.
Bulla Unionis Eugenii IV. V. *Epiſtola*.
Burgenſe Monaſterium. 114. xli. 148. xliv.
Burgenſis Domus FF. Tertii Ordinis. 272. xxvi.

C

CÆſarauguſtanus Conventus. 316. lxxvii.
Calvienſis Conventus. 314. lxxii.
Camerinenſe Monaſterium. 52. xxxv.
Capiſtrani Conventus. 312. lxviii.
Capitis Auroræ Conventus. 146. xxxix.
Capitula Generalia Toloſanum. 15. xxxi. Januenſe. 103. xiii. Patavii. 175. iii. Montis Peſſulani. 254. iv.
Capitula Generalia Obſervantium in ſancti Audomari Provinciæ Franciæ. 324. lviii. 291. xviii. Beneventanum in Hiſpania. 291. xix. Romanum, 254. iv. Aſiſii. 291. xviii.
Caprianus Pallavicinus Abbas Hoſpitio ſanctæ Mariæ de Morula Fratres recipit. 51. xxx.
Carfaniani Conventus. 137. ix.
Cariatenſis Conventus. 112. xxxiii.
Carinienæ Conventus. 247. xxxv.
Carmonæ Conventus. 316. lxxvi.
Carolus de Matelica Epiſcopus Balneoregienſis. 239. xii.
Caſtellutii Conventus. 227. lxiv.
Caſtri Bononienſis Conventus. 314. lxxi.
Caſtri Durantis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 267. xxvii. & Sororum. ibid.
Caſtri ſancti Lucidi Domus Fratrum Tertii Ordinis. 324. xcvi.
Caſtri Plebis Monaſterium. 52. xxxv.
Caſtri de Urdiales Domus Sororum Tertii Ordinis. 183. xxi.
Catarina Piretia Conventum Xenſii fundat & ditat. 113. xxxix.
S. Catarinæ in Monte Conventus. 147. xli.
Cathedræ Univerſitatum, quæ ad Ordinem ſpectabant. 144. xxxii.
Ceccus de ſancto Joanne Rotundo Nuncius Apoſtolicus in Provincia S. Angeli. 211. xliv.
S. Cerboni Inſulæ Elbæ Conventus. 294. xxiii.
S. Cerbonii extra Lucam Conventus. 137. ix.
Ceſenæ Conventus. 228. lxvii.
Cethonii Conventus. 145. xxxiv.
Cherubinus Torniellus abſtinentia admirabilis. 171. xxiv.
Chienſis Conventus. 51. xxxi.
S. Chriſtinæ Conventus. 24. l.
Chriſtophorus Ariminenſis Epiſcopus beati Alberti de Sartiano Epiſtolas recipit. 40. xxii.
Chriſtophorus Bononienſis Inquiſitor in Romandiola. 17. xxiv.
Chriſtophorus de Campobaſſo religione & ſanctitate inſignis. 112. xxxiv.
Chriſtophorus Crivellus a ſancto Bernardino initiatus. 182. xv. virtutibus refulſit. ibidem.
Chriſtophorus de Judicibus Vicarius Provinciæ Siciliæ. 50. xxviii.
Chriſtophorus de Modoetia Provinciæ Mediolanenſis Vicarius. 311. lxvi. Conventum Comenſem extruit. 111. xxx.
Chriſtophorus Rubenſis Epiſcopus. 181. xii.
Cryſantus Nolanus Provinciæ Terræ laboris Miniſter. 246. xxxi.
Cinguli Conventus. 265. xx.
Civitatis Caſtellanæ Conventus. 145. xxxiv.
Clara Firmana Monaſterium ſanctæ Mariæ Novæ Anconitanum fundat. 229. lxxiii.
Clara Fulginas ſanctitate celebris. 108. xxiii.
Clariſſæ Obſervantibus ſubjiciuntur. 272. iii. Earum Monaſteria. V. *Monaſteria*, & privilegia. V. in fine quorumlibet Annorum, & potiſſimum Additiones P. Meliſſani.
Clavari Domus Fratrum & Sororum Tertii Ordinis. 267. xxvii.
Claudia a Corceyo beatæ Coletæ ſocia. 95. vi.
Clemens de Capponibus beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. xxxix.
Clua-cerenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 149. xlv.
Cobella Comitiſſa Celani ſolum pro extruendo Capiſtranenſi Cœnobio Fratribus largitur. 312. lxviii.

B. Coleta aſſidue Monaſteriorum reformationi intendit. 53.XXXIX. Openheimenſe fundat. ibidem. Quanti fuerit in ſenectute fervoris. 300. XLI. obitum prædicit. 301. XLII. ad meliora chariſmata ſuas hortatur diſcipulas. 301. XLII. Ei Chriſtus apparet. ibidem. obit in Domino. 302. XLIII. Augeli canentes el juſta perſolvunt. 302.XLIV. quibuſdam apparet Sororibus. ibidem. Alios a morte ad vitam revocat. 303. XLVI. & alios liberat. 303. XLVII. cetera ejus miracula. 304. L. ſeqq. Quinam ejus acta ſcripſerunt. 306. LVII. Quantum fuerit ab ea inſtituta propagata reformatio. 307. LVIII. quantuſque ab hominibus ei exhibeatur honor. 307. LIX. Officium in ſui laudes Monialibus Gandavenſibus recitari jubetur. 307. LX. indultum extenditur ad cetera Monaſteria Belgii. 308. LXI.

Coleta de Pruceto Clariſſa Coletanea. 303. XLV.

Columbarii Conventus. 294. XXIII.

Comenſis Conventus. 111. XXX.

Comitia Generalia. V. *Capitula*.

Communio Paſchalis num neceſſario die Reſurrectionis Domiuicæ facienda. 98. V.

Conceptio immaculata beatæ Virginis de præcepto celebrari iu Hiſpania ſtatuitur. 48. XXVI. Decretum de eadem Coucilii Baſileenſis. 80. XXVIII.

Conchenſis Conventus. 265. XXI.

Concilium Florentinum primo indictum in urbe Ferrarienſi. 1. I. ibique initia ſumit. 29. I. ſed Florentiæ transfertur. 29. II. Ejus celebrationi plerique doctiſſimi Minoritæ interſunt. 29. II.

Conradus Bomlini Provinciæ Argentinæ Miniſter. 49. XXVIII.

De Conſtantina Conventus. 246. XXXIV.

Conſtitutio Unionis Eugenii IV. in Concilio Florentino ædita. V. *Epiſtola*.

Conſtitutiones ejuſdem Pontificis Clariſſis præſcriptæ. 272. III.

Conſtantinopolitanus Conventus. 145. XXXIV.

Conventuales ab Obſervantibus ſejunguntur. 250. I.

Conveutus Fratrum primi Ordinis Æduenſis. 148. XLIII. Albæ. 229. LXIX. Alicanti. 113. XXXVII. Alveinie. 183. XVIII. Andriæ. 51. XXXI. Antuerpienſis. 318. LXXXII. Aracælitauus. 244. XXV. Argentinenſis. 113. XXXVI. Aſculi Annunciationis. 170. XVIII. Aſſiſii Portiunculæ. 243. XXIV. Atellæ. 87. XLVI. Athienſis. 247. XXXVI. Anrienſis reformatur. 88. LI. Auximanus. 86. XLIV. Babuci. 22. XLVI. Balagarii. 183. XIX. Balbaneræ. 266. XXIV. Baſtidæ. 315. LXXV. Beneventanus in Hiſpania reformatur. 88. LI. Beſagni. 227. LXIV. Bettoniæ. 51. XXXIII. Biſtritiæ. 229. LXIX. Blaneti. 265. XXII. Bodellii. 113. XXXVI. Bolonienſis. 228. LXVIII. Bonifatii. 314. LXXII. Budeſini. 317. LXXXI. Cæſarauguſtanus. 316. LXXVII. Cæſenæ. 228. LXVII. Calvienſis. 314. LXXII. Capiſtrani. 312. LXVIII. Capitis Auroræ reformatur. 146. XXXIX. Carfaniani. 137. IX. Cariatenſis. 112. XXXIII. Carinienæ. 247. XXXV. Carmonæ. 316. LXXVI. Caſtellutii. 227. LXIV. Caſtri Bononienſis. 314. LXXI. Caſtri Maris. 314. LXX. Catari. 246. XXXII. Sanctæ Catarinæ in Monte. 147. XLI. S. Cerbonii Inſulæ Elbæ. 294. XXIII. S. Cerbonii extra Lucam. 137. IX. Cæſenæ. 228. LXVII. Cethonii. 145. XXXIV. Chienſis. 51. XXXI. S. Chriſtinæ. 24. L. Cinguli. 265. XX. Civitatis Caſtellanæ reformatur. 145. XXXIV. Columbarii. 294. XXIII. Comenſis. 111. XXX. Conchenſis. 265. XXI. De Conſtantina. 246. XXXIV. Conſtantinopolitanus. 145. XXXIV. Corunienſis reformatur. 88. LI. Cremonæ. 87. XLVII. Crolaii. 88. XLIX. Donidi. 88. LII. Edimburgi. 321. LXXXIX. S. Evaſii. 53. XLI. Ezibimi. 229. LXIX. Faventinus. 227. LXIII. Ferrariæ in Hiſpania. 147. XL. Firmanus Annunciationis. 170. XVIII. Foris Siculorum. 265. XXIII. Fortis Venturæ. 145. XXXIII. Fraxineti. 113. XXXVIII. S. Geneſii. 23. XLIX. Gratianopolitanus. 315. LXXIII. Hiſtonii. 112. XXXIV. Horzenſis. 182. XVI. Jaderenſis. 170. XIX. Lacuſcuri. 51. XXX. De Lappa. 315. LXXIV. Lenzici. 88. LII. Leonici. 311. LXVI. Leydenſis. 247. XXXVII. Licienſis. 111. XXXII. De Linaribus. 146. XXXVIII. Lucenſis. 137. IX. Lucenſis extra urbem. 182. XV. Mahonis. 224. LVII. Mainetis. 265. XXI. Majoricenſis de Jeſu. 229. LXXI. 224. LVII. Maraſii. 112. XXXV. S. Mariæ de Monte. 227. LXIV. Maſſanus. 245. XXX. Mechlinienſis reformatur. 321. LXXXVIII. Melfiæ. 146. XXXVI. Miliciuuniæ. 265. XXIII. Milionici. 87. XLVI. Miricuriæ. 315. LXXIII. Modoni. 265. XXIII. Moilleroni. 24. LI. Molbatæ. 229. LXIX. De Montibus Claris. 146. XXXVIII. Montis Falci. 181. XIII. Montis Lucii. 147. XLII. Montis Politiani. 145. XXIV. 245. XXVIII. Mortarii. 312. LXVII. Muri Alti. 170. XVII. Nolæ. 245. XXXI. Novarienſis. 227. LXV. Nuntiæ. 314. LXXII. Nurimbergæ. 317. LXXX. Ortouenſis. 111. XXXII. Paſtranæ. 22. XLVII.

xLVII. Pinti. 23. xLVIII. Polenſis. 53. xLI. Populonii. 294. xxIII. Portiunculæ. 243. xxIV. Potocbſienſis. 265. xxIII. Pratenſis. 87. xLV. S. Proceſſi. 145. xxxIV. Raculæ. 246. xxxII. Radicondoli. 294. xxIII. Ramberti Curiæ. 315. LxxIII. Ravennæ. 227. LxvI. Rabidæ. 246. xxxIV. Regii Lepidi. 50. xxx. Rinadominarum. 51. xxxII. Rizafæ. 246. xxxIV. Roccæ del Cex. 89. LII. Rodiginei. 246. xxxII. Sancti Salvatoris extra Luceriam. 137. Ix. Salmanticenſis. 84. xxxvIII. Sluſarum. 183. xIx. Spoletanus. 87. xLVIII. Sulmonenſis. 182. xIV. Sutiſchenſis. 113. xxxvI. Surrentiuus. 314. Lxx. Syracuſanus. 314. Lxx. Tareuti. 311. LxvI. Termularum. 246. xxxII. Terræ novæ. 227. LxIV. Tibingenſis. 265. xxIII. Trivilii. 150. III. 170. xx. Turſii. 146. xxxvI. Vallisbonæ. 88. L. Varaſci. 229. LxIx. Venetus S. Nicolai. 89. LIII. Vicheriæ. 170. xIx. Vilforadi. 146. xxxvII. De Villa Verde. 246. xxxIV. Viterbienſis. 86. xLIII. Volaterranus. 245. xxIx. 294. xxIII. Volſinii. 145. xxxv. Wineſii. 229. Lxx. Xereſii Equitum. 113. xxxIx. Zubraquenſis reformatur. 229. Lxx.

Çorbejenſe Monaſterium. 174. IV.

Çornelius Omulalay Epiſcopus Clonferteuſis. 310. Lxv. amandatus Nuncius Apoſtolicus in Hiberuia. 211. xLIV.

Cornelius a Ziriczea Batavus pietate illuſtris a Vicario Generali in Scotiam miſſus. 264. xvIII. obit Antuerpiæ, ibidem.

Corneti Domus Sororum Tertii Ordinis. 248. xL.

Corunienſis Conventus. 88. LI.

Coſentiæ Domus Fratrum Tertii Ordinis. 267. xxvII.

Cremonæ Conventus. 87. xLVII. & Domus Fratrum Tertii Ordinis. 231. LxxvII.

Crolaii Conventus. 88. xLIx.

S. Crucis Lignum Jacobitis Cortonæ oſtenditur. 120. I. eadem Crux deſcribitur. ibidem ſeqq.

S. Crucis Coronienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 230. Lxxv.

Cruſettus de Monte S. Petri Epiſcopus Inſulanus. 18. xxxv.

Cuſtodia Sanctoyana, cum quibuſdam aliis regimini ſubditur Generalis Miniſtri. 292. xIx.

Cyprianus Æſinus Rector Eccleſiam ſancti Floriani Minoritis largitur. 112. xxxv.

D

Daliſmanus Patavinus Provinciæ S. Antonii Miniſter. 49. xxvIII. moritur. 156. III.

Damianitæ. V. *Clariſſæ*.

Damianus Doniæ Epiſcopus Monaſterium ſanctæ Catarinæ de Betona Monialibus largitur. 90. LvI.

Damianus Patavinus vir venerabilis Cremonæ tumulatus. 87. xLVII.

Damianus Placentinus Inquiſitor in Romandiola. 17. xxxIV. 84. xxxvII.

Decreta varia circa res ſcholaſticas referuntur. 144. xxxII.

Decretum Concilii Baſileenſis de Conceptione B. Virginis. 80. xxvII.

Deſiderius Lotharingus ſancti Bernardini Senenſis ſocius ſanctitate doctrinaque inſignis. 94. vI.

S. Didacus Complutenſis oritur. 138. xII. Ejus Parentes & Patria. ibidem. Adoleſcens in ſolitudinem recedit: ibidem. a pecuniarum tactu abhorret. 138. xIII. dat nomen Minoritis. ibid. mittitur ad Canarias Inſulas. 142. xxIII. Idololatras iunumeros ad Chriſti fidem convertit. ibidem. deſiderio martyrii flagrans ad aliam Inſulam navigat. 142. xxIV. Inſulanis apprime proficuus. 142. xxv. ei dæmon infeſtus. 143. xxvI. Joaunes Sanctorcaſius ejus ſocius decedit. 143. xxvIII. Ejus virtutes. 139. xIV. ſeqq. miracula. 141. xxI. ſeqq. 143. xxvII. & vitæ Scriptores. 138. xI.

Didacus Conchenſis Sacræ Theologiæ Lector. 144. xxxII.

Didacus Excalceatus virtutibus inſignis. 247. xxxv.

Didacus Garſias Eremitorium Capitis Auroræ conſtruit. 146. xxxIx.

Didacus Laicus virtutibus illuſtris Murciæ tumulatus. 147. xLI.

Didacus Mauricus Conventum Balbaneræ ædificat. 266. xxIV.

Didacus a Mendoça Sacellum in Eccleſia Minorum Paſtranæ extruit. 22. xLVII.

Didacus Morillus vir celebris in Conventu Cæſaraugnſtæ floruit. 317. LxxIx.

Dionyſius quidam in Provincia Portugalliæ Vicarius. 137. Ix.

Dionyſius de Willat Commiſſarius Apoſtolicus in Scythia, Moldavia &c. 208. xLIII.

Diſciplinatorum Ordo ubi fundatus. 171. xxIII.

Domdi Conveutus. 88. LII.

Do-

Dominicus Campenſis beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. xxxix. moritur. 107. xviii.
Dominicus de Capranica Cardinalis Firmanus Ordinis Protector. 243. xxiii.
Dominicus Guidocius S. Bernardini Senenſis ſocius. 190. iii.
Dominicus quidam Tertiariorum Miniſter in loco S. Donini inſtitutus. 116. xlvi.
Domus Fratrum Tertii Inſtituti Ameriна. 230. lxxvii. Arſcotenſis. 172. xxvi. Burgeuſis. 172. xxvi. Caſtri Durantis. 267. xxvii. Caſtri ſancti Lucidi. 324. xcvi. Clavari. 267. xxvii. Cluacerenſis. 149. xlv. Coſentiæ. 267. xxvii. Cremonenſes plures. 231. lxxvii. Floreſtellæ. 267. xxvii. ſancti Fructuoſi. 90. lvi. Gabiani. 172. xxvi. Laudenſis. 149. xlv. Lavellenſis. 230. lxxvii. Lovanienſis. 172. xxvi. ſanctæ Mariæ Paradiſi. 149. xlv. ſancti Martini Balneorum. 267. xxvii. ſancti Michaelis prope Feſulas. 149. xlv. 300. xl. Mutinenſis. 172. xxvi. Montis Ulmi. 324. xcvi. Narnienſis. ibidem. ſancti Nicolai de Columbaria. 149. xlv. Priſiani. 267. xxvii. Vallis bonæ. 88. l. Vallis Fabricæ. 149. xlv.
Domus Sororum Tertii Inſtituti Aldenardi. 115. xliii. Arevallenſis. 115. xliv. Audomarenſis. 115. xliii. Bermei. 183. xxi. Beſſelich. 115. xlv. Betonæ. 90. lvi. Bilbai. 183. xxi. Caſtri de Urdiales. 183. xxi. Corneti. 248. xl. ſanctæ Crucis Corunienſis. 230. lxxv. Durangi. 183. xxi. Florentiæ ſancti Hieronymi. 90. lvi. Gandenſis. 248. xl. Januenſis S. Geneſii. 91. lvii. Laudenſis. 149. xlv. Leodienſis. 184. xxii. ſanctæ Mariæ de Caudelaria, ſive de Populo Panormit. diœc. 324. xcvii. ſanctæ Mariæ de Lairo. 230. lxxv. Parmenſis. 172. xxvii. Peruſii ſancti Antonii. 115. xliii. Placentiæ in Hiſpania. 230. lxxv. Reatæ. 115. xliii. Romæ. 248. xl. Senarum. 230. lxxv. Senarum. ſanctæ Margaritæ. 90. lvi. Spoleti. 184. xxii. Viterbii ſancti Bernardini. 230. lxxvi. Viterbii ſanctæ Roſæ. 25. liii. 183. xxii. de Uribe. 183. xxi.
Donatus de Celino Provinciæ Pennenſis Miniſter. 49. xxviii.
Dorothæa Comitiſſa de Panico Bononienſis Monaſterium S. Bernardini Paduani ædificat. 89. liv.
Dorothæa Liſſona a Modoetia prophetia, miraculiſque præclara. 323. xciv.
Durangi Domus Tertii Ordinis. 183. xxi.

E

EDimburgi Conventus. 321. lxxxix.
Edmundus Geraldi Vicarius in Hibernia. 137. x.
Elias de Bourdeille Petragoricenſis Epiſcopus. 18. xxxv. Concilio Florentine intereſt. 29. ii.
Elias Romanus curam Eccleſiæ Bethleemiticæ habet a Pontifice ſibi ammandatam. 144. xxxi.
Eligius Eucharius acta beatæ Coletæ ſcribit. 307. lviii.
Eliſabetha Alberti Imperatoris relicta Ladiſlaum parit. 149. i.
Eliſabetha de Weys Monaſterii Tertii Ordinis Trevirenſis Miniſtra. 115. xlv.
Emanuel a S. Martino Provinciæ Caſtellæ Miniſter. 24. xlix.
Epiſtola Eugenii IV. Summi Pontificis S. Bernardino de Senis. 100. xi. pro confirmatione inſtitutionis ejuſdem in Vicarium Generalem. 31. vi.
S. Joanni de Capiſtrano. 33. x. 34. xi. 34. xii. 151. v. 160. vii. 185. ii. 235. iv.
Eidem & Epiſcopo Caſtellano. 13. xxvi.
S. Jacobo de Marchia. 6. xiii. 7. xiv. 7. xv. 8. xvi. 35. xiii. 37. xvii. 37. xviii. 38. xix. 100. ix. 136. viii.
B. Alberto de Sartiano. 73. xvii. 157. iv. 157. v.
Pro eodem. 74. xviii.
Sigiſmundo Romanorum Imperatori. 3. vii.
Alberto Imperatori. 38. xx.
Thomæ Imperatori Indorum ſive Presbytero Joanni. 71. xv.
Nicolao, Guillelmo, & Alberto Cardinalibus. 233. ii.
F. Petro de Corduba Nuncio Apoſtolico. 212. xlvi.
Dublinienſi Archiepiſcopo, & Armachano Epiſcopo. 105. xvii.
Jacobo de Primaditiis Vicario Generali. 98. v. 237. ix. 255. vi. 272. iv.
Eidem, & Franciſco de Platea. 236. vii. 237. ix.
Antonio de Ruſconibus Generali Miniſtro. 254. iii.
Joanni de Mauberto Vicario Generali. 236. v. 257. ix.
Guillelmo de Caſali Generali Miniſtro. 2. ii. 26. i.
Vicariis & Fratribus Boſnæ. 207. xliii. 260. xii.

An-

Antonio Trojano Commiſſario Tartariæ &c. 99. VII. 215. XLIX.
Gandulpho S. Montis Syon Guardiano. 47. XXV. 215. L.
Abbati Monaſterii SS. Victoris & Conſtantii Taurinen. 92. III.
Nicolao de Tragurio Minoritæ. 12. XXIII.
Baptiſtæ de Bononia Mediolanenſi Vicario. 170. XXI.
Conſulibus, Rectoribuſque Civitatis Caffenſis. 59. VII.
Cophtis Ægypti. 72. XVI.
Univerſis Moldaviæ Incolis. 203. XLI. 205. XLII.
Univerſis & ſingulis Fidelibus pro ſancto Jacobo de Marchia. 9. XVII.
Eiſdem pro Indulgentia Eccleſiæ ſancti Franciſci Aſſiſii. 103. XIV.
Eiſdem in defenſionem Ordinum Mendicantium. 104. XVI.
Eiſdem ob inſtitutionem Nunciorum Minoritarum in diverſis regionibus. 213. XLV.
Eiſdem pro Antonio Trojano. 214. XLVIII.
Pro unione Armenorum. 62. XII. aliorumque Orientalium. 126. VI. 132. VI. 134. VI.
Pro Ordinibus Mendicantium contra Pariſienſes. 163. IX.
Pro inſtitutione Inquiſitionis in Regnis Boſnæ &c. 258. XI.
Pro Fratribus in Oriente degentibus. 217. LI.
Pro confirmatione litterarum Generalis Miniſtri. 179. VII.
Pro ſejunctione Conventualium ab Obſervantibus. 251. II.
Pro ſubjectione Eremitoriorum Vicario Generali Obſervantum. 256. VIII. & eorumdem eidem. 269. II.

Nicolai V. Summi Pontificis.

Pro eximendo ſancto Bernardino a calumniis. 275. VIII.
Pluribus Cardinalibus pro canonizatione ejuſdem. 279. IX.
S. Joanni de Capiſtrano Inquiſitori inſtituto. 280. X. & XI.
F. Antonio de Oliveto Nuncio Apoſtolico. 283. XIII.
Pro Vicariatu Hungariæ. 284. XV.
Ut liceat Fratribus, præſertim Gallis, ad ſubjectionem reverti Generalis Miniſtri. 290. XVII.

Clementis VIII. ſummi Pontificis.

Abbatiſſæ, Monialibuſque Monaſterii Gandavenſis pro recitando officio beatæ Coletæ. 307. LX.

Pauli V. ſummi Pontificis.

Pro Monaſteriis Belgii, ut officium beatæ Coletæ recitare poſſint. 308. LXI.

Concilii Baſileenſis.

Pro immaculata Conceptione beatæ Virginis. 80. XXVIII.

Sancti Bernardini de Senis.

Fratribus ſui Ordinis. 102. XII.

Sancti Laurentii Juſtiniani.

Pro Jeſuatis. 15. XXIX.

Beati Alberti de Sartiano.

Franciſco Barbaro Veneto. 263. XVI.
Blondo de Forolivio. 266. XXVI.

Sigiſmundi Imperatoris.

S. Jacobo de Marchia. 3. V. 5. X.
Henrico Quinqueeccleſienſi Antiſtiti. 4. IX.

Alberti Imperatoris.

Criſtophoro Ariminenſi Epiſcopo. 40. XXII.
Guillelmo Generali Miniſtro. 43. XXIII.
Joanni Colocenſi Epiſcopo. 77. XXII. 78. XXIII.

Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Eugenio IV. ſummo Pontifici. 124. V.

Patriarchæ Armenorum.

Civibus Caffenſibus. 60. X.

Petri Cardinalis de Fuxo.

Univerſis Chriſtifidelibus pro Minoritis. 263. XIV.

Henrici Epiſcopi Quinqueeccleſienſis.

Univerſis Presbyteris ſuæ Diœceſis pro ſancto Jacobo de Marchia. 5. XI.

Jacobi Epiſcopi Sirinienſis.

Eugenio IV. ſummo Pontifici. 10. XIX.

Georgii Strigonienſis Archiepiſcopi.

Pro ſancto Jacobo de Marchia. 36. XV.

Alberti Epiſcopi Aſtenſis.

Gaſpardo de Coſta, & Alphonſo Galindres Tertiariis. 56. III.

Antonii Epiſcopi Bambergenſis.

Suis ſubditis pro ſancto Joanne de Capiſtrano. 162. VIII.

Guillelmi de Caſali Miniſtri Generalis.

Felici de Meda Moniali Mediolanenſi. 82. XXXIII.
Antonio Trojano. 164. X.

Antonii de Ruſconibus Miniſtri Generalis.

S. Joanni de Capiſtrano. 176. V. 179. VI.

Gandulphi Commiſſarii Terræ Sanctæ.

Summo Pontifici. 220. LIII.

Ladiſlai Comitis de Poſega.

Pro ſancto Jacobo de Marchia. 11. XXI.

Regentis Civitatis Caffæ.

Summo Pontifici. 61. X.

Cobellæ Comitiſſæ de Celano.

Pro extruendo Capiſtranenſi Cœnobio. 312. LXIX.
Epternacenſe Monaſterium. 171. XXV.

Eraſmus Viterbienſis in Provincia Romana contra hæreticos inquirit. 84. xxxvii.
S. Evaſii Conventus. 53. xli.
Eugenia Mediolanenſis beatæ Felicis Medæ ſocia. 83. xxxiv. Abbatiſſa Monaſterii Piſaurenſis renunciatur. 225. lxi.
Eugenius IV. Romanus Pontifex Græcos ad Concilium a ſe indicendum advocat. 1. 1. eoſque cum Armenis ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam reducit. 58. ii. 59. vi. vocat etiam Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum. 2. ii. Concilio Ferrariæ dat initium. 29. i. ipſum Florentiam transfert. ibidem. Quod tamdem abſolvit. 58. ii. Inſtitutionem ſancti Bernardini Senenſis in Vicarium Generalem Obſervantum confirmat. 31. vi. & ſimilem inſtitutionem S. Joannis de Capiſtrano. 179. vii. Multa indulget Fratribus Boſnæ. 22. xlv. ſancto Jacobo de Marchia. 37. xvii. ſeqq. & Fratribus totius Ordinis. 110. xxviii. Obſervantes a Conventualibus ſejungit. 111. xix. 250. i. Cum Rege Galliæ Ducibuſque Burgundiæ, ac Mediolani pacem init. 97. ii. Eum Romani rogant, ut ad Urbem revertatur. 175. i. Contra Turcas claſſem inſtruit. 175. ii. auxiliis congregandis Minorum ope utitur. 175. ii. moritur. 274. v. Ejus Conſtitutiones & Litteræ V. *Epiſtola*.
Ezibimi Conventus. 229. lxix.

F

Fabianus de Bachia in Septentrionalibus regionibus contra hæreticos inquirit. 203. xl. quibus ex animo obſiſtit. 258. x. Commiſſarius Apoſtolicus Inſtituitur. 208. xliii.
Faventinus Conventus. 227. lxiii.
B. Felix de Meda Mediolanenſis Piſaurum amandatur ad inchoandum Corporis Chriſti Monaſterium. 81. xxix. Ejus virtutes. 81. xxx. & regimen dum Abbatiſſa inſtituitur. 82. xxxi. ei Generalis Miniſter mittit Epiſtolam. 82. xxxiii. Secum ſeptem ſocias ducit. 83. xxxiv. Galeatii Principis filiam ægrotantem liberat. 83. xxxv. obit in Domino. 224. lix. Piſaurenſibus valde proficua. ibidem. Corpus illæſum viſitur. 225. lix. Ejus miracula recenſentur. 225. lx.
Felix Mediolanenſis ſancti Bernardini de Senis ſocius. 190. iii.
Ferdinandus Cordubenſis Provinciarum Vicariatus efflagitat, ut dividantur. 292. xix.
Ferdinandus de ſancto Iſidoro Nuncius Apoſtolicus in Regnum Caſtellæ miſſus. 211. xliv.
Ferdinandus Perez Eremitorium Capitis Auroræ extruit. 146. xxxix.
Ferdinandus a Platea Vicariatus Provinciarum diviſionem exoptat. 292. xix.
Ferdinandus Salamantinus ad Regnum Caſtellæ Pontificius Nuncius. 211. xliv.
Ferianus Comes Conventus de Lappa fundator. 315. lxiv.
Fernandus Alvarus de Toleto Conventum Pinti ædificat. 23. xlviii.
Ferrariæ in Hiſpania Conventus. 147. xl.
Ferrariæ in Italia Monaſterium S. Guillelmi. 90. lv.
Firmanus Conventus Annunciationis. 170. xviii.
Florentina Domus ſancti Hieronymi Sororum Tertii Ordinis. 90. lvi.
Floriana Crivella Urbani Pontificis Soror de Monaſterio ſancti Bernardini Mediolanenſis optime merita. 323. xciii.
Floreſtellæ Monaſterium. 267. xxvii.
Floreſtellæ Domus Fratrum Tertii Ordinis. 267. xxvii.
Fori Siculorum Conventus. 265. xxiii.
Fortis Venturæ Conventus. 145. xxxiii.
SS. Fortunati, & Severi Corpora Urbini tumulata. 181. xiii.
Franciſca Aſſiſias in Domino obdormit. 109. xxiv. Ejus virtutes & miracula. ibidem.
Franciſca Fanenſis in Monaſterio Piſauri dat Clariſſis nomen. 83. xxxiv. fuit virtute admirabilis. 226. lxi.
Franciſchina Mediolanenſis prima Monaſterii ſancti Pauli Mantuæ Abbatiſſa. 226. lxi.
S. P. Franciſcus Trivilii hoſpitio receptus. 171. xxiv.
Franciſcus de Agropoli Nuncius Pontificius in Terra laboris. 211. xliv.
Franciſcus de Alba regali ut Conventus in Boſna ædificet facultatem impetrat. 114. xl.
Franciſcus Antonius Minorita eruditione præclarus. 249. iii.
Franciſcus Ariminenſis Concilio Florentino intereſt. 30. ii.
Franciſcus de Arimno Baro Oſſeræ de Conventu Cæſarauguſtano valde meritus. 317. lxxviii.
Franciſcus Bononienſis Nuncius Apoſtolicus apud Armenos. 59. vi.

Fran-

Franciſcus de Boſco in Cœnobiis conſtruendis ſollicitus. 183. xix.
Franciſcus Crenſis Epiſcopus. 239. xii.
Franciſcus Franciſci Conventum ſancti Michaelis Albæ Docciæ ædificat. 149. xlv.
Franciſcus Gaſpar Florentinus virtutes beati Lanceslai Hungari extollit. 241. xv.
Franciſcus Gonzaga acta beatæ Coletæ ſcribit. 307. lvii.
Franciſcus Herbas Aram maximam in Eccleſia Conventus Cæſarauguſtani ædificat. 317. lxxviii,
Franciſcus de Mangano Januenſis Procurator Generalis Ordinis. 109. xxv.
Franciſcus Marci de Patino ſolum Obſervantibus largitur, ut Cœnobium conſtruant. 87. xlv.
Franciſcus Marcou Doctor Pariſienſis. 155. xiv.
Franciſcus Mendocius Conventum Pinti multis Reliquiis ditat. 23. xlix.
Franciſcus de Molina ad Eremitorium ſancti Geneſii tranſit. 23. xlix.
Franciſcus de Orgas Nuncius Pontificius in Regno Caſtellæ. 211. xliv.
Franciſcus Penna acta ſancti Didaci Complutenſis ſcribit. 138. xi.
Franciſcus Petri Gori inclytus concionator. 245. xxviii. ſuper prædicantis caput tres micantes ſtellæ apparent, ibidem. ſuum obitum prædicit. ibidem.
Franciſcus de Platea Nuncius Pontificius in exarcatu Ravennæ. 211. xliv. deinde per totam Italiam. 236. vii.
Franciſcus de Savona ſive de Ruvere Cuſtodiæ Papienſis Præfectus. 50. xxxix.
Franciſcus alius de Savona, ſive de Ruvere, qui ad ſummum Pontificatum aſcendit. 85. xxxix.
Franciſcus de Soria pietate illuſtris Viſitator Monaſterii ſanctæ Claræ Salamantini extitit. 148. xliv. & Joanni Granatæ Regi carus. 169. xvi.
Franciſcus a Stronconio miraculis illuſtris. 182. xiii.
Franciſcus Ticinenſis, ſive de Papia ſanctitate præclarus. 240. xiv. ejus de ſumptuoſis Cenobiis ſententia. 240. xiv.
Franciſcus Torniellus vir optimus Trivilii tumulatus. 171. xxiv.
Fraxineti Conventus. 113. xxxviii.
S. Fructuoſi Domus Fratrum Tertii Ordinis. 90. lvi.

G

GAbiani Domus Fratrum Tertii Ordinis. 172. xxvi.
B. Gabriel Anconitanus Piceni Provinciæ Vicarius. 86. xliv.
Gabriela Peruſina contemplatione rerum divinarum illuſtris. 108. xxiii.
Gandavenſe Monaſterium. 174. iv. recitandi officium beatæ Coletæ Moniales indultum obtinent. 307. lx.
Gandenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 248. xl.
Gandulphus Siculus ſacri Montis Sion Guardianus. 47. xxiv. & Commiſſarius Apoſtolicus in Orientalibus plagis. 214. xlvii.
Garſias Solſitanus Epiſcopus. 311. lxv.
Gaſpar Florentinus beati Thomæ Florentini Diſcipulus. 300. xxxix.
Gaſpar Urbinas in architecturæ facultate verſatus. 145. xxxiv.
Gaſpardus de Coſta Tertii Inſtituti profeſſor. 57. iv.
Gebennenſe Monaſterium reſtauratur. 188. ix.
Gelaſius de Neapoli Terræ laboris Miniſter. 49 xxviii.
Generales Miniſtri. V. *Miniſtri Generales.*
S. Geneſii Conventus. 23. xlix.
Georgius Albanus laicus virtute inſignis. 19. xxxviii. duarum Puellarum pudicitiam tuetur. 19. xxxviii. ab extremo liberatur ſupplicio. ibidem. Ordinis ingreſſum fruſtra dœmon impedit. 20. xxxix. Ejus virtutes. ibidem. Fratrem offenſum humiliter reconciliat. 20. xl. mirabiliter flumen tranſmeat. 20. xli. neque ſub imbre ingenti madefit. 21. xli. obit in Domino. ibidem.
Georgius de Carpo Baccalaurei lauream conſequitur. 144. xxxii.
Georgius Deſpotus Hungariæ Conventum Rinadominarum extruit. 51. xxxii.
Georgius de Herbalio Picenus B. Thomæ Florentini Diſcipulus. 300. xxxix.
Georgius Vaivoda pro Fratribus Obſervantibus Domum conſtruendi impetrat facultatem. 22. xlv.
Gerardus de Valentia Provinciæ Genuenſis Miniſter. 49. xxviii.
Gilbertus Roudreux prudentia & pietate celebris. 148. xlii. 155. xv.
Gomeſius Carillius Aram maximam Conventus Pinti ædificat. 23. xlviii.
Gomezulus de Benavidas Domum Soro-

roribus Tertii Ordinis Spineti erigit. 230. LXXIV.
Gomezulus Suarez a Figueroa de Minoritis benemeritus. 315. LXXIV.
Gondiſalvus Epiſcopus Placentinus Eremitorium quoddam Sororibus Tertii Inſtituti in eadem Urbe largitur. 230. LXXV.
Gondiſalvus de Valle-bona Granatenſis Epiſcopus Concilio Florentino intereſt. 29. II.
Græci ad Concilium Florentinum ab Eugenio Pontifice vocantur. 1. I. accedunt. 29. I. ephimere cum Latinis uniuntur. 58. II. Hujuſmodi Unionis litteræ. V. *Epiſtola*.
Gratianopolitanus Conventus. 315. LXXIII.
Guidatius Galeatius Conventum ſancti Hieronymi Faventiæ conſtruit. 227. LXIII.
Guido Ariminenſis Nuncius Apoſtolicus apud varios Italiæ Principes. 236. VI. fuit Monaſterii ſanctæ Claræ Mantuæ Corrector. 90. LV.
Guidobaldus II. Dux Urbinas corpus beatæ Felicis Piſaurenſis honorificentiori loco condit. 225. LIX.
Guiducius Alexanenſis Epiſcopus ad Eccleſiam Licienſem transfertur. 48. XXXVI.
Guidus Antonius de Monte Feretro de unione Monaſteriorum ſancti Silveſtri, & ſanctæ Luciæ Urbini ſollicitus. 52. XXXV.
Guillelmus Aucnpius Epiſcopus Abellonenſis. 18. XXXV.
Guillelmus Bolomerius Fabius Monaſterium Gebennenſe reſtaurat. 188. IX.
Guillelmus de Caſali Ordinis Generalis Miniſter a Pontifice ad Concilium Generale advocatus accedit. 2. II. ſeqq. de duobus articulis diſputat. 2. III. ad bonam frugem Clariſſarum Monaſteria reducit. 25. LIII. ægrotat. 30. V. Legati Apoſtolici munere apud Galliæ Regem fungitur. 97. II. Florentiæ decedit. 156. I.
Guillelmus Iragillich Hiberniæ Miniſter præficitur. 265. XIX.
Guillelmus Ker Scotiæ Vicarius. 49. XXVIII.
Guillelmus Morandi Provinciæ Turoniæ Vicarius deſignatur. 224. LVIII.
Guillelmus de Sucreto contra Hæreticos in Tuſcia inquirit. 84. XXXVIII.
Guillelmus de Villiers num Conventum Eduenſem fundaverit. 148. XLIII.
Guiomara de Aquila eximia prudentia Monaſterium Arevalenſe regit. 215. XLIV.
Guiraldus de Villa magna ſanctitate, miraculiſque celebris. 269. III.

H

HÆreſis quæ laxat pudicitiæ habenas. 158. X.
Helena Selappers ſolum pro Monaſterio Gandavenſi conſtruendo largitur. 174. IV.
Henricus IV. Caſtellæ Rex Eccleſiam Conventus Pinti extruit. 23. XLVIII.
Henricus de Balma beatæ Coletæ in reformandis Cœnobiis Coadiutor. 53. XXXIX. quando mortuus. 115. XLII.
Henricus Pipinus Germaniæ inferioris Miniſter. 318. LXXXIV.
Henricus Verle Provinciæ Coloniæ Miniſter. 49. XXVIII. doctrina fulget. 109. XXVI.
Herculanus Minorita plures Domos per Ordinem ædificat. 137. IX. 182. XV.
Hercules Eſtenſis Conventum Regii lepidi jubet ut diruatur. 50. XXX.
Hermannus Helfenſtein Domus Tertii Ordinis Trevirenſis extructor. 115. XLV.
Heſdiui Conventus. 24. LII.
B. Hiacyntha de Mariſcottis in Monaſterio Viterbienſi ſancti Bernardini tumulata. 230. LXXVI. Ejus Altare ibidem a Benedicto XIII. conſecratum. Ibidem.
Hieronymus Agrigentinus virtute præclarus. 232. III.
Hieronymus de Ariza pietate doctrinaque ſpectabilis. 113. XXXIX.
Hieronymus Aſſiſias in Provincia ſancti Antonii contra hæreticos inquirit. 144. XXXI.
Hieronymus Faventinus Provinciæ Bononiæ Miniſter. 49. XXVIII.
Hieronymus Pallanterius Provinciæ ejuſdem Miniſter. 314. LXXI. & ſtudiorum Bononienſium Regens. ibidem.
Hieronymus Pellirarius Conventum Cremonæ Minoritis largitur. 87. XLVII.
Hieronymus de Stupha in Cypri, & Cretæ Inſulis Evangelicus Prædicator. 296. XXXI.
Hieronymus Torniellus Vicarius Generalis, & Commiſſarius Apoſtolicus per totam Italiam. 227. LXV.
Hieronymus de Trigurio Dulpnenſis Epiſcopus. 84. XXXVI.
Hieroſolyma. V. *Terra Sancta*.
Hippolytus ob intemperantiam juſto judicio in Piceno plectitur. 242. XXI.
Hiſpalenſe S. Aguetis Monaſterium. 90. LV.

Hiſpalenſe ſanctæ Claræ Monaſterium. 90. LV.
Hiltonii Conventus. 112. XXXIV.
Honuphrius de Caſtro Durantis Provinciæ Orientalis Miniſter. 49. XXVIII.
Honuphrius Siuveſſanus Epiſcopus Inſulam Biſentinam Montis Faliſci Minoritis largitur, ut Cœnobium ædificent. 145. XXXV.
Horatius Juſtinianus eruditione inſignis. 30. III. Concilium Florentinum in lucem edit. 62. XII.
Horzenſis Conventus. 182. XVI.
Humilitas paupertati præferenda. 240. XV.

I

Jacoba Aquilana in Monaſterio Corporis Chriſti Aquilæ ſepulta. 322. XCI.
Jacobellus de Seminaria Epiſcopus Bovenſis. 144. XXX.
Jacobini ad Concilium Florentinum a Minoritis perducuntur. 119. I. Eis Cortonenſes occurrunt. ibidem. Et Crucis vivificæ ſacra reliquia oſtenditur. 122. I. Florentiam perveniunt. 124. III. Concilio ſuam Legationem exponunt. 124. IV. Eorum Fide difficulta habetur unio. 126. VI.
Jacobus Bladius Provinciæ Tuſciæ Miniſter. 245. XXIX.
Jacobus Bleda in Urbe Florentina Inquiſitor. 17. XXXIV.
Jacobus de Boccabellis Civis Romanus pro Conventu Aracœlitano Procurator. 244. XXV.
Jacobus de Breberio Buduenſis Epiſcopus. 311. LXV.
Jacobus Calioſſus Aquilanus Monaſterio Corporis Chriſti ejuſdem urbis bona ſua reliquit. 322. XCI.
Jacobus Camers virtute præclarus. 19. XXXVII.
Jacobus Delphinus primus ex Obſervantum Familia ſacrorum Locorum Guardianus. 39. XXI.
Jacobus de Gandino Provinciæ Mediolanenſis Miniſter. 171. XXIV.
Jacobus Jalgia Provinciæ Aquitaniæ Miniſter. 137. X.
Jacobus de Ipſigro Provinciæ Calabriæ Miniſter. 49. XXVIII.
S. Jacobus de Marchia ab Imperatore Sigiſmundo ut ſecum in Turcas procedat invitatus. 3. IV. Ejus prædicationi quidam obſiſtunt. 3. VI. ſed removetur obex. 5. XI. Inquiſitor inſtituitur in Hungaria, & Auſtria. 6. XIII. aliosque Inquiſitores deputare facultate potitur. ibidem. monetur, ut circa ſalutationem Angelicam eliminet errorem. ibidem. & ab hæreſi reſipiſcentes amplectatur 7. XIII. inter quos quemdam Presbyterum. 7. XV. poteſt etiam ſocius a reſervatis abſolvere. 7. XIV. & ipſe extra Ordinem ſuam poteſt aliis committere facultatem. 8. XVI. impenſe eum quidam impii calumniantur. 9. XVII. & 36. XIV. 77. XXI. ſed a Pontifice commendatur. 9. XVII. & 35. XIII. 37. XVI. & vindicatur ab aliis, 10. XVIII. 36. XV. Nicolaum Traguriensem Coadiutorem habet. 12. XXII. permaxime in Hungaria Eccleſiæ animabuſque proficit. 35. XIII. Ad Concilium Ferrarienſe accedit. 37. XVI. & in Hungariam revertitur. ibidem. Alias habet impertitas facultates a Pontifice. 37. XVIII. qui prohibet, ne quiſpiam in eum cenſuras ferat. 37. XVII. Albertus Imperator ejus merita exagerat. 38. XX. & pro eo vindicando non unam ſcribit Epiſtolam. 77. XXII. ſeqq. in hæreticos Hungaros invehitur. 35. XIII. 77. XXI. etiamque in Fratricellos. 136. VII. Budæ ſeditiones extinguit. 78. XXIV. in Italiam reverſus Paduæ verbum Dei diſſeminat. 100. VIII. & in Piceno, ac valle Spoletana. 229 XI. iterum in Orientem transfretat. 100. VIII. in Patriarchatu Aquilejenſi Nuncius Apoſtolicus inſtituitur. 175. II. Ejus Epiſtolæ. V. *Epiſtola*.
Jacobus Mediolanenſis Duci illius urbis carus. 18. XXXVI. fuit Provinciæ Marchiæ alumnus. ibidem. ægrotanti S. Joannes Baptiſta apparet. ibidem. Annonam mirifice cœlitus auctam pauperibus largitur. 19. XXXVI.
Jacobus de Monte falcone Doctor eximius. 144. XXXII.
Jacobus de Mozanica in Conventu Bononiæ Baccalaureus inſtituitur. 144. XXXII.
Jacobus de Petrutiis Epiſcopus Lorienſis. 112. XXXIV.
Jacobus Piſanus Nuncius Apoſtolicus in Ravennati exarchatu. 211. XLIV.
Jacobus de Placentia Vicarius Obſervantum in Corſica. 137. IX.
Jacobus Plumbini Dominus Fratribus ſummopere addictus. 293. XXIII.
Jacobus de Primaditiis a Pontifice miſſus ad Armenos. 59. VI. & Nuncius Apoſtolicus ad exarcatum Ravennæ. 211. XLIV. inde per univerſam Italiam. 236. VI. Commiſſarius Apoſtolicus pro Orientalibus inſtituitur. 237. VIII. & Vi-

& Vicarius Generalis Obſervantum. 254. iv. hujuſmodi electio Pontificia confirmatione fulcitur. 255. vi. a reſervatis ſuos Fratres poſſe abſolvi facultatem impetrat. 110. xxviii.
Jacobus Reatinus in Provincia Romanâ Vicarius. 86. xliii.
Jacobus de Saxo Vicarius Corſicæ. 49. xxviii.
Jacobus I. Scotorum Rex Minoritas in ſuis Regionibus advocat. 264. xviii.
Jacobus de Senis Fratrum, Sororumque illius urbis Viſitator. 149. xlv.
Jacobus de Seſſa Provinciæ ſancti Angeli Vicarius. 137. ix.
Jacobus Tarquienſis Epiſcopus. 18. xxxv.
Jacobus de Terracina in Provincia Romana Inquiſi or. 84. xxxvii.
Jacobus Textorius Concilio Florentino intereſt. 30. ii.
Jacobus Tolentinas Procurator Generalis ſimiliter. 29. ii.
Jaderenſis Conventus. 170. xix.
Janio ex Caſtrolinaris beati Thomæ Florentini Parens. 292. xx.
Januenſis ſancti Geneſii Domus Sororum Tertii Ordinis. 91. lvii.
Illuminatus Florentinus pietate conſpicuus obit in Domino. 95. vi. Diſcipulus beati Thomæ de Florentia extitit. 300. xxxix.
Illuminatus de Slavis religione & ſanctitate celebris. 112. xxxiv.
Imago beatæ Virginis miraculis fulget in Conventu Viterbii. 86. xliii. itemque in Conventu Alicanti. 113. xxxvii.
Indulgentia pro Capitulo Generali celebrando conceditur. 17. xxxiii.
Innocentius Æſiuus Epiſcopus Eccleſiam ſancti Floriani Minoritis largitur. 112. xxxv.
Joanna Fulginas Monaſterii Immaculatæ Conceptionis Aſſiſii fundatrix. 109. xxiii.
Joanna Roderici Tertiaria Domum de Lairo erigit. 230. lxxv.
Joanna Sauſes Monaſterii de Longo Campo Abbatiſſa reformationi obſiſtit. 90. lv.
Joannes Alcotius pietate illuſtris Cæſarauguſtæ floruit. 317. lxxix.
Joannes Alphonſus Neophytus S. Didaco Complutenſi apprime addictus. 142. xxiii.
Joannes Anade Epiſcopus Dolienſis. 181. xii.
Joannes Anconitanus Epiſcopus Monaſterium ſanctæ Mariæ Novæ ejuſdem urbis Monialibus donat. 229. lxxiii.
Joannes de ſancta Anna Provinciæ Caſtellæ Miniſter. 49. xxviii. 181. xi.
Viſitator Monaſterii de Moguério inſtituitur. 114. xli. itemque duorum Monaſteriorum Hiſpalenſium. 90. lv. Baccalaureos laureandi facultate potitur. 50. xxix.
Joannes Antonius BauciusUrſinus Conventum Tarenti extruit. 311. lxvi.
Joannes Auguſtonopolitanus Epiſcopus. 264. xvii.
Joannes de Baldironibus Nuncius Apoſtolicus in variis Orbis partibus. 181. xi.
Joannes de Bonſiis Gebeldenſis Epiſcopus. 18. xxxv.
Joannes de Caſſarellis Epiſcopus Foroliviensis. 29. ii.
Joannes Calvus Miniſter Generalis Conventus Calvienſis alumnus. 314. lxxii.
S. Joannes de Capiſtrano inſtituitur Commiſſarius in Orientalibus plagis. 13. xxiv. ad Duces Burgundiæ, & Mediolani Nuncius. 97. ii. Coadjutor ſancti Bernardini. 137. ix. cujus urget Canonizationem. 201. xxxviii. 235. iii. 274. vii. Commiſſarius & Viſitator Obſervantum. 137. ix. 159. vi. eorumque Vicarius Generalis in Ciſmontanis partibus. 176. iv. Nuncius Apoſtolicus in Sicilia. 201. xxxviii. in Gallia aliiſque Mundi partibus. 262. xiii. & per totam Italiam. 235. iii. Iterato inquirit contra Fratricellos. 280. x. Hebræos & Sarracenos. 280. xi. quanta de eo populorum opinio. 97. ii. Monaſterium Ferrarienſe ſancti Guillelmi ad bonam reducit frugem. 13. xxiv. una cum ſancto Laurentio Juſtiniano Ordinem Jeſuatorum viſitat. 13. xxv. Laudibus ab Eugenio IV. extollitur. 14. xxv. Concilio Florentino intereſt. 30. ii. Veronæ ægrotat. 33. ix. Tridentum prædicaturus vocatur. 34. xi. pleraque utilia in Oriente ſtatuit. 71. xiii. Duces Burgundiæ, ac Mediolani inter ſeſe reconciliat. 97. ii. Ejus doctrina & ſanctitas qualis. 109. xxvi. 161. vii. 176. v. abit in Alvernæ ſolitudinem. 180. viii. ad ejus Conciones Bambergenſes invitantur. 162. viii. ſtella corruſcans ei mirifice apparet. 202. xxxviii. per Provincias litterarum promovet ſtudia. 222. liv. quibuſdam contradicentibus. 223. liv. Nicolao V. Pontificatum prædicit. 274. vi. Ejus Epiſtolæ. V. *Epiſtolæ*.
Joannes de Chaub Cœnobium Ramberti fundat. 315. lxxiii.
Joannes Cremonenſis Prior Minoritis domum largitur, ut domum ſibi ædificent. 87. xlvii.
Joannes Dux exercitus Borbonii dat Fran-

Franciſcanis nomen. 547. XLII.
Joannes Excalceatus Provinciæ Tuſciæ Vicarius Monaſterium ſancti Cerbonii recipit. 182. XV.
Joannes Faber Epiſcopus Lariſſæ. 18. XXXV.
Joannes Fabri alius Lauſanenſis Epiſcopus. 18. XXXV.
Joannes de Fano. V. *Joannes Marcellinus* infra.
Joannes Focandi Duci Borbonii a ſacris confeſſionibus. 147. XLII. de Conventu Montis Lucidi benemeritus. ibid.
Joannes Galeatius Cœnobium S. Hieronymi Faventiæ conſtruit. 227. LXIII.
Joannes Galeatius alius primus Mediolani Dux. 55. II.
Joannes Gaſto Epiſcopus Caſtrenſis. 310. LXV.
Joannes Gometius caritate clarus Cæſarauguſtæ floruit. 317. LXXIX.
Joannes de Guinaldo laicus virtute celebris. 315. LXXIV.
Joannes Heyne Epiſcopus Cloaſertenſis. 48. XXVII.
Joannes Jacobi Uſſelenſis Epiſcopus. 84. XXXVI.
Joannes Kintha Provinciæ Bohemiæ Miniſter. 49. XXVIII.
Joannis Konoker Vicarius & Commiſſarius in Hibernia. 137. X.
Joannes Laicus Conventum S. Chriſtinæ ædificat. 24. L.
Joannes de Laterana Granatenſis Epiſcopus. 169. XV.
Joannes de Ligne Eccleſiam Conventus Athienſis ædificat. 247. XXXVI.
Joannes Lobet Cuſtos Majoricenſis. 224. LVII. 250. III.
Joannes de Logronio in felicibus Inſulis Vicarius. 137. XI.
Joannes Lopez Vicatius Coletanearum inſtituitur. 115. XLII.
Joannes de Lugo in Romandiola contra hæreticos inquirit. 84. XXXVII.
Joannes Lydenſis Epiſcopus. 144. XXX.
Joannes Malerba Theologus inſignis. 314. LXXI.
Joannes Marcolinus Fanenſis Epiſcopus Nucerinus. 226. LXII.
Joannes Maria Joanni Galeatio Parenti in Mediolanenſi regimine ſuccedit. 55. II.
Joannes a ſancta Maria Vicarius Provinciæ ſancti Jacobi. 292. XIX.
Joannes de Marieta ſancti Didaci Complutenſis acta ſcribit. 138. XI.
Joannes Marquier Conventum Crollaii extruit. 88. XLIX.
Joannes de Martinis Fratrum Procurator beatum Thomam Florentinum cum ſociis in Cypro hoſpitio recipit. 293. XXII. 298. XXXV.
Joannes Martinotius Martyr. 245. XXVIII.
Joannes de Maſtch miles ubi ſepultus. 247. XXXVI.
Joannes de Mauberto Vicarius Generalis Ultramontanæ Familiæ. 176. IV. 244. XXVI. Fratres in Scotiam mittit Ordinem propagaturos. 264. XVIII. Ei Pontifex facultatem impertitur, ut quamplurima Cœnobia poſſit ſuo Inſtituto aggregare. 265. XXI. Eique Epiſtolas dirigit. V. *Epiſtola*. Ubi tumulatus. 247. XXXVI.
Joannes de Medina Conventus Montis Clari fundator. 146. XXXVIII.
Joannes Mercator Cœnobium Murciæ conſtruit. 147. XLI.
Joannes Molanus beatæ Coletæ hiſtoriam ſcribit. 307. LVII.
Joannes Moyrot de Conveutu Eduenſi benemeritus. 148. XLIII.
Joannes de Nemoſio Dux cultum Immaculatæ Couceptionis promovet. 118. IV.
Joannes Nicolai Provinciæ Daciæ Miniſter in Cœnobio Lundenſi ſtudium erigit. 50. XXIX.
Joannes de Nigroponte Provinciæ Romaniæ Miniſter. 49. XXVIII.
Joannes Oldays Epiſcopus Cluanenſis. 226. LXII.
Joannes Ovetenſis Domum Tertii Ordinis ſanctæ Eulaliæ extruit. 26. LV.
Joannes Pachecus Marchio de Villena Cœbobium Conchenſe Obſervantibus ædificat. 265. XXI.
Joannes de Palena Epiſcopus Pennenſis virtutes & miracula ſancti Bernardini Senenſis inquirit. 274. VII.
Joannes de Parma virtutibus illuſtris in Conventu Caſtilionis Aretini tumulatus. 118. V.
Joannes de Paradines Tertiarius. 26. LV.
Joannes Patricius exilium ab hæreticis pro fide pertulit. 264. XVIII.
Joannes Paulus Pallanterius Epiſcopus Laquedoniæ. 314. LXXI.
Joannes Penalverius Conventum Paſtranæ extruit. 22. XLVII.
Joannes Peruſinus Provinciæ Pennenſis Vicarius. 50. XXVIII.
Joannes Philippopoleuſis Epiſcopus. 144. XXX.
Joannes de Platea Epiſcopus Belmenſis. 144. XXX.
Joannes Platelli Provinciæ Franciæ Vicarius. 224. LVIII.
Joannes de Porriaco Epiſcopus Demetrienſis. 311. LXV.

Joan-

Joannes Rivius Provinciæ Tuſciæ Vicarius. 50. XXVIII. & beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Joannes Rieux Mareſcallus Brittanniæ Conventum de Bodelio erigit. 113. XXXVI.
Joannes de Riparia, ſive de Ribeira Provincialis Tertii Inſtituti Ulyſſiponenſis. 88. L.
Joannes Rogerii Anconitanus Baccalaureus. 144. XXXII.
Joannes Roldanus Eccleſiam Conventus Cæſarauguſtani ædificat. 316. LXXVIII.
Joannes Roulinus Epiſcopus Eccleſiam Eduenſem Minorum conſecrat. 148. XLIII.
Joannes Sagonenſis Epiſcopus. 239. XII.
Joannes Santorcaſius ſancti Didaci ſocius pie moritur. 143. XXVIII.
Joannes Thomacellus Provinciæ Terræ laboris Vicarius. 246. XXXI.
Joannes de Traregnies miles in Conventu Athienſi tumulatus. 247. XXXVI.
Joannes Trojus Sacerdos pietate illuſtris. 319. LXXXV.
Joannes de Tulna Provinciæ Auſtriæ Miniſter. 49. XXVIII.
Joannes Tuſtanus in Conventu Eduenſi claret. 148. XLIII.
Joannes Tyburtinus in Provincia Romana Inquiſitor. 84. XXXVII. deinde Miniſter. 137. X.
Joannes Veronenſis Epiſcopus S. Joanni de Capiſtrano ſcribit. 33. X.
Joannes Vitelleſchus Cardinalis, & Florentinus Archiepiſcopus Conventum Paradiſi Viterbii Franciſcanis largitur. 86. XLIII.
Joannes Urbinas Tertiarius ſanctitate celebris. 57. IV.
Joannes Urbinas alius apprime in Architectura verſatus. 145. XXXIV.
Joannes de Waja Commiſſarius Boſnæ, & Inquiſitor. 79. XXVI. inde Regionis ejuſdem Vicarius. 137. IX.
Joannes de Wile, ſive Wit Provinciæ Hiberniæ Miniſter. 49. XXVIII. inde Cloofertenſis Epiſcopus. 310. LXV. Duo loca pro litterarum cultu in eadem Provincia inſtituit. 50. XXIX.
S. Joannis de Goverano Conventus. 294. XXIII.
S. Joannis Papæ & martyris Corpus ubi ſepultum. 228. LXVI.
Joannucius Paſcaſius Nuſcanus Epiſcopus. 18. XXXV.
Jordanus Urſinus Cardinalis, Ordiniſque Protector multa privilegia Tertiariis Venetiarum largitur. 25. LV. moritur. 79. XXV.
Joſeph Græcorum Patriarcha Concilio Florentino intereſt. 29. I. ibique decedit. 58. III.
Iſabella Burgundiæ Monaſterium Heſdini ædificat. 24. LII.
Iſabella Mutiuenſis Monialis Monaſterium Paduanum S. Bernardini fundat. 89. LIV.
Italiæ calamitates ſanctus Bernardinus Senenſis prædicit. 180. X.
Julianus Cardinalis Cæſarinus ſacrorum Paleſtinæ Locorum Protector inſtituitur. 47. XXIV. inde totius Ordinis. 79. XXV. a Turcis in Varnenſi clade interemptus. 243. XXIII.
Julianus Nutius de Fonte a ſancto Bernardino e Provincia Aquilana merito expellitur. 32. VII.
Julianus Verrochius eximius Theologus & Concionator e vita migrat. 181. XI.
Juniperus de Terracina beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Juſtinianus Imperator num Templum ſancti Apollinaris Ravennæ conſtruxerit. 228. LXVI.
Juſtinus Hungarus extatico ſpiritu præditus. 241. XVI. ejus miſerabilis caſus. 241. XVII.

L

LAcuſcuri Conventus. 51. XXX.
Lanceslaus Hungarus regia proſapia & contemplatione inſignis. 239. XIII. in Mediolanenſi Cœnobio Prælatus inſtituitur. 240. XIII. Ejus de magnificis Monaſteriis opinio. 240. XIV. ſibi futuram gloriam cœlitus revelatam habet. ibidem. ſanctiſſime in Conventu Scarlini obit. ibidem. fuit beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
De Lappa Conventus. 315. LXXIV.
Laudenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 149. XLV. & Sororum. ibidem.
Lavellenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 230. LXXVII.
Laurentius de Figueroa Suarez Xenodochii de Lappa fundator. 315. LXXIV.
Laurentius Juſti de Senis in eadem urbe Inquiſitor. 17. XXXIV.
S. Laurentius Juſtinianus, una cum ſancto Joanne de Capiſtrano Ordinem Jeſuatorum viſitat. 13. XXV. fert teſtimonium de eorum innocentia. 14. XXVIII.
Laurentius Mazzabuſalus Civis Romanus pro Conventu Aracœlitano Procurator. 244. XXV.
Laurentius de Neapoli Puteolanus Epiſcopus

ſcopus

ſcopus ad Eccleſiam Triearicenſem transfertur. 310. LXV.
Laurentius Panormita apud Siculos Pontificius Nuncius. 211. XLIV.
Laurentius Raguſinus Domum Lavellenſem Tertii Inſtituti fundat. 230. LXXVII.
Laurentius Romanus Eugenio IV. ſummo Pontifici a ſacris Confeſſionibus. 143. XXIX.
Laurentius Surius hiſtoriam beatæ Coletæ narrat. 306. LVII.
Laurentius de Villa magna oratione & caritate fervidus. 112. XXXII. Corpus ejus illæſum inventum. ibidem.
Lenzici Conventus. 88. LII.
Leo de Petra de Bagno beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Leodienſis Tertiariarum Sororum Domus. 184. XXII.
Leoneſtanum Monaſterium. 266. XXIV.
Leonici Conventus. 311. LXVI.
Leonora Caſtellæ Regis filia Monaſterium Valliſoletanum ditat. 114. XLI.
Lætitia Fulginas una ex fundatricibus Monaſterii ſancti Bernardini Viterbii. 230. LXXVI.
Leydenſis Conventus. 247. XXXVII.
Licienſis Conventus. 111. XXXII. & Monaſterium. 266. XXIV.
De Linaribus Conventus. 146. XXXVIII.
Lipus de Capironibus quædam prædia Monaſterio Paradiſi prope Faventiam relinquit. 149. XLV.
Livia Pallavicina majus Sacellum in Eccleſia Conventus Regii-lepidi extruit. 51. XXX.
Lovanienſis Fratrum Tertii Inſtituti Domus. 172. XXVI.
Lucas de Aſſiſio in Provincia S. Franciſci Inquiſitor. 48. XXVIII.
Lucas de Capranica Inquiſitor in Provincia Romana. 17. XXXIV. 84. XXXVII.
Lucas Fulginas Inquiſitor in Umbria. 109. XXV.
Lucas de Sarzana Provinciæ Siciliæ Miniſter. 49. XXVIII. inde Cephaludenſis Epiſcopus. 239. XII.
Lucas Senenſis Concilio Florentino intereſt. 30. II.
Lucenſis Conventus. 137. IX.
Lucenſis extra urbem Conventus. 137. IX.
Luceriæ S.Salvatoris Conventus. 137. IX.
Lucia Tridentina Monaſterium Paduanum ſancti Bernardini fundat. 89. LIV.
Lucida Romana Crucifixi pœnas miraculoſe patitur. 108. XXIII. 119. VI.
Ludovica Aquilana in Monaſterio Corporis Chriſti ejuſdem urbis tumulata. 322. XCI.
Ludovica Ponce Monaſterii de Aſſiliano Præfecta. 25. LIII.
Ludovicus Bononienſis a Pontifice ad Armenos miſſus. 59. VI.
Ludovicus Delphinus Franciæ bellum Helveticis indicit. 249. II. Conventum Gratianopolitanum extruit. 315. LXXIII.
Ludovicus Holle egregius Concionator. 182. XVI.
Ludovicus a Lugo pietate conſpicuus. 145. XXXIII.
Ludovicus, ſive Aloyſius de Pirramo ab Eccleſia Signienſi ad Forolivienſem Epiſcopus transfertur. 18. XXXV. in Concilio Florentino graviora munia ſubit. 30. III. cum Græcis diſputat. ibidem.
Lodovicus de Sala, ſive de Saya Cuſtos Obſervantum in Provincia Caſtellæ. 181. XI. Nuncii Apoſtolici munere in eadem Provincia fungitur. 211. XLIV. primus omnium Provinciam ſancti Jacobi ad meliora reducit. 88. LI. Congregationi Obſervantum in Coenventu Beneventano Hiſpaniæ præſidet. 291. XIX.
Ludovicus Senenſis Provinciæ Tuſciæ Vicarius Conventum Volaterræ primus recipit. 245. XXIX. ad eum ſanctus Bernardinus Petrum de Trevanda mittit. 190. III. diploma quoddam ei a Pontifice dirigitur. 264. XIX. Cœnobium ſancti Mainetis ædificat. 265. XXI.
Ludovicus Villani in Lateranenſi Baſilica Pœnitentiarius. 181. XI.
Ludovicus Utinenſis Provinciæ Romanæ Miniſter. 49. XXVIII.
Ludovicus de Wirtberg in Conventu Tibingenſi Fratres introducit. 265. XXIII.
Lupus Cazaza Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter. 49. XXVIII.
Lupus Salazarius de Salinis, ut quaſdam diſſenſiones dirimat, libellum exarat. 292. XIX.
Luſitanis Fratribus Vicarius Provincialis conceditur. 264. XIX.

M

Macharius Anthiochenus a Concilio Florentino proſcriptus. 129. VI.
Madius de Hydrunto Provinciæ Apuliæ Miniſter. 49. XXVIII.
Magdalena Peruſina Sororum Tertii Ordinis Generalis Miniſtra. 91. LVII. quædam a Pontifice privilegia impetrat. 172. XXVIII.

Magna de Civitate Ducali Domum Tertii Ordinis Reatinam extruit. 115. XLIII.

Mahonis Conventus. 224. LVII.

S. Mainetis Conventus. 265. XXI.

Majoricenſis de Jeſu Conventus. 224. LVII. 229. LXXI.

Malaſunta Gothorum Regina in Biſentina Inſula apud Minores tumulata. 145. XXXV.

Malateſta de Malateſtis Conventum Cæſenæ ædificari exoptat. 228. LXVII.

Manganus de Mangano Theologiæ profeſſor, & Procurator Generalis in Romana Curia. 181. XI.

Manichæi ab Eugenio IV. in Florentina Synodo condemnantur. 128. VI.

Mantuanum ſanctæ Paulæ Monaſterium. 229. LXXII.

Maraſii Conventus. 112. XXXV.

Marcellus II. ſummus Pontifex unde ortum duxit. 245. XXVIII.

Marcus de Duratio Eccleſiæ Bethleemitanæ a Pontifice curam ſuſcipit. 144. XXXI.

Marcus Epheſinus Schiſmatis Orientalis fautor. 58. III.

Marcus de Florentia Provinciæ S. Angeli Vicarius. 50. XXVIII.

Marcus Maſcainus Seneuſis beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.

Marcus Modonenſis Conventus Modoni Guardianus. 265. XXIII.

Marcus Provinciæ Romanæ Inquiſitor. 150. II.

Marcus Ulyſſiponenſis ſcribit actiones ſancti Didaci Complutenſis. 138. XI. beati Thomæ Florentini. 300. XXXVIII. & beatæ Coletæ. 306. LVII.

Margarita de Civitate Ducali Monaſterium Reatinum pro Tertiariis erigit. 115. XLIII.

Margarita Fulginas ſanctitate præclara Monaſteriorum ſanctæ Agnetis Fulginei, & ſanctæ Catarinæ Spoleti fundatrix. 107. XIX. a beata Angelina inter Sorores recipitur. ibidem. Monaſterio Fulginati ſanctæ Margaritæ etiamque Spoletano præficitur. 108. XX. inde Generalis Miniſtra eligitur. ibidem. Pluribus corruſcat miraculis. 108. XX. obit in Domino. 108. XXI. Corpus integrum inventum. ibidem. & caput a populis veneratur. 108. XXII.

Margarita de Gilvis Monaſterii S. Coſimatis Urbis Præfecta. 90. LV.

Margarita Luſitana Alexandri Farneſii uxor in Conventu Parmenſi tumulata. 172. XXVII.

Margarita Matthæi Bigorneti uxor, num Conventum Eduenſem conſtruxerit. 148. XLIII.

Maria de Aquilar Monaſterii de Brivieſca fundatrix. 52. XXXVI.

Maria Aragonum Regina Moniales Monaſterii Gandiæ Tertii Ordinis ad alium locum transfert. 247. XXXVIII.

Maria Borbonia Siciliæ Regis filia Clariſſa. 248. XXXIX.

Maria de Fittali Monaſterii ſancti Geneſii Januenſis fundatrix. 91. LVII.

Maria Franciæ Regina Obſervantibus Cœnobium extra Pariſii mœnia conſtruit. 246. XXXIII.

Maria de Ganberriere Conventum Crollai extruit. 88. XLIX.

Maria de Lulli Monaſterium Ambianenſe conſtruit. 248. XXXIX.

Maria de Maſſa Crucifixi dolores mirabiliter patitur. 109. XXIII.

Maria Sancii de Caſtello Monaſterii de Brivieſca fundatrix. 52. XXXVI.

Maria Villena neptis Reginæ Aragoniæ dat Clariſſis nomen. 248. XXXVIII.

Marianus Brandius laicus ſanctitate, miraculiſque præclarus. 315. LXXII.

Marianus Cluſinus beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.

Marianus Florentinus ſcribit hiſtoriam ejuſdem beati Thomæ. 300. XXXVIII. & beatæ Coletæ. 307. LVII.

S. Mariæ de Candelaria Domus Sororum Tertii Ordinis. 324. XCVII.

S. Mariæ de Lairo Domus Sororum Tertii Ordinis. 230. LXXV.

S. Mariæ de Monte Conventus. 227. LXIV.

S. Mariæ Paradiſi Domus Fratrum Tertii Ordinis. 149. XLV.

S. Mariæ de Pionta de Aretio Monaſterium. 149. XLIV.

S. Mariæ de Thargia Monaſterium. ibidem.

Marieti Monaſterium. 229. LXXII.

Marinus Glandatenſis Epiſcopus. 311. LXV.

S. Martini Balneorum Domus Fratrum Tertii Ordinis. 267. XXVII.

Martinus de Myrica Inferioris Germaniæ Miniſter. 318. LXXXII.

Maſſanus Conventus. 245. XXX.

Matthæus Agrigentinus Vicarius Generalis in Sicilia ſanctitate & doctrina clarus de Apoſtolica Sede valde meritus. 50. XXVIII. ad Agrigentinum Epiſcopatum aſſumitur. 169. XV.

Matthæus Bigornetus num Conventum Eduenſem conſtruxerit. 148. XLIII.

Matthæus Burgenſis Commiſſarius Generalis & Apoſtolicus in Hiſpania. 115. XLIV.

Mat-

Mattheus Florentinus beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Matthæus Macbegan Lector & Prædicator in Aſchetinenſi Cœnobio. 144. XXXII.
Matthæus Nolius ſanctitate, nobilique genere illuſtris. 227. LXV.
Matthæus Rheginus Provinciæ Calabriæ Vicarius vir eximius. 50. XXVIII. in Apuliam Nuncius Apoſtolicus miſſus. 211. XLIV.
Matthias Doringus Provinciæ Saxoniæ Miniſter in Paulum Burgenſem Lyrani vindicavit doctrinam. 49. XXVIII. Pſeudogeneralis in Germania eligitur. 180. IX.
Mechlinienſis Conventus. 321. LXXXVIII.
Mediolani ſancti Apollinaris Monaſterium. 52. XXXV.
Mediolani de Cantalupo Monaſterium. 323. XCIII.
Melphiæ Conventus. 146. XXXVI.
Mencia Alphonſi Cœnobium de Sanlucar ædificat. 182. XVII.
Mencia de Velaſco Conventum de Briviceſca reſtaurat. 52. XXXVI.
Mendicantes Ordines. V. *Ordines Mendicantes*.
Mercatelli Monaſterium. 52. XXXV.
Meſſanenſe Monaſterium de Baſico. 24. LIII.
Methymnæ Pomerii Monaſterium. 25. LIII.
Metilda de Sabaudia Monaſterii Openheimenſis fundatrix. 53. XXXIX.
Michael Angelus de Nerulis Epiſcopus Lavellenſis. 18. XXXV.
Michael a Carcano prudentia, doctrina & ſanctitate præclarus. 111. XXXI. Candidæ Sfortiæ confeſſiones excipiebat. ibidem.
Michael Laicus virtutibus clarus Volaterris ſepultus. 245. XXIX. beati Thomæ de Florentia ſpiritualem audivit doctrinam. 300. XXXIX.
Michael de Maſſa ſimiliter. ibidem.
S. Michaelis prope Feſulas Domus Fratrum Tertii Ordinis. 149. XLV. 300. XL.
Milionici Conventus. 87. XLVI.
Millicſumniæ Conventus. 265. XXIII.
Miniſter Generalis Antonius de Ruſconibus. 176. III.
Minores Fratres Concilio Florentino interſunt. 29. II. proficiunt in Hungaria & Scythia, 284. XIV.
Inſtituuntur Inquiſitores. 17. XXXIV. 84. XXXVII. 79. XXVI. 109. XXV. 136. VII. 144. XXXI. 150. II. 258. X. 77. XXI. 280. X. 35. XIII. 203. XL.
Apoſtolici Pœnitentiarii. 181. XI.
Apoſtolici Sacellani. 181. XI.
Apoſtolici Commiſſarii. 73. XVII. 237. VIII. 213. XLVII.
Apoſtolici Nuncii ad varios Principes & per varias regiones. 71. XIV. 210. XLIV. 236. VI. 262. XIII. 283. XII.
Apoſtolici Miſſionarii. 97. IV. 98. VI. 144. XXXI. 210. XLIV.
Magiſtri in pluribus Univerſitatibus. 84. XXXVIII. 144. XXXII.
Vexantur a Simone Bachienſi Quinqueeccleſiarum Archidiacono. 36. XIV.
Eorum Cœnobia. V. *Conventus*, & Privilegia. 284. XIV. V. in fine quorumlibet annorum & præſertim Additiones P. de Macro.
Miricuriæ Conventus. 315. LXXIII.
Modoni Conventus. 265. XXIII.
Moguerii Monaſterium. 114. XLI.
Moilleroni Conventus. 24. LI.
Molbatæ Conventus. 229. LXIX.
Monaſteria Clariſſarum Ambianenſe. 248. XXXIX. Anconitanum ſanctæ Mariæ Novæ. 229. LXXIII. 250. IV. Aquilanum. 322. XCI. Ariſtani. 149. XLIV. Aſtudilii. 229. LXXII. Barcinonæ. 323. XCV. De Beja. 186. V. Bononienſe. 25. LIII. Brixienſe. 266. XXV. Brixienſe ſancti Chriſtophori. 322. XCII. Burgenſe. 114. XLI. 148. XLIV. Camerinenſe. 52. XXXV. Carinienæ. 247. XXXV. Carrionis reformatur. 53. XXXVIII. Caſtri Plebis. 52. XXXV. Corbejenſe. 174. IV. 266. XXIV. Epternacenſe. 171. XXV. Ferrarienſe S. Guillelmi. 90. LV. Gandavenſe. 174. IV. Heſdini. 24. LII. Hiſpalenſe S. Agnetis. 90. LV. & ſanctæ Claræ. ibidem. Januenſe ſanctæ Catarinæ. 183. XX. Leonenſe. 266. XXIV. Licienſe. ibidem. Mantuanum ſanctæ Paulæ. 229 LXXII. ſanctæ Mariæ de Pionta de Aretio. 149. XLIV. ſanctæ Mariæ de Thargia. ibidem. Marieti. 229. LXXII. Mediolanenſe ſancti Apollinaris. 52. XXXV. Mediolanenſe de Cantalupo. 323. XCIII. Mercatelli. 52. XXXV. Meſſanenſe de Baſico. 24. LIII. Methymnæ Pomerii. 25. LIII. Moguerii. 114. XLI. Montis Calvi de Aretio. 148. XLIV. Montis ſancti Florentiæ. ibidem. Muriani ſanctæ Claræ. 89. LIII. Openheimenſe. 53. XXXIX. Ortanum. 322. XCII. Paduanum ſancti Bernardini. 89. LIV. Palentinum. 114. XLI. Papienſe. 148. XLIV. Piſanum ſancti Martini. ibidem. Plumbini. ibidem. Priſſani. 267. XXVII. Salernitanum. 266. XXIV. Segobienſe. 114. XLI. Senenſe ſancti Laurentii. 148. XLIV. Senenſe ſan-

ctæ Petronillæ. ibidem. Spineti. 229. LXXIV. Sueſſanum. 322. XCII. Tarviſinum de la Cella. 89. LIII. Tavirenſe. 171. XXV. Tudertina ambo unita. 51. XXXIV. Tuſcanellæ. 148. XLIV. Valdienſe. 266. XXIV. 267. I. Valentiuum ſanctæ Claræ. 248. XXXVIII. & SS.Trinitatis. ibidem. & 247. XXXVIII. Valliſoletanum. 114. XLI. Venetum Muriani. V. *Muriani*. Veſtarum. 53. XL. Villæ Comitis. 323. XCV. Viterbienſe ſanctæ Roſæ. 25. LIII. 183. XXII. Urbinas ſanctæ Luciæ. 51. LII. & ſancti Silveſtri. ibidem.

Monaſteria Fratrum & Sororum Tertii Ordinis. V. *Domus Tertii Ordinis*.

Moniales V. *Clariſſæ*.

Mons Alverniæ. V. *Alverna*.

De Monte Hiſpalenſi Conventus. 246. XXXIV.

De Montibus Claris Conventus. 146. XXXVIII.

Montis Calvi de Aretio Monaſterium. 148. XLIV.

Montis Falci Conventus. 181. XIII.

Montis Lucii Conventus. 147. XLII.

Montis Politiani Conventus. 145. XXIV. 245. XXVIII.

Montis ſancti Florentiæ Monaſterium. 148. XLIV.

Montis Ulmi Domus Fratrum tertii Ordinis. 324. XCVI.

Mortarii Conventus. 312. LXVII.

Muri Alti Conventus. 170. XVII.

Muriani ſanctæ Claræ Monaſterium. 89. LIII.

Mutinenſis Domus Fratrum Tertiariorum. 172. XXVI.

N

NArdus Peruſinus contra hæreticos in Umbria inquirit. 109. XXV.

Narnienſis Domus Fratrum Tertii Inſtituti. 324. XCVI.

Narſetes Dux num Conventum Ravennæ extruxerit. 228. LXVI.

Navis Conventus. 294. XXIII.

Nicolaa de Civitate Ducali Reate Domum pro Tertiariis ædificat. 115. XLIII.

S. Nicolai de Columbaria Domus Fratrum Tertii Ordinis. 149. XLV.

Nicolaus Ateſtinus Eugenium IV. ſummum Pontificem monet, ut Flaminiæ Provinciam ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam reducat. 1. I.

Nicolaus Auximanus Provinciæ ſancti Angeli Vicarius. 84. XXXVII. & Hieroſolymitani Conventus Guardianus eligitur. 39. XXI. Vicarius Miniſtri Generalis extitit. 101. XII. quaſdam pro Obſervantibus a Pontifice abſolutiones impetrat. 110. XXVII. eoſque a Conventualium juriſdictione eximi curat. 111. XXIX.

Nicolaus de Azara celebratur a ſummo Pontifice. 239. XII.

Nicolaus de Campello Epiſcopus Maurianenſis. 144. XXX.

Nicolaus de Cypro Provinciæ Terræ Sanctæ Miniſter. 49. XXVIII.

Nicolaus de Duratio Provinciæ Dalmatiæ Miniſter & Inquiſitor. 48. XXVIII.

Nicolaus Lackman Provinciæ Saxoniæ Miniſter doctrina illuſtris. 109. XXVI.

Nicolaus Novarienſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Comenſis conſecrat. 111. XXX.

Nicolaus de Piſchitio Provinciæ ſancti Angeli Vicarius. 50. XXVIII.

Nicolaus Quilez teſtamenti Violantæ Aragoniæ Reginæ executor. 181. XI.

Nicolaus Raguſinus in partibus Dalmatiæ, Hungariæ & Boſnæ a Pontifice miſſus. 144. XXXI.

Nicolaus Roberti de Davanzatis ſolum pro extruendo Conventu Docciæ prope Feſulas concedit. 149. XLV.

Nicolaus de Rogeriis Balneoregienſis Epiſcopus. 264. XVII.

Nicolaus Rolinus miles pro Conventu Eduenſi ædificando impetrat facultatem. 148. XLIII.

Nicolaus Sareptanus Epiſcopus. 226. LXII.

Nicolaus V. ſummus Pontifex eligitur. 274. V. Ei S. Joannes de Capiſtrano Pontificatum prædicit. 274. VI. Canonizationem promovet ſancti Bernardini. 274. VII. 279. IX. quem a calumniis vindicat. 275. VIII. ſeq. erat addictiſſimus Ordini. 279. X. annuit ut quædam Obſervantum domus ſub Miniſtrorum obedientia vivant. 290. XVII. Ejus litteræ, & Diplomata V. *Epiſtola*.

Nicolaus Thomæ Sareptanus Epiſcopus. 18. XXXV.

Nicolaus de Tragurio beati Jacobi Piceni in Boſnia Coadiutor. 12. XXII. Cœnobium Jaderenſe ædificari impetrat. 170. XIX.

Nicolaus de Uzano beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX. fuit Societatis ſancti Hieronymi fundator. 292. XX.

Nolæ Conventus. 245. XXXI.

Novarienſis Conventus. 227. LXV.

Nuncius de Neutono Ugentinus Epiſcopus. 48. XXVII.

Nun-

Nuntiæ Conventus . 314. LXXII.
Nurimbergæ Conventus . 317. LXXX.

O

OBſervantes . V. *Minores* .
Odiuus Faber ſolum Minoritis pro ædificando Montis Lucii Cœnobio largitur . 147. XLII.
Oliverius de Langhe hiſtoriam B. Coletæ in lucem prodit . 306. LVII.
Openheimenſe Monaſterium. 53. XXXIX.
Ordines Mendicantium cum Doctoribus Pariſienſibus diſſident . 163. IX.
Orifica Fulginas una ex fundatricibus Monaſterii ſancti Bernardini Viterbii. 230. LXXVI.
Ortanum Monaſterium . 322. XCII.
Ortonenſis Conventus . 111. XXXII.
Ovidii Naſonis Poetæ quænam Patria . 182. XIV.

P

PAduanum Monaſterium . 89. LIV.
Paguarinus Dulciuenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Trivilii conſecrat . 171. XXIV.
Palentinum Monaſterium . 114. XLI.
Papienſe Monaſterium . 148. XLIV.
Parmenſis Domus Sororum Tertii Ordinis . 172. XVII.
Paſchutius de Aſſiſio in Provincia ſancti Franciſci Inquiſitor . 48. XXVIII.
Paſtranæ Conventus . 22. XLVII.
Paula Fulginas pia fœmina in Monaſterio Corporis Chriſti Aquilæ tumulata. 322. XCI.
Paula Iſabella Mediolanenſis paupertate , jejuniiſque celebris . 323. XCIV.
Paula Maria Comenſis corporis maceratione , regularique Obſervantia præclara. 323. XCIV. 326. III.
S. Pauli de Tuſcanella Monaſterium . 148. XLIV.
Paulus de Alexandria Franciſci Savonenſis diſcipulus . 50. XXIX.
Paulus de Ambroſiis Tertii Inſtituti Sacerdos . 269. III.
Paulus de Aroyo Religione præclarus Hiſtoni moritur . 118. V.
Paulus de Imperialibus Genuenſis Jacobo de Primaditiis in Oriente favet. 60. VIII.
Paulus de Monteleone Inquiſitor in Umbria . 48. XXVIII.
Paulus Pallanterius Epiſcopus Laquedonenſis . 314. LXXI.
Paulus de Pantaleis in Provincia Romana Inquiſitor . 17. XXXIV. 109. XXV.
Paulus Raguſinus Tertiarius Domum Lavallenſem fundat . 230. LXXVI.
Paulus de Rojo religione & ſanctitate inſignis . 12. XXXIV.
Paulus Sinopolitanus Nuncius Pontificius in Calabria deſignatus . 211. XLIV. in eadem Provincia Vicarius inſtituitur. 227. LXIV. fuit S. Bernardini ſocius. ibidem .
Peruſii ſancti Antonii Domus Sororum Tertii Ordinis . 115. XLIII.
Peſtenii Conventus . 188. VIII.
Petrus de Ambaſia Pictavorum Antiſtes facultatem pro creatione Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis concedit . 118. IV.
Petrus de Annalibus acta beatæ Coletæ ſcribit . 306. LVII.
Petrus Benocenſium Comes in Conventu Blaueti tumulatus . 265. XXII.
Petrus Brandufii Burguudiæ Miniſter . 49. XXVIII.
Petrus Calaguritanus Epiſcopus Conventum Baſtidæ ædificari indulget . 315. LXXV.
Petrus Calderouus Maſſanenſis Antiſtes . 226. LXII.
Petrus Capraria Dominus Eremitorii capitis Auroræ hoſpitium Minoritis offert. 146. XXXIX.
Petrus de Caſtroval ſacræ Theologiæ Doctor . 292. XIX.
Petrus Caturninus ſancti Bernardini Senenſis ſocius . 190. III.
Petrus de Civitate Pennæ beati Thomæ Florentini diſcipulus . 300. XXXIX.
Petrus de Colle in Divinis ſcripturis eruditus . 109. XXVI.
Petrus Cordubenſis Nuncius Pontificius apud varios Principes . 211. XLIV.
Petrus Fernandez de Velaſco pro conſervandis & reformandis quibuſdam domibus operam impendit . 146. XXXVIII. 183. XVIII. hoſpitio S. Bernardinum Senenſem ſuſcipit . 147. XL.
Petrus Ferrarius Commiſſarius Apoſtolicus in Oriente . 214. XLVII.
Petrus Ferriz de Conventu Cæſarauguſtæ benemeritus . 316. LXXVIII.
Petrus de Fuxo Cardinalis viriliter Eugenium IV. ſummum Pontificem defendit . 97. III.
Petrus Galeſinus geſta ſancti Didaci Complutenſis narrat . 138. XI.
Petrus de Landres Dorenſis Epiſcopus . 109. XXV.
Petrus Legerius Provinciæ Turoniæ Miniſter . 49. XXVIII.
Petrus Lenet Franciſco de Brittannia a ſacris Confeſſionibus . 143. XXIX.

Pe-

Petrus de Migolla Pœnitentiarius in Baſilica ſancti Petri. 150. II. & Capellanus Pontificius. 144. XXIX.
Petrus de Molina Cuſtodiæ Murciæ Præfectus. 24. XLIX.
Petrus de Oſiaco Monaſteriorum Coletaneorum Viſitator. 305. LI. 306. LIV.
Petrus de la Peuna in Regno Caſtellæ Apoſtolicus Nuncius. 211. XLIV.
Petrus Perquerius Concilio Florentino intereſt. 30. II. 84. XXXVI. ibique diſputat. 49. XXVIII. fuit Provinciæ Aquitaniæ Miniſter. ibidem. ad Epiſcopatum Caballicenſem aſſumitur. 49. XXVIII. 84. XXXVI.
Petrus de Piſtoria Vicarius Vandaliæ Nuncius Pontificius apud Caſtellæ Regem. 211. XLIV.
Petrus Rodulphus ſcribit hiſtoriam beati Thomæ Florentini. 300. XXXVIII. & beatæ Coletæ. 307. LVII.
Petrus de Spinoſa Cœnobio de Montibus claris initia præbet. 146. XXXVIII.
Petrus Thomaſius Medicus Venetus ſancti Bernardini Senenſis Epiſtolam recipit. 165. XII. ſeq.
Philippina Cbalenia ſanctitate illuſtris Monaſterium Orbenſe fundat. 119. VI.
Philippus Aquilanus miraculis celebris Sulmonæ tumulatus. 182. XIV.
Philippus Aſtoricenſis Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter. 137. X. & Doctor Salamantinus. 181. XI.
Philippus Bonus Dux Burgundiæ ſitum concedit Fratribus ut Cœnobium Bolonienſe in Picardia ædificent. 228. LXVIII.
Philippus Lucenſis Provinciæ Tuſciæ Miniſter. 49. XXVIII.
Philippus Neoreys contra Mendicantes bellum indicit. 104. XV. cum ſuis fautoribus condemnatur. ibidem. Ejus propoſitiones pravæ recenſentur. 105. XVII. quæ gravi proſcribuntur cenſura. 106. XVII
Philippus de Savenſes Ambianenſe Monaſterium ædificat. 248. XXXIX.
Philippus Senenſis beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Pinti Conventus. 23. XLVIII.
Piſanum ſancti Martini Monaſterium. 148. XLIV.
Placentiæ in Hiſpania Domus Sororum Tertii Ordinis. 230. LXXV.
Plumbini Monaſterium. 148. XLIV.
Polenſis Conventus. 53. XLI.
Polydorus Romanus Patritius humilem converſorum ſtatum inter Minoritas amplectitur. 296. XXXI. beati Thomæ Florentini ſpiritualem doctrinam audit. 300. XXXIX.
Pontius Gaufredi Epiſcopus Sidonienſis. 264. XVII.
Pontius de Monte Peſſulano Miniſter Provinciæ in Gallia. 137. X.
Populonii Conventus. 294. XXIII.
Portiunculæ Conventus. 243. XXIV.
Potochienſis Conventus. 265. XXIII.
Pratenſis Conventus. 87. XLV.
SS. Primi & Feliciani corpora in Monaſterio ſanctæ Claræ Papienſi jacere fertur. 148. XLIV.
Priſtani Monaſterium Clariſſarum. 148. XLIV. & Domus Sororum Tertii Inſtituti. 267. XXVII.
Privilegia Tribus Ordinibus conceſſa in fine cujuſcumque anni recenſentur.
Procuratoris Conventualium Domus in Urbe. 244. XXVII.
Procuratorum duorum Generalium in Romana Curia origo. 244. XXVI.

Q

Quinque-eccleſiarum Rectoribus jubetur ut beato Jacobo de Marchia in ſuis ditionibus prædicare permittant. 5. XI.
Quinteria de Maſtinc virtute præclara Domum Athienſem abſolvit. 247. XXXVI.

R

Rabidæ Conventus. 246. XXXIV.
Raculæ Conventus. 246. XXXII.
Radicondoli Conventus. 294. XXIII.
Ramberti Curiæ Conventus. 315. LXXIII.
Raphael Adurnus Dux Januenſis de Cœnobio Montis Vallis Beſagni benemeritus. 227. LXIV.
Raphael de Spinolis ſacri Palatii Apoſtolici Lector. 50. XXIX. ad Epiſcopatum Ajacenſem aſſumitur. ibidem.
Ravennæ Conventus. 227. LXVI.
Raymundus de Turribus Sardiniæ Vicarius. 49. XXVIII.
Raymundus Urſinus cœleſti viſione monitus Conventum Nolæ reſtaurat. 245. XXXI.
Reatina Domus Tertiariarum. 115. XLIII.
Regii lepidi Conventus. 50. XXX.
Reginaldus Nolanus laicus miraculis coruſcat. 246. XXXI.
Richardus Favard Conventum Miricuriæ ædificat. 315. LXXIII.
Richardus Ligerius Philippopolitanus Archiepiſcopus. 84. XXXVI.
Richardus de Reſtis apud Aquilejenſem Patriarcham PontificiusNuncius. 211. XLIV.

Rinadominarum Conventus. 51. XXXII.
Rizafæ Conventus. 246. XXXIV.
Robertus de Anglia Imelacenſis Epiſcopus. 226. LXII.
Robertus Cardinalis Bellarminus Montis Politiani natus. 245. XXVIII.
Robertus Cretbius bis Miniſteriatu Scotiæ functus. 264. XVIII.
Robertus Mediolanenſis in Provincia ſancti Angeli Apoſtolicus Nuncius. 211. XLIV.
Robertus Stuardus Minorita Jacobo V. Scotorum Regi cognatus. 264. XVIII.
Robertus Tiberiadis Epiſcopus. 226. LXII.
Roccæ del Cex Conventus. 89. LII.
Rodericus Alphonſus Pimentelius Comes reformationem Provinciæ ſancti Jacobi promovet. 88. LI.
Rodericus Mendotius Paternianus Dux apud Franciſcanos tumulatus. 23. XLVII.
Rodericus de Onua virtute celebris. 254. IV.
Rodericus Regamia Dimitrienſis Epiſcopus. 18. XXXV.
Rodericus de Villacre Conventum Baſtidæ conſtruit. 315. LXXV.
Rodiginei Conventus. 246. XXXII.
Rogerius Syracuſanus Epiſcopus Domum ſanctæ Agathæ Tertiariis concedit. 172. XXVI.
Romæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 248. XL.
Roſata Fulginas Monaſterii ſancti Bernardini Viterbii fundatrix. 230. LXXVI.

S

SAcramentorum theologice explicatur natura. 66. XII. ſeqq.
Salernitanum Monaſterium. 266. XXIV.
Salmanticenſis Conventus, 84. XXXVIII.
Sancti Salvatoris Luceriæ Conventus. 137. XIX.
Sancius de Canales Viſitator & Cuſtos in Caſtella a Pontifice demandatus. 137. IX.
Sanctia Martinez Monaſterium Arevalenſe ædificat & locupletat. 115. XLIV.
Scanſani Conventus. 294. XXIII.
Scarlini Conventus. 294. XXIII.
Scolarius de Monte Ilcino Provinciæ Romanæ Inquiſitor. 17. XXXIV. 84. XXXVII. & Miniſter. 49. XXVIII. Tuſciæ etiam Miniſter eligitur. 137. X.
Sebaſtianus a Celenta gratia miraculorum donatus. 112. XXXIV.
Segobienſe Monaſterium. 114. XLI.
Senenſe ſancti Laurentii Monaſterium. 148. XLIV. & ſanctæ Petronillæ. ibid.
Senenſis Domus Tertiariarum. 90. LVI. 230. LXXV.
Seraphinus Siculus Nuncius Apoſtolicus ad Siculos & Melitenſes. 211. XLIV. a Gandulpho Hieroſolymorum Guardiano ad Pontificem miſſus. 220. LII.
Sancti Severi Corpus ubi ſepultum. 181. XIII.
Sigiſmundus Hungariæ Rex ſanctum Jacobum Picenum invitat, ut ſecum contra Turcas procedat. 3. IV. decedit. 21. XLIII. Ejus Epiſtolæ. V. *Epiſtola*.
Silveſter quidam Minorita Comenſes diſſidentes inter ſeſe componit. 86. XLII.
Silveſter a Radicondolo beati Thomæ Florentini diſcipulus. 300. XXXIX.
Silveſter Senenſis Nuncius Pontificius in Patriarchatu Gradenſi. 211. XLIV.
Simon Bachienſis ſancto Jacobo Piceno infenſus. 36. XIV.
Simon de Lande Salubrienſis Epiſcopus. 84. XXXVI.
Simon Philomena Provinciæ Franciæ Miniſter. 49. XXVIII.
Simon de Verdeto apud varios Principes Apoſtolicus Nuncius. 144. XXXI.
Simonettus de Foggia Provinciæ ſancti Angeli Miniſter. 49. XXVIII.
Sluſarum Conventus. 183. XIX.
Sollaris Conventus. 224. LVII.
Sorores Clariſſæ. V. *Clariſſæ*.
Sororum Tertii Ordinis Domus. V. *Domus Sororum*.
Spineti Monaſterium. 229. LXXIV.
Spoleti Conventus. 87. XLVIII. & Domus Tertiariarum. 184. XXII.
Statuta Capituli Romani Obſervantum. 254. IV. & Capituli ſancti Audomari. 291. XVIII.
Stephanus ſancti Didaci Complutenſis ſocius. 141. XXI.
Stephanus de Hungaria in propagando Ordine ſollicitus. 114. XL.
Stephanus Juliacus beatæ Coletæ hiſtoriam ſcribit. 306. LVII.
Stephanus Neritonenſis Epiſcopus locum pro ædificando Cœnobio Raculæ Fratribus concedit. 246. XXXII.
Stephanus Tarviſinus Monaſterium ſancti Nicolai de Muriano fundat. 89. LIII.
Sueſſanum Monaſterium. 322. XCII.
Sulmonenſis Conventus. 182. XIV.
Surrentinus Conventus. 314. LXX.
Sutiſchenſis Conventus. 113. XXXVI.
Symbolum ſancti Athanaſii in Bulla Unionis ab Eugenio IV. confirmatur. 69. XII.

Sym-

Symbolum Conſtantinopolitanum proditur. 63. XII.
Syracuſanus Conventus. 314. LXX.

T

TArenti Conventus. 311. LXVI.
Tarviſinum della Cella Monaſterium reformatur. 89. LIII.
Tavirenſe Monaſterium. 171. XXV.
Terentia Fulginas una ex Fundatricibus Monaſterii Viterbienſis. 230. LXXVI.
Termularum Conventus. 246. XXXII.
Terræ Novæ Conventus. 227. LXIV.
Terræ Sanctæ Procurator doloſe cum Fratribus agit. 46. XXIV.
Tertiariorum Domus. V. *Domus Tertii Ordinis*. Et *Privilegia*. V. in fine cujuslibet Anni.
Thaddæa Imolenſis Monaſterii Corporis Chriſti Abbatiſſa. 25. LIII.
Thaddæus Macgillacundain doctrina præclarus. 144. XXXII.
Theodorus de Brandino Conventum Jaderenſem ædificat. 170. XIX.
Thomas Bourcherius Anglus Archiepiſcopus Cantuarienſis & Cardinalis. 321. LXXXIX.
Thomas Caccius Miraculorum gloria illuſtris. 227. LXV.
B.Thomas Florentinus naſcitur. 292. XX. Ejus Parentes & patria. ibidem. virtutes. 293. XXI. ſeqq. Dat Franciſcanis nomen. 292. XX. quibus aggregat domicilia. 294. XXIII. & Conſodales. 294. XXIV. Tirocinium ducit in Cœnobio Scarlini. 294. XXV. inibi orantibus Fratribus Lupi manſuete aſſidebant. 295. XXVI. Cervum cicurat, Fratrumque deſtinat obſequio. 295. XXVII. Aves ei obtemperant. ibidem. cœlitus panem accipit ad vires refocillandas. 295. XXVIII. ſeq. ex quo aliis abundanter erogat. 296. XXIX. Socium languentem in itinere reficit. 296. XXIX. ingens ſaxum alio mirabiliter transfert. 296. XXX. & fabricatoribus materiam ædificandi miniſtrat. ibidem. ſuis obtrectatoribus ſupplicium prædicit. 296. XXXI. multaque alia prophetico ſpiritu prænunciat. 296. XXXI. Miſſus ad Æthiopes iterato fit Turcarum captivus. 297. XXXII. ſeq. Ejus in captivitate lætitia. 297. XXXIII. ſeq. Maximo flagrat Martyrii deſiderio. 297. XXXIV. 298. XXXVI. Pontificis, aliorumque ope e captivitate liberatur. 298. XXXVI. Redit in Italiam. 298. XXXVI. Ægrotat. 299. XXXVII. in Domino obdormit, multaque miracula patrat. ibidem. a populis permaxime veneratur. 299. XXXVIII. Ejus vitæ Scriptores. 300. XXXVIII. & Diſcipuli. 300. XXXIX.
Thomas Lucanus ad ſummum Pontificatum evehitur. 274. V.
Thomas Martinez Provinciæ Aragoniæ Miniſter, vir optimus. 317. LXXIX.
Thomas Matthæi de Tragurio Sebrinicenſis Epiſcopus. 109. XXV.
Thomas Reudauus in Conventu Cariatenſi ſepultus. 112. XXXIII.
Thomas Roidnor Provinciæ Angliæ Miniſter. 49. XXVIII.
Thomæ Imperatori Indorum Pontifex mittit Epiſtolam. 71. XV.
Tibingenſis Conventus. 265. XXIII.
Trivilii Conventus. 150. III. 170. XX.
Tuderti Monaſteria uniuntur. 51. XXXIV.
Turſii Conventus. 146. XXXVI.
Tuſcanellæ Monaſterium. 148. XLIV.

V

VAldienſe Monaſterium. 266. XXIV. 267. I.
Valentinum ſanctæ Claræ Monaſterium. 248. XXXVIII. & ſanctiſſimæ Trinitatis. 247. XXXVIII.
Vallis bonæ Conventus. 88. L.
Vallis fabricæ Domus Fratrum Tertii Ordinis. 149. XLV.
Valliſoletanum Monaſterium. 114. XLI.
Varaſci Conventus. 229. LXIX.
Venetum ſancti Nicolai Monaſterium. 89. LIII.
Veſtarum Monaſterium. 53. XL.
Uguccius de Contineriis Conventum Lacuſcuri ædificat. 51. XXX.
Vicheriæ Conventus. 170. XIX.
Victor de Boſna in propagando Inſtituto ſollicitus. 114. XL.
Victoria Farneſia Urbinas honorificentiori loco Corpus beatæ Felicis recondit. 225. LIX.
Vilforadi Conventus. 146. XXXVII.
De Villaverde Conventus. 246. XXXIV.
Villæ Comitis Monaſterium. 323. XCV.
Vincentius Comenſis nobili genere & ſanctitate illuſtris. 111. XXXI.
Vincentius Senenſis ſocius, & a ſecretis ſancti Bernardini, moritur. 165. XII.
Violantes Ducis Gandiæ nata Clariſſa. 248. XXXVIII.
Virgo quædam Beneventana ſexum ementita inter Fratres vitam ducit. 146. XXXIX.
Viterbienſis Conventus. 86. XLIII. & Monaſterium S. Roſæ. 25. LIII. 183. XXII. necnon S.Bernardini. 230. LXXVI.

Unio Armenorum. V. *Armeni*.
Unio Græcorum. V. *Græci*.
Univerſitates ſtudiorum recenſentur, quæ ſpectabant ad Ordiuem. 144. xxxii.
Volaterranus Conventus. 245. xxix. 294. xxiii.
Volſinii Conventus. 145. xxxv.
Urbanus Peruſinus in Umbria contra hæreticos inquirit. 144. xxxi.
Urbini ſanctæ Luciæ Monaſterium, & ſancti Silveſtri. 52. xxxv.
De Uribe Domus Tertiariarum. 183. xxi.
Wineſii Conventus. 229. LXIX.

X

Xereſii Equitum Conventus. 113. XXXIX.

Z

Zubraquenſis Conventus ad meliora reducitur. 229. LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Undecimi Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

AD Apoſtolicæ dignitatis. *Eugenii IV.* 494. CXC.
Ad decorem. *Nicolai V.* 542. XXXI.
Ad ea ex Apoſtolicæ. *Eugenii IV.* 334. VIII.
Ad ea ex Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 340. XV.
Ad ea ex injunctæ. *Ejuſdem*. 360. XLV.
Ad ea ex ſuſceptæ. *Ejuſdem*. 479. CLXXVI.
Ad ea libenter. *Ejuſdem*. 450. CXLI.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 348. XXVIII.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 369. LVI.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 409. LXXXIX.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 423. CVIII.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 425. CXI.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 470. CLXV.
Ad ea per quæ. *Ejuſdem*. 474. CLXIX.
Ad ea quæ. *Ejuſdem*. 342. XVIII.
Ad ea quæ. *Ejuſdem*. 344. XXII.
Ad ea quæ. *Ejuſdem*. 362. XLVI.
Ad hoc circa. *Nicolai V.* 532. XXIII.
Ad Monaſteriorum. *Eugenii IV.* 330. II.
Ad Ordinem Minorum. *Ejuſdem*. 471. CLXVI.
Ad Sacram Petri Sedem. *Ejuſdem*. 337. XII.
Ad ſtatum ſingulorum. *Ejuſdem*. 341. XVII.
Ad uberes fructus. *Ejuſdem*. 452. CXLIV.
A ſummo Patre familias. *Ejuſdem*. 413. XCVI.
Æternæ beatitudinis. *Ejuſdem*. 404. LXXXVI.
Æterni Paſtoris. *Ejuſdem*. 426. LXII.
Æterni Paſtoris. *Ejuſdem*. 483. CLXXXI.
Alias de tua. *Ejuſdem*. 357. XL.
Annuere ſolet. *Ejuſdem*. 479. CLXXVII.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem*. 344. XX.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem*. 344. XXI.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem*. 380. LXVIII.
Apoſtolatus officium. *Nicolai V.* 521. XIV.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem*. 528. XX.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem*. 536. XXV.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem*. 537. XXVI.
Apoſtolicæ Nobis. *Eugenii IV.* 335. IX.
Apoſtolicæ nobis. *Ejuſdem*. 349. XXIX.
Apoſtolicæ nobis. *Ejuſdem*. 459. CLII.
Apoſtolicæ nobis. *Ejuſdem*. 486. CLXXXIV.
Apoſtolicæ nobis. *Nicolai V.* 534. XXIV.
Apoſtolicæ Sedis. *Eugenii IV.* 393. LXXV.
Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem*. 413. XCIV.
Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem*. 439. CXXVIII.
Benignitas Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 355. XXXVII.

Cognita devotionis. *Ejuſdem*. 356. XXXIX.
Creditæ nobis. *Ejuſdem*. 395. LXXVII.
Cum pro pacifico. *Ejuſdem*. 476. CLXXII.
Cum proximis temporibus. *Nicolai V*. 522. XV.
Cum ſit debitum. *Eugenii IV*. 360. XLIV.
Cum te quem nuper. *Ejuſdem*. 444. CXXXII.
Cunctorum ſtatui. *Ejuſdem*. 463. CLVII.
Cupientes circa bonum ſtatum. *Nicolai V*. 510. VI.
Decet Romanum Pontificem. *Eugenii IV*. 363. XLVII.
Decet Romanum Pontificem. *Ejuſdem*. 481. CLXXIX.
Deo devotarum. *Ejuſdem*. 365. L.
Devotarum nobis. *Ejuſdem*. 466. CLXI.
Devotarum nobis. *Ejuſdem*. 496. CXCII.
Devotionis tuæ. *Ejuſdem*. 412. XCII.
Devotis petentium. *Ejuſdem*. 462. CLV.
Digna exauditione. *Ejuſdem*. 468. CLXIII.
Digna reddimur attentione. *Ejuſdem*. 402. LXXXIV.
Digna reddimur attentione. *Nicolai V*. 504. I.
Diſpoſitione Divina. *Eugenii IV*. 441. CXXIX.
Diſpoſitione Divina. *Ejuſdem*. 499. CXCV.
Divina diſponente clementia. *Ejuſdem*. 336. XI.
Divina diſponente clementia. *Ejuſdem*. 346. XXIV.
Divina diſponente clementia. *Ejuſdem*. 468. CLXII.
Divina diſponente clementia. *Nicolai V*. 511. VII.
Dudum de providentia. *Eugenij IV*. 333. VI.
Dudum ſiquidem. *Ejuſdem*. 497. CXCIII.
Dudum videlicet. *Ejuſdem*. 389. LXXI.
Dum præclara. *Ejuſdem*. 491. CLXXXVIII.
Cum ſedulæ mentis. *Ejuſdem*. 405. LXXXVII.
Ea quæ pro Monaſteriorum. *Ejuſdem*. 352. XXXII.
Ea quæ pro Monaſteriorum. *Ejuſdem*. 422. CV.
Ea quæ pro Religioſorum. *Ejuſdem*. 398. LXXX.
Eccleſiarum utilitati. *Ejuſdem*. 345. XXIII.
Etſi de ſingularum. *Ejuſdem*. 406. LXXXVIII.
Etſi ex debito. *Ejuſdem*. 473. CLXVIII.
Etſi perſonis. *Ejuſdem*. 377. LXIV.
Ex Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem*. 501. CXCVII.
Ex Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem*. 503. CXCVIII.
Exigit devotionis veſtræ. *Ejuſdem*. 469. CLXIV.
Exigit dilecti. *Ejuſdem*. 331. IV.
Exigit tuæ devotionis. *Ejuſdem*. 414. XCV.
Exigunt perſonæ tuæ. *Ejuſdem*. 492. CLXXXIX.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem*. 332. V.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem*. 354. XXXV.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem*. 359. XLIII.
Eximiæ tuæ devotionis. *Ejuſdem*. 347. XXVII.
Ex injuncto nobis. *Ejuſdem*. 335. X.
Ex paſtoralis officii. *Ejuſdem*. 410. XC.
Ex paſtoralis officii. *Ejuſdem*. 425. CX.
Expoſcit dilectorum. *Ejuſdem*. 455. CXLVIII.
Expoſcit dilectorum. *Ejuſdem*. 475. CLXX.
Expoſcit veſtræ. *Ejuſdem*. 434. CXXII.
Ex ſuſcepto. *Ejuſdem*. 394. LXXVI.
Gloriæ perennis. *Nicolai V*. 513. IX.

Humi-

Humilibus & honeſtis. *Eugenii IV.* 416. XCVIII.
Humilibus ſupplicum. *Ejuſdem.* 339. XIV.
Humilibus ſupplicum. *Ejuſdem.* 365. LI.
Humilibus ſupplicum. *Ejuſdem.* 431. CXIX.
Humilibus ſupplicum. *Ejuſdem.* 498. CXCIV.
Humilibus ſupplicum. *Nicolai V.* 539. XXVIII.
Humilibus ſupplicum. *Ejuſdem.* 541. XXX.
Iis quæ pro Eccleſiarum. *Eugenii IV.* 403. LXXXV.
Iis quæ pro Religioſarum. *Ejuſdem.* 464. CLVIII.
In eminentis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* 480. CLXXVIII.
Injunctum nobis. *Ejuſdem.* 350. XXXI.
Injunctum nobis. *Ejuſdem.* 353. XXXIV.
Injunctum nobis. *Ejuſdem.* 415. XCVII.
Injunctum nobis. *Ejuſdem.* 436. CXXV.
Injunctum nobis. *Ejuſdem.* 490. CLXXXVII.
Inter cetera cordis noſtri. *Ejuſdem.* 390. LXXII.
Inter cetera cordis noſtri. *Ejuſdem.* 452. CXLV.
Inter cetera deſiderabilia. *Ejuſdem.* 422. CVI.
Inter cetera deſiderabilia. *Ejuſdem.* 500. CXCVI.
Inter cetera deſiderabilia. *Nicolai V.* 515. X.
Inter cetera deſiderabilia. *Ejuſdem.* 517. XII.
Inter cetera noſtri cordis. *Eugenii IV.* 477. CLXXIV.
Inter curas multiplices. *Ejuſdem.* 495. CXCI.
Inter deſiderabilia. *Ejuſdem.* 400. LXXXII.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 446. CXXXV.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 449. CXL.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 450. CXLII.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 472. CLXVII.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Nicolai V.* 507. IV.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 524. XVII.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 538. XXVII.
Inter Eccleſiaſticos Ordines. *Ejuſdem.* 540. XXIX.
Inter univerſa opera. *Ejuſdem.* 529. XXI.
Juſtis & honeſtis. *Eugenii IV.* 376. LXIII.
Juſtis & honeſtis. *Ejuſdem.* 454. CXLVII.
Licet debitum. *Ejuſdem.* 380. LXVII.
Licet ex debito. *Ejuſdem.* 484. CLXXXII.
Licet is. *Ejuſdem.* 338. XIII.
Licet is. *Ejuſdem.* 346. XXV.
Licet is. *Ejuſdem.* 347. XXVI.
Licet is. *Ejuſdem.* 353. XXXIII.
Licet is. *Ejuſdem.* 354. XXXVI.
Licet is. *Ejuſdem.* 363. XLVIII.
Licet is. *Ejuſdem.* 423. CVII.
Licet is. *Ejuſdem.* 427. CXIII.
Licet Romanus Pontifex. *Ejuſdem.* 374. LXII.
Licet Romanus Pontifex. *Nicolai V.* 518. XIII.
Magnæ devotionis ſinceritas. *Eugenii IV.* 446. CXXXIV.
Merita veſtræ Religionis. *Ejuſdem.* 369. LV.
Novit tua devotio. *Ejuſdem.* 435. CXXIII.
Ordinem veſtrum. *Ejuſdem.* 430. CXVII.
Ordinem veſtrum. *Ejuſdem.* 457. CL.
Odor famæ bonæ. *Ejuſdem.* 371. LIX.
Paſtoralis officii. *Ejuſdem.* 432. CXX.

Pa-

Paſtoralis officii. *Ejuſdem*. 433. CXXI.
Per tuas litteras. *Ejuſdem*. 477. CLXXIII.
Pia nos excitat. *Ejuſdem*. 448. CXXXIX.
Pia vota fidelium. *Ejuſdem*. 339. LXVI.
Piis devotorum. *Ejuſdem*. 372. LX.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 373. LXI.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. 424. CIX.
Piis ſupplicum votis. *Ejuſdem*. 331. III.
Piis ſupplicum votis. *Nicolai V.* 525. XVIII.
Piis votis fidelium. *Eugenii IV.* 461. CLIII.
Piis votis fidelium. *Ejuſdem*. 489. CLXXXV.
Probatæ fidelitatis. *Ejuſdem*. 358. XLII.
Quamvis de cunctis. *Ejuſdem*. 478. CLXXV.
Rationi congruit. *Nicolai V.* 508. V.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Eugenii IV.* 482. CLXXX.
Regularem vitam. *Ejuſdem*. 445. CXXXIII.
Regulari caſtimoniæ. *Ejuſdem*. 340. XVI.
Religionis zelus. *Ejuſdem*. 437. CXXVI.
Religionis zelus. *Ejuſdem*. 443. CXXX.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 392. LXXIV.
Retulit nobis. *Ejuſdem*. 448. CXXXVII.
Romani Pontificis. *Ejuſdem*. 364. XLIX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 329. I.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 343. XIX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 349. XXX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 366. LII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 367. LIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 368. LIV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 370. LVII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 371. LVIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 379. LXV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 391. LXXIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 401. LXXXIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 412. XCIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 419. CI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 420. CII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 421. CIV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 420. CXIV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 428. CXV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 448. CXXXVIII.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 453. CXLVI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 458. CLI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 461. CLIV.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 463. CLVI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 466. CLX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 476. CLXXI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 489. CLXXXVI.
Sacræ Religionis. *Nicolai V.* 505. II.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 506. III.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 516. XI.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 527. XIX.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. 530. XXII.
Sedis Apoſtolicæ. *Eugenii IV.* 333. VII.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 357. XLI.

Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 381. LXIX.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 382. LXX.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 420. CIII.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 438. CXXVII.
Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem*. 444. CXXXI.
Sedis Apoſtolicæ. *Nicolai V.* 522. XVI.
Sinceræ devotionis. *Eugenii IV.* 399. LXXXI.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem*. 418. XCIX.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem*. 465. CLIX.
Sincerum habentes. *Ejuſdem*. 397. LXXIX.
Sincerum habentes. *Ejuſdem*. 456. CXLIX.
Solet Apoſtolicæ Sedis. *Ejuſdem*. 418. C.
Splendor Paternæ gloriæ. *Ejuſdem*. 396. LXXVIII.
Splendor Paternæ gloriæ. *Ejuſdem*. 430. CXVIII.
Sub experientia. *Ejuſdem*. 355. XXXVIII.
Tanta eſt noſtra. *Ejuſdem*. 429. CXVI.
Tanta eſt noſtra. *Ejuſdem*. 447. CXXXVI.
Vacantibus præſertim. *Ejuſdem*. 451. CXLIII.
Votis fidelium. *Ejuſdem*. 411. XCI.
Votis fidelium. *Ejuſdem*. 435. CXXIV.
Votis fidelium. *Eiuſdem*. 485. CLXXXIII.
Ut ea quæ. *Nicolai V.* 512. VIII.

FINIS TOMI VNDECIMI.

Digitized by Google

Mendæ, quæ in hujus Undecimi Tomi impreſſione irrepſerunt, benevole Lector ita corriges.

Pag. 30.	§. III.	*lin.* 14.	Verbi	verbi
62.	§. XII.	*lin.* 5.	Hortio	Horatio
63.	§. VII.	*lin.* 1.	eî	eis
71.	§. XIV.	*lin.* 7.	Sartienſem	Sartianenſem
114.	§. XLI.	*lin.* 8.	Sanrum	Sanctorum
116.	§. XLVI.	*lin.* 7.	qua	quam
119.	§. VI.	*lin.* 4.	Foderetus	Foderens
129.	§. XII.	*lin.* 7.	peccare	peccaſſe
144.	§. XXX.	*lin.* 8.	Philippolen.	Philippopolen.
163.	§. IX.	*lin.* 22.	ſolutis	ſolitis
189.	*in Argumento*		Beatus Felix	Beata Felix
244.	§. XXV.	*lin.* 15.	Alexium	Alexiî
274.	§. V.	*lin.* 11.	a duobus de viginti	a duodeviginti
284.	§. XIV.	*lin.* 15.	Jadram	Jaderam
287.		*lin.* 7.	cujuvſs	cujuſvis
303.	§. XLII.	*lin.* 5.	involuerunt	involverunt
305.	§. LII.	*lin.* 19.	ſi	ſic

Digitized by Google

Digitized by Google